Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu qui es? *Ex Ioan. cap.1. Liuore, vel metu laborantes Iudæi miserunt Sacerdotes, & Leuitas; non desiderio inueniendi Christum. Hinc maxima calamitas, & infelicitas: nam cùm Sacerdotes sunt sicut populus, Reipublicæ est excidium. v.30.n.126.p.378. v.35. n.24. pag.383.*

Sacerdotes, & Leuitas miserunt ad Ioannem Iudæi, vt pallio Sacerdotij inuidiæ venenum celarent. Graue damnum! Nam malitia iniusti sub sanctitatis velamine non est occultanda, v.2. n.19. & 20. illat.20.p.39. & v.16.n.65. & 66. pag.115.

Et confessus est; quia non sum ego Christus. *Magna humilitas Ioannis: non vult, quod non est, vt habeat, quod est, vers.14.n.104. illat.86. pag.155.*

Ioanni offerebatur diuinitas ab his Sacerdotibus: noluit eam admittere: quia qui vltra suam sphæram volare desiderat, miserabiliter corruet, vers.14. num. 102. illat.86. per totam, pag.154.

Vt vincat Ioannes ambitionem, negat se esse Prophetam: cùm tamen vere esset Propheta, & plus quam Propheta. Aliquando sancti peccatores se ostendunt, vt fugiant hypocrisim, vers. 17. *numero* 37. *illat.* 119. *per totam, pagina* 207.

Ego vox clamantis, *&c. Ioannes vocem se appellat, non tantum, quia vox erat æterni Verbi; sed etiam vt ostenderet, nihil, aut parum esse. Vox namque quid est nisi aer sonans. Ideo tantus est Ioannes: quia tantùm se humiliauit. Nam descensus gradus est, non descensus, vers.* 14. *à num.* 84. *vsque ad* 88. *illat.*83. *pag.*150.

Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. *Propter honorem Christi humiliatur Ioannes: Meritò in summum exaltatur, v.35. n.66. illat.* 240. *per totam, pag.*391.

Multa respondet Ioannes, vt à se abigat honores, & dignitatem: quia alios regere est opus molestissimum, vers. 14. *numer.* 37. *illatione* 75. *pag.*138.

Et plus quam vacare ieiuniis, & pœnitentiis, ibidem, num.38. & num.50. illat.77. p.141.

Ioannem in deserto habitantem pellibus vestitum quærunt honores: & meritò: quia honores fugiunt insectantes, & insectantur fugientes, v.1. n.65. illat.9. per totam, pag.21.

Dominica IV.

Procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarchâ autem Galileæ Herode, *&c. Ex Luc.cap.3. Diuisum erat regnum Iudæorum: inde eius excidium. In quolibet regno desiderabilis est concordia, & discordia detestanda, v.14. n.190. illat.100. per totam, pag.176.*

Omnes isti ad Principatum ascenderunt peccatis, non meritorum gradibus: Hinc regni excidium, v.5. n.27. illat.41. per totam, p.76.

Factum est verbum Domini super Ioannem, *&c. Factum dicitur verbum Domini, non prolatum: quia qui verbum Domini annunciat, prius illud facere tenetur, quàm proferre, vers.8. num.31. illat.68. per totam, pag.121.*

In deserto. *Ideo Verbum Domini factum super eum, quia Ioannes independens erat à Principibus, & Sacerdotibus. Hinc eius doctrina fuit admirabilis, versu* 30. *numero* 48. *pag.* 357.

Venit in omnem regionem Iordanis, *&c. subierat Ioannes Doctoris munus, & ideo non quieuit, omnia loca requirit, vt vitia reprehendat, vers.40. num.30. pag.464.*

Prædicans Baptismum pœnitentiæ. *Ioanni committitur prædicatio pœnitentiæ: quia habitabat in deserto pellibus vestitus, locustis alitus; vt suo exemplo omnes ad bonam frugem reduceret: nam bonum Doctoris exemplum etiam bruta, & insensibilia mouebit ad eius imitationem, vers.2. num.6. illat.18. per totam, pag.36.*

Cùm Ioannes prædicabat, Præsules relati in hoc Euangelio scelerati erant, quid mirum, quòd subditi etiam peccatores essent. Nam prodigium esset, non sequi vestigia Prælatorum, vers. 17. *num.* 125. *illat.* 131. *per totam, pag.* 230.

In Natiuitate Domini.

Exiit Edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. *Ex Luc. cap.2. Nascitur Christus, cùm describitur vniuersus orbis: vt denotetur, non pro solis Hebræis, sed pro omnibus nasci, v.5.n.148. illat.61. per totam, pag.*106.

Exiit Edictum, *Cùm omnes describuntur ad soluenda tributa, nascitur Christus, vt hominibus tributarius fiat: quia non sibi, sed hominibus nascebatur, vers.1. num.* 73. *illat.*11. *per totam, pagina* 24. *Aliàs sibi contumeliosius esset.*

Peperit Filium suum primogenitum. *Christus dicitur Mariæ, vt sic etiam esset noster. Quia quod Mariæ est, nostrum est, vers.37. n.142. pag.* 438.

Et pannis eum inuoluit. *Tunc iam pati incipiebat Deus homo: quia manus ligatas habens specimen illiberalis habebat; cuius propensio, & stemma est, beneficia extensa ma-*

nu elargiri, vers.3. num.17. illat.30. per totam, pag.54. & vers. 3. num. 22. illat.31 per totam, pag.55.

Et reclinauit eum in præsepio. *In præsepio iacet Deus homo. O mira dignatio Maiestatis! Qui in principio erat apud Patrem, factus homo iacet in præsepio, vt hominibus benefaciat, nullam abiectionem recusat: quia factus homo benignior, & liberalior apparet, vers.14. n.116.illat.88. per totam, p.158.*

Item iacet in præsepio, vt homines per peccatum in bruta conuersos lucrifaceret. Nostræ inclinationi accommodatur, vt nobis benefaciat, vers. 37. num. 50. illat. 250. per totam, pag.411.

Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos. *Nato Domino claritas Dei circumfulsit Pastores, vt Solis iustitiæ pignus certum haberent. Nam cùm Deus primum beneficium præstat ad maiora se obligat, vers.5. num.66. illat.47. per totam, pag.86.*

Et timuerunt timore magno. *Timuerant Pastores timore magno. Sed cur timent? Quia natus est Saluator mundi, in quo summum recipiebant beneficium: ne fortè pro eo debitas gratias non rependerent. Nam beneficium est lex quædam, quæ ad gratitudinem obligat, vers.14. num.129. illat.90. pag.161. & num.133. & num.136. illat.91. per totam, pag.163.*

Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator. *Gaudium magnum est subditis in periculis existentibus, cum Præsul eadem pericula subit, vers.1. num.103. illat.16. pag.33.*

Item, gaudium magnum: quia habent Præsulem, qui eorum vtilitati, potius quam propriæ consulat, vers.2. num.57. illat.27. per totam, pag.49.

Subitò facta est multitudo Militiæ cœlestis. *Ad quid? Vt testimonium præberent de natiuitate Saluatoris: quasi homo ineptus sit ad testificandum de Deo, nisi fuerit à Deo missus, v.2. n.38. illat.23. p.44.*

Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus. *Mirificè consonant hæc. In cœlo datur Deo gloria, cùm Christus nascitur, & in terra pax hominibus. An quia pax æquetur gloriæ? Quid mirum cùm pax vices gerat Christi, v.17. n.152. illat.136. pag.226.*

Item, in Natiuitate Domini.

In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est. *Ioan.1. Sed quid infinita diuinitatis celsitudo cum abiectione nostræ carnis? Quid æternitas cum tempore? Aut quid impassibilitas cum passione? Abiectio ista nihil diuinitati derogauit. Nam ex eo quod suam celsitudinem humiliauit, verum Deum se ostendit. Quia humilitas exprimit omnipotentiam, quæ soli Deo competit, vers.35. n.69. pag.393.*

Item passibilitas Christi eius diuinitatem declarat. Nam patientia à Deo sumpsit originem, vers.5. n.32. illat.42. p.78.

Regnum, & dominium Christi ostendit, ibid.

Patiendi gloria sedem secundam habet post æternam generationem, vers.5. num.141. illat.59. pag.104.

Patiens indiget declarari homo, ne supra naturam existimetur, vers.17. num.64. illat.123. 214.

Patientia transfert in Filium Dei, ibidem, num.65.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: *Nota, Ioannem non referre gloriam Christi quasi æterni Filij Dei, vsque dum retulit, Verbum nostram assumpsisse naturam. Vidit in sinu Patris, & tunc appellauit Verbum, non tamen appellauit Filium, nec gloriam Filij expressit. Quare? Quia Verbum caro factum ex Maria Virgine: quasi ex ea quid diuinum habuit Christus. Quo sensu? v.5, n.170. illat.64. p.111.*

Item, quia Christus, vt Mariæ Filius creuisse videtur in celsitudine, & sanctitate, v.37. n.127. illat.261. per totam, p.434.

Item Ioannes gloriam Verbi quasi vnigeniti à Patre expressit post nostræ naturæ assumptionem; quia passibilem naturam iam habebat, gloriæ crucis capacem. Christus enim sine gloria crucis noluit agnosci vt Deus, v.37. n.14. & 16. p.400. & 401. Vide Crux.

In Circumcisione Domini.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur Puer. *Ex Luc. cap.2. Circumciditur Christus, vt obseruetur lex: quia legis gloria est eius obseruantia: nam superfluit lex, si subditorum desit obedientia, v.1. n.108. illat.17. pag.34.*

Item circumciditur, non quia remedio circumcisionis indigeret summa sanctitas, sed vt legem honoraret. Nam honor legis ex sanctitate imperantis, v.5. n.115. illat.55. p.97.

Tenellus, & Puer circumciditur Deus homo: quia lex obseruanda est etiam Principis dispendio, v.14. n.205. illat.103. p.181.

Item legem obseruat, vt cæteri eam obseruent: nam quando Præsul legem adimplet, subditi eam libenter amplectuntur, vers.16. n.72. illat.116. pag.198.

Item, circumciditur anxius effundendi sanguinem, versu 5. numero 42. illatione 43. pagina 81. Et ibid. num.140. illat.59. pag.104.

Et vers. 20. num. 86. illat. 201. per totam, pag.332.

Vocatum est nomen Iesu. *Vide* Nomen Iesu *& inuenies plura.*

In Epiphania Domini.

Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis. *Ex Matthæo, cap.2. Cur in diebus Herodis impij nascitur Saluator? Quia populus tunc oppressus magnas patiebatur angustias: & necessitas magna viua vox est ad excitandam diuinam largitatem, vers.14. n.160. illat.95. per totam, pag.169.*

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes, &c. *Nato nostro Saluatore Stella Magos illustrauit, & statim Christum requirunt: quia cum Deus præstat fauorem, tenetur*

tur homo diligentiam adhibere, v.20. num.38. illat.194. per totam, pag.321.

Ecce Magi. *Deo nato Reges festinant ad adorandum. Sed cur Magi? Nobiles & Reges erant. Nobilis cæteris præstare tenetur in virtute, & in Deo quærendo, vers.1. num.79. illat.12. per totam, pag.25.*

Ecce Magi. *Reges erant, & Magi, hoc est, sapientes appellantur: quia ineptus est ad regimen, qui litterarum caret ornamento, vers.16. num.53. illat.113. per totam, pag.193.*

Et vers. 30. *numero* 64. *illat.* 216. *per totam, pag.*360.

Ecce Magi. *Reges testimonium perhibent de Christo nato, & verum est eorum testimonium; quia mendacium à viro nobili alienum, v.30. n.89. pag.367.*

Ecce Magi. *Tres erant, vt veritas trium testimonio esset inconcussa: In quo vmbra fuit sanctissimæ Trinitatis, in cuius præsentia perit omne mendacium; & omnis veritas manet stabilis, & firma, vers.37. num.73. illat.254. per totam, pag.418.*

Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? *In conspectu Herodis alium Regem inquirunt intrepidè. Quid mirum? Habebant Deum in se; & qui Deum secum habet, trepidare, nescit, vers.18. num. 94. & 97. & 98. illat. 156. pag.268. & 269.*

Vidimus Stellam eius. *An Deus solùm habet hanc Stellam, qui omnium Stellarum est Author, & Dominus? Profectò, hanc Stellam suam solum reputat, quia hominum deseruiebat saluti: nam quod illi non deseruit, suum non reputat, v.18. n.157. & n.158. illat.165. pag.283.*

Vidimus Stellam eius. *Cur Stellâ, & non Sole, qui fulgentioribus multò radiis corruscat, vocantur Magi? Quia ad culmen virtutis non subito, sed pedetentim est ascendendum, v.1. n.56. illat.8. per totam, p.18.*

Audiens autem Herodes turbatus est. *Hinc maximè constat iniquitas Herodis: nam Præsul nullius rei metu turbari debet, v.17. n.41. illat.120. per totam, p.208.*

Herodes turbatus est. *Tyrannus Rex turbatur. Timor iste ex mala conscientia, qua regnum possidebat, oritur. Nam quem conscientiæ securitas defendit, defensione alia non indiget, v.14. n.184. illat.99. p.175.*

Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. *Regi tyranno populus adulatur; vel turbatur vere: quia ad regis exemplum totus populus operatur, vers.37. num.155. illat.266. per totam, p.442. Vide*, Exemplum.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur, *&c. Consilium quærit Herodes: in hoc prudenter se gessit: nam quodlibet negotium prævio consilio est aggrediendum, vers.35. n.46. illat.236. per totam, p.389.*

Tunc Herodes, clam vocatis magis, *&c. Sciebat ex Scripturis in Bethleem nasciturum Christum, & clam vocat Magos. Sed cur clam, & non aperte? Quia mentiebatur, promittens adoraturum Christum. Quasi rubore suffusus, quia mentiebatur: nam veritas Principis est corona, vel, 30. n.47. p.157.*

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum. *An adorarunt, quia Christus simul cum sanctissima Matre maiori cultu reuereri desiderat? Ita est, vers.37. num.123. pag.433.*

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, *&c. Regum est Deum pauperem, alias diuitem, ditare; Ecclesiis, & Ministris dona conferre, non auferre, vers.41. num.10. & per totam, p.467.*

Dominica in Septuagesima.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, *&c. Ex Matthæo, cap.* 20. *Totus cœli splendor similis perhibetur Patrifamilias, Regi, Principi, aut Prælato, qui suorum curam gerit. Nam cœlestis est Præsul, qui suum munus adimplet: & nemo est quòd est, vsquè dum sic facit, v.37. n.160. p.444.*

Exiit primo mane conducere operarios, *&c. Primo mane exiit hic Paterfamilias. Magna cura est aliis imperare: nam corona si gemmis fulget, & caput honorat, etiam onerat, v.14. n.37. illat.75. per totam, p.138.*

Conducere operatios in vineam suam. *Nullus est Princeps, qui subditorum non indigeat inuamine; ob hoc hic pater operarios quærit, v.1. n.105. illat.17. per totam, p.33.*

Hinc discant, æstimare subditos, vers.14. num.45. illat.76. per totam, p.140.

Conuentione autem facta cum operariis ex denario diuino, misit eos in vineam suam. *Libenter laborarent in vinea, certa præmij spe, quæ sudorem tergit. Nam præmij spes nullis parcit laboribus, v.19. n.113. illat.187. per totam, p.312.*

Sicut sine spe præmij, vel minima, difficilia sunt, ibid. per totam.

Vidit alios stantes in foro otiosos. *Stabant isti velut statuæ lapideæ. Nam qui nihil agit, non viuit, vers.5. num.17. illat.39. per totam; pag.74.*

Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stantes. *Ferè iam dies terminabatur, & mittit hos operarios hic cœlestis Pater; vt ostendat, quòd in hac vita operandum est, nam in alia solum est tempus retributionis, vers.20. num.10. illat.190. per totam, p.317.*

Quod expressit hoc Euangelium cùm ait: Cùm serò factum esset, *&c. Vbi Paterfamilias agit de retributione laboris.*

Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. *Sed cur à nouissimis incipit? Quia labor non ex tempore, sed ex opere censendus, vers.5. num.15. illat.38. p.74.*

Item nouissimi præponuntur primis ex mente Caietani: Quia significatur per hunc ordinem gratiam præponi iustitiæ in conspectu Dei. Nam gratia in nouissimis, iustitia in primis exercebatur. *Quia Deus ex se habet, nobis benefacere; ex nobis punire nos, v.18. n.154. illat.165. per totam, p.282.*

Acceperunt singulos denarios. *Tam nouissimi, quam primi acceperunt, quod merebantur. Hinc felices eos iudico. Nam consequi quod merentur*

tur est completa felicitas, v.37.n.57.illat.251. per totam, pag.413.

Accipientes murmurabant aduersùs Patremfamilias. *Non quia mercedem retinebat, sed quia nouissimis dedit singulos denarios. Inuidia laborabant: Sic parua videtur eorum merces; quia etiam datur nouissimis. Nam inuido aliena prosperitas supplicium est; & parum ei videtur, si felix sit, nisi alter sit infelix, v.18. n.104.& 105.& 106.illat.158.p.271.*

Murmurabant aduersùs patrem. *Lingua detractoris nemini parcit, nec ipsi Deo, v.19.n.80. p.305. Vide* Lingua.

Dominica in Sexagesima.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum. *Ex Luca, cap.8. Si seminat, quomodo, aut ad quid exist seminare semen suum? Quia hic est sermo de verbo Dei. Concionator ergo priùs seminat, quàm seminet, quia operibus docere debet, quod postea verbis annunciat, vers.8.n.31.illat.68. per totam, pag.121.*

Exiit, qui seminat seminare semen suum. *Extensa manu semina spargit; sic Seminator cœlestis beneficia impertitur: quia in beneficiorum largitate eius natura innotescit, vers.3.num.17. illat.30 per totam, pag.54.*

Exiit, qui seminat, seminare, *&c. Agricola confidenter semen proiicit in terram sperans uberrimos fructus; & multoties victui proprio demit, vt seminet: quia vbi adest lenocinium spei, nulla est difficultas, v.5.n.79.illat.49. per totam, p.88. Qui firmam spem habent æternorum, nulli labori parcunt.*

Semen suum. *Id est, Verbum cœleste. Hoc appellat, suum. Quia Concionator, & sapiens cœlestia est vere: sapiens, qui namque sæcularia sapit, non est sapiens, sed callidus, vers.30.n.59. p.359.& 60.& 61.p.360.*

Aliud cecidit. *Cur cecidit semen? Quia ascendit in manum seminantis: & qui ascendere cupit, opus est vt descendat, v.14.n.84.illat.83. pag.150.*

Et dum seminat aliud cecidit. *Granum proiicit sator, sed vt fructificet: sic Deus multoties negat, vt concedat largiùs; proiicit à se, vt amplectatur teneriùs, vers.14.num.179.illat.98. pag.173.*

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. *Damnum huius seminis ex publicitate viæ prouenit: damnum virtutis ex publicitate etiam. Nam virtus occulta secura est; manifestata periculosa, vers.2.num.52.illat.26. per totam, pag.48.*

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud. *Id est: quia hoc semen non cecidit in loco sibi debito conculcatum est: sic qui dignitatem consequitur non sibi debitam despicitur; nam honor debet non esse absque meritis, vers.19.n.60.illat.178.per totam, p.300.*

Aliud cecidit secus viam. *Non dicit*; cecidit in via, *sed* secus viam. *Parum distat: esse in via periculi, perinde est, ac in periculo esse. Nam qui in periculo cadendi est, prope est, vt cadat, v.8. n.45.illat.70.p.124.*

Timenda est vel minima peccandi occasio, vers.14. num.95. illatione 85. per totam, pagina 153.

Occasionis via nec aspicienda est, vers.17.n.57. illat.122.p.212.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. *Proprium est hominum conculcare cadentem: abiectos tamen præponere excelsis eximia virtus est, v.19.n.10.illat.169.per totam, p.290.*

Aliud cecidit supra petram, & natum aruit. *Cur natum aruit? Quia petra locus est voluntatis impatiens. Non enim potest diuinum semen fructificare in loco, à quo abest patientia. Nam patientia felicitati viam aperit, v.8.n.55.illat.72.per totam, p.127. Inuicta patientia vberrimos fructus confert, v.17.n.59.illat.123.per tot.p 213.*

Et natum aruit. *Magna infelicitas! Incipere, & non perficere. Nam ignominiosum est, declinare à via, quæ ducit ad vitam, v.35.n.43.illat.235. per totam, pag.387.*

Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. *Electum granum ab spinis suffocatur. Quid mirum? Imo mirabile esset, si iniquorum consortium pios, & religiosos viros non peruertat, vers.17.num.32.illat.118. per totam, pag.206.*

Et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. *Intentum dæmonis est, admiscere bonum cum malo, vt peruertat bonum, v.30.n.50.illat.36.p.63.*

Et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. *Nota huius terræ ingratitudinem. Accepit bonum semen, & reddidit spinas. Turpe vitium est ingratitudo, vers.14.n.142. illat.92.per totam, p.164. Vbi plura de ingratitudine.*

Aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. *Bona terra est, quæ semini cooperatur, vt ferat fructum: sic & nos diuinis beneficiis cooperemur, v.8.n.44.illat.70. p.124.v.20.n.38.illat.194.per totam, p.321.*

Dominica in Quinquagesima.

Assumpsit Iesus duodecim Discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, &c. *Ex Luc.c.18. Iniurias, quas passurus erat, reuocat in memoriam: quia quando illuditur, & irridetur coronatur vt rex: quia patientia coronatur, v.5.n.33.& 35.p.78.& 79.*

Item, vt patiendi pro nobis declararet anxietudinem, versu 5. numero 42. illatione 43. pag.80.

Derelictum a Patre se prædicauit in cruce, quia patiendi opportunitas terminabatur, ibid.

Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, *&c. Apud Matthæum, cap. 20. dicitur, quod, secretò, hæc dixit Discipulis. Insuper refertur, quod*; Tradetur Principibus Sacerdotum, *&c. Vbi duo notanda iudico. Primum: secreto hæc Christum prænunciasse. Secundum: non explicuisse, à quo esset tradendus. Sed cur sic se gessit Dominus. Quia à Iuda Sacerdote & Sacerdotum Principibus tradendus erat. Christus enim maxime studet in occultandis Sacerdotum defectibus, vers.28. num.11.pag.339.& 17.& 18.& 19.& 20. pag.340.*

Tradetur gentibus: *ait Lucas. Matthæus refert*: Tradetur Principibus Sacerdotum. *Vtrumque verum: sed erubescendum, & plorandum. Nam summa calamitas Reipublicæ*

eſt, quando ſunt Sacerdotes ſicut populus, v. 30. num. 126. pag. 378. & verſ. 35. num. 24. pag. 383.

Tradetur enim gentibus. *Tacet tamen à Iuda tradendum : quia Euchariſtiam ſuſcepturus erat. Ne tantum nefas videretur incredibile. Nam Chriſtum indignè ſuſcipere, vix credi poteſt, verſ. 18. num. 47. illat. 149. per totam, pag. 255.* – 257

Et illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, *&c. Compendium ſuæ paſſionis cùm refert Chriſtus, aſcendere dicit :* Ecce aſcendimus. *O magna vis amoris ! Quæ amara dulcia, abiecta ſublimia, & terribilia efficit ſuauia, verſu 28. num. 22. illatione 206. per totam, pag. 341.*

Et ipſi nihil horum intellexerunt. *Quia exiſtimabant, crucem Deo indignam. Verè nihil intellexerunt. Nam Chriſtus in Cruce verum Deum ſe oſtendit, verſ. 37. num. 12. illat. 263. per totam, p. 399. & verſ. 37. num. 18. illat. 264. per totam, pag. 402.*

Item de eadem Dominica, & in Feſto quadrag. Horarum.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, *&c.* Caro mea verè eſt cibus. *Ioan. 6. Paſſionis, & Euchariſtiæ connectitur feſtiuitas. Quia crucis, & Euchariſtiæ magna eſt connexio, verſ. 5. n. 40. illat. 43. p. 80.*

Item, connectuntur hæ duæ feſtiuitates : quia Chriſtus in cruce patientiam oſtendit, in Euchariſtia amorem. An amor patientiæ eſt creditor, vel patientia amoris ? Vtrumque verum. Amor debet patientiæ ; & patientia amori : ſic Euchariſtia debet cruci anxietudinem patiendi ; & crux debet Euchariſtiæ amoris dulcedinem, v. 5. n. 39. illat. 43. per totam, p. 80.

Item iniuriæ crucis coniunguntur cum feliciſſima Euchariſtiæ poſſeſſione : vt in vtroque myſterio coniungantur, & felicitas : in cruce Chriſtus meruit noſtram redemptionem ; in Euchariſtia confert, quidquid habet. Vt ergo poſſeſſio Euchariſtiæ ſit feliciſſima ornatur gloria crucis, quæ meritorum habet ornamentum, vt ſic ſit completa felicitas. Nam poſſidere felicitatem, etiam ſummam ſine meritorum ornatu, ſtendi tribuit occaſionem, v. 37. n. 57. illat. 251. per totam, p. 413.

Item in hoc feſto Crux, & Euchariſtia coniunguntur, vt noſtrum deſiderium adimpleatur. Summa anxietate caduca deſideramus, & relicto bono malo concupiſcimus. Quid Chriſtus, vt noſtros capiat affectus ? Sub ſpecie terrenorum cœleſtia præbet, hoc eſt, ſub ſpecie panis, & vini corpus, & ſanguinem ſuum, & quidquid habet confert, vt ſic veraciter nos fallat propria veritate : Item ſub iniuriis crucis gloriam proponit, vt noſtrum deſiderium ab apparenti malo allectum æternum bonum inueniat. Nam ſic erga ſe male affectus eſt homo, vt indigeat, proponi bonum, ſub ſpecie mali, gloria ſub figura pœnæ, & æternum ſub velamine temporalis, verſ. 37. num. 50. illat. 250. per totam, pag. 411.

Huc aduoca verba S. Leonis, ſerm. 8 de paſſione poſt medium ſic dicentis : Crux tua omnium eſt cauſa gratiarum : per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. *Item, crux, & Euchariſtia in effectibus mutuo ſe correſpondent. Nam crux, ſicut Euchariſtia mors eſt malis vita bonis, verſ. 37. num. 45. illat. 249. per totam, pag. 410.*

Feria IV. Cinerum.

Cùm ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, *&c. Ex Matthæo, cap. 6.* Memento homo, quia puluis es, *&c. Quid eſt quòd Eccleſia noſtros defectus in medium adducit, & hypocritarum fallaciam manifeſtat ? Illud cognitione noſtri fugiamus ſuperbiam, & nos ipſos fateamur puluerem etiam in faſtigio maioris dignitatis, & caueamus fraudem hypocriſis. Quia non ſunt detegendi defectus niſi ex eorum publicatione proueniat fructus ſpiritualis. verſ. 28. num. 9. illat. 204. per totam, p. 358.*

Memento homo. *Iugis memoria pulueris, in quem homo conuertendus eſt, vitæ feliciſſimum auſpicium, verſ. 16. num. 22. illat. 107. per totam, pag. 186.*

Fauori potiùs, quàm pœnæ tribuendum eſt, quod homo in cineres reſolui poſſit, verſ. 16. num. 22. illat. 107. pag. 186. & verſ. 35. n. 71. illat. 241. per totam, pag. 394.

Memento homo. *Memoria cineris, & abiecti Principij vincit ſuperbiam felicitatis, v. 20. n. 4. illat. 189. per totam, p. 315.*

Memento homo. *Cinis pignus beneficiorum Dei, v. 35. n. 72. p. 394.*

Qui puluerem ignorat, benedictionem Dei ignorabit, ibid. num. 73. p. 394.

Corpus hominis quia puluis quodammodo animæ præfertur, ibid. n. 74.

Tota diaboli miſeria eſt, quia non eſt puluis, ibid. n. 75. p. 395.

Memento homo. *Qui ſe puluerem conſiderat, fulget ſicut ſtella, verſ. 45. n. 76.*

Item ab æternis flammis liberatur, ibidem. num. 77. pag. 395.

Memento homo. *Cineris recordatio mentem illuminat, oculos aperit, & vincit inimicos, verſ. 35. num. 80. illatione 242. per totam, pagina 396.*

Feria VI.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, *&c. Ex Matthæo, cap. 5. Amor inimicorum præſtantior eſt amicorum amore, v. 17. n. 87. illat. 126. p. 220.*

Orate pro perſequentibus, & calumnientibus vos. *Iniuriarum remiſſio eſt Chriſtiana vindicta de inimicis, verſ. 5. n. 99. illat. 52. per totam, p. 93.*

Orate pro perſequentibus. *Satius eſt, iniuriam pati, quam inferre, ibid. n. 100.*

Iniuriarum vindicta infecti ſanguinis eſt indicium, verſ. 5. num. 103. illatione 53. per totam, pag. 94.

Iniuriarum vindicta à Chriſtiano aliena : quia indicat, earum vindicem à Deo eſſe longe diſſitum, verſ. 5. num. 108. illat. 54. per totam, pag. 96.

Orate

Orate pro persequentibus. *Quia pro iniuriis gratia sunt referenda, vers. 17. n. 84. illat. 126. per totam, p. 219.*

Qui patienter tolerat iniurias, Deum habet vindicem earum, ibidem, num. 96. illatione 128. per totam, pag. 223.

Item dignus est regno, ibid. num. 100.

Orate pro persequentibus. *Qui iniuriam irrogat diaboli est minister: ideoque miserandus, versu 17. numero 102. illatione 128. pag. 224.*

Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est. *Qui diligit inimicos, & iniurias remittit Filius Dei constituitur, vers. 17. num. 84. illatione 126. per totam, pag. 219. & num. 90. illat. 127. per totam, pag. 221.*

Imo quodammodo pater ipsius Dei videtur, ibidem, n. 95. p. 223.

Dominica I. in Quadragesima.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. *Ex Matth. c. 4. Laudatus fuerat Christus à Ioanne; prædicatus Filius ab æterno Patre, & tunc, ducitur in desertum, vt tentetur. Cur tunc, & non antea? Quia tunc iam agnoscebatur vt Filius Dei, (tametsi diabolo tantum mysterium celaretur,) eruditebantur homines: nam qui splendorem sanguinis consecutus est in nascendo, tenetur glorioſus esse in operando, vers. 1. num. 51. illat. 7. per totam, pag. 17.*

Vt tentaretur. *Ad quid Christus tentari permittitur? Vt eius gloria, & fortitudo magis elucescat: siquidem esuriens, & non esuriens idem semper fuit tentationibus non succumbens. Nam magnanimus, & fortis æquo animo in aduersis, & prosperis permanet inconcussus, v. 17. n. 156. illat. 187. per totam, p. 237.*

Vt tentaretur. *Item tentari permittitur; vt compatiatur nostri cum tentationibus nos viderit agitari. Nam præsul, qui suorum experitur incommoda, eorum miseretur, vers. 14. num. 116. illat. 88. p. 158.*

Et cùm ieiunasset, &c. *Ieiunium reueritus dæmon, non fuit ausus, tentare Christum, vsque dum vidit esurientem, v. 41. n. 26. p. 471.*

Hic applica, si placet plura de ieiunio. Vide: Ieiunium.

Esuriit. Et accedens tentator. *Quia dæmon vidit esurientem Christum, accessit ad tentandum. Vide, quàm stultus fuerit dæmon: nam potiùs quia viderat esurientem, eum tentare non debuerat. Nam necessitas viua vox est ad diuinam largitatem excitandam, v. 14. numero 160. illatione 95. per totam, pagina 169.*

Rursus, quia necessitas non est occasio ad deserendum Deum: quia, vbi humana desunt, diuina succurrunt, ibid. n. 164. & 165.

Esuriit. Et accedens tentator *More humano iudicauit dæmon, Christum esurientem eius voluntati cessurum, quia regna mundi ei promisit. Nam inter homines, qui ab aliquo dependet, eius voluntatem inquirit, non solùm vt ei semper placeat, & gratus sit, verumetiam ei obediat, antequam imperet, v. 14. num. 109. illat. 87. p. 156.*

Si Filius Dei est, dic vt lapides isti panes fiant. *At cur panis ex lapidibus fieri desiderauit inimicus? Quia Dominum viderat esurientem: Non dixit ei: fac panes, & comede: sed fac panes, sibi persuasum habens concensurum tentationi comedendi, si in conspectu haberet panem: nam qui in occasione, vel in periculo cadendi est, prope est, vt cadat, versu 8. numero 45. illatione 70. pag. 124.*

Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *In hoc certamine victus fuit dæmon; quia Christus diuinum sermonem in medium adduxit. Nam diuinus sermo dæmones terret, & vincit, versu 17. num. 167. illat. 139. per totam, pag. 240.*

Statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei. Si Filius Dei es, mitte te deorsum. *Subitò statuit dæmon Christum supra pinnaculum: non vt honoraret, sed vt deiiceret: nam subito, ad honores ascendere, suspectum est, vers. 2. num. 30. illat. 22. per totam, pag. 42.*

Item, quia videbatur non ascendisse meritis in tantam celsitudinem, sed dæmonis iussione: & sic ascendere indecorum est, versu 19. num. 60. illat. 578. per totam, p. 300.

Si Filius Dei es: mitte te deorsùm. *Erras dæmon. Nam si Filium Dei esse suspicaris; cur persuades, vt descendat? Non prorsus inepte. quasi sic diceret dæmon. Si iste est Filius, mittet se deorsum, vt se humiliet: nam humilitas ei non potest displicere. Vbi plura de humilitate. Vide,* Humilitas.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eòrum. *In imagine bona temporalia proposuit dæmon. Quid mirum? Cum breuia, & ficta sint. vers. 19. num. 106. illat. 186. per totam, p. 311.*

Ideo Lucas dicit: in momento temporis, *vt breuitatem eorum explicaret.*

Ostendit ei omnia regna mundi. *Sed contempsit ea Christus, qui æterna largiebatur: nam bona temporalia vilescunt æternis comparata, versu 5. num. 85. illat. 50. per totam, pag. 90.*

Si cadens adoraueris me. *Superbus superbia assuetus adorari cupio. O quam difficulter vincitur peccandi consuetudo! versu 17. numero 136. illatione 133. per totam, pagina 233.*

Et numero 141. illatione 134. per totam, pag. 233.

Trinam tentationem tribus sacræ Paginæ testimoniis vicit Christus. Quid mirum? Nam diuinus sermo dæmones terret, & fugat, versu 17. num. 167. illatione 139. per totam, pag. 240.

Feria IV. Dominicæ I.

Volumus, à te signum videre. *Ex Matthæo, capite 12. Pharisæi volunt signa, vt re desiderant. Reprehenduntur, quia peruertunt ordinem. Prius namque intelligendum est, & postea volendum. O quam frequens est apud homines velle prius, & postea intelligere.*

Multoties intellectu volumus,& voluntate intelligimus,quod reprehensione dignum est.v.28 num.24.pag.341

Magister volumus. *Cur magistrum appellant, & hoc honore afficiunt, quem odio mortali prosequebantur?quam dolosè! vt eorum magister,& præsul constitutus, ipsorum criminibus inficeretur: nam subditorum crimina præsulem inficium.vers.14. num.39. & num.47. illat.76. pag.140*

Et vers.38.num.6. illatione 75. pagina 139.per totam.

Signum videre. *Ad quid isti signum desiderant,si paulò antea viderant, dæmonem omnipotenter expulsum? Quare Pharisæi oculis non credunt? Quia patrare miracula, & dæmonem expellere opus erat lucidissimum:& visus humanus cæcutit ad id quod lucet,qui ad indecorum & obscurum lynceus est.v.2.n.42. illat.24. per totam pag.46*

Magister volumus. *Magistrum vocant;& volunt, vt eis obtemperet (id denotat illud,* volumus)*meritò reprehenduntur. Nam iniqua res est, quod discipuli magistro, serui domino, & subditi imperent Præsuli. Hoc enim principatus iactura annunciat.vers.14.n.58. illat.78. pag.143*

Generatio praua, & adultera. *Cur peccatissimus Dominus tam asperè eos reprehendit? Abulensis ibidem, quæstione 90. & maldonatus: quia cum isti maximè gloriarentur quòd essent Abrahæ filij, eum minimè imitabantur: & filius,qui paternos mores non imitatur,reputatur adulterinus.vers.1.num.46.illat.6. per totam. pag.16*

Et versu 14. numero 75. illatione 81. pagina p.148

Vers.37.num.156.pag.442.& 443

Item,quia à præclaris progenitoribus ducentes originem, tenebantur operari præclarè. vers.1. n.51.illat.7.per totam.p.17

Et versu 14. numero 78. illatione 82.per totam. pag.148

Generatio praua,& adultera. *Quia cum de hereditaria nobilitate gloriarentur, vitiis scatebant: nobilis autem virtutem non amplectens ignominiosus est. vers.14.num.79.illatione 82. pag 148*

Item,quia vera nobilitas ex moribus cognoscitur. v.37.n.155.p.442.

Et num.159.pag.443

Item,quia non est nobilis, qui non operatur,vt nobilis.vers.37.num.160.& 161. 164.p.444. & 445

Generatio praua, & adultera. *Chrysostomus homilia 44.* Generationem malam nuncupauit,tum quia semper ingrati benefactoribus extiterunt; tum quia susceptis beneficiis, quod extremæ vitiositatis est, ad malignitatem excitantur. *Aduoca huc multa contra ingratos.*

Vide Ingrati.

Generatio praua. *Apud Lucam.11.num.29.* Generatio nequam. *Per antonomasiam dicitur generatio mala, & nequam. Cur? D. Antonius de Padua serm.in hac feria,ait ideo dici, quia inuida erat:& meritò:nam inuidus diaboli germen est,& diabolo peior. vers.18. num.115. illatione 160. per totam. pagina 273. Vide Inuidia*

Feria IV.Dominicæ I.

Iacebat multitudo magna languentium,cæcorum, claudorum, &c. *Ex Ioanne cap. 5. & cur iacebat multitudo languentium? & quare homo ille triginta,& octo annos habuit in infirmitate sua? Quia spectabant aduentum angeli mouentis aquas,vt curarentur. Nullam adhibebant diligentiam præter istam,vt à suis lauarentur peccatis. Meritò angelus requiritur,qui à tanto morbo eos liberet:vbi nota,hominem illum non fuisse curatum ab angelo, sed ab ipso Christo, quia confidebat in diuina misericordia iacens in infirmitate sua(hoc est,in suis peccatis)diuinam non veritus iustitiam. Propter hoc tot annis iacuit in grabrato, & in infirmitate; quia de diuina misericordia confidebat, vt in suis iaceret peccatis. Nam licet in Dei misericordia sperandum sit:tamen sic timenda est diuina iustitia, vt quæratur misericordia: & sic de diuina misericordia confidendum, vt non contemnatur diuina iustitia. vers.18. n.149. illat.104.per totam.p.280*

In infirmitate sua. *Cur sua? per hanc infirmitatem peccatum intelligitur; & propter illud plectebatur. Dicitur ergo,* sua infirmitas, *quia ex isto homine proueniebat causa infirmitatis, & peccati pœna; non ex Deo:nam Deus ex se benefacere habet,ex nobis punire.vers.18. n.154. illat.165.per totam.p.282*

Hunc cùm vidisset Iesus. *Felix habuit auspicium hic homo: Nam tametsi à Deo solum videatur, salutis potest esse certus:quia cùm primum præstat beneficium pignus tribuit ad plura. vers.5. numero 66. illat.47. per totam. pag.86*

Hunc cùm vidisset Iesus. *Peccatorem hominem respexit Christus:quia tametsi tam longa infirmitate puniret;vix punit quin comitem habeat misericordiam.vers.18.num.144.illat.163.per totam.p.279*

Item quia sic misericors est, vt eodem calamo,quo scribit sententiam in hominem, deleat. ibidem, num.147

Vis sanus fieri? *superflua videtur interrogatio, sed non est: sic sanctus Thomas ibidem, lect.1.* Vis sanus fieri? non quasi ignorans,nam satis constare poterat, quòd sanus fieri volebat,sed vt excitet desiderium infirmi. *Id explicat Caietanus.* Non vt cognoscat voluntatem infirmi,sed vt excitet eum ad aliqualiter petendum opem ab ipso, vt vel sic disponatur ad perceptionem beneficij. *Desiderabat Christus huic infirmo salutem conferre, sed hanc desiderat,postulari:quia sic preces æstimat,vt concedere velit rogatus, quòd alias erat concessurus.vers.14.num.182.& 183.illat.98 pag.174*

Ex Caietano,vt vidimus,petitio infirmi dispositio est ad perceptionem beneficy: quia tanti Deus facit supplicum preces, vt si aliquando negat quod petimus, velut rubore suffusus faciem abscondit.versu 14. numero 154.illat.94.per totam.p.168

Vis sanus fieri? *Nullus est peccator ita contra*

se malè affectus, vt salutem non velit; at vellet, quòd Deus eum à culpa liberaret ipso non cooperante. Hic efficaciter non desiderat salutem: nam opus est, vt homo adhibeat diligentiam ex parte sui, cùm Deus præstat fauorem, vers. 20. num. 38. illatione 194. per totam, pag. 321.

Domine hominem non habeo. *Non videtur apta responsio: quia Christus scisitatur, si vult sanus fieri. Aptissime respondit: nam dicens hoc apertè explicuit omni auxilio humano carere, & consequenter diuinum petiit auxilium: nam adest Deus, cui homo non erat, qui adesset, vers. 14. num. 160. illat. 95. per totam, pag. 169.*

Tolle grabatum tuum, & ambula. *Et cur Christus imperat, vt hic homo portet grabatum, vel lectulum? Ne habeat causam redeundi in piscinam, vbi habuit infirmitatem: nam qui à culpa surrexit, vel minimam peccandi occasionem amputare debet, ne iterum relabatur, vers. 14. num. 95. illat. 85. per totam, pag. 153.*

Et vers. 17. num. 57. illat. 122. pag. 212.

Tolle grabatum tuum, & ambula. *Cur onerat grabato, si sanus factus est, vt tanti beneficij non sit oblitus, & vt denotetur, quantum onus in se suscipiat, qui beneficium accipit, vers. 14. num. 136. illat. 91. per totam, pag. 163.*

Dominica II. in Quadragesima.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, *&c. Ex Matthæo, cap. 17. Cur non vocauit, sed assumpsit? Quia assumere est velut gestare. Hæc enim est Præsulis cura, hoc onus: nam corona si splendet, aggrauat; onerat, si honorat, v. 14. n. 37. illat. 75. per totam, p. 138.*

Petrum, Iacobum, & Ioannem *Cur non assumpsit omnes? Ne ascenderet Iudas tantæ gloriæ indignus: nam dignitas non debet consequi absque meritis, vers. 19. n. 60. illat. 178. per totam, pag. 300.*

Item ne ascenderet Iudas, & tantam gloriam obtenebraret. Nam malorum societas, quem afficit, inficit, vers. 1. num. 89. illat. 14. per totam, pag. 29.

Vel ipsum Deum prorsus incapacem peruersionis malorum contubernium videtur inficere, v. 1. n. 95. illat. 15. per totam, p. 30.

Medius adest Christus inter bonos, & malos, ne illi ab istis inficiantur, vers. 1. n. 98. illat. 15. pag. 31.

Mirabile est, si iniquorum contubernium pios, & religiosos viros non peruertat, vers. 17. n. 32. illat. 118. per totam, p. 206.

Malorum societas etiam sacra inficit, vers. 38. num. 2. pag. 451.

Et duxit eos in montem excelsum. *Summa alacritate cacumen montis ascenderunt. Et cur, asperitas ascensus illis molesta non fuit? Quia Christus Rex, & Magister ducebat eos. Exemplum enim Præsulis efficacissimum est: illo etiam bruta, & insensibilia ad eius imitationem excitantur. vers. 2. n. 6. illat. 18. per totam, pag. 36.*

Et vers. 17 m. 125. & per totam, p. 220.

Prodigium est maiorum exempla non imitari, vers. 17. num. 133. illatione 132. per totam, pag. 321.

Et transfiguratus est ante eos. *Et cur Christus cùm glorioſus fulget, dicitur transfigurari. Potiùs transfigurari videtur, cùm splendoribus caret: nam cùm anima eius sanctissima ab instanti suæ conceptionis beatitudinis gloria frueretur, debito connaturali eius corpori debebatur hæc gloriosa claritas. Ita sanè. Ergo tunc transfiguratur, cùm caret hac gloria. Nihilominus dicendum est, transfigurari, cùm corpus eius extitit glorioſum: quia cùm ad patiendum in nostra natura Verbum descenderet, & cùm glorioſus apparuit, esset impassibilis pro tunc, ideo dicitur transfigurari. Nam Christus contumelioſus sibi videtur, cùm pati nequit, vers. 5. num. 139. illat. 59. pag. 103.*

Item, quia Christo glorioſum est pati; inglorium carere acerbitate passionis, v. 20. n. 86. ill. 201. per totam. pag. 332.

Et apparuerunt Moyses, & Elias. *Tres Discipuli gloriam Thaboris vident; & insuper adducuntur Moyses, & Elias. Ad quid? Vt testimonium præbeant de tanta gloria, tot testes vocantur. Homo enim quod lucet phantasma putat, quod obscurum est, vt verum credit; ideo ad illud credendum testibus indiget, vers. 2. n. 47. illat. 25. per totam, pag. 47.*

Moyses, & Elias cum eo loquentes. *Quid loquebantur cum Christo? Explicat Luc. cap. 9. num. 31.* Erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem: *quod in sententia nostri Abulens. in cap. 17. Matth. quæst. 57. Intelligendum est de amoris excessu, nempe de eius morte. Sed cur cùm eius corpus glorioſum erat, ac proinde impassibile, tunc Christus de sua passione, & morte recordatur? Quia licèt pro tunc esset impassibilis, natus fuerat passibilis. Recordatur ergo suæ passibilitatis cùm extitit impassibilis erudiens nos, vt in sublimitate honoris abiecti principij non simus obliti: nam qui in sublimitate abiectam originem recognoscit, miraculosus est, vers. 8. num. 67. illat. 74. per totam pag. 131.*

Et vers. 17. num. 52. illatione 122. per totam, pag. 211.

Item, recordatur passibilitatis, cùm impassibilis extitit Christus, vt nos erudiret ad felicitatem vincendam: quia præsentis felicitatis tumor temperatur præteritæ abiectionis memoria, v. 14. num. 51. illat. 77. pag. 141.

Faciamus hic tria tabernacula. *Noluit domus ibi fabricare, sed tabernacula, quæ sunt habitacula transitoria: vt intelligamus gloriam possessam in hoc mundo transitoriam esse, vers. 19. num. 106. illat. 186. per totam, pag. 311.*

Ob hanc causam existimarem apparuisse Christum inter Moysem mortuum, & Eliam viuum, hoc est, inter esse, & non esse; vt intelligamus gloriam in hac vita possessam ita proximam esse vitæ, ac morti.

Tria tabernacula. Erras, Petre, (*ait Diuus Hieronymus,*) Noli tria tabernacula quærere, cum vnus sit tabernaculum Euangelij. *Error enim est, Sacerdotem discordias dissemi-*

nare, cuius officinm eſt, pacem, & concordiam fouere, verſ. 8. num. 60. illat. 73. pag. 128. Et verſ. 35. num. 56. illatione 238. per totam, pag. 391.

feria 4 Dom. 2ª Ecce aſcendimus Ieroſolymam, *&c. Huc aduoca, quæ dicta ſunt in Dominica Quinquageſimæ.*

Tunc acceſſit ad Ieſum Mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis adorans, & petens aliquid ab eo: *Ex Matthæo, cap. 20. Adorat, quia petit. O quot ſiunt iniuſtè propter dependentiam! Solus ille operatur iuſtè, qui non dependet, verſu 14. numero 111. illatione 87. pag. 156.*

Deus, ſi per impoſſibile, bonus non eſſet: quia à nemine dependet, operaretur iuſtè: ideo ſummè ſanctus, quia recipiendi, & dependendi incapax, v. 5. n. 30. illat. 41. p. 77.

Dependens, ſi iuſtè operatur, & libere efficit, quod rationi conſonat, omnibus dignus eſt dominari, v. 17. n. 160. illat. 137. p. 238.

Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus dixit: Neſcitis, quid petatis. *Sed cur neſciunt, quod petunt? Quia vnus voluit, ſedere ad dexteram, quæ miſericordiam, & lenitatem ſignificat: alter ad ſiniſtram, quæ iuſtitiam denotat. Vnus voluit eſſe totus miſericors, & lenis: alter totus iuſtus, & non miſericors. Neſciunt ergo quid petant: Nam Præſul nec nimis rigidus, nec nimis lenis debet eſſe: ſed medius pro opportunitate, v. 5. n. 162. ill. 63. per tot. p. 109.*

Neſcitis quid petatis. *Mater petit, & filij reprehenduntur: quia matris error filios inficit, verſ. 19. num. 102. & verſ. 30. num. 89. p. 367.*

Item, quia filij perſuaſerunt matri, vt peteret. Qui perſuadet rem iniuſtam, etiam ſi remota cauſa ſit punitur, v. 30. n. 99. p. 370.

Neſcitis quid petatis. *Quia ſine meritis ad faſtigium dignitatis aſcendere, inſcitia eſt: quia ſine meritorum ornamento honores acquirere indecorum eſt. Sic ſanctus Thomas, ibidem.* Neſcitis, quia de præmio contenditis ſine merito præcedente, *verſ. 1. num. 28. p. 10. & verſ. 18. num. 43. illat. 148. pag. 256. & verſ. 19. num. 60. illatione 178. per totam, pag. 300.*

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei poſſumus. Calicem quidem meum bibetis. *Sanctus Thomas, ibidem, ſic ait:* Ideo conſiderare debetis, quòd ad præmium non venitur niſi per meritum: ideo volo vos primò examinare, ſi poteſtis pati: Vnde dicit: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *Vbi nota: Quòd licèt hi diſcipuli prompto animo ſe obtulerint ad merendum, tamen non eis promiſit præmium, imo dixit.* Non eſt meum dare vobis. *Sed cur, ſi de meritis ſunt ſolliciti, non promittit Chriſtus præmium? Quia ſat eis erat, meritis ornari. Nam meritorum dignitas felicior conſecutione præmij, v. 1. n. 28. illat. 3. per totam, pag. 10.*

Item, quia merendi excellentia ipſam gloriam feliciat, v. 37. n. 59. p. 414.

Poteſtis bibere calicem. *Inquirit Chriſtus à Diſcipulis, an pati poſſent? Ad labores excitat eos Chriſtus, cùm Diſcipuli ſunt ſolliciti de conſecutione Regni: quia vita laborioſa ipſam gloriam æquare videtur, v. 5. n. 91. illat. 51. per totam, p. 91.*

Item, quia labores ipſius Chriſti ſunt Vicarij, ibid. num. 95.

Item, quia tantæ eſt laborantium dignitas, vt vel ipſe Deus, cum eis æquiuocari non reſpuat, verſu 8. numero 25. illatione 67. per totam, pag. 120.

Item, quia labores viam aperiunt felicitati, v. 8. num. 55. illat. 72. per totam, pag. 127.

Item, quia laboribus ad regnum aſcenditur, v. 20. num. 84. pag. 332.

Item, quia labores æternorum bonorum calculi, v. 37. n. 53. p. 412.

Feria VI Dominicæ II.

Homo erat Patersfamilias, qui plantauit vineam. *Ex Matthæo, cap. 21. Hic ſermo eſt de Deo, & Eccleſia. Cur Deus dicitur Pater, & non Dominus vineæ? Quia velut Pater fideles tractat leniter, & affectuose. Princeps erat, ſed Patris nomine gaudet, vt ſic ſuos alliciat ad ſeruiendum: nam affabilitas Principis in ſeruitutem voluntariam ſuos redigit, verſ. 1. num. 99. illat. 16. per totam, pag. 31.*

Plantauit vineam. *Deus ſibi adſcribit principium Eccleſiæ, & merito, cùm ipſius Author ſit: vt ei debitus honor exhibeatur. Nam honorifico plauſu dignus eſt, à quo res aliqua ſumpſit exordium, verſ. 5. num. 134. p. 102.*

Et verſu 14. numero 61. illatione 79. per totam, pag. 144.

Qui alicui rei dedit initium non eſt cum cæteris computandus, verſ. 18. num. 169. p. 285. Item, ſolus videtur, tametſi ſequantur alij. v. 20. n. 53. p. 324.

Et ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, *&c. Quid debuit facere vineæ ſuæ, & non fecit? Incepit, quia plantauit; perfecit, quia ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim. Nam incipere, & non perficere, non eſſet laude dignum, verſ. 30. num. 53. illat. 214. per totam. pag. 358.*

Qui viam virtutis incipit amplecti, non deſerat vſque dum perueniat ad deſideratam patriam: hoc enim Patrifamilias Deo magnam lætitiam affert, v. 8. n. 36. illat. 69. per totam, p. 123.

Vide, Perſeuerantia.

Et locauit eam Agricolis. *Poſtquam Deus plantauit vineam, & perfecit eam, locauit Agricolis. Sed cur Agricolis, & non alijs? Vt in ea laborarent. Deus plantat præbens ſanctas inſpirationes; homo eis cooperari tenetur, verſ. 20. n. 38. illat. 194. per totam, p. 321.*

Et peregrè profectus eſt. *Hinc iam imminent, quot flagitia agricolæ commiſerunt, percutiendo, lapidando, & occidendo ſeruos & filium Patrisfamilias: Nam felix eſt, qui à Deo non diſtat; infelix qui diſtat, v. 18. n. 10. illat. 144. per totam, p. 248.*

Agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium cæciderunt, *&c.* Miſit alios ſeruos: & fecerunt

ſic

similiter: Misit ad eos filium suum: Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. *Auaritia persuasit eis tantum flagitium. Putarunt hoc medio hæreditatem consequi, & amiserunt hæreditatem. Graue malum est auaritia.* *Vide*, Auaritia.

Misit ad eos filium suum. *Cur pater misit filium, cùm sciret, istos agricolas occidisse seruos? Vt exactius examen faceret, de tanto crimine. Non quia illud ignoraret, sed vt instrueret Iudices, non nisi exactissimo examine præmisso ferendam esse sententiam, v.16.n.12.illat.105.per totam, pag.184.*

Et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt. *Cur non occiderunt eum intra vineam? Ne tantum scelus à suis seruis sciretur. Nota, agricolarum intentum fuisse crimen istud occultare, & illud patrarunt in via, vt neminem lateret. Peccatores eisdem mediis, quibus peccata occultare desiderant, manifestant, v.14. n.103.p.154.*

Et v.17.n.24.illat.117, per totam, p.204.

Dominica III. in Quadragesima.

Erat Iesus eiiciens dæmonium: & illud erat mutum. *Ex Luc. c.11. Conatum Christi in dæmone eiiciendo denotat illud verbum*, erat; *quia dæmon iamdiu possederat miserum illum hominem. Nam vincere consuetudinem maximum miraculum est. v.8.n.70.p.131.*

Diuina virtus exigitur ad vincendam consuetudinem, vers.17.num.141. illat.134. per totam, p.233.

Et illud erat mutum. *Sed quî fieri potest, vt dæmon linguâ carens mutus sit? Mutus est, qui linguam habens, vsum loquelæ amisit propter organi distemperiem. Ergo dæmon non potest dici mutus. Sed quam aptè! Nam si dæmon vt mutus sit linguam requirit, sat ei est detractoris hominis lingua; quia huius lingua potius dæmonis, quàm hominis est. Nam quod dæmon per se non audet lingua detractoris audet, v.19.n.78. illat.80. p.304. Vide* plura. *Verbo*, Lingua.

Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus. *Hîc iam homo dicitur mutus. Et quid locutus est? Glossa Moral. Theophyl. Remig. Asserunt, hunc hominem grato animo laudes Christo decantasse. Vide verbum*, Gratitudo.

Locutus est mutus. *Loquitur, & mutus dicitur: Apud homines semper peccator habetur, qui semel peccator fuit; ideo etiam dum loquitur mutus dicitur: apud Deum qui pœnitentiam egit peccatorum alius est à priori, v.19.n.35.p.295.*

Iniuriosum est pœnitentibus præcedentis vitæ cineres imponere, v.19.n.34.p.295.

Locutus est mutus. *Non erubescit loqui, qui mutus fuerat. Non erubescat peccator agere pœnitentiam, v.20.n.74.p.330.*

Quid requirat vera pœnitentia? ibid.

In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Magnum sacrilegium: imo magna blasphemia! Christum magum, & incantatorem faciunt, vt negent Filium Dei: nam magiæ vacare, idem est, ac idolis exhibere cultum, v.17. n.67.p.215. Vide*, Magi. *Vbi plura, vt detestabile hoc vitium carpas.*

In Beelzebub, *&c. Hoc dixerunt Pharisæi ardentes inuidia contra Christum.* Vide, Inuidia.

Feria IV. Dominicæ III.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? *Ex Matthæo, cap.14. Non dixerunt Pharisæi: cur tu transgrederis, sed quare Discipuli tui: vt acrius eum calumnientur: nam Discipulorum, & subditorum defectus Præsuli, & Magistro imputantur, v.14. n.39.p.139. & 47.p.140.*

Et vers.17.n.162.illat.138.per totam, pag.199.

Et vers.38.n.6.per totam, pag.454.

Item, vt notarent doctrinam Christi. Sed Christus eam defendit, v.28.n.11.p.338.

Non enim lauant manus suas, cùm panem manducant. *Pharisæi inuidebant Christo, & vt eum calumniarent, Discipulos eius accusant, & sub zelo religionis malitiam, & inuidiam tegunt. Graue malum: nam velamen iustitiæ, & sanctitatis, non debet esse iniustitiæ velamen, v.2.n.19. & 20.p.39.*

Et v.16.n.65. & 66.p.196.197.

Item sub zelo religionis calumniando Discipulos Christi, in eum tela dirigebant. Plus nocet hypocrita, quia inimicus est occultus, & amicus simulatus, quàm peccator, & inimicus manifestus, vers.19.n.37.illat.175.per totam, p.295.

Non enim lauant manus, cùm panem manducant. *Ecce delictum. Discipuli non lauabant manus, hoc est, fugiebant, exterius manifestare sanctitatem cordis, ne serperet hypocrisis solent enim iusti, exterius peccatores se ostendere, vt fugiant hypocrysim, v.17.n.37.illat.119.per totam, p.207.*

Item, non lauabant manus, vt occultarent sanctitatem: nam virtus dum occulta, manet intemerata; si in lucem prodit, in profundo vanitatis submergitur, v.2.n.53. & 54. & 55.pag.48. & 49.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? *His verbis Christus Pharisæos reprehendit; non tamen impostura respondit. Quare Discipulos non excusat? Quia bona eorum vita defendebat: & defensione non indiget, quem conscientiæ securitas defendit, vers.14. num.184. illat 99. per totam, p.175.*

Nam Deus dixit: honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, *&c. Pharisæi soliciti erant de manuum munditia; & hoc præceptum violabant. O quanta iniquitas! Nam filij lege naturæ, & Dei tenentur, parentibus honorem exhibere, v.1.n.41.illat.5.per totam, pag.15.*

Et versu 18. num.5. illatione 143. per totam, pag.247.

Quid diuinum est, filios pietatem erga parentes exercere. ibid. num.7.

Filij, nec in somnis, obliuiscantur honoris erga parentes debiti, ibid. n.8. p.248.

Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. *Non est vera doctrina, quæ operum, & sanæ intentionis est expers, versu 30. n.46.p.356.*

Doctrina non in tiara, sed in corde Pontificis: quia in eo veram doctrinam desiderabat Deus. ibid. num 63.pag.360.

Index Concionat. in Dominicas,

Feria VI. Dominicæ III.

Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. *Ex Ioanne, cap.4. Fatigatus Ieſus requiem ſumebat ſedens iuxta fontem. Et cur iuxta aquas requiem ſumit ? Vt indicaret, felicitatem huius vitæ tranſitoriam eſſe, & infelicitatis vaticinium, verſ.8.num.49.illat.71. per totam,p.125.*

Item ſedet iuxta aquam, in qua nihil firmum, totum periculis obnoxium: ſic huius vitæ voluptas multis ſubiacet periculis, v.20.n.15.illat.191. per totam,p.318.

Fatigatus ex itinere. *Fatigatur Chriſtus, vt mulierem peccatricem lucrifaciat : quia plus noſtram ſalutem, quàm ſuum leuamen deſiderabat, v.1.n.61.p.50.*

Et quia Præſul proprio diſpendio commodis ſubditorum debet conſulere, verſ.14.n.50.illat.77. per totam,p.141.

Et num. 203.& 205. *illat.*103.*p.*180.

Fatigatus ex itinere ſedebat ſic. *Quomodo* ſic? *Sicut acceſſit ad fontem. Ergo cùm fatigatus veniret ex itinere, fatigatus ſedebat. Auguſtin. tract.15.in Ioan.* Inuenimus Ieſum fortem, & infirmnm. Fortem, quia in principio erat Verbum : infirmum, quia Verbum caro factum eſt. Sic ergo infirmus Ieſus ab itinere fatigatus ſedebat ſuper fontem. *Sed cur adhuc ſedens eſt fatigatus ? Ne videatur requieſcere, quia ſedet, & otio vacare : nam ſic iam mortuus videretur, verſ.5.num.17.illat.39. per totam, p.74.*

Item, quia pati Chriſto glorioſum eſt, inglorium à laboribus feriari. verſ.20.num.86.illat.201. per totam, p.332.

Hora erat quaſi ſexta. *Id eſt, cùm Sol maximè lucet. Et cur in tanta claritate venit ? Quia ad opus eximium exercendum, nempe, ad conuertendam peccatricem. Et qui bene agit quærit lucem, qui malè, fugit, verſ.* 14. *n.* 186. *pag.*175.

Hora quaſi ſexta. *Cùm Sol maximè lucet : quia ad miſericordiam exercendam : & quod in Deo maximè fuget eſt miſericordia, v.*18.*num.*83. *pag.*166.

*Item, quia cùm miſeretur in die ; cùm punit in nocte venit, verſ.*18.*num.*159. *illat.*166. *per totam,pag.*283.

Da mihi bibere : *Dixit Ieſus mulieri Samaritanæ. Cur ab ea aquam petit, cùm eam deſiderabat, attrahere ? Facilius multò eam alliceret, ſi aliquid ei conferret, quàm petendo. O immensa bonitas ! Vt illi aquam vitæ æternæ daret, venit in puteum : tamen ab ea aquam vult accipere, vt non ſolùm miſericors, ſed etiam obligatus tot bona huic mulieri conferat. Nam qui beneficium recipit, debitor dantis conſtituitur, verſus* 14. *numero* 119. *illatione* 90. *pag.*161.

*Beneficium quædam lex eſt, quæ ad gratitudinem obligat: ides lex & manna ſimul aſſernabantur, ibid.num.*133.*pag.*162.

*Beneficium etiamſi mica ſit panis, vel guttula aquæ aggrauabant ſuſcipientem, ibid.num.*137. *pag.* 163.

Quomodo tu Iudæus cùm ſis, *&c. Iudæi ita Samaritanos deſpiciebant, vt vel loquelam eis negarent : at Chriſtus non eſt acceptor perſonarum ; tum quia Rex, & Præſul cor debet habere vnum, & diuiſum erga ſubditos, v.*14. *n.*47. *p.*140.

*Nobiles, & ignobiles æſtimare, ibid.n.*49.

Item, quia Chriſtus pro omnibus moriturus erat, verſu 5. *num.* 149. *illatione* 61. *per totam, p.*106.

Diſcipuli autem abierunt in ciuitatem. *Notanter hoc aduertit Ioannes, vt exprimeret, Chriſtum manſiſſe ſolùm cum muliere; quia eius peccata erat reuelaturus, & ne apud Diſcipulos eam infamaret. In hoc docet, defectus non eſſe detegendos præſertim cùm ex eorum publicitate, nullus ſequitur ſpiritualis fructus, v.*28. *n.*9.*illat.*204. *per totam, pag.*338.

Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere : tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. *Velut rogat Chriſtus, vt petat mulier, vt concedat. Deſiderabat aquam viuam dare ei, & ob hoc vt petat, proponit. Deus namque tanti noſtras æſtimat preces, vt poſtulari deſideret, quod decreuit concedere, v.*29. *n.*21. *illat.*210.*per totam, p.*347.

Dediſſet tibi aquam viuam. *Ipſe, qui à muliere petiit aquam, nunc aquam viuam promittit ; pluris faciens dare, quàm accipere ; paſcere, quàm paſci ; rogari, quàm petere, verſ.*14. *n.*152.*p.*167.

Vade voca virum tuum. *Petierat mulier aquam viuam, quã Chriſtus ei promiſerat. Sciebat Dominus meretricem eſſe, ſed vt leniter eam ſanaret, vocare iubet virum, inuitans ad dicendum:* virum non habeo; *vt Chriſtus reſponderet:* Quinque enim viros habuiſti: & nunc quem habes, non eſt tuus vir. *Vide Chriſti manſuetudinem : docendo reprehendit, & reprehendendo docet, v.*17. *n.*120. *illat.*130.*per totam, p.*229.

Domine, vt video Propheta es tu. *Cognouit eſſe Prophetam, & verum Doctorem, quia cùm ab ea fatigatus aquam petit, aperit peccata, & reprehendit, etiamſi aquam neget: nam ſic docens, vel tanquam independens, admirabilis eſt, v.*30.*n.*48.*p.*357.

Ego ſum, qui loquor tecum. *Annunciauerat Chriſtus Samaritanæ multa, & ſalubrima: ipſa tamen expectabat Meſſiam, vt vera annunciaret: tunc Ieſus dixit ei:* Ego ſum, *&c. O mulier ſummè felix ! Deum hominem alloquentem habes. Hæc eſt ſumma felicitas : Nam felix eſt, qui à Deo non diſtat; infelix, qui diſtat, v.*18. *n.*10.*illat.*344.*per totam, p.*248.

Rabbi manduca, *&c. Tametſi Chriſtus aquam petierit, non legimus, bibiſſe: & licèt diſcipuli cibos attuliſſent, non comedit : quia Deo lucrum, benefacere, verſ.*20.*n.*11.*p.*317.& *v.*29.*n.*14. *p.*345.

*Item vt doceat, Præſules ſubditorum vtilitati conſulere, debere, potiùs quàm propriæ, verſ.*2. *n.*37.*per totam, p.*49.

Dominica IV. in Quadrageſima.

Vnde ememus panes, vt manducent hi ? *Ex Ioan. c.* 6, *Poterat Chriſtus producere panes ex nihilo ; & tamen voluit à Philippo emi, emptos accepit, & gratias egit, & diſtribuit diſcumbentibus*

tibus. *Chrysost. hom. 50. in Mat.* Propter quid autem non facit panes ex nihilo, quibus turbam pascat? *respondet:* vt ostendat, quia ipse est, qui fructus tradidit. *Hoc est, vt cum viderint homines quinque panibus tantam multitudinem saturatam, sciant, panes à Deo multiplicatos fuisse: nam subitò ex quinque panibus quinque millia hominum saturari si vnde tantus victus prouenerit ignorarentur, suspectus esset. sic subitaneus splendor suspectus est; & subitanea virtus parum tuta, si non cognoscatur, vnde prouenerit. v. 2. n. 30. il. 22. per totã. p. 42*

Vnde ememus panes, &c. *Nemo rogat pro turba, vt subueniat ei, quia cupiebat suam liberalitatem prorsus ostendere: nam per illustre liberalitatis insigne est, conferre beneficium ante petitionem. v. 3. n. 12. illat. 29. per totam. p. 53*

Vnde ememus panes, &c. *Consilium videtur petere, qui omnia sciebat: vt erudiat etiam cordatissimos, in quolibet negotio non superfluere consilium. v. 35. n. 46. illat. 236. per totam p. 389*

Vnde ememus panes, &c. *Cur à Philippo, & non à Iuda, qui loculos habebat? quia fur erat, & pecunia amicus. Qui enim recipiendi est anxius, ineptus est, vt aliorum habeat curam. vers. 18. n. 87. illat. 155. per totam. p. 267.*

Vnde ememus panes, &c. *Non petit turba, & tamen Christus curat de eius cibatione, quia eius vidit necessitatem. Nam indigentia vox viua est, quæ Dei fauorem solicitat. v. 14. n. 164 & 165 p. 169*

Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. *Priùs gratias Patri agit Christus, quàm miraculum patret, sed curante receptionem beneficij gratum se ostendit? quia gratus animus pro sola beneficij promissione gratias rependit. ibid. n. 134. p. 162*

Distribuit discumbentibus. *Mat. 14. n. 19. ait:* Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis. *Vide, cur multiplicantur, sic Hieronymus:* Frangente autem Domino seminarium fit ciborum: si enim fuissent integri, & non frustra discerpti, & non diuisi in multiplicem segetem, tantam multitudinem alere non poterant. *Multiplicantur panes, & pisces; quia diuiduntur; & ex mente Hieronymi: si non essent diuisi, non multiplicarentur. Docemur in hoc ad elargiendam eleemosynam. Vis bona multiplicare? diuide illa; ale pauperes. v. 19. n. 28 illat. 173. per totam. pag. 294. Vide* Eleemosyna.

Et dedit discipulis: *ex Mat. sed cur dedit discipulis? Chrysost. hom. 5 in Mat.* Cùm ergo accepisset panes, dedit discipulis suis honoratiores in hac re ipsos constituens: nec id solum, verumetiam, vt ministri rerum facti ne dubitarent, nec obliuiscerentur eius miraculi, quia manus suæ attestarentur. *Propter duo Christus dedit panes discipulis. Primum, vt eos honoratiores redderet, curat enim Dominus de honore sacerdotum. v. 3. n. 28. illat. 32. per totam. p. 57. secundum: ne dubitarent de miraculo quia distribuendo panes, saltem quoad hoc partem habebant aliquam in miraculo. & sic magni illud facerent, nec eius obliuiscerentur: nam illud in quo homo aliquam partem habet, vel cuius auctor est, magnifacit. v. 37. n. 94. p. 442*

Feria IV. Dominicæ IV.

Prætériens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate. *Ex Ioan. c. 9. vidit Iesus cæcum: exinde bonum auspicium cæco fuit: nam visus Dei affectum indicabat erga cæcum. v. 14. n. 150. p. 167*

Præteritus Iesus vidit cæcum. *Adhuc prætériens curam illius cæci egit, vt ei benefaceret: quia Dei natura innotescit in largitate beneficiorum. v. 3. n. 17. illat. 30. per totam. p. 54*

Item quia vbi primum à benefaciendo cessat, quasi mortuus esse videtur. v. 3. n. 22. illat. 1. per totam. p. 55

Vidit hominem cæcum. *Bonus princeps nunquam à subditis oculos auertat: nam subditus melior fit, si adsit præsentia Præsulis. v. 14 n. 51. p. 141. Item: tanta cura eos semper habeat ante oculos, vt nisi ad aspiciendum Deum à subditis non auertat visum. ib. n. 54. p. 143. Præsulis visus vtilissimus subditis. cl. 19. n. 6. illat. 168. per totam. p. 289. Præsul plenus oculis, vt benefaciat subditis. v. 40. n. 29 illat. 277. per totam. p. 464.*

Vidit hominem cæcum: *abiectum, & humilem. Non rapuit eius oculos tumor Phariseorum, sed miseria huius cæci: quia bonus Præsul abiectos, & pauperculos potentibus præponit. v. 19. n. 11. pag. 290*

Quis peccauit hic, aut parentes eius? *interrogarunt discipuli. Erronea opinio est ista ait Ammonius. Nam labores, & calamitates multoties mittit Deus ad maiorem gloriam suam: nam laborantium honoratur patientia. v. 37. n. 174. p. 447*

Item quia labores beneficiorum Dei sunt pignora. v. 37. n. 169. & per totam. p. 445

Item quia calamitates sunt pax à Christo collata. ibid. n. 171. Vide: Labores.

Quis peccauit. *Putabant discipuli propter huius hominis, aut parentum peccata multatum cæcitate. Iudicium humanum falsitati obnoxium. v. 2. n. 37. illat. 23 per totam. p. 44. & vers. 20. n. 44. illat. 95. per totam. p. 323*

Quis peccauit hic, an parentes eius? *Vel cæcum, vel parentes peccasse putant discipuli. Fallebantur vt ex Christi responso constat.* Neque hic peccauit, neque parentes eius. *Facite hoc responso reprehendit Christus discipulos, & eos docet, ne contra proximum facile loquantur: nam lingua sacerdotum non ad detrahendum, sed ad honorandum concessa. v. 35. n. 62. illat. 39. per totam. p. 392*

Item, vt contra detrahentes prædices: vide: Lingua & elige.

Sed vt manifestentur opera Dei in illo. *Opus Dei appellat Iesus misericordiam quam erga cæcum exercebat: quia misericordia proprium Dei attributum. v. 18. n. 154. illat. 165. per totam. p. 282. vide:* Misericordia.

Hæc cum dixisset expuit in terram... & linuit lutum super oculos eius. *Vide liberalitatem Christi: nihil petierat cæcus, & nullis præmissis precibus Christus visum concessit: quia per illustre liberalitatis insigne est, beneficia cõferre ante petitionem. v. 3. n. 12. illat. 29. per totam pag. 53. Id expressit Rupertus l. 9.* Notandum, quod lux mundi non expectauit, vt clamaret tale quid dicens, miserere mei Marc. cap. 10. n. 48. sed vltro natura indigenti sese accommoda

modauit, & gratuito beneficio tacenti ſubuenit; nam hoc ad opera Dei manifeſtanda pertinuit.

Et liniuit lutum ſuper oculos eius. *Luto Chriſtus oculos cæci aperuit: nec mirum luto aperiri oculos: quam luti, & puluris recordatio mentem illuminat, oculos aperit, & inimicos vincit. ver. 35. n. 80. illat. 242. per totam. p. 356*

Vade, & laua. *Cur Chriſtus per ſe ſolum non aperuit oculos cæci, ſed poſtquam liniuit luto, iubet, vt lauet: quia vult hominem adhibere diligentiam, cum ipſe præſtat fauorem. v. 20. n. 38. illat. 194. per totam p. 321*

Alij dicebant, quia hic eſt: alij autem nequaquam. *Omnes cæcum, & mendicum cognoſcebant, videntem non omnes cognoſcunt. Mirum tamen fuit, quod aliqui videntem recognoſcerent: nam homo lynceus eſt ad videndum defectum proximi, cæcus ad id quod decorum eſt. v. 2. n. 42. illat. 24. per totam. p. 46*

Vocauerunt parentes eius, qui viderat; *Ad quid vocauerunt parentes? vt cæcum iam illuminatum peruerterent, ne fateretur veritatem, ſed parentes dixerunt:* ſcimus, quia hic eſt filius noſter; & quia cæcus natus eſt, &c. *O magna vis veritatis, obumbrari poteſt veritas, extingui non poteſt. v. 30. num. 36. illat. 221. per totam. p. 353*

Da gloriam Deo: *cæco dixerunt Phariſæi, cum ipſi Deo gloriam non darent: ſub ſpecie religionis, à religione eum abducere conantur. Vide* Hypocriſis.

Audiuit autem Ieſus, quia eiecerunt eum foras, &c. *Propter Chriſtum patiebatur iſte: ideoque à Chriſto tot cumulatur beneficiis: quia inuicta patientia vberrimos fructus confert. v. 17. n. 59. illat. 123. per totam. p. 213. Vide* Patientia.

Feria VI. Dominicæ IV.

Erat quidam languens Lazarus, &c. *Ex Ioan. c. 11. Hîc agitur de ſuſcitatione Lazari: vbi nota priùs curaſſe Chriſtum cæcum à natiuitate, quam Lazarum reuocaret ad vitam; non ſolùm vt oſtenderet, omnium gerere curam pauperum, & diuitum, verumetiam pauperes diuitibus præponendos: hæc enim eſt glorioſa excellentia Præſulis. v. 19. n. 11. p. 290*

Ecce quem amas infirmatur. *Cur permittit Chriſtus infirmari dilectum? quid mirum, cùm tanta ſit laborantium dignitas, vt vel ipſe Deus cum eis æquiuocari non reſpuat. v. 8. n. 25. illat. 67. per totam. p. 120*

Item quia labores, & infirmitates beneficiorum Dei ſunt pignora. v. 14. n. 167. illat. 96. per totam. p. 171

Laboriosa vita diuini amoris index. v. 14. n. 167. illat. 96. p. 170

Ecce quem amas, infirmatur. *Non petunt hæ ſorores fratris ſalutem, ſed ſolum proponunt Chriſto infirmitatem, eius voluntati relinquens: quia per orationem ſolùm quod expedit, eſt poſtulandum. v. 14. n. 148. p. 166*

Item, quia ſine voce auditur, & exauditur oratio. v. 29. n. 19. Breui ſermone orant hæ ſorores: quia oratio non verborum abundantia, ſed recta intentione debet fieri. v. 29. n. 16. p. 345

Ecce quem amas, infirmatur: *non dicunt, Domine, veni, & ſana, ſed ſolùm neceſſitatem proponunt: quia neceſſitas viua vox eſt ad excitandam diuinam largitatem. v. 14. n. 160. illat. 95. per totam. p. 169*

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. *Non mittit Deus infirmitates, & labores, vt homo ſuccumbat, ſed vt emendetur: nam labores, & calamitates viam fœlicitati aperiunt. verſ. 8. n. 55. illat. 72. per totam. p. 127*

Item, quia labores duriſſimum peccatorem, imo ipſum dæmonem obligant ad reuerendum Deum. v. 14. n. 176. & 177. p. 172. & 173

Infirmitas hæc non eſt ad mortem. *Sed quî hoc verum ſit, cum mortuus fuerit Laxarus? quia celeriter illum ſuſcitaturus erat Chriſtus, & qui celeriter ab aliquo damno liberatur, videtur non incidiſſe in illud. v. 18. n. 182. p. 288*

Vbi poſuiſtis eum. *De ſepulchro interrogat, non quia ignoret, ſed vt nos reprehendat, qui defunctorum facilè obliuiſcimur. v. 21. n. 5. p. 336. per totam illat. 203. p. 335*

Et lachrymatus eſt Ieſus. *Non triſtatur Chriſtus, cùm amicus Lazarus moritur, ſed gaudet: & lachrymatus eſt, cùm ad vitam reuocat, quia vita hæc multis periculis ſubiacet. v. 20. n. 15. illat. 191. per totam. p. 318*

Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere, vt hic non moreretur? *Increduli Iudæi etiam præſente mortuo calumniabantur Chriſtum. O quanta infelicitas! nam infelix reputandus eſt ille, qui memoria mortis à malitiæ tramite non auertitur. v. 16. n. 33. p. 188*

Tollite lapidem, dicit ei Martha, Domine, iam fœtet. *Et cur lapis tollendus; & quid intererat, quòd fœtidus eſſet defunctus; cùm Chriſtus eſſet omnipotens? deſignatur conſuetudo inueteratæ, ad quam deuincendam requiritur tota Dei omnipotentia. v. 17. n. 141. illat. 134. per totam. pag. 233*

Tollite lapidem. *Cur à circunſtantibus lapis amouendus, cùm poſſet Chriſtus ſine hoc patrare miraculum? vt ſibi videantur aliquam in illo habere partem, & ob hoc illud reſpiciant, vt ſuum: nam illud quod facimus maximi habemus. v. 37. n. 94. p. 424. per totam illat. 257. p. 423*

Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, &c. *Primò iuſſit Chriſtus, lapidem amoueri: deinde Laxarum vocat: tandem prodiit mortuus ligatus. Ad quid hæc? vt non ſubito crederent Iudæi, ſed paulatim: ſic ad virtutem aſcendere oportet. v. 1. num. 56. illat. 8. per totam. pag. 18*

Ligatus pedes. *Et cur ligatus? quia vitæ acceperat beneficium: gratitudinem ſuam oſtendit; ſimulque beneficia ligare, & comprehendere recipientem. v. 14. num. 139. illat. 91. per totam. pag. 163*

Qui fuerat mortuus. *Et cur permiſit mori, ſi ſuſcitaturus erat: quia Deus aliquando negat ſalutem vt conferat vitam. v. 14. n. 180. illat. 98. per totam. p. 173*

Ligatus pedes. *Vt crederetur viuus, nam vt homines manifeſtent horrores Lazari, prædicabunt miraculum. v. 2. n. 50. illat. 25. per totam. pag. 47*

Soluite eum. *Propter eamdem rationem. verſ. 2. n. 50. p. 48*

Dominica Feria V. in Quadragesima.

Qui ex vobis arguet me de peccato? *ex Io.c.8. Vitam suam exponit Christus coram inimicis suis, vt arguant, si possent de peccato, inuidi erant, & non arguerunt, quia in eo peccatum non erat, si enim esset, ipsum peccatum vociferaretur: nam peccati natura est, & propensio se manifestare.v.17.num.24.illat.117.per totam. pag.204*

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Dixit confidenter Christus: securitas bonæ conscientiæ firmissimum propugnaculum. v.35. n.46. illat. 236.per totam.p.389*

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Dices: Pharisæi multoties eum arguebant, imputantes blasphemiam, seditionem, violationem legis, & alia, sed respondent Maldonatus hic, & alij: arguere, hìc sonare,* conuincere. *Multi calumniantur de aliquo peccato, qui tamen non conuincunt, quia falsò illi imputatur. Multoties actiones calumniantur, quæ ex recto fine procedunt. Quam ob rem non debemus, temerè iudicare opera proximi, scientes, quòd humanum iudicium sæpe bonum reputat malum, & malum bonum.v.2.n.37.illat.23.per totam.p.44.& v.20.n.44 illat.195.per totam.*

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Nimis videtur audere Christus cùm sanctitatem, & innocentiam suam Pharisæorum linguis exponit. Nam lingua maledica omnes virtutes contendit maculare.v.19.n.74.p.303*

Non solum viuos, sed etiam beatitate fruentes inflammat. ibid.n.75. Item: nec ipsi Deo parcit. ibid.n.80.p.305

Quis ex vobis arguet me de peccato? *Inuitis Pharisæis suam innocentiam exponit Christus; nimis videtur audere: quia vel lucis pulchritudo, si hominibus inuidis committitur, periclitatur inuidia obscurante.v.2.n.36.illat.23.p.44.*

Item quia inuidia non parua, sed magna; illustria, non obscura infectatur.v.18. n.100. illat.157. p.270

Si veritatem dico vobis: quare non creditis mihi. *Ideo isti non credunt, quia veritatem odio prosequuntur: nam veritas sic amara est iniustis, vt vel eius vocem abhorreant: ideo Herodes Ioannem decolauit; quia veritatis vox. vers.8. n.29.p.121*

Si veritatem dico vobis, &c. *Veritas odio habetur à peccatoribus; at veritas semper vincit: quia obumbrari potest; extingui non potest. vers.30. n.36.illat.211.per totam.p.353*

Si veritatem dico vobis, &c. *Qui sine veritate intelligit, non bene intelligit. v.30. n.n.58.illat. 215.per totam.p.359. Ideo Pharisæi, & Scribæ non sunt inter sapientes reputandi, vtpote aberrantes à veritate. Vide* Veritas.

Si veritatem dico vobis. *Non credebant veritati, sed eam opprimebant, quod infame omnino est. v.30.n.63.p.360*

Si veritatem dico vobis, &c. *Prius ostendit Christus, se omni prorsus carere peccato; & exinde munus docendi exalat: nam doctor, & diuini Verbi præco tenetur prius operibus fulgere, quam diuinum Verbum annunciet. vers.18. n.31.illat.68.per totam.p.121.v.16.n.6. illat. 104.per totam.p.182*

Rursus: quia non docet secundum veritatem, qui non operatur, quod docet.v.30.n.42. illat.212. p.355.

Si veritatem dico vobis, &c. *Veritatem prædicabat Christus potentioribus Israel. Magna, & rara virtus. v.30.n.48.p.357*

Item, quia elegantissimus concionator, si regem, aut potentissimum est reprehensurus, loquelam, & vocem amittit. ibid.n.49

Item, quia horum vitia reprehendit SS. Trinitatis est organum, & interpres. ibid.n.50

Si veritatem dico vobis. *Christus veritatem annunciabat, tametsi amara esset Pharisæis, & Scribis, & propter hoc eorum odium concitaret: quia bonus concionator tenetur ad veritatem annunciandam adhuc cum dispendio vitæ.v.30. n.51.p.358*

Si veritatem dico vobis. *Ostendit Christus suam innocentiam, & statim annunciat veritatem: quia ad annunciandam veritatem innocentia agni requiritur. ibid.n.51*

Si veritatem dico vobis. *Doctor veritatem annuncians excellentior est omni lapide pretioso. ibid.n.52*

Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus. Ego dæmonium non habeo. *Duplici nota ab his inuritur Christus: & in vita, cum dicitur,* dæmonium habes: *& in splendore sanguinis: defendit innocentiam vitæ, dicens, ego dæmonium non habeo, calumniam contra sanguinem non reiicit: quia apud Deum vera nobilitas solæ virtutis prosapia.v.14.n.71.illat.81.per totam p.147.vers.37.n.163. & 164.p.449.& 450*

Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. *Non dixit: ego non sum Samaritanus, quod apud Hebræos valde ignominiosum erat; sed glorifico Patrem meum: quia secundum operationum qualitatem, qualitas, & nobilitas censenda est. v.37.num.160.& 161. p.444*

Feria IV. Dominicæ V.

Facta sunt encænia in Ierosolymis. *Ex Io.c.10. Ad celebrandam templi renouationem venit Ierosolymam Iesus. O quantum gaudet Dominus de honore suis templis exhibito! Hinc vrget eorum immunitas. Caueant reges, ne bona Ecclesiarum vsurpent; nam hoc facere excidium regni annunciat.v.2.n.24. illat.21. per totam. p.40. Vide* Ecclesia. *Vide Sacerdotes.*

Facta sunt encænia. *Celebrabatur templi renouatio facta à Iuda Machabæo, eo quod ab Antiocho esset prophanatum. Recolitur etiam Iudæ magnificentia, qua templum illud mundauit, exornauit, ditauit. Et meritò, vt discant reges templa ditare, eis munera, & donaria conferre, non auferre eorum bona, & thesauros, si prospera in suis regnis desiderant: nam hæc cum fiunt omnia abundant in regno, & nemo indiget.v.42 n.13 Vide* Ecclesia.

Facta sunt encænia. *Animæ renouatio festum est Christi: quia perseuerare vsque in finem animam renouando bonis operibus summopere Deo placet.v.30.n.55.& 56.& 57.p.358.& 359 Vide* Perseuerantia.

Item animæ renouatio per pœnitentiam festum est Christi: ideo magis honorare solet pœnitentes, quam

*quam innocentes.v.*14.*n.*66.*illat.*80.*per totam pag.*145

Et ambulabat Iesus in templo. *Venit Iesus ad celebrandum hoc festum; & delitiosè in templo assistit: quia Deus ibi specialiter est, vbi religiosè colitur. v.*12.*n.*30.*p.*137. *&* *v.*30.*n.*2*p.*337

In porticu Salamonis. *Et cur dicitur porticus Salomonis cum diruptus fuerit à Chaldæis, & à Neemia, & Esdra reædificatus; & postea à Iuda renouatus? certè, quia Salomon fuit primus, qui templum illud ædificauit, & primus in aliquo genere virtutum dignus est æterna fama. v.*5.*n.*134.*p.*102.*v.*14.*n.*61.*illat.*79.*per tot.p.*144.*v.*18.*n.*169.*p.*285.*v.*20.*n.*53.*p.*324

In porticu Salamonis: *Vbi sedere solent pauperes: docens, quod apud Deum pluris pauperes, quam diuites habentur. v.*19.*n.*10.*illat.*169.*per totam.p.*291

Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus dic nobis palam. *Simulant Pharisæi desiderium sequendi Christum, & cum eo amicitiam ineundi, vt sic dolo teneant. Graue malum: nam falsi amici plus nocent quam inimici manifesti. v.*19.*num.*37.*illat.*175.*per totam. p.*295

*Item simulant, quia hypocritæ: falsa sanctitas, quæ exterius lucens non ardet in corde. v.*16.*n.*63.*illat.*115.*per totam.p.*196

Quousque animam nostram tollis? *August. & Glossa:* Non veritatem desiderant, sed calumniam præparant, *vt Christum iniuriis afficiant, sed cur quæruntur? quia calumniatores sunt. Iniuria namque magis nocet offendenti, quam offenso: nam satius est iniuriam pati, quàm inferre v.*5.*n.*100.*p.*94. *Miserandus iniuriator; quia diaboli sagittarius. v.*17.*n.*102.*p.*224

Multa opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? *Reuocat Christus in memoriam Pharisæorum beneficia sua: quia ingratis recordanda sunt beneficia, vt rubore suffundantur: sic fecit Deus filiis Israel. v.*14.*n.*41.*p.*139. *Vide* Ingrati.

Si non facio opera Patris mei: nolite credere mihi. *Et meritò: quia filius paternos mores non imitans adulterinus reputatur. v.*1.*n.*46.*illat.*6 *per totam p.*16

Feria V I. Dominicæ V.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. *Ex Io.c.*11. *Summi sacerdotes, & Pharisæi aduersus Deum congregantur; & qui eum potiori iure tenebantur honorare, eius necem machinantur: ab amicis probra accipere summa calamitas. v.*38.*n.*12. *&* 13.*p.*455

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi, &c *Sacerdotes, & religiosi contra Iesum congregantur, vt decretum iudicetur religiosum, impietatem sub religionis velamine detegentes. Graue malum: nam velamen sanctitatis, & iustitiæ non debet esse iniustitiæ, & sanctitatis velamen. v.*16 *n.*65. *&* 66.*p.*196. *&* 197

Collegerunt, &c *Religiosi erant, & simulabant odium, & inuidiam contra Iesum sub zelo religionis: hypocrita amicus simulatus, plus nocet, quam inimicus manifestus. vers.*19.*n.*37.*illat.* 175.*per totam.p.*295

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium: *Vt decretum apud populares admitteretur, si-quidem maturo consilio à multis peritis, & religiosis viris resolutum: in quo indicabant non potestate, sed ratione sanctum: nam index iustitia non potestate debet punire. v.*16.*num.*17. *illat.*106.*per totam.p.*185

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium: *Vt ab eis decretum omnes amplectantur: nam quod prælatum fecisse vident subditi, id sibi omnes faciendum putant. v.*14.*n.*90.*illat.*84. *per totam.p.*151

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium aduersus Iesum? *Sed cur aduersus Iesum, qui tot miracula patrarat, & tot bona in regno fecerat docendo, sanando, & c. Quia improbi præsules, & principes solent obsequia molestiis, exilio, & morte remunerare. v.*17.*n.*100.*p.*224

Quid facimus; quia hic homo multa signa facit? *Propter signa volunt isti è medio tollere Christum, obcæcati erant, quia inuidi. Quis talia cogitaret? quinimo propter signa, & doctrinam Christum æstimare debebant. At inuidus felicem se putat, si adhuc propria infelicitate aliorum felicitatem impediat. v.*18.*n.*104.*illat.*158 *per totam.p.*271. *Item, quia inuidia mentem obcæcat. v.*20.*n.*20.*p.*319

Si dimittimus eum sic omnes credent in eum. *Non curant de salute populi, imo eam impediunt, vt propriæ consulant, vtilitati. Quod mali præsules sic faciunt magno cum dedecore suo: nam dedecus est Præsuli, si tantum sibi, & non subditis consulat. v.*14.*n.*50.*illat.*77.*p.*141

Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. *Timent Pontifices, & Pharisæi, ne deponantur à dignitate; & ob hoc diuinum medicum conantur interficere, qui omnibus medelam offerebat. sic mali Præsules propriam vtilitatem publicæ anteponunt: nam boni adhuc cum propriæ vitæ dispendio commodis subditorum consulunt. v.*14.*n.*50.*illat.*77.*per totam.p.*141

Venient Romani, & tollent. &c. *Timent, deponi à dignitate; & ideo Iesum condemnant: nam Præsul timidus, & damnabit iustum, & absoluet reum, vel contra ipsum Deum feret sententiam, ne deponatur. v.*17.*n.*45.*p.*209

Venient Romani, & tollent, &c. *Iesum condemnant, ne deponantur: nam ille solus operatur iuste, qui non dependet. v.*14.*n.*111.*p.*156

Vos nescitis quidquã: nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo: & non tota gens pereat: *Hoc dixit Caphas cum esset Pontifex illius anni: præsidebat in consilio, & magnæ auctoritatis erat. Nota malitiam Pontificis: suam voluntatem depraua tam expressit interficiendi Christum, vt reliqui, qui inferiores, & ab eo dependentes assentirentur, vt euentus probauit: nam qui dependet ab aliquo, eius voluntatem inquirit, vt ei semper placeat, & gratus sit. v.*14.*n.*109.*illat.*87.*p.*156

Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo. *Christus pro omnibus mortuus est, non solum pro populo Iudæorum. v.*5.*n.*148.*illat.*61. *per totam.p.*106

Vos autem nescitis quidquam. *ignorantia in gubernatoribus graue malum rei publicæ. v.*16. *n.*57.*p.*194. *Itẽ ineptus est ad regimẽ, qui litterarum caret ornamento. v.*16.*n.*53.*illat.*113.*per totam.p.*193. *Præsul scientia, & prudentia polleat. v.*30.*n.*64.*illat.*216.*per totam.p.*360

Vos

Vos autem nescitis quidquam. *Dicebat Caiphas, qui supremus erat in concilio. Ecce Pontificis superbiam; consiliarios collegit, & insciticæ eos notat, vt tanquam oraculum verba eius accipiant, & velut idolum sapientiæ venerentur, sic superbia principis insolescit, vt ambiat adorari sicut idolum.* v.16.n.15.p.187

Hoc autem à se ipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit. *Cur prophetauit Caiphas? vel cur veritas in ore hominis pessimi reperitur? quia potentissima res est veritas, ita vt pereunte pro labore non intereat.* v.30.n.40.p.355

Dominica in Palmis.

Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. *Ex Matth.c.21. Discipuli Christi asinam & pullum soluunt; quia sacerdotes peccatores absoluunt à peccatis, & bene peccator per brutum designatur: quia homo per peccatum in arborem, & in brutum transformatur.* v.14.n.105 p.155. *Nec solum homo in brutum transformatur per peccatum, sed in nihil redigitur.* verf.5. n.21.p.75. & v.43.n.27

Dicite, quia Dominus his opus habet. *Si Dominus, quomodo illis habet opus? quia nullus est princeps, qui subditorum consortio non indigeat, coadiuuari.* v.1.n.105. illat.17. per totam.p.33

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, &c. *Populo, & non sibi est rex, aut præsul.* v.1.n.73. ill.2 per totam p.24. *Item, quia rex subditorum vtilitati studere, debet potius quam propriæ.* v.2. n.57. illat.27. per totam p.48. *Adhqc cum propriæ vitæ dispendio commodis subditorum consulat.* v.14.n.50. illat.77. per totam p.141. & ibid.n.203.p.180

Mansuetus. *Quasi princeps affabiliter tractat inuoluntariam seruitutem redigit.* v.1.n.99. illat. 16. per totam p.31

Mansuetus. *Præsul nec nimis rigidus, nec nimis lenis: sed medius pro opportunitate.* v. n. 162. illat.63. per totam p.109

Mansuetus. *Præsul nimis rigidus in discrimine est violandi iustitiam.* v.16.n.15.p.184

Venit tibi mansuetus. *Præsul pro suis iniurias patiens fulgentissima redimitur corona.* v.18. n.43.p.256

Venit tibi *Rex cum bono publico, & non sibi consulit, dignus est imperio.* v.20.n.77.p.331

Sedens super asinam, & pullum. *Et cur non super Cherubim, aut saltem super equum vt sic triumpus glorioſior esset? quia respexit asina humilitatem: ob eam homo præfertur angelis.* v.35 n.67.p.393

Strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cædebant ramos, &c. *Vestimenta sua offert turba, & ramos cædit, vt Christo præstet obsequium, & laudet eius gloriam: totum quod habebat obtulit: quia Deo in omnibus placendum est, vt digne laudetur.* v.2.n.14.p.38

Strauerunt vestimenta sua. *Renunciauit turba bona sæcularia, vt Christo præstaret obsequium: nam Deo male inseruit, qui negotiis sæcularibus est irretitus.* v.30.n.121.p.377

Hosanna Filio Dauid, &c. *Summo applausu suscipitur Christus, qui post paucos dies opprobriis plenus crucifigendus erat. Proh humana felicitas imminentis aduersitatis est vaticinium.* v.8. n.49. illat.71. per totam p.125. *Bona temporalia imaginaria.* v.5.n.85. illat.50.p.90. *Breuia, & ficta.* v.19. n.106. illat.186. per totam p.311. *in hac vita nulla firmitas.* v.8.num.45. p.124. & 52.p.126. *Humana vita multis periculis obnoxia.* v.20.n.15. illat.191. per totam p.318

Hosanna Filio Dauid. *Nobilissimum auum turba reuocat in memoriam: an vt bene agat Christus? quia nobilis quadam necessitate constringitur, ne à maiorum probitate degeneret.* v.14.n.78. illat.82. per totam.p.148

Feria V. in cœna Domini.

Sciens Iesus, quia venit hora eius. *Et cur dicitur hora eius tempus acerbissimum passionis? quia Christo glorioſum est pati, inglorium carere passionis acerbitate.* v.20. n.86. illat.201. per totam p.332

Quia venit hora eius. *Proboſa passio hora eius dicitur: quia amore saucius patiebatur: quia vbi adest amor tormenta admittuntur, vt delicia.* v.5.n.39. illat.43.p.80. *Item, quia vbi adest amor, difficilia faciliora, amara dulcia, terribilia suauissima reputantur.* v.28.num.22. per totam. p 341 illa 206

Hora eius. *Quia hominibus benefacit: nam illustre amoris stemma liberalitas.* v.5.n.59. illat.46. per totam p.85. *Item, principum stemma liberalitas, & v.29.n.7. & per totam.* v.18. n.42. illat.148.p.156

Hora eius. *Horam, in qua benefacit nobis suam appellat, non sic in qua nos punit, sic manum dexteram suam appellat; non sic sinistrum.* v.18 n.137. illat.151.p.260. *Item, quia Deus ex se habet benefacere: item, quia Deus ex se habet benefacere. Item, quia Deus pluris æstimai, pascere, quam pasci, dare, quam accipere.* verf.14. n.152.p.167. *Item, quia Deus ex se habet misereri, ex nobis punire.* v.18.n.154. illat.165. per totam p.282

Hora eius. *Christus erat rex: & regis hora est cum munus suum adimplet etiam propriæ vitæ dispendio.* v.14. n.50. illat.77. per totam p.141. *Item punitur præsul, qui ministerium suum non adimplet.* v.14.n.55. illat.78. per totam p.142 & ibid.n.203.p.180

Sciens Iesus, quia venit hora eius. *Erat rex, & omnia, quæ ad regendos subditos oportebant, sciebat: nam ineptus est ad regimen animarum, qui scientia caret ornamẽto.* verf.16.n.53. illat. 113. per totam p.193. *item, quia, ad regendum prouide, & absque defectu Dei sapientia requiritur.* ibid. n.55. *Item, quia summa calamitas reipublicæ est, imperium habere gubernatorem.* ibid.n.57. *Item, Præsul scientia, & prudentia polleat.* v.30.n.64. illat.216. per totam p.360

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. *Liberalitatem suam erga homines ostendit Christus: quia appropinquabat hora, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem; ne videretur eius amor marescere propter eius absentiam; nam generosus amor rei amatæ non patitur absentiam* verf.5.num.51. illat.45. & per totam p.g.83. *Item, quia absentia amoris nouerca.* v.19.n.46. p.298

Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos. *Cum dilexiſſet, dilexit: hoc eſt: dilexit, quia dilexit: nam diuina beneficia, quantumuis ſæpe ex Dei liberalitate procedant; multoties nobis benefacit, quia incœpit, benefacere. v. 5. n. 66. illat. 49. per totam p. 86*

Cum dilexiſſet, &c. *Mira conſonantia eſt inter Chriſti paſſionem, & eius amorem: nam amoris patientia creditor; & amor creditor patientiæ. v. 5. n. 39. illat. 43. per totam p. 80*

In finem dilexit eos. *Chryſoſtom. Leontius Theophylact. & Euthym.* in finem, *id eſt*, cum omni perfectione, & conſummatione, *ſed in quo hæc conſummatio amoris? quia pro hominibus patiebatur: nam perfectus amor pro dilectis patitur. v. 8. n. 26. & 27. p. 120*

In finem, *id eſt, vſque ad finem: ideo moritur Chriſtus: quia vltra non poterat tranſgredi amor. Chriſtus enim cum donat, quidquid habet; aut facit quidquid poteſt, moritur. v. 3. n. 22. illat. 31 per totam. p. 55*

Sciens Ieſus, quia omnia dedit Pater. *Intra dicitur: ſciebat, quiſnam eſſet, &c. Oſtendit Chriſtus omnia ſcire: quia Præſul ſcientia pollere debet. Vide ſupra*, cœpit leuare pedes, &c. *Chryſoſt. Mihi videtur, primum proditoris lauiſſe pedes. Cur non incœpit à Petro? cur non à Ioanne? cur à proditore? quia plus indigebat, quam alij: Deus namque maiori occurrit neceſſitati. v. 14. n. 160. illat. 95. per totam p. 169*

Et extergere linteo, quo erat præcinctus. *Cur pedes diſcipulorum terſit linteo, quo erat præcinctus? quia in illo immunditiæ pedum ſacerdotum recipiendæ erant, & vt illorum defectus, etiam leues occultaret: nam Chriſtus ſummum ſtudium adhibuit in occultandis defectibus ſacerdotum. v. 28. n. 11. p. 338. 17. 18. 19. & 20 p. 340*

Non lauabis mihi pedes in æternum, ſi non lauero te, non habebis partem mecum. *Auguſtinus*: amore, & timore perturbatus plus expauit, Chriſtum ſibi negari, quam vſque ad ſuos pedes humiliari. *Summam infelicitatem iudicauit Petrus ſibi negari Chriſtum, & merito: quia infelix eſt, qui à Deo diſtat. verſ. 18. n. 10. illat. 144. per totam p. 248. Sine Dei præſentia homo in ſtatu innocentiæ miſerius eſt obnoxius cum illa latro ſecurus. ibid. n. 18. p. 250*

Exemplum enim dedi vobis, &c. *Prælatorum exemplum efficaciſſimum. v. 2. n. 6. illat. 18. per totam p. 36. v. 14. n. 90. illat. 84. per totam pag. 151. v. 17. n. 125. illat. 131. per totam. p. 230*

Feria II. in Paſchate.

Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die, &c. *Ex Luca c. 24 Fugiunt iſti diſcipuli à Chriſto iam reſuſcitato, & fugientes quærit Chriſtus, vt eis ſuam miſericordiam impertiatur; & merito cum gloriam ſuæ reſurrectionis illis vult oſtendere, miſericordia vtitur: quia quod in Deo fulget, eſt miſericordia. v. 18. n. 83. p. 265*

Duo ex diſcipulis, &c. *Concordia horum diſcipulorum Chriſtum accerſiuit, vt eos quæreret: quia vbi concordia eſt fides, Deus adeſt. v. 1. num. 68. illat. 10. per totam. p. 22*

Ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant... & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. *Loquebantur de paſſione & cruce, & tunc fugientes diſcipulos quarit Chriſtus, vt eis fidem reſurrectionis ingeret: quia gloria reſurrectionis à cruce. v. 5. n. 144. illat. per totam p. 105*

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis, &c. *An Chriſtus ignorabat, quæ inter ſe loquebantur? ſed delectat, multoties audire crucis ignominiam; quia ipſa eſt gloria Chriſti. v. 5. n. 92. pag. 90. ibid. n. 131. & per totam, & quia in cruce oſtendit ſuæ gloriæ celſitudinem. verſ. 5. n. 138. illat. 59. per totam p. 103 Item, quia ſine crucis gloria noluit in hac vita poſſidere gloriam in corpore. Crux gloria Chriſti. v. 20. n. 87. p. 332*

De Ieſu Nazareno, qui fuit vix Propheta, potens in opere, & ſermone. *Prius referunt, Chriſtum potentem opere, quam ſermone: & meritò, quia eximius doctor prius opera patrare, quam verba proferre debet. v. 8. n. 31. illat. 68. per totam p. 121*

Et quomodo tradiderunt eum ſummi ſacerdotes, &c. *Prius referunt Chriſti innocentiam, & deinde iniuſtam traditionem ſacerdotum; vt conſtaret, non iuſtitia, ſed poteſtate id feciſſe: ſic iudices iniqui iudicant; nam recti non poteſtate, ſed iuſtitia puniunt. v. 16. n. 17. illat. 106. per totam p. 185*

Tradiderunt eum ſummi ſacerdotes. *Relata Chriſti innocentia auctores tanti ſceleris referuntur ſummi ſacerdotes, vt delicti grauitas innoteſcat: quia vbi ſublimior eſt prærogatiua, maior eſt culpa. verſ. 37. n. 166. illat. per totam pag. p. 445*

Nos autem ſperabamus, &c. *Ideo fugiunt, quia Chriſti reſurrectionem ſperabant, & nondum viderant: nam ſine ſpe etiam minima difficilia ſunt v. 19. n. 113. illat. 187. per totam p. 312*

O ſtulti, & tardi corde ad credendum, &c. *Sciebat Chriſtus hos diſcipulos deſperatos fugere, & nihilominus, eos interrogat, vt deſperationem verbis ſuis explicent, qua explicita eos reprehendit: vt ſciant iudices certam delicti ſcientiam requiri ad puniendum, vt iudicium ſit iuſtum. v. 16. n. 12. illat. 105. per totam. p. 184*

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. *Paſſione in gloriam intrauit; imo vulneribus crucis Chriſtus intrauit in gloriam reſurrectionis (quod denotat illud, &* ita intrare in gloriam ſuam, *id eſt, ſtigmatibus) quia eius humanitas opprobriis plena cum gloria æquiuocatur. v. 5. n. 92. p. 91. Item contumelioſus ſibi viſus fuit Chriſtus in vtero matris, quia gloria crucis differebatur. v. 5. n. 140. p. 104. Item in Ægyptum fugit, ne gloria crucis careret. ibid. 143. Item, reſurrectio eius illuſtratur gloria crucis. ibid. n. 144. per totam.*

Ipſe finxit ſe longius ire. *Et cur finxit ſe longius ire? vt audiret*, mane nobiſcum Domine. *Magni facit ſupplicum preces. v. 14. n. 148. illat. 93. per totam p. 166. Item, quia aliquando negat, quod poſtulamus, vt abundatius, quæ differt concedat, item vt precibus concedat, quod alias erat conceſſurus. v. 14 n. 182. & 183. p. 174*

In litaniis maioribus.

Et ſi ille perſeuerauerit pulſans, &c. *Ex Luca cap. 11. Litaniæ inſtitutæ ſunt in Eccleſia ad petendum à Deo ſuffragia, interceſſione ſanctorum: nam orationis perſeuerantia omnia conſequitur*

quitur. *v.29.n.17.p.346*
Obtinebit communis oratio, quidquid petierit. v.14 n.192.p.177
Petite, & dabitur vobis, &c. *Non gratis accipit, qui precibus consequitur beneficium. v.3.n.12. p.53*
Ideo Deus magni facit supplicum preces. vers.14. n.148.illat.93.per totam.p.166
Petite, & dabitur vobis *Orationis efficacia cœlestia penetrat.* *v.29.n.16.p.345*
Petite, & dabitur vobis. *Deus rogatus vult concedere, quod alias erat concessurus. v.14.n.182. & 183.p.174.v.29.n.21.illat.210.per totam p.347*
Petite, & dabitur vobis. *Si Deus daturus est, ad quid exorari desiderat, cum maior sit liberalitas conferre beneficium nullis præmissis precibus? quia aliquando parcus videri vult, ne orationi deroget.* *v.29.n.24.& 25.p.347*
Quis ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi, &c. *Solum postulandum est à Deo, quod nobis expedit. v.14.n.148.p.166*
Nam, qui à Deo mala postulat, mali Deum facit auctorem. *v.14.n.192.p.177*
Quis ex vobis patrem petit panem, &c. *Quasi diceret: semper accipietis, si quod postulatis expedit: nam si Deus aliquando negat, quod postulamus, velut rubore suffunditur & faciem abscondit, quia id negat. v.14.n.154.illat.94. per totam.p.168. Vide:* Oratio.

In ascensione Domini.

Exprobrauit incredulitatem eorum. *Ex Marc. c.16. Reprehendit Christus incredulitatem discipulorum, cum in cælum est ascensurus: quia etiam tunc munus doctoris habebat, cuius est, & docendo reprehendere, & reprehendendo docere. vers.17. num. 120. illat. 130. per totam. pag.229*
Increpantur doctores, qui vitia non reprehendunt. v.30.n.47.p.357
Exprobrauit incredulitatem eorum. *Christus discipulos tanquam filios diligebat, & nihilominus eos reprehendit: sic parentes filios etiam dilectissimos reprehendant seuere, quando oportet; aliàs grauiter plectentur parentes. v.14.n.58. pag.143*
Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. *Post reprehensionem concedit Christus discipulis altissimam dignitatem prædicandi Euangelium. Quis hoc putaret? Christus enim seuerus & lenis; sic Prælatus sit: nam nimis rigidus in discrimine est violandi iustitiam. v.16.n.15.p.184. sit & seuerus, & lenis.* *ibid.n.17*
Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, &c. *Nam fides requiritur ad patranda miracula. v.17.n.192.p.245*
Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. *Propria virtute Christus ascendit in cælum. Hæc absentia solamen præbuit discipulis: nam absentia voluntaria Dei eiusdem fructuosam promittit præsentiam. v.19.n.43. illat.176.per totam.p.297*
Postquam locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. *Christus ascendit in cælos vt assistat vultui Dei pro nobis, & sit noster mediator. An Christus vt sacerdos ingressus est cælum? audi Ferum in illud Matthæi*; liber generationis Iesu Christi, *dicentem: vt sacerdos ingressus est cælum, vt assistat vultui Dei pro nobis: quia si Christus apud Patrem aliquo esset honorandus, præter id, quod habet à Patre, sacerdotio honorandus esset. v.35 n.15.p.381*
Item, quia sacerdotij dignitas diuinitatis gerit vices, eamque quodammodo imitatur. v.35.n.11 illat.219.per totam p.380
Assumptus est in cælum. &c. *Ascendit in cælum, quia descendit: nam descensus gradus est, non ascensus. v.14.n.84. & 85. & 86.87. & 88. p.150. & 151*
Item, quia idem est propter Deum humiliari, & exaltari vsque ad summum. v.35.n.68.p.393
Item, quia humilis videtur gaudere Dei omnipotentia. *ibid.n.69*

In die Pentecostes.

Quia de hoc festo diuersimode concionatur: nam in quibusdam Ecclesiis prima die; in secunda in alia, & in aliis in tertia, longum esset tria Euangelia adducere; quare vide in indice rerum Verbum, Spiritus sanctus, & accommoda singulis diebus.

In festo SS. Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. *Matth. vltimo. Christus de sua potestate ad benefaciendum gloriatur; quia eius diuinitas maxime innotescit in beneficiorum largitate. v.3 n.17.illat.30.per totam.p.54*
Data est mihi omnis potestas. *Deus ostenditur: nam* Deus *beneficæ potentiæ nomen est. vers.3. n.22.p.55*
Beneficentiam ostendit: nam in Deo quidquid communicari potest perfectionem includit, secus, quo nequit communicari nequit, etiamsi diuinum sit. *v.3.n.24.q.56*
Data est mihi omnis potestas. *Omnem potestatem sibi traditam ostendit Christus, vt independentiam ostendat, & summam rectitudinem in operando.* *v.14.n.114.p.157*
Data est mihi omnis potestas. *Ad benefaciendum: nam Deo benefaciendi præbere occasionem, est, suæ diuinitatis renouare memoriam. v.29. n.12.illat.208.per totam p.345*
Euntes ergo docete omnes gentes. *Nota illationem: ex eo quod habeat omnem potestatem in cælo, & in terra infert quasi per legitimam consequentiam: ergo docete omnes gentes, sed quænam est connexio inter omnipotentiam, & beneficentiam erga nos? maxima. Imo plurie videtur æstimare nomen benefactoris, quam Dei. v.3. n.18.p.54*
In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Hic iam splendet Trinitatis mysterium: nimo illud prædicare iubet vt facilius veritas Euangelica credatur: quia sub Trinitatis vmbra omnis veritas firma consistit; & ad eius conspectum omne fugit mendacium. v.37.n.73.illat.254. per totam.p.418*

Pater semper generat Filium; Pater & Filius semper spirant Spiritum sanctum: in hoc mysterio docentur fideles, perseuerandum esse in via salutis, si Deo laetitiam afferre desideramus. v.8. n.36. illat.69. per totam p.122

Item vt doceamur, tanto prosequendum esse, ac si tunc inceperemus. v.16. n.58. illat.114. per totam. p.195

Quemadmodum Pater eodem modo generat Filium, & vterque spirant Spiritum sanctum.

Vide *Perseuerantia.*

Item, si plura cupias de hoc mysterio.

Vide *Trinitas.*

De sacrosancto corporis Christi festo.

Corona vere est cibus, &c. *Ex Io. c.6. Corpus, & sanguinem suum nobis Christus praebet in Eucharistia; insuper & quidquid Deus est; & tamen tot praestat beneficia sub speciebus panis, & vini occulta, vt sic magis, ac magis suam erga nos liberalitatem ostendat: quia summa liberalitas est beneficium conferre, & manus abscondere, quae largiuntur illud. v.18. n.34. illat.147. per totam p.255*

Caro mea vere est cibus, &c. *Eucharistia maximum beneficium, quia illud contulit Christus nullis praemissis precibus: & per illustre liberalitatis insigne est, beneficium ante preces conferre v.3. n.12. illat.29. per totam. p.53*

Caro mea vere est cibus, &c. *Eucharistia omnium bonorum compendium. v.18. n.27. illat. 146. per totam p.253.*

Item Eucharistia videtur beatitati addere beatitatem. ibid. n.30. & 31. p.253

Caro mea vere est cibus, &c. *Quidquid Christus habet confert in Eucharistia; quia Christus in ea verus rex. v.18. n.42. illat.148. per totam. p.256*

Caro mea vere est cibus, &c. *Christus in Eucharistia bona aeterna sub specie temporalium confert. Quo ingenio. v.37. n.50. illat.250. per totam p.411*

Caro mea vere est cibus, &c. *In Eucharistia caro Christi separata à sanguine significatur, vt in ea suae passionis recoleretur memoria, sed ad quid passio, & crux commemoratur in Eucharistia? vt in ea gloria merendi, & comparandi felicitas coniungerentur, & esset completa felicitas. v.37. n.57. illat.251. per totam. p.413*

Caro mea vere est cibus, &c. *Quomodo caro Christi viui cibus potest esse hominis, cum nullus homo nutriatur ex viuenti, sed ex non viuenti? quia ibi Christus est mortuus in repraesentatione, & viuus in realitate: sic homo fit viuus in realitate, & mortuus in representatione: nam ex homine viuus, & mortuo nutritur Christus in Eucharistia. Quo ingenio? v.37. n.183. p.449*

Ad Eucharistiam accede sine desiderio alterius rei: mortuus rebus huius saeculi. v.37. n.185. illat.270. per totam. p.450

Si plura huius mysterij cupias, vide indicem rerum Verbo Eucharistia.

Sequuntur aliquot conciones pecularium festorum.

De circunciſione, & Epiphania Domini.

In conuerſione ſancti Pauli.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Ex Mat. cap.19. Paulus vix vocem Iesu Christi, quem persequebatur audiuit, cum dixit; Domine,* quid me vis facere. *Act.9. sic omnia reliquit, & secutus fuit Christum: nam vera conuersio exigit peccatorum retractionem cum proposito de caetero non peccandi, spem veniae, & delictorum confessionem. v.20. n.74. illat.194. per totam p.330. totum hoc in Paulo vers.18. n.138. p.277*

Reliquimus omnia. *Ex persecutore sit eximius Euangely annunciator: vere omnia, quae Christo aduersabantur reliquit, & secutus est Christum: in quo rara Christi erga Paulum relucet misericordia. v.17. n.108. p.226*

Reliquimus omnia. *Sic Paulus praeterita reliquit, vt nec primitiuum nomen Sauli in eo permanserit. Quare? quia Paulus totus erat Christi v.18. n.136. p.277*

Item, quia qui vere conuertitur, & Deo traditur, nec tenuem puluerem, nec subtilem aerem rerum terrenarum debet admittere. v.1. n.84. ill. 13. per totam. p.27

Nec leuem visum ad terrena conuertat, sed totum se Deo tradat. vers.3. num.52. illat.37. pag.66. per totam.

Reliquimus omnia. *Nomen etiam Sauli reliquit, & accepit Pauli. Nam vere poenitens, vix ille videtur, qui praeesserat in peccati statu. v.19. n.35. p.295*

Reliquimus omnia, *Sic Paulus conuersus fuit, vt eius conuersio lachrymas Christi terserit. v.18. n.138. p.277. Vide* Paulus.

In purificatione B. Mariæ Virginis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysis. *Ex Luca c.2. B. Virgo non comprehendebatur hac lege, quae solum obligabat faeminas, quae suscepto semine conceperant: & nihilominus legem obseruauit, ac si esset comprehensa: quia tunc lex Moysis non erat abrogata; & legis gloria ex eius obseruantia: nam superfluit lex, si subditorum desit obedientia. v.1. n.108. p.34*

Item, quia Maria erat regina legem obseruauit: quia quando Praesul leges obseruat, subditi eas libenter amplectuntur. v.16. n.72. p.198

Item quia lex seruanda est etiam cum dispendio principis. v.14. n.205. p.181

Dies purgationis Mariæ, &c. *Quisquis Mariam videret, legem purificationis adimplere, putaret esse immundam; sed falleretur, quia caelo purior est mater Dei, voluit tamen hanc notam pati, licet immeritò, vt nobis proficeret filium suum offerens pro nobis: quia maluit, videri immunda, quam non proficua nobis. v.37. n.146. p.439*

Item, quia sic nos patrocinare desiderat, etiam sit eius suprema dignitas Deipara in hominum

opi

opinione periclitetur. ibid.n.145

De patrocinio Mariæ erga nos agitur. v.30. à n. 96.vsque ad 100.p.369.& v.37.à n.139.vsque ad n.146.p.437

Item, Maria Christum obligat, vt asperiat peccatores,& eorum misereatur. v.38.n.21.p.457

Maria Dei manus ligat, ne homines puniat. ibid. n.22

Sine Maria Deus terribilis, cum ea mansuetus,& lenis. ibid.n.23

Maria liberat à maximo discrimine. ibid.n.24

Mariæ deuoti securi à periculis. ibid.

Vt Mariæ patrocinium prosit nobis, debemus auferre diuinæ indignationis causam. ibid.n.25

Maria vt domina accedit ad Dei tribunal, non solum rogans, sed imperans. ibid.n.25

De S. Scholastica.

Simile est regnum cælorum decem virginibus, &c. *Ex Mat.c.25. Beata Scholastica S. Benedicti soror, ab Imperatore duxit originem,& ex nobilissimis parentibus orta, sanguinis splendori bonorum operum ornatum adiunxit, quibus nobilitatem virginitatis illustrauit: nam nobilis ex proprio munere tenetur splendori sanguinis ornatum addere virtutum.v.1.n.51.illat.7.per totam p.17*

Virginitas angelicam transcendit naturam. v.5. n.167. il.64.p.111.& eius patria est in cælis. ibid.

Vnde Scholastica non solum sanguine nobilis, sed prosapia virtutis, quæ est vera nobilitas. v.14. n.71.illat.81.per totam.p.147

Quinque autem ex eis erant fatuæ,& quinque prudentes. *Ideo illæ fatuæ, quia bonorum operum,& præcipue Charitatis oleum non habuerunt, sic noster Tostatus. q.43. & 47. ad hæc verba*: ideo autem ponit parabolam hanc in virginum persona, vt ostendat, quod licet virginitas magnum quid sit: tamen si ab operibus misericordiæ sit deserta, cum adulteris foras eiicietur: *nobilis namque virtutem non amplectens ignominiosius est.v.14.num.79. p.149.v.37.n.165.illat.267.per totam.p.445*

Et quinque prudentes. *Ex his fuit Scholastica: quia munus tantæ nobilitatis adimpleuit. Bonifacius Simoneta lib.4. epist.20. apud Tepes in historia S. Benedicti, refert, Benedictum, & Scholasticam fuisse gemellos, & adhuc in vtero matris existentes alternasse diuinas laudes. Vere prudens virgo,& vere nobilis, quæ ante natiuitatem recte operari incepit. An sanctificata in vtero matris? Caietanus explicans illud Luc. c.1.n.41.* Exultauit infans in vtero eius: *ait.* Hæc siquidem sanctificatio causa fuit, quod saliret. *Saltibus laudauit Deum Ioannes: vocibus Scholastica. Ergo si in illo saltus argumentum fuere sanctitatis, in ista eiusdem videtur argumentum.*

In columbæ specie anima Scholasticæ volauit in cælum, sic Greg. Magn. sic & Beda, Scholastica ascendit in cælum sub columbæ specie, quæ fuit forma in qua descendit Spiritus S. in Iordanem vide, quomodo honorat sponsus sponsam, cur Spiritus descendit in columbæ specie? vt natura Spiritus S. declararetur. Quomodo? v.37.n.29. p.405

Accommoda scholastice. Abulensis inquirit, q.87. in c.3. Mat. Quid factum sit de columba in qua descendit Spiritus sanctus? (quæ verè columba fuit,& creata à Deo, vt tanto ministerio deseruiret secundum Tertul. lib. de carne Christi, Augustinum, lib. de agone Christiano cap.22. in tom.3. S. Thom. 3.p.q.39.art.7.) Respondet noster Tostatus: Si vero dicatur, quod illa columba fuisset à Deo nouiter creata ad istud ministerium implendum, poterat dici de ea, sicut de columba naturaliter genita, scilicet quod rediret versus cælum, vsq; quo disparet: & postea transferretur ad aliam partem terræ, vbi de ea non constaret hominibus, *sed ad quid hæc columba reseruabatur? putarem, vt in ea Scholastica in cælum ascenderet. Ecce quomodo Spiritus sanctus suam sponsam honorauit.*

Ossa Scholasticæ occulta multis seculis requieuere: at Deus ea manifestauit Aygulfo monacho montis Cassini radio quodam lucis descendente de cælo. Hoc signo acceptauit Deus Abelis sacrificium, vt scribit Cyril. Alexan. lib.2. in Genesin, & Theodocion. v.8.n.63.p.129

Fumo in cælum directo approbauit Deus hoc sacrificium: sic refert Leo Hostiensis lib.2.c.48.§.2. Deum secundo ossa nostræ sanctæ manifestasse, quæ secundo occulta fuere. Hoc signo cives cælestes admirabantur Mariam ascendentem in cælum. v.37.n.101.p.426.& 107.p.428.& 151.p.441

Eodem signo, quo Maria manifestatur angelis, ossa Scholasticæ paduntur hominibus, item hoc signo etiam Baptistæ reliquiæ repertæ sunt, sic D. Cyprianus de reuelatione capitis B. Io. Baptistæ dixisse Deum quibusdam peregrinis asserit: Ite ad palatium Herodis, qui quondam hîc fuit perfidus princeps: intrecuntes perspicite diligenter, & vbi fumum de terra ascendentem videritis, fodientes ibi caput Io. Baptistæ incunstanter inuenietis.

Ossa S. Scholasticæ, & fratris sui Benedicti simul inuenta fuere, sed ita confusa, vt dignosci non posset, quænam essent Scholasticæ quænam Benedicti. Tunc duo cadauera in conspectu illorum ponuntur. vnum puellæ, alterum pueri; applicantur ossis scholasticæ, & reuocat ad vitam non puerum, sed puellam (sic refert Tepes in suo Chronico tom.2. fol.257.) Hoc signo distincta fuerunt ossa scholasticæ ab ossibus Benedicti. Hæc virgo prudens adhuc mortua refugit pueri contactum: sic tener est virginitatis flos, vt vel tenui libidinis aura marcescat. v.17.n.171 illat. 140.per totam.p.241. sic scrupulosa est virginitas, vt nec virginum vestes maculari permittat libidinis nota. ibid.n.172.& 173

De sancto Matthia Apostolo.

Vide Matthias: *& accommoda.*

De sancto Iosepho, sanctissimę Marię sponso.

Cum esset desponsata, mater Iesu Maria, Ioseph. *Ex Matthæo cap.1. Sanctus Thomas ad c.1. Mat. expressis verbis asserit, inter Mariam, & Ioseph interuenisse verum matrimonium*

Rursus ait fuisse sacramentum: quia indiuisibilis animarum coniunctio. *Maxima excellentia B. Ioſephi, quod virtute matrimonij habuerit ſibi coniunctam ſponſæ Mariæ animam: imo ob hoc eandem animam, affectum, & voluntatem habuerunt ambo. v.1.n.29. illat.3.p.11. v.18.n.118. illat.161. per totam p.274*

Ex his plures B. Ioſephi excellentiæ deducuntur. Electus fuit vt ſol. v.1.n.29.p.11

Ioſeph habitus fuit pater Chriſti, ideo pater putatiuus dicitur. Ergo honoratus ab ipſo Chriſto: nam filij tenentur honorare parentes. v.1.n.41. & ſequentibus. illat.5.p.15

Chriſtus dum habitus fuit vt filius B. Ioſephi, tenebatur mores eius imitari (tantus erat Ioſephus!) ne adulterinus haberetur: nam filius mores paternos non imitans adulterinus reputatur. v.1.n.46. illat.6. per totam p.16

Tantus erat Ioſeph, vt poſſet putare Chriſtus (ſi vt homo ſolum diſcurreret) id ſibi licere, quod à Ioſepho fieri videret. v.14.n.90. illat.84. per totam. p.151

Ioſeph autem cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere voluit, occultè dimittere eã. *Et cur voluit, dimittere Mariam? quia prægnantem vidit, & cauſam ignorabat. Conſiderabat caſtiſſimus ſponſus ſponſam ſuam calo purioremesse: ex alio capite matrem eam videbat: venerans ergo ſponſam voluit occulte eam dimittere, velut ſe indignum putans tali conſorte, & quid mirum, quod Ioſeph Mariam reuereretur iuſtus cum eſſet, cum etiam ab ſceleſtis fuerit venerata v.1.n.39.p.14. v.8.n.64.p.130*

Ioſeph autem cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere. &c. *Videbat Ioſeph ſponſam prægnantem, & noluit eam traducere; potius iudicans myſterium eſſe, quam crimen. Videbat maternitatis ſigna, ſed puritatem Mariæ defendebat, erat iuſtus, & ideo viſui non credidit, ſed pudicitiæ Mariæ. Nam humanus viſus falſitati eſt obnoxius. v.2.n.39.p.48. v.20.n.48.p.324*

In annunciatione B. Mariæ Virg.

Miſſus eſt Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem, &c. *Ex Luca c.1. Virgo eligitur, vt mater Dei ſit: quia virginitas ſummopere attrahit Deum. v.5. num.176. illat.64. per totam. p.113*

Ad Virginem, &c. *quia ſine virginitate Maria Dei mater non eſſet.* *ibid.n.180*

Ad Virginem. *Quia virginitas aufert diuinum cor.* *ibid.n.181.p.114*

Ad Virginem. *Quia in Maria nulla maior excellentia poſt maternitatem Dei, quam virginitas. v.5.n.170.p.111*

Ad Virginem. *Quia ex matre virgine quid diuinum habuit Filius Dei. Quo ſenſu?* *ibid.*

Ad Virginem. *Quia Mariæ virginitas noſtra redemptioni deſeruit. Quomodo?* *ibid.*

Ad Virginem. *Quia maternitas, & virginitas in Maria inſeparabiles.* *v.18.n.67.p.262*

Ad Virginem. *Quia Maria eſt ipſa virginitas, aut perſona virginitatis. Quo ſenſu? v.30.n.95 p.369*

Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, &c. *Et cur dicitur, quod virgo fuerit deſponſata viro? quia futura erat mater Filij Dei: vt exinde conſtet, Virginem ad tantam dignitatem euectam non eſſe Deum, ſic Athanaſius epiſtola ad Epictetum:* Gabriel porro ad illam legatur, neque ſimpliciter ad quamuis Virginem, ſed ad Virginem deſponſatam viro, vt ex ſponſo oſtenderet, Mariam verè hominem eſſe. *Eximia Deiparæ dignitas expenditur. v.37.n.112. illat.260. per totam. p.429. & ibi p.426. intentum propoſitum probatur.*

Aue gratia plena Dominus tecum. *Inaudita vſque tunc fuit hæc ſalutatio apud homines. v.37. n.134.p.436. Maria, quia mater Dei, ſecum habuit Spiritum ſanctum.* *v.30.n.73.p.362*

Quæ cum audiſſet turbata eſt. *Et cur turbatur Maria? quia angelum vidit in iuuenis ſpecie: vel ſi non vidit; quia hominis audiuit vocem. v.35.n.34.p.386*

Item, quia fuga a conſpectu hominum eſt virginitatis cuſtodia. v.35.n.31. illat.233. per totam. p.385

Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c. *Annuntiat angelus Mariæ eximiam dignitatem matris Dei, ex hac laudes Mariæ inchoandæ ſunt. v.37.n.112.p.429*

Propter hanc dignitatem Mariæ Chriſtus eſt debitor, ſecus æterni Patris propter filiationem æternam. Quomodo. *v.30.n.117.p.376*

Tanta eſt dignitas matris Dei, vt cui Chriſtus matrem commendauit, poſſit ſuam diuinitatem explicandam committere. *ibid.n.118*

Tanti ſuam matrem fecit, vt ceſſerit prædicari Deus, vt Mariæ haberetur. *ibid.n.119*

Imo ob hoc opprobria, & mortem ſuſtulit. *ibid. n.120*

Pluris æſtimauit Chriſtus matri præbere ſolatium, quam ſibimet afferre ſolamen. *ibid. num.121. p.377*

Violentum fuit Chriſto à Maria ſeparari, tametſi Pater æternus eum ſuſcipiat. v.37.n.122. pag. 433

Chriſtus ſimul cum matre maiorem, quam cum ſolus exiſtit, exigit reuerentiam. *ibid.n.123*

Maria coronauit Chriſtum, quando eum genuit. *ibid.n.124*

Eſtimo tanto a ſu ſantiſſima Madre, que la eſtimo ſobre ſus ojos. *ibid.& n.125.p.434*

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? *Non dubitauit Maria, ſed qualitatem myſterij quæſiuit: quia honor ſubitaneus ſolet eſſe ſuſpectus. v.2.num.30. illat.22. per totam. pag.42*

Quomodo fiet iſtud, &c. *Quia ſine virginitate Maria Dei mater non eſſet. verſ.5. num.180. p.114*

Quomodo fiet iſtud. *Virginitas ſcrupuloſa eſt: nam ſeipſam timet Virgo.* *v.35.n.34.& 35. pag.386*

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. *Sine virginitatis præiudicio Maria dignitatem matris Dei admiſit. Chryſoſtomus homil.46. ſuper Geneſ.* Atqui propter hoc ipſum fiet, quoniam virum non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum, non fuiſſes habita digna, vt huic myſterio ſeruires. *Vide, quæ diximus de virginitate in principio huius concionis.*

Ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur

bitur Filius Dei. *Dixerat supra Gabriel:* Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. *Et cur magnus dicitur; & sanctus Filius Dei, cùm sit homo? Quia Christus, vt Filius Mariæ creuisse videtur in celsitudine, & sanctitate. v.37.n.127.illat.262.per totam, p.434.*

Item, qua Mariæ Filius Christus sanctus, ibid. n.131.& 132.p.435

Ecce Ancilla Domini, *&c. Et cur Mater Christi Regina Cœli dicitur Ancilla? ex gratitudine tanti beneficij, v.14.n.138.p.163*

Ecce Ancilla Domini. *Maria in summa dignitate summè humilis, v.17.n.56.p.212*

Fiat mihi secundùm verbum tuum. *Præstat Maria suum consensum, alias non fieret incarnatio Verbi, v.37.n.117.p.431.*

Fiat mihi secundùm verbum tuum. *Suum consensum præbet Maria; & tamen hæc verba orantis sunt, quasi diceret: O, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum! vt oratione perficeretur mysterium incarnationis, vers.29.n.22. pagina 347.*

In Festo S. Marci Euangelistæ.

Vide supra sermonem de Litaniis in sermonibus de tempore.

In Festo sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi.

Vide indicem rerum. Verbo, Philippus, *&* Iacobus Alphæus.

De S. Secundo Martyre, & primo Episcopo Abulensi.

Ego sum vitis vera, vos palmites. *Ex Ioanne, cap.15. Sanctus Secundus Beati Iacobi Zebedæi Discipulus ab ipsoque baptizatus conijcitur Abulæ natus; secutus Magistrum post eius passionem venit Romam; inde à Petro, & Paulo missus in Hispaniam Abulæ Euangelium prædicauit, plantauit Ecclesiam Abulensem, & sanguine suo riganit. Vere vitis vera, quæ fœcundissimos palmites produxit sanctos Vincentium, Sabinam, & Christetam, & illam nunquam satis pro meritis celebratam Theresiam Iesu. Item venerabilem, & doctissimum virum Alphonsum Tostatum, & alios innumeros huius vitis Secundi palmites. Secundus nomine, sed primus in hac diœcesi. Exinde eius laudes intonandæ sunt: nam honorifico plausu dignus est, à quo aliqua res sumpsit exordium, v.5.n.134.p.102. & vers.14.n.61.illat.79. per totam, pag.144.*

Ego sum vitis vera. *S. Thomas, ibid.* Est ergo vitis vera secundùm quod est Caput Ecclesiæ. *Quæ verba licet de Christo Domino dicta sint; Beato Secundo accommodantur, qui Fidem Christi plantauit in hac Diœcesi. Hinc Secundus sine primo, & sine secundo fuit: nam qui rem aliquam incœpit, non est cum cæteris computandus, v.18.n.169.p.285.*

Item, quia, qui rem aliquam incœpit, solus videtur, tametsi alij sequantur, v.20.n.53.p.324.

Ego sum vitis vera. *Sanctus Secundus etiam dicitur vitis vera; quia sicut vitis tota se tradidit palmitibus, sic beatus Secundus. Hugo Cardinalis ibidem:* Secunda ratio, quare dicitur vitis est abundantia suæ liberalitatis. Vitis enim totum dat palmiti, & nihil ab eo recipit: sic Christus dat nobis gratiæ humorem, & nihil recipit à nobis. *Sic B. Secundus dedit nobis gratiam Euangelij, & nihil recepit à nobis: nam eximius Præsul debet esse sicut Sol, qui in omnia influens in seipsum non influit, v.1.n.73.illat.2.p.24.per totam.*

Item, quia non sibi, sed ouibus consulebat, vers.2. n.57.per totam, p.49.

Item, quia Præsulis manus munerum maculis sordescere non debent, v.5.num.23.illat.40.per totam, pag.75.

Vitis vera. *Quia B. Secundus dispendio vitæ suæ influebat in suos palmites, docendo, consolando, confortando, &c. Sic bonus Pastor ouium commodis debet consulere, v.14.n.50.illat.77. per totam, p.141. & ibid.n.203.p.180.*

Ego sum vita vera. *Quia B. Secundus totus erat ouibus: liberalitas enim Pastoris Ecclesiastici est stemma, v.18.n.42.p.256. & v.29.n.7. illat.207.per totam, p.344.*

Reliquiæ B. Secundi in Ecclesia Abulensi honorificè in suo asseruantur: In quo eximius amor nostri Patroni clarè nitet: Voluit, quod nos semper in eius conspectu essemus, vt exinde vberrimos fructus ab hac vite perciperemus: namcum Præsul suos videt, multa commoda sequuntur, v.19. n.7.illat.207.per totam, p.344.

Reliquiæ B. Secundi sunt pretiosissimus thesaurus Ecclesiæ Abulensis. In exitu Israël de Ægypto: Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum. *Exod.13.num.19. Non tulit aurum, argentum, gemmas, &c. Hæc alij Hebræi tulerunt: at Moyses ossibus Ioseph contentus maximum asportabat thesaurum: quia Ioseph in illa regione pater Hebræorum fuit, & plantauit illic familias Israël. Hoc confirmat Ambrosius in exhortatione ad virgines de Martyrum reliquiis inuentis.* Condant alij aurum, & argentum, ac de latentibus eruant venis: legant pretiosa monilium sexta: temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus Martyrum clauos, & multos quidem; & plura fuerunt vulnera, quàm membra, *&c.* Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis membra. *B. Secundi reliquiæ translatæ fuerunt à DD. Hieronymo Manriquez de Lara Episcopo Abulensi, & generali Inquisitore in Ecclesiam Matricem, quæ ciuitatis Abulensis est azylum, & arx, vt eam defenderet, & nobiles ciues ad perpetuam excitarent gratitudinem. Mortuus est Ioseph;* Et conditus aromatibus repositus est in loculo ih Ægypto. *Gen.50.n.25. Mortuus etiam fuit Iacob in Ægypto:* Et portantes eum in terram Chanaam, sepelierunt eum, *&c. Genes.50.n.13. Et cur ossa Ioseph fuerunt sepulta in Ægypto? Lyra, ibidem.* Vna de causis, quare ossa Ioseph remanserunt in Ægypto fuit, vt per eius sepulchrum memoria beneficiorum eius apud Ægyptios diutius maneret, & sic populus Israël mitius tractaretur. *Ad defensionem, & gratitudinem Hebræorum ossa Ioseph remanserunt in Ægypto: ad idem ossa beati Se-*

cundi in Ecclesia Matrice, & Arce Abulensi.

In Inuentione S. Crucis.

Vide plura de cruce in indice rerum: verbo: Crux.

In Natiuit. B. Ioannis Baptistæ.

Vide: Ioannes Baptista.

In Festo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.

Quem dicunt homines, esse filium hominis. *Ex Matth. cap. 16. Variant homines in cognoscendo Christum. Iudicium humanum falsitati est obnoxium, vers. 2. n. 37. illat. 23. per totam, pag. 44. & v. 20. n. 44. illat. 195. per totam, pag. 323*

Hinc, non est temerè proferendum iudicium, v. 20. n. 47. ibid.

De beato Petro vide plura: verbo, Petrus: *& accommoda. Item de beato Paulo. Verbo,* Paulus.

In Visitatione B. Mariæ Virginis.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. *Ex Luca, cap. 1. Vix Maria Filium Dei concepit cum abiit in domum Zachariæ ad salutandam Elizabeth. Sed ad quid hæc salutatio cum tanta festinatione? Vt sanctificaret Ioannem, & Elizabetham repleretur Spiritu sancto. Hic expende propensionem beneficam Mariæ: Vide supra sermonem in Purificatione Mariæ, vbi plura de Mariæ patrocinio, & beneficentia.*

Et exultauit infans in vtero eius. *Exultatio hæc sanctificatio fuit à peccato originali, in quo Ioannes fuerat conceptus: quia vbi Maria adest, fugit peccatum originale, v. 30. n. 105. p. 372.*

Vide plura de conceptione Mariæ. Verbo: Maria.

Benedicta tu inter mulieres: *Quia Mater Dei. Eximia dignitas Deiparæ expenditur, v. 37. n. 111. & , per totam.*

Magnificat anima mea Dominum. *Et quomodo Maria Deum magnificare potuit? Quia Christus, qua Mariæ Filius creuisse videtur in celsitudine, & sanctitate, v. 37. n. 127. illat. 262. per totam, p. 434.*

De S. Maria Magdalena.

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. *Ex Luca, cap. 7. Ad quid cum Magdalena sancta est, peccatorum eius fit recordatio? Quia ad eximiam sanctitatem euecta: infelicitatis præteritæ fit mentio, cum sancta est; vt doceamur, quod ad vincendam felicitatem prodest infelicitatis præteritæ memoria, v. 20. n. 4. illat. 189. per totam, pag. 315.*

Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. *Non est dedecus Magdalenæ fuisse peccatricem, cùm est exemplum pœnitentiæ; imò totum hoc eam maxime extollit: quia Deus solet magis honorare pœnitentes, quam innocentes, v. 14. numero 66. illatione 80. per totam, pagina 145.*

Quæ erat. *Magdalena non est, quod erat, sed quod est, nempe à Christo dilecta, ab Angelis honorata, &c. Quia per pœnitentiam sic altera est, vt vix videatur illa quæ fuit, v. 19. n. 35. p. 295.*

Vide plura verbo, Magdalena.

De S. Iacobo Zebedæi.

Vide concionem feriæ 4. Dominicæ secundæ Quadragesimæ.

Vide plura de hoc Apostolo verbo: Iacobus Zebedæi.

De S. Anna Matre B. V. Mariæ.

Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito, *&c. Ex Matth. c. 13. Hic thesaurus est B. Anna abscondita, quia sterilis fuit & postea fœcunda: nam infelicitas viam sternit felicitati, v. 8. n. 55. illat. 72. per totam, p. 127.*

Infelicitas sterilitatis Annæ via fuit ad felicitatem habendi tantam prolem. Damasc. orat. 1. de natiuitate Virg. Intelligit de S. Anna verba illa Isaiæ, c. 54. n. 1. Lauda sterilis, quæ non paris, *&c. dicens:* Lætare Anna sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: Quoniam ex filia tua filius natus est nobis, & vocatur nomen eius magni consilij, hoc est, salutis totius mundi Angelus. *Ad lætitiam vocatur Anna, quia sterilis: nam sterilitas pignus fuit tantæ prolis.*

Magna patientia S. Anna sustulit sterilitatis opprobria. An patientia Annæ ex charitate erga Deum; vel charitas ex patientia dimanauit? Nam patientiæ & charitatis mutua est correspondentia, v. 17. n. 34. p. 207.

Per patientiam meruit habere Margaritam Mariam: quia patientia fabricatur corona beatitudinis, ibid. n. 38. & n. 62. & 63. p. 213.

Patientia vberrimos fructus confert, v. 17. n. 59. illat. 123. per totam, p. 213. Vide, Patientia.

Sterilitas Annæ negociauit tantam fœcunditatem. Terra autem erat inanis & vacua. *Gen. 1. n. 2. Postea fuit fœcundissima:* Et protulit terra herbam virentem, *ibid. n. 12. Vide quomodo ex terræ sterilitate orta est fœcunditas. Ad rem S. Anton. Florēt. tom. 2. Bibl. virg. c. 4. de concep. Mariæ, §. 2.* Terra conuenienter significat Annam. . . . Terra autem erat inanis, & vacua: quia Anna erat sterilis, & infœcunda, vt maius inde appareret miraculum, & magnificentia ex fœcunditate sibi collata.

Sacra fuit sterilis, etiam Anna Samuëlis mater: quia Annam nostram obumbrabant, vt huius fœcunditas crederetur ex sterilitate. Ob hoc asserit Tertull. lib. 3. contra Marc. c. 18. Tot Crucis præcessisse figuras, ne tantum mysterium videretur incredibile.

Sterilitas Annæ, cui successit fœcunditas sibi, nobis, & Deo profuit: quia tantam filiam habet, quæ omnium est patrocinium. Vide serm. de Purific. Mariæ. Item Deo proficua. v. 30. n. 96. ill. 223. p. 369

Thesauro abscondito: *Pretiosissimus thesaurus est Anna: nam nequit intelligi absque Maria, & Christo. Damasc. orat. de natiuit. virg.* Saluto te, Maria, dulcissimum Annæ pignus. *Et cur*

non dixit : salue te, Mater Dei ? Quia dicens, Mariam esse Annæ pignus, explicuit Mariam esse Matrem Dei: quia inter Annam, Mariam, & Christũ est maxima connexio. Idem Damasc. ibid. Omnis creatura vna epuletur, ac sacræ Annæ sacerrimum Rationale laudibus prosequatur. *Anna dicitur Rationale sacerrimum. Rationale significauit Christum, & Mariam, v.30.n.69.p.369*

Item Rationale habebat Stellam, & adamantem, quæ Mariam significabant, v.30.n.69.ibid.

Omnia inseparabilia erant à Rationali. Ergo quisquis videret Rationale, videret etiam Stellam, adamantem, & summum Sacerdotem. Ergo similiter, qui Annam contemplatur, quæ Rationale sacerrimum est, contemplatur Mariam Stellam Iacobi, & gemmam, & Christum summum Sacerdotem.

In Festo Transfig. Domini

Vide sermonem Dominica 2. Quadragesimæ.

In Assumpt. B. Mariæ Virginis.

Intrauit Iesus in quoddam Castellæ, *&c Allegoricè hæc verba intelliguntur de ingressu Iesu Christi in sacratissimum vterum Mariæ semper Virginis. Sed ad quid huius ingressus fit mentio; quando Maria ascendit in Cœrum ? Vt intelligamus quanta sit Mariæ gloria ; tanta est qualem decebat, habere, quæ Deum genuit. Vide plura de celsitudine gloriæ Mariæ, v.37.à n.147. ad num.154.p.439*

De S. Bernardo.

Vos estis sal terræ : vos estis lux mundi. *Ex Matth.c.5. Chrysost. homil.15. in Matth.* Vos estis sal terræ : per quod ostenditur, quam necessario illa præcipiat. Non enim pro vestra tantummodo salute, sed pro vniuerso orbe vobis certamen erit. *Præsul cum bono publico, & non sibi consulit, dignus est prelatura, v.10.n.32. illat.194. per totam, p.321.*

Quidquid Bernadus operatus est propter bonum publicum fecit: applica eius vitam.

Bernardus orabat ante Christum crucifixum tenerè plorans : Christus crucem dimittens amplexatus est Bernardum. Propter Iudæos promittentes ei credere si descenderet de cruce, eam non dimisit : Matth.27.n.42. Propter Bernardum vt illum consolaretur, dimisit crucem pluris habens Bernardi solamen, quàm populi infidelis fidem. Exod.34.n.30. Glorioſus, & resplendens in facie descendit Moyses de monte. Rabbi Salomon apud Abulens. ibid. q.25. putauit : Ideo factum hoc fuisse ; quia Dominus posuit manum suam super oculos eius : & ex eo contactu facies eius resplenduit. *Chrysolog. serm.166. hunc splendorem describens ait :* Vt totius diuinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc in nostri corporis obscuro toto fulgeret lumine Deitatis. *Quid in nostro casu non acciperet Bernardus, quem non tantum manus Domini tetigit in facie, sed totus Dominus amplexatus est ?*

Ex his amplexibus Bernardus victor extitit : nam Dei propinquitas prævalere facit hominem contra Deum, v.18.n.97. & 98.p.269.

In his amplexibus Bernardus præfertur Magdalenæ. Audierat hæc : Noli me tangere. *Ioan.20. & Bernardum amplexatur à Christo. Christus crucem propter Bernardum dimisit ; imo non dimisit : nam in Bernardo crucem inuenit ; quia secutus Christum portabat crucem. Hic plura de pœnitentia, & mortificatione nostri Sancti. Item in eo crucem inuenit Christus : quia Bernardus adunauit Ecclesiam schismatibus diuisam : adunare enim effectus crucis est, iuxta illud : ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.*

Ex his amplexibus Bernardus videtur Christus ; & Christus videtur Bernardus. Expende Bernardum lactatum à B. Virgine Maria. Christo dictum fuit : Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. *Luc.11.n.29. Sed quid venter cum vberibus ? Glossa & Hugo Cardinalis.* Quia ex eodem fonte procedit semen ad gignendos pueros, & lac ad nutriendos : id est, ex carne Matris. *Guillelm. Cant.4.n.5.* Sicut non decebat Matrem Verbi etiam alios parere, ita nec Matrem Verbi aliis sacra illa vbera admouere. Proinde sicut materna viscera sibi sanctificarer, quibus vnicus portaretur : sic etiam sibi sanctificauit vbera, quibus vnicus aleretur : ideo dictum est : beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. *Et tamen Bernardus horum vberum gustauit dulcedinem. Ergo videtur Christus ; aut Christus videtur Bernardus.*

De S. Bartholomæo Apostolo.

Vide : Bartholomæus.

De S. Augustino Ecclesiæ Doctore.

Vos estis sal terræ : vos estis lux mũdi. *Matt.5. Augustinus lucens intellectu, & ardens voluntate munus adimpleuit Doctoris eximij, v.5. num.46. 47. & 49.p.81. & 82.v.16.num.6. illat.104. per totam, p.182*

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. *Augustinus fugiebat dignitates : quæritur tamen à S. Valerio, & alijs Episcopis, vt acciperet Episcopatum Hipponensem : Nam honores insectantur fugientes ; & fugiunt insectantes, v.1.n.63. illat.9. per totam, p.20.*

Ex humilitate recusabat Augustinus Episcopatum ; ex humilitate etiam acceptauit illum, quia ab Episcopis Aphricæ iubebatur. Magna res ? Moyses, Exod.3.n.11. ex humilitate recusabat Ducatum populi : Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem ? *Exod.4.n.10.* Obsecro, Domine non sum eloquens. *Tandem, quia Deus illi iussit, acceptauit. Greg. 1.p. Pastor.c.7. hæc expendens ait :* Moyses vtrumque miro opere expleuit : qui præesse tantæ multitudini, & noluit, & obediuit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet : & rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret. Vtrobique ergo humilis ; vtrobique subiectus. *Accommoda.*

Si sal euanuerit, in quo salietur ? *His verbis ostensis*

oſtenſit Chriſtus, quam difficile ſit, Doctorem errantem in viam veritatis reducere. Difficillimum eſt, convincere Doctorem ſuæ falſitatis: at eximius Doctor Auguſtinus non ſic: ipſe retractauit ſententias, in quibus viſum ſibi fuit errasſe, ſcribens libros Retractationum. Nam qui videt, errasſe, æquum eſt, vt deſiſtat ab incœptis, v.16.n.59.illat.112.per totam, p.192.

Hoc eſt maximum quod ſic Doctoris. Prædixerat Ionas ſubuerſionem Niniuis: egerunt Niniuitæ pœnitentiam, & Deus indulſit illis: Et afflictus eſt Ionas afflictione magna. *Ionas 4.n. 1. Et loquitur ad Deum:* Et nunc, Domine, tolle quæſo animam meam à me: quia melior eſt mihi mors, quàm vita. *Et cur ſic affligitur Propheta? Quia quod dixerat caſſum videt. Subierat munus Doctoris, & ſenſit amare, quod dixerat notaretur falſitatis, vt explicat Baſilius Seleucus orat.12.* Et ego falſificus æſtimabor. *Non ſic Auguſtinus, qui multas retractauit ſententias. Expende.*

Item, libros confeſſionum ſuarum ſcripſit, ſua peccata pandens, vt diuinam miſericordiam extolleret: ſic diuino æſtuabat amore, vt gloriam Dei quæreret propriæ opinionis diſpendio. Dauid hoc fecit, ſed in genere dicebat Pſal.50. Tibi ſoli peccaui. Paul.1.ad Cor.15.n 9 Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. *Sed non tanta ſpecialitate peccata ſua explicuit ſicut Auguſtinus, de quo ait. Thom. Villan. concione* 2. Vix iſte licet magnus in virtutibus ſuis, certè mihi ſublimis etiam apparet in peccatis ſuis. *Quid plura?*

In Natiuiate B. Mariæ Virginis.

De qua natus eſt Ieſus, *&c. Et cur quando Eccleſia celebrat Mariæ natiuitatem fit mentio, quod ex ea natus eſt Ieſus? Quid natiuitas Chriſti cum natiuitate Mariæ? Vt conſtet, quod quando Maria naſcitur, videtur iam naſci Chriſtum: tanta eſt inter vtrumque connexio. v.37.à n.104.vſque ad num.108.p.427.*

De qua natus eſt Ieſus. *S. Thom. ibid.* Non dixit Deus, ſed Ieſus, quod eſt nomen hominis. *Voluit Chriſtus exprimere eſſe Mariæ Filium: & vt Mariæ Filius haberetur, ceſſit, prædicari Deus, verſ.37.n.119.& 120.p.432.*

Item quia ſuperfluum eſſet dicere, de qua natus eſt: quia à Maria nonniſi Deus naſci poterat. ibid. n.131.& 132.p.435.

Vide plurima verbo: Maria: *& elige.*

In Exaltatione S. Crucis.

Vide: Crux.

De S. Matthæo Apoſtolo.

Vide: Matthæus.

De S. Franciſco.

Confiteor tibi Pater, Domine, cœli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. *Matth.11. Magnus eſt Franciſcus coram Deo; quia coram ſe abiectiſſimus: nam abiectio gradus eſt, aſcenſus, v.14.n.84.& 85.& 87.& 87.p.150.*

Humana natura Angelicæ præfertur; quia humillima inter creaturas intellectuales, v.35.n.67. p.393

Et reuelaſti ea paruulis. *Nam humilitas magnes eſt beneficiorum Dei, v.35.n.66.illat.260. per totam.p.392.*

Abſcondiſti ſapientibus. *Id eſt, huius ſæculi, qui non ſunt verè ſapientes: nam ſtultus eſt, qui malè viuit, etiamſi ſapientiſſimus ſit, v.16.n.6.p.182*

Sapientia, & bonitas res magna: ſapientia ſine bonitate falſitas, v.30.n.42.illat.212. per totam. p.355

Abſcondiſti ſapientibus. *Et cur ſapientibus, hæc abſconduntur: Quia ſapientia horum non eſt ſapientia, ſed calliditas, vel dolus, v.30.n.59.& 60.& 61.p.359.& 360.*

Item, quia ſapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, ibid.n.62

Et reuelaſti ea paruulis. *Franciſcus fuit humillimus; ideo à Deo efficitur maximo honore: in quodam Capitulo generali in ciuitate Abulenſi celebrato prædicans S. Antonius Paduenſis, apparuit S. Franciſcus ſupra titulum Chriſti crucifixi benedicens filios ſuos. Hic (liceat ſic loqui) Chriſtus eleuauit Franciſcum propter eius eximiam humilitatem ſupra caput ſuum. Sic Deus honorat humiles, vt ponat ſupra ſuum caput, v.14.n.86.& 87.& 88.p.150.& 151.*

Et reuelaſti ea paruulis. *Hic expende ſingulariſſimum honorem, quo inſigniuit Chriſtus ſeruum ſuum Franciſcum, imprimens in eo ſtigmata ſuæ paſſionis. Vbi nota, Franciſcum ſolum accepiſſe ſtigmata, quæ Chriſtus recepit in cruce, non vero vulnera flagellorum, & ſpinarum. Cum illis, & non cum iſtis reſurrexit Chriſtus, vt gloriam reſurrectionis illuſtraret, v.5.n.146 p.106. Quia in cruce illa recepit; vt honoraret magis ſuum ſeruum.*

Item, in ſtigmatibus recepit Franciſcus ſigillum SS. Trinitatis: quia vulnera crucis recepit, v.47.n.22.p.403.

Æquum enim erat, vt Fraranciſcus, qui crucem tanto ardore portabat, crucis ſtemmatibus honorararetur.

Franciſcus imago eſt Chriſti: quia vulnera eius habet. Vide: Crux, *& accommoda.*

De S. Matre Thereſia.

Simile eſt Regnum Cœlorum decem virginibus. *Magna excellentia eſt virginitas, eius patria cœlum eſt, cognata eſt Angelis. Vide:* Virginitas.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. *Thereſia virgo prudentiſſima, mater virginum virginum: in quo ſimilis videtur Chriſto, qui familiam virginum inſtituit in terris, vt in eis haberet Angelos, v.5.n.167. p.111.*

Virginitas Thereſiæ cor à Chriſto abſtulit; ideo Dominus Seraphinum miſit, qui telo cor Thereſiæ vulneraret, & raperet; quaſi cor Thereſiæ eſſet in Chriſto, & cor Chriſti in Thereſia: fatebatur enim ipſa à Seraphino velut rapi cor. v.5.n.181 p.114.

Clauo Chriſtus ſubarrauit Thereſiam in ſponſam.

Et cur clauo, & non cruce, aut lancea, aut corona spinea? Vt denotaret, quod clauis affixus fuit firmiter cruci; sic etiam cordi Theresiæ, quam sponsam declarabat: Quasi vnum esset cor vtriusque Sponsus namque & sponsa vnum cor, vnam vitam, vnum affectum, v.17.n.174. p.241. & v.18.n.118 illat.261. per totam, p.275.

Theresia Iesu *dicta: vt denotaret, totam esse Christi: nam impositio nominis dominium testatur, v.18.n.136.p.277.*

Cùm Eucharistiam acciperet in Dominica Palmarum, visum fuit Theresiæ os & palatum madefieri sanguine Christi, ac si tunc Dominus illum funderet: Theresia tunc magno gaudio superfusa est, cui Christus dixit, filia, ego sanguinem fudi magnis doloribus; tu autem illo fruere magna lætitia. Tanto ardore erga Theresiam flagrabat Christus, vt propter eam, si opus esset, iterum sanguinem funderet, vers.20.n.96. p.334

Item, speciali modo Christus fuit Theresiæ, quàm alijs quia Theresia virgo cibus etiam Christi latentis in Eucharistia, v.17.n.179.p.242.

Theresiæ singularissimum encomium, quod virgo cum sit mater fuerit filiorum, & filiarum. Item, docere permissa est. Et quid non singulare in ea, cum virgo fuerit prudentissima?

Beata Virgo Maria ei apparuit, & allocuta est eam, cum monialium Incarnationis Abulæ curam accipiebat. Hìc multa de Mariæ patrocinio. Vide: Maria.

De SS. Apostolis Simone, & Iuda.

Vide: Simon. *Vide:* Thadæus.

In Festo omnium Sanctorum.

Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum *Matth.c.5. Regnum Cœlorum dicitur esse pauperum, qui ipsum merebantur, non quia iam haberent: & etiam Beati appellantur: quia felicitas merendi maior est, quàm felicitas consequendi, v.1.n.28.illat.3. per totam, p.10.*

Beati pauperes, *&c. Agitur de præmio meritorum, & ideo dicuntur beati, quia consequi quod meretur est completa felicitas, v.37.num.57. illat.413. per totam, p.413.*

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. *Terræ possessio promittitur mitibus: nam affabilitas, & mansuetudo Principis subditos redigit in voluntariam seruitutem, v.1.n.99.illat.16. per totam, p.31.*

Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. *Infelicitas viam aperit felicitati, vers.8. n.55.illat.72 per totam p.127.*

Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. *Iustitiam sitit, & qui bene operatur, etiamsi dependeat: hic dignus est imperio, v.17.n.160.p.238.*

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Hic plura de eleemosyna. Vide:* Eleemosyna.

Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. *Mundo corde sunt sancti. Et mundo corde sunt, qui non retinent aliud in corde, quam verbis explicant, vers. 30. num. 63. p.360.*

Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. *De hic Solis dicitur: quoniam filij Dei vocabuntur, quia pax est Dei hæreditas, v.17.n.152. p.236.*

Concordia non solum vnum beat sicut timor, vel sicut alia virtutes, quæ beant plures; sed totum populum beatum reddit, v.14.n.201.p.179.

Vide: Concordia.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum cælorum. *Hìc multa de patientia.*

Vide: Patientia.

Beati estis cum maledixerint vobis homines, *&c. Qui patienter tolerat iniurias, Deum habet vindicem earum, v.17.n.96.illat.128.p.223.*

Vide: Iniuriæ. & Patientia.

Gaudete: & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Nulla est difficultas; vbi adest spes præmij, v.5.n.79.illat.49.per totam, pag.88.*

Spes præmij nullis parcit laboribus, ibid.n.83. & v.19.n.113.illat.187 per totam, p.312.

Gaudete, & exultate, *&c. Quia merita non debent esse sine honore, vers.19.n.60.illat.178. per totam, p.300.*

Gaudete, & exultate, *&c. Gaudium hoc est, non quia mercedem copiosam in terris sperant, sed in cœlis: nam bona temporalia vilescunt, si cum æternis comparentur, v.5.n.85.illat.50. per totam, p.90.*

De S. Andrea Apostolo.

Vide: Andreas.

De S. Francisco Xauerio.

Sint lumbi vestri præcincti, *&c. Luc.12. Sic præcingi debet, qui Deo dedicatur, vt nec tenuem puluerem, aut subtilem aërem rerum terrenarum admittat, v.1.n.84.illat.13.per totam, p.27. & v.3.n.52.ill.37.per totam, p.63.*

Sic Xauerius se præcinxit paternam domum deserens, &c.

Sint lumbi vestri præcincti, *&c. Communiter Patres, & Doctores hìc per hoc cingulum custodiam castitatis intelligunt; & ob hoc in manibus Discipulorum desiderat Christus Lucernas ardentes, vel vt textus Græcus habet:* Lucernæ ardentes, *id est, quod sint lucernæ ardentes, vt custodiant castitatem. Sed ad quid tanta cura? Quia castitas est principium vitæ spiritualis, & omnium virtutum fundamentum, v.40.n.24. illat.276.per totam p.462.*

Quis celebrare potest Xauerij castimoniam; qui non solum vigilans castitatem custodiuit, sed dormiens. Scitum est, Xauerio in somnis turpem occurrisse cogitatum, eumque vicisse sudore sanguineo cum adhuc esset in somnis. Vigilabat vtique, cùm dormiebat. quia castorum somnium vigilia est: Casta sponsa dicebat. Cantic.5.n.2. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Puer Samuel castus erat, & in somnis vocem audiuit. 1.Regum, cap.3. Ambrosius epist.60.ad Anysium.* Semper Sanctorum somnium operatorius est: iuxta illud: Ego dormio, & cor

meum

meum vigilat. *Tantam custodiam exigit castitas!*

Expende amplius. Sudore sanguineo madefit Xauerius, eo quod in somniis ei occurrit turpis cogitatio. Et cur? Quia tanta castitate fulgebat, vt necesse fuerit, sanguinem mittere, ne Angelus putaretur. Accipe Chrysost. tom. 5. de virg. sub finem. Qua, quæso, re differebant ab Angelis Elias, Elisæus, & Ioannes veri virginitatis amatores? Nulla. Nisi quod mortali natura constabant. Nam cætera si quis diligenter inquirat: hi nihilominus affecti reperientur, quam beatæ illæ mentes. *Nam castitas Angelos facit, v. 5. n. 167. p. 111. & v. 40. n. 27. p. 463.*

Vide: Castitas. Virginitas.

Ob eximiam castitatem Xauerius præfertur ad Indiarum Apostolatum: sicut Ioseph propter eam duarum tribuum parens, & caput fuit. v. 17. n. 145. illat. 135. per totam, p. 234.

Et Lucernæ ardentes in manibus vestris. *Lucernæ ardentes in manibus perseuerantiam in operando designant. Tanto conatu Xauier munus suum prosequebatur, ac si tunc inciperet, v. 16. n. 58. illat. 114. p. 195.*

Vide: Perseuerantia.

Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, *& si forte Eucharistia festum Xaueri honoret. Castitatis & Eucharistiæ consonantia, v. 17. n. 176. illat. 141. per totam, pag. 242*

Ad suscipiendam Eucharistiam tantam puritatem habe, ac si iudicandus esses tunc, v. 3. n. 44. & 45. p. 61. & 62.

Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. *Cùm Xauier patitur in India, imago Christi crucifixi sudore sanguineo madefit in Nauarra. Pro Xauerio fecit Christus in sua imagine, quod fecerat in proprio corpore sentiens totius Ecclesiæ persecutionem, v. 5. n. 106. p. 95.*

Sic S. Profer lib. sentent. Augustini, sent. 68. & in Catena S. Thomæ ad cap. 22. Lucæ.

De immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis.

Vide: Maria, *v. 30. à n. 69. p. 361. & vers. 35. n. 72. & v. 37. à n. 91, vsque ad num. 102.*

De S. Thoma Apostolo.

Vide: Thomas.

De S. Ioanne Euangelista.

Vide: Ioannes Euangelista.

De Bulla S. Cruciatæ.

Quando Præsul Ecclesiasticus, & Princeps secularis vniuntur, nihil infaustum euenit in Regno, sed omnia prospere, v. 1. n. 17. illat. per tot. p. 7.

Rex Catholicus petit quotannis huius Bullæ concessionem; & summus Pontifex illam concedit ad debellandos Fidei hostes: hinc felicissimus progressus.

Nitidius fulgent gemmæ tiaræ, aut coronæ, cùm Pontifex, aut Rex subditorum vtilitati studens, proprio muneri satisfacit, vers. 37. num. 160. p. 444. & vers. 14. n. 54. p. 142.

Hinc Regis Catholici, & Pontificis fulgent gemmæ; illius, quia petit concessionem Bullæ ad debellandos infideles; huius quia illam concedit.

Milites huius belli sub clypeo crucis militant, ideoque cruciati dicti: quia per crucem victoria consequitur de inimicis, v. 5. n. 128. illat. 57. per totam, p. 100.

Crux defendit nos, v. 37. n. 40. p. 409.

Alia Bulla dicitur compositionis. Per illam concedit Pontifex quomodo facienda est restitutio cum ignoratur Dominus rei ablatæ. Non crescunt bona propria si aliena non restituantur. Aquæ non produxerunt reptile, & volatile vsque diem quintum: quia terra sub eis latebat velut vsurpata. Ob hoc etiam reprobauit Deus sacrificium Cain, teste Ambrosio lib. 1. de Abel, & Cain, cap. 7. Duplex culpa: vna, quod post dies obtulit. *Ecce retentio iniusta.* Altera quod non exprimis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur, & gratia. Iudas proiectis argenteis in templo recessit, laqueo se suspendit. *Matth. 27. num. 4.*

Prius restituit, quod iniustè acceperat, & retinebat. Ergo peior Iuda est in hoc, qui non restituit.

Alia est Bulla defunctorum. In hoc etiam vtriusque Principis splendet erga suos cura, & non quomodolibet, sed rara: Nam defunctorum difficulter recordamur, v. 21. n. 3. illat. 203. per totam. p. 335.

Alia Bulla est lacticiniorum. Prohibitio lactis rerum temporalium renunciationem significat. Ob hoc antiquitus ablactatio infantium festiue celebrata. Prohibuit ergo Pontifex Sacerdotibus lacticinia in Quadragesima vt exhortarentur ad vitam perfectissimam. Item eadem in hac Bulla Sacerdotibus sæcularibus concedit, vt ad cœlestia animos eleuent. Lac enim in Scriptura affectum cœlestium significat: iuxta illud Isaiæ 55. num. 1. Emitte absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac. *In prohibitione ergo, & concessione lacticiniorum intimatur Sacerdoti, vt totus sit cœlestis, v. 35. n. 26. p. 383.* *Vide* Sacerdos.

DE ORNATV ET VESTIBVS AARONIS. OPERIS PERIOKA.

SVMMI Pontificis veteris Teſtamenti ornatum, & veſtes aggredimur explicare; ſed *ad hæc exponenda* (inquit Origenes Homil. 6. in Leuiticum) *Non humani ingenij viribus nitendum eſt, ſed orationibus, & precibus ad Deum fuſis.* His obarmatus, immenſum myſteriorum pelagus tranandum ſuſcipio: ſed de his omnibus dicere, nec eorum magnitudo, nec ingenioli mei permittit tenuitas. Liceat tamen ex ingentibus campis paucos floſculos legere, & non quantum ager exuberat, ſed quantum odoratui ſufficiat, carpere. Deus igitur, qui noſtri obſequij non eſt indigus; tabernaculo, & atrio circunfuſo, & omni prope ſacra eius ſupellectili deſcripta, ad eiuſdem tabernaculi, & templi Miniſtros, & ſacrorum Antiſtites exornandos, ac ſi tanto indigeret cultu, ſpeciale adhibuit ſtudium. Nam qui primo homini, & eius vxori, non dedignatus eſt, zonas pelliceas ſuis ipſe manibus conficere; eò etiam deſcendit, vt Sacerdotibus ſuis conficiendarum veſtium rationem diſtinctè tradiderit. Primus ergo Aaronis ornatus femoralia fuerunt ex byſſo contexta: quibus talaris tunica ex eadem materia ſuccedebat; hyacinthina altera illi ſuperpoſita non ita oblonga; è cuius fimbria miro artificio pendebant mala punica totidem aureis tintinnabulis permixta. Super has Ephod, aut ſuperhumerale, materia & operis artificio longè alias veſtes ſuperans, induebat Sacerdos: nam ex auro in fila deducto contextum erat ex ſubtegmine cocci, hyacinthi, & purpuræ cum ſtamine byſſino; qui omnes colores inter ſe mira varietate diſpoſiti totum opus mirabili pulchritudine decorabant. Radiabat inſuper hic ornatus ex vtroque latere in parte ſuperiori duabus gemmis, in quibus duodecim filiorum Iacob nomina erant inciſa; ſena in dextero, & ſena in ſiniſtro iuxta ordinem natiuitatis eorum: ex vncinis deinde, qui ſub vtraque gemma latebant, verſus pectus Pontificis duæ catenulæ floribus aureis immixtæ, vt elegantia artificis cum materiæ dignitate certaret, pendebant, quibus rationale, ſeu pectorale ex eadem materia, eodemque artificio contextum ſuperhumerali adiungebatur, duodecim item gemmis coruſcans; *Sardio*, ſcilicet, *Topazio*, *Smaragdo*; *Carbunculo*, *Sapphyro*, *Iaſpide*; *Ligurio*, *Achate*, *Amethiſto*; *Chryſolito*, *Onychino*, *& Beryllo*, in quibus etiam erant inciſa eodem ordine duodecim Patriarcharum nomina. Ex inferioti parte rationalis duæ aliæ catenulæ materia, & artificio ſuperioribus æquales pendebant; quibus non minori firmitate cingulo adſtringebatur duabus vittis hyacinthinis. Aderant tandem huic ornatui in lateribus dextero, & ſiniſtro, vel

Origenes.

tenui lamina vtrimque extensa; vel filis aureis scripta hæc nomina, *Vrim*, & *Thummim*, id est, *doctrina*, & *veritas*. Paulò inferiùs cingebatur balteo opere Phrygionico ex relatis coloribus variegato. Duplici tiara caput ornabatur; altera ex byssо, hyacinthina altera: ex hac, quæ illi erat superposita lamina aurea Dei sanctitate, & nomine inscripta pendebat imminens fronti Pontificis. Hoc ornatu, & his vestibus venerabilis apparebat Aaron. De his præsens nobis est institutum.

Ornatus Aaronis allegorica significatio.

Philonis sententia.

PHilo Hebræus lib. 3. de vita Moysis disertis verbis asserit, totum amictum Pontificis, totius mundi imaginem referre, & partes, singularum partium. Incipiensque à tunica talari (quam totam putat hyacinthinam) ait, naturam aëris exprimere. Quia sicut aër nigricat, & quodammodo talaris est, à lunari orbe protensus vsque terræ terminos. Hæc tunica flores habebat, mala punica, & tintinnabula. Flores terram significant, in qua omnia florent, & germinant. Mala punica aquam denotant, dicta à fluendo iuxta Græcam etymologiam. Tintinnabula, horum elementorum concentum, & congruentiam exprimunt Nam nec terra sine aqua, nec aqua sine terra generationi sufficit. Sicut enim ima talaris tunicæ fimbria mala punica, flores, & tintinnabula sunt; sic horum significata, aqua, scilicet & terra infimam mundi regionem sunt sortita. Per duos smaragdos superhumeralis, non Solem, & Lunam, (vt alij putant) sed duo hemisphæria, quæ paria sunt, sicut hæ duæ gemmæ neutro crescente, decrescenteve, secus quàm in Luna, intelligit Philo; probatque ex ipso smaragdi colore, quem cæli similem habere aspectum putat. Vnde factum est (inquit) vt vtraque gemma sex sculperetur nominibus: quia vtrumque hemisphærium diuiso signifero circulo sex signa complectitur. Duodecim gemmæ discolores pectoralis, vel rationalis, ternæ distributæ in quatuor ordines, ipsum signiferum circulum significant. Nam & hic in quatuor partes æternis signis constantes diuiditur, atque ita horas anni conficit, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem. Nec abhorret ab hac significatione (inquit Philo) varietas colorum in gemmis, ita vt nullus ex his sit alteri similis. Nam & circuli signa suum quoque colorem efficiunt in terris, aquis, & aëre horumque accidentibus, atque etiam in animalium stirpiumque generibus omnibus. Vltimò tandem concludit his verbis. *In hunc modum ornatus Pontifex ad sacra mittitur, vt quoties ritu patrio vota facturus est pro populo, totum mundum secum introducat sub figuris, quas gestat: aërem in stola; aquam in malis punicis; terram in floribus; ignem in cocco; cælum in epomide, duobusque smaragdis referentibus totidem hemisphæria sculptura senorum signorum. Item in rationali pectus ornante quatuor ternarum gemmarum ordinibus, quod rationis cuncta dispensantis repræsentat speciem. Necessarium enim erat, vt Sacerdos supplicaturus Patri Omnipotenti, aduocatum adhiberet perfectissimum eius Filium, ad impetrandam erratorum veniam, & vberem in posterum gratiam.* Idem docuit lib. 2. de Monarchia in medio dicens: *Est & tertium huius sacræ vestis mysterium non prætereundum silentio. Nam alij Sacerdotes tantùm pro familiaribus amicis, ciuibusque solent rem diuinam facere: at Iudæorum Pontifex, non solùm pro toto humano genere, verumetiam pro naturæ partibus, terra, aqua, aëre, igne precatur, & agit gratias: quippe qui existimat mundum (vt re vera est) suam patriã, solitus supplicationibus ei reddere propitium parentem, conditoremque suum.*

Sententia D. Hieronymi, & aliorum.

Diuus Hieronymus epistola 128. ad Fabiolam, in multis Philoni consentit, dissentiens in aliis. Ait enim purpuratus Doctor, quatuor colores ornatus Pontificij ad quatuor elementa referri, ex quibus vniuersa subsistunt. Nam byssus terræ deputatur: quia ex terra gignitur: Purpura mari, quia ex eius cocheolis tingitur: Hyacinthus aëri propter coloris similitudinem: Coccus igni, & ætheri. Deinde asserit, primum indumentum lineum, terram significare; secundum hyacintinum, demonstrare aërem: & mala punica, & tintinnabula in inferioribus posita, fulgura, tonitruaque indicare; seu terræ, aquæ, & omnium elementorum inter se consonantiam. Supradicti colores auro intexti, id significare volunt, quòd vitalis calor, & diuini sensus prouidentia, vniuersa penetret. Per superhumerale, & duos lapides, vel smaragdinos, vel onychinos, qui desuper sunt, & vtrumque humerum tegunt, duo hemysphæria interpretatur; quorum aliud

ſupra terram, aliud ſub terra ſit; ſiue Solem, & Lunam, quæ deſuper rutilant. Per zonam, qua Sacerdotis pectus arctatur, & linea tunica, id eſt terra, conſtringitur, Oceanum intelligit; per Rationale in medio poſitum, terram, quæ inſtar puncti, licèt omnia in ſe habeat, tamen à cunctis vallatur elementis: per duodecim lapides, vel duodecim menſes, vel Zodiacum. Per cidarim, & vittam hyacinthinam, quæ ſuper omnia erant cœlum demonſtrari; & per laminam auream, quæ in fronte Pontificis inſcriptum nomen Dei portabat, vniuerſa, quæ ſubter ſunt, Dei arbitrio gubernari, autumat. His ergo verbis concludit Hieronymus. *Iuſtum ergo erat, ſicut ſuprà ex parte diximus, vt Pontifex Dei creaturarum omnium typum portans in veſtibus ſuis, indicaret, cuncta indigere miſericordia Dei: & cùm ſacrificaret ei, expiaretur vniuerſalis conditio, vt non pro liberis, ac parentibus, & propinquis, ſed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur.* Idem docuerat Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 11. in fine. Conſentiunt S. Thomas 1. 2. q. 102. q. 5 art. 10. Beda lib. 3. de Tabernaculo, cap. 10. Rupertus in Exodum, cap. 21. Guillielmus Durandus in ſuo Rationali, lib. 3. c. 19. Barradas tom. 2. in Euang. lib. 3. c. 50. Ribera de veſtibus ſacerdotalibus, c. 9. Pineda lib. 2. Monarchiæ Eccleſiaſticæ, c. 25. §. 3. Martinus Stephanus in compendio Salomonis, c. 37. Quibus omnibus adde Origenem Homil. 13. in Exodum.

Ioſephus. S. Thomas. Beda. Rupertus. Durandus. Barrad. Ribera. Pineda. Martin. Stephanus. Origenes.

Hæc doctrina robur ſibi vendicat ex illo Sapientiæ 18. num. 24. Vbi de ſummo Sacerdote loquens ait: *In veſte poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat.* Vbi Gloſſa ordinaria, & Lyranus; Menochius, & Tirinus in Biblia Magna ad præfata verba, per veſtem poderis totum Pontificis ornatum intelligunt per ſynecdochem, in quo totus terrarum orbis erat adumbratus. Qui Auctores fere eiſdem verbis, ac Philo, & Hieronymus veſtes Pontificis explicarunt, hæc verba exponunt.

Sap. 18. n. 24.

Gloſſa Ord. Lyran. Menochius. Tirinus.

Textus Sacer Capitis xxviij. Exodi.

1. *APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, vt Sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.*
2. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.*
3. *Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.*
4. *Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, & cidarim, & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt Sacerdotio fungantur mihi.*
5. *Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum.*
6. *Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, retorta, opere polymito.*
7. *Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant.*
8. *Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta.*
9. *Sumeſque duos lapides Onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël.*
10. *Sex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero iuxta ordinem natiuitatis eorum.*
11. *Opere ſculptoris, & cælatura gemmarij, ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël, incluſos auro, atque circundatos.*
12. *Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis memoriale filiis Iſraël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem.*
13. *Facies & vncinos ex auro.*
14. *Et duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi inuicem cohærentes, quas inſeres vncinis.*

15. *Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis; ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.*
16. *Quadrangulum erit & duplex: menſuræ palmi habebit tam in longitudine, quàm in latitudine.*
17. *Poneſque in eo quatuor ordines lapidum. In primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus.*
18. *In ſecundo Carbunculus, & ſapphirus, & Iaſpis.*
19. *In tertio ligurius, achates, & amethyſtus.*
20. *In quarto chryſolitus, onichynus, & berillus: incluſi auro erunt per ordines ſuos.*
21. *Habebuntque nomina filiorum Iſraël: duodecim nominibus cælabuntur, ſingulæ lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus.*
22. *Facies in Rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo.*
23. *Et duos annulos aureos, quos pones in vtraque Rationalis ſummitate.*
24. *Catenaſque aureas iunges annulis, qui ſunt in marginibus eius.*
25. *Et ipſarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis, quod Rationale reſpicit.*
26. *Facies & duos annulos aureos, quos pones in ſummitatibus Rationalis, in oris, quæ è regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciunt.*
27. *Necnon & alios duos annulos aureos, qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali.*
28. *Et ſtringatur Rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina: vt maneat iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem Rationale, & ſuperhumerale nequeant ſeparari.*
29. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in Rationali iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram domino in æternum.*
30. *Pones autem in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & geſtabit iudicium filiorum Iſraël in pectore ſuo in conſpectu Domini ſemper.*
31. *Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam.*
32. *In cuius medio ſuprà erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facilè rumpatur.*
33. *Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ, per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.*
34. *Ita vt tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum: rurſumque tintinnabulum alind aureum, & malum punicum.*
35. *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur.*
36. *Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cælatoris, ſanctum Domino.*
37. *Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram.*
38. *Imminens fronti Pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & ſanctificauerunt filij Iſraël in cunctis muneribus & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte eius, vt placatus ſit eis Dominus.*
39. *Stringeſque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarij.*
40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & decorem.*
41. *Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, vt Sacerdotio fungantur mihi.*
42. *Facies & fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ à renibus vſque ad femora.*
43. *Et vtentur eis Aaron, & filij eius quando ingredientur tabernaculum teſtimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt miniſtrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum erit Aaron, & ſemini eius poſt eum.*

Verſus 1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël, vt Sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar. & Ithamar.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. Hebræus. Oleaſter. Lira.

APPLICA *quoque ad te.* Deus loquitur ad Moyſem. In Hebræo (vt notat Oleaſter in præſenti) legitur: *Appropinqua.* Septuaginta legere: *Et tu adduc ad te fratrem tuum.* Lira. *Applica ſcilicet ad diuinum cultum per conſecrationem in Sacerdotium.* Nam huic miniſterio Aaroni præparatur ornatus. *Ad te*, id eſt, ad Moyſem. *Fratrem tuum Aaron*: erat enim Aaron frater Moyſis natiuitate prior, quorum parentes fuere Amram, & Iochabed de tribu Leui, vt conſtat Numeror. 26. num. 59. *Cum filiis ſuis*: ſermo eſt de filiis Aaron ex vxore eius Eliſabet. *De medio filiorum Iſraël*, id eſt, de conſortio: vel vt Septuaginta habent, *De filiis Iſraël*, ita vt eſſent ſegregati à reliquis Iſraëlitis, qui ſæcularibus negotiis erant intenti, vt toto animo Dei cultui vacarent, vt hîc notat noſter Abulenſ. quæſt. 2. *Vt Sacerdotio fungantur mihi*: id eſt, (vt ibidem Toſtatus) vt ſacrificia offerant, & alias functiones exerceant: quod expreſſit Paraphraſis Chaldaïca, ita legens: *Vt miniſtrent coram me.* Tandem ſignat futuros Sacerdotes, *Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.* Aaron erat pater; reliqui filij: ille ad ſummum Sacerdotium vocatus; iſti inter Sacerdotes annumerati. Ex tribu ergo Leuitica, & ex familia Aaronis Sacerdotes eliguntur; cuius rei rationem exhibet Angelicus Doctor Sanctus Thomas 1. 2. quæſtione 102. articulo quinto ad decimum, cùm ait: *Propter hoc etiam* (ſcilicet ad remouendum contemptum miniſtrorum) *inſtitutum fuit, vt non ſparſim ex quolibet genere ad Dei miniſterium applicarentur, ſed ex certa proſapia ſecundùm generis ſucceſſionem, vt ex hoc clariores, & nobiliores haberentur.*

Abulen. S. Thom.

QVÆSTIO PRIMA Litteralis.

Vtrùm ſimul Moyſes, & Aaron functi fuerint ſummo Sacerdotio?

2. NOn deſunt rationes, quibus negatiua pars fulciatur. Prima eſt; quia abſque dubio Aaron Dei fuit ſummus Sacerdos, Ergo vt tanta dignitas pro meritis eluceſceret, ſingularitate debuit exornari. Vileſcit namque munus, ſi ad plures extendatur; & glorioſius eſt, ſi contrahatur ad vnum, Cùm igitur ſummum Sacerdotium fulgentiſſima eſſet dignitas, in vno tantùm debuit conſtitui. Hac de cauſa Soli tribui Leuiticæ conceſſum fuit, imò non toti, ſed Aaronicæ familiæ, vt dicitur 1. Reg. cap. 2. num. 28. *Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſraël mihi in Sacerdotem.* Vel vt Septuaginta in Bibliis Sixtianis transferunt: *Ex omnibus ſceptris*, hoc eſt, ex omnibue principibus Iſraël. Ergo maior eſſet dignitas Aaronis, ſi ipſe ſolus fungeretur Sacerdotio. Moyſes ergo non fuit maximus Sacerdos. 1. Reg. c. 2.

3. Secunda ratio, quæ pro hac ſententia militat, eſt: quia Leuit. 21. num. 10. ſummus Sacerdos dicitur, *Maximus inter fratres*: & ex diuina inſtitutione ad primogenitos Aaronis ſpectabat, vt maximos natu, qui non poterant eſſe duo: imò lege ipſa ſancita erat in Pontificatu ſingularitas. Ergo ſolus Aaron fuit ſummus Sacerdos, cui poſt mortem eius in Pontificatu ſucceſſit Eleazar, vt conſtat Numeror. 20. num. 27. & ſequentibus. Et Leuitici 6. n. 22. filius poſt mortem patris ſuccedebat in munus eius. Ergo Moyſes, & Aaron ſimul non poſſent, fungi Sacerdotio Roboratur hoc ipſum; quia tametſi plures eſſent Sacerdotes, ſummus cæteris præcellebat, cuius conſecratio diuerſa erat à conſecratione inferiorum Sacerdotum Leuit. 8. num. 7. & ornatus, & functiones valde diſtinctæ, vt patet Exod. 28 & 29. Cùm ergo ſummus eſſet ſingularis ſocietatem alterius minimè admittebat.

4. His non obſtantibus, Moyſem ſimul cum Aarone fratre ſuo potitum fuiſſe ſummo Sacerdotio, ferè omnium Patrum Eccleſiæ conſenſu comprobatur. Ita ſentiunt Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. Diuus Auguſtinus in Pſalm. 98. & quæſt 27. in Leuitic. Nazianz. orat. 6. ſub initium. Philo Hebræus lib. 3. de Moyſe ad finem. Dionyſius Areopag. de Hierarchia Eccleſiaſt. cap. 5. Leo Magnus epiſt. 88. & alij innumeri. Adeſt pro hac theſi ſolidum teſtimonium ex Pſalm. 98. num. 6. vbi ſic dicitur: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* Id eſt, Sacerdotes eius, vt ibidem explicat doctiſſimus Genebrardus aſſerens eſſe Hebraïſmum; ſeu vt ex Hebræo transfert Ioan. Campeſius: *Moyſes, & Aaron è Sacerdotum eius ordine.* Vel vt etiam idem Author in ſua Paraphraſi: *Moyſes & Aaron inter Sacerdotes eius.* Deinde, quia Leuitic. 8. dicitur, Moyſem executioni mandaſſe, quæ ei Deus iuſſerat Exodi 28. & 29. circa ornatum, & conſecrationem Aaronis, & filiorum eius ad miniſterium Sacerdotale. Ergo fuit ſummus Sacerdos. Nam conſecrare Aaronem, & filios eius in Sacerdotes, non poſſet abſque infulis Sacerdotalibus. Hieron. Auguſt. Nazianz. Philo. Dion. Areop. Leo Magn. Pſalm. 98. Genebrard. Ioan. Camp.

5. Præterea Moyſem ſpoliatum non fuiſſe nec dignitate, nec functionibus Sacerdotij illis quadraginta annis, quibus in deſerto rexit populum Iſraël, docent Rabbi Ionathas, Rabbi Ioſe, Rabbi Ioſua, Rabbi Berechia, & Abbem Ezara Moyſem vocat Sacerdotum Sacerdotem. Et meritò: quia quæſtiones, & controuerſias populi definiebat; offerebat Deo munera, & immolabat. Fœdus ſanxit ſanguine Exodi 24. num. 6. Oblationes duodecim principum in tabernaculum, & in altare excipiebat, Numer. 7. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius conſtat Moyſem ſimul cum Aarone habuiſſe dignitatem Pontificiam. Rabbini.

6. Nec miretis, Moysem, & Aaronẽ simul fuisse summos Sacerdotes; cùm 2. Reg. 15. n. 35. & 1. Paral. 24. n. 3. Id testetur sacra Pagina de Sadoc, & Abiathar. Quod diuina dispensatione factum non est dubitandum: licèt ex lege ordinaria singularis existeret Pontifex. Ex quo fit satis primo, & secundo argumento asserti negatiui.

QVÆSTIO II.
Litteralis.

Vtrùm Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar filij Aaron summum Sacerdotium fuerint consecuti?

7. APertè constat Leuit. 10. num. 2. Nadab, & Abiu filios Aaron non fuisse consecutos summum Sacerdotium. Nam vt ibidem refertur, cùm ignem alienum, seu prophanum super altare offerrent; & hostias, quas Moyses non prædixerat (vt inquit Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 12.) super aram imposuissent, subitò concremati sunt magno impetu super eos igne veniente, & pectora, faciesque eorum inflammante, ita vt nullus valuisset extinguere: quos postea iubente Moyse, & Aaron duo filij superstites sepelierunt extra castra honore congruo, cum magno fletu populi. De his ergo non est præsens controuersia, sed de Eleazaro, & Ithamar.

8. Non est dubium, Eleazarum Aaronis filium functum fuisse summo Sacerdotio. Sic 1. Paral. c. 6. n. 4. annumeratur inter summos Sacerdotes: & iuxta supputationem ibi factam, primus Sacerdos fuit Aaron: secundus Eleazar: tertius Phinees filius Eleazari: quartus Abisue filius Phinees: quintus Bocci filius Abisue: sextus Ozi filius Bocci. Inde translatum fuit Sacerdotium à familia Eleazari primogeniti ad familiam Ithamari eius fratris natu minoris, vt refert Ioseph. Iosephus lib. 5. antiq. cap. vlt. quia posteri Eleazari exciderunt ab auita sanctitate, & in suo munere fuerunt pigri. Quod tametsi non referat scriptura, communiter ex Hebræis docent interpretes. Constat ergo apertè Eleazarum successisse Aaroni in summo Sacerdotio.

9. Non minùs est certum, Ithamarem non fuisse perfunctum summi Sacerdotis dignitate. Nam vt diximus numero præcedenti, sex fuerunt Pontifices per seriem Eleazari, supputando ab Aaron vsque ad Ozi. Si tamen est vera sententia Abulensis ad cap. 6. primi Paralip. q. 30. quæ asserit, Zaraim filium Ozi, & Maiaroth filium Zaraim fuisse etiam summos Sacerdotes; constabit apertè per octo continuas generationes permansisse Sacerdotium in familia Eleazari, & inde postea translatum ad familiam Ithamaris. Fuit ergo Ithamar à gloria summi Sacerdotij exclusus, quamuis ex eius familia plures fuerint Pontificatum consecuti.

10. Examinandum hîc restat, quomodo verificari possint hæc verba: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt Sacerdotio fungantur mihi*: Si inter filios Aaron solus Eleazarus fuit summus Sacerdos? Sed hoc litigium facilè sedatur, si dicamus filios Aaron, non Pontifices, sed inferiores fuisse Sacerdotes, dum solùm excipias Eleazarum, qui à Sacerdotio in Pontificatum ascendit. Quando enim Deus imperauit Moysi, vt ad se applicaret Aaron, & filios suos ad functionem sacerdotalem, filiis non Pontificiam, sed sacerdotalem dignitatem assignauit, vt patet Exodi 28. numero 40. vbi diuersæ vestes, & honorabilior ornatus Aaroni, quàm filiis præparantur pro varietate muneris, & dignitatis, vt ibi dicemus.

QVÆSTIO III.
Litteralis.

Quando à Deo præceptus fuit Sacerdotalis ornatus, & quandiu Aaron in Pontificatu vixit?

NOn est facilè inuestigare, quo tempore Deus præcepit Moysi Aaronis ornatum; cùm de hoc nihil determinatè referat Scriptura: verùm vt coniici potest, factum arbitror anno ab orbe condito bis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto; ab egressu Israël de Ægypto anno primo, mense tertio, qui dicebatur *sinuam* ferè nostro Maio correspondens. Ita deduci videtur ex Saliano in annalibus in præfato anno, qui Moysi fuit octuagesimus primus; in quo ab hoc Authore ex professo agitur de hoc ornatu, & eius institutione: Vnde mihi verisimile est, tunc à Deo fuisse institutum. 11. Salianus.

Circa tempus, quo Aaron Pontificatu fueretur, aliqua est inter glossantes controuersia. Nam Ioannes de la Haye tom. 1. Bibliæ Magnæ in Chronico sacro, cap. 42. in prima classe Pontificum, asserit Aaronem Mosaycæ legis primum Pontificem, iubente Deo initiatum esse à Moyse initio anni secundi exitus Israëlitarum ex Ægypto, Exodi 29. Leuitici 9. tenuisseque Pontificatum per annos 38. & menses quatuor. Nam mortuus est quadragesimo anno exitus ex Ægypto, prima die mensis quinti, Numerorum 33. numero 38. & Eleazar eodem die sufficitur parenti, ibidem, & Numerorum 20. num. 25. & Deut. 10. num. 6. 12. Sent. Ioannis de la Haye.

Prædicta sententia magna ex parte videtur conuenire cũ sententia Rabbi Salomonis citati ab Abulensi c. 9. q. 1. in c. 9. Leuit. quæ asserit, in prima die mensis primi anni secundi exitus de Ægypto incœpisse ministrare Sacerdotes. Hæc opinio vires accipit ex eo, quòd oblatio principum duodecim tribuum Israël cœpit die primo mensis primi anni secundi egressionis ex Ægypto, quia incœpit eodẽ die, quo erectum est tabernaculum, vt constat Numer. c. 7. n. 1. & 2. Iste tamen dies erat primus anni secundi exitus de Ægypto, vt habetur Exodi 40. n. 18. Sed quando isti Principes incœperunt oblationes, videtur, quòd Aaron iam esset consecratus, aliàs non posset offerre sacrificia, quæ Principes obtulerunt. Ergo in prima die præfati mensis primi obtulit sacrificia. Ex hoc fit, Aaronem consecratum fuisse in prima die mensis primi anni secundi. Si id esset verum, etiam vera esset supputatio annorum Sacerdotij Aaronis, quam affert Ioannes de la Haye. 13. Sententia Rabbi Salomonis.

Noster

14. Sententia Abulens. & Saliani. Noster Abulensis loco citato, & Salianus anno mundi 2583. n. 31. asserunt, Aaronem consecratum fuisse à Moyse anno secundo egressionis ex Ægypto mense primo octaua die mensis. Hinc infert Salianus, Aaronem vixisse in Pontificatu annos triginta, & octo, menses tres, dies dies viginti duos. Nam vt constat Numer. 33. n. 38. mortuus est anno quadragesimo egressionis, mense quinto prima die mensis, Vnde perspicuè dicta summa colligitur. Discrepat ergo hæc supputatio ab illa, quam de la Haye refert octo diebus; quia hic à prima die mensis primi anni secundi egressionis computat consecrationē Aaronis; Salianus verò à die octaua.

15. Verumenim vero eneruare oportet Rabbi Salomonis fundamentum, quod perdoctè oppugnat noster Tostatus ibidem. Quia vt patet Leuitici. 8. n. 3. consecratio Aaronis, & filiorum eius facta fuit ad ostium tabernaculi: vnde manifestè liquet fabricatum iam fuisse tabernaculum. Item eodem cap. n. 33. Dei præcepto Aaron, & filij eius septem diebus manserunt intra tabernaculum vsque ad diem, quo completum fuit tempus consecrationis. Ergo consecratio Aaronis non fuit completa prima die mensis primi, consequentia tenet: quia vt constat Exod. 4. hac die perfectum fuit tabernaculum: sed post tabernaculi complementum septem diebus in illud mansit Aaron, vt consecratio eius adimpleretur: Ergo ab octaua die, & non à prima supputanda venit eius consecratio, quia in illa fuit perfecta, & completa.

16. Restat solùm argumento Rabbi Salomonis satisfacere. Respondeo ergo cum nostro Abulensi loco citato, quòd quamuis principes tribuum à prima die mensis primi incæperint offerre sacrificia; ex hoc non conuincitur, quòd sacerdotes ea obtulerint in ipsa die. Nam poterant offerri à Moyse tunc Pontificis munus exercente & suscipiente iura sacerdotalia, vt ex cap. 29. Exod. & ex cap. 8. Leuitici, cum tunc nec Aaron, nec filij eius essent consecrati.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO I.

Ecclesiastici, & secularis principis vnitas prospera Reipublicæ, & vtilia annuntiat.

17. OCulata experientia docet, ex inimica discordia ferè infinita damna procreari. Ex ea enim lites, bella, & homicidia in Republica dimanant. E contrà verò ex vnitate, & animorum nexu summa tranquillitas prouenit; cessant lites, vitantur odia, extinguntur bella, quæ homicidia pariunt, & amabili pace præterita damna in ciuium profectum conuertuntur. Magna ergo vtilitas ex concordia: sed maior sine dubio quando inter vtriusque fori primates, inter principem, inquam, Ecclesiasticum, & sæcularem adest mutuus amor, & indissolubilis charitas.

18. Pro libertate publica Iacobeæ stirpis, quæ amaro iugo, & dura seruitute opprimebatur, apud Ægyptios, clementissimus Deus ad Pharaonem misit legatos Moysem, & Aaron: qui aulam regiam ingressi, & coram rege constituti, non verborum ambagibus, nec flosculis Rethoricis adulantes, vt solent aulici, sed inusitatis portentis crudelem tyrannidem reprehendebant, optatam Hebræorum libertatem persuadentes. *Tulit Aaron* (inquit sacer textus Exod. 7. n. 10.) *virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Miratur rex impius, vocat sapientes, & maleficos regni; vt inter eos, qui dæmones inuocabant; & Aaronem Dei ministrum esset certamen. Obsequentes regi venerunt Magi, proiicientesque singuli virgas suas, versæ sunt in dracones. Sed O mirabilis Dei virtus! Nam serpens, seu virga Aaronis in eum commutatus, omnes illos serpentes arte Magica formatos absorbuit: *sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* ibid. num. 12. Non possum non mirari, cùm audio, virgam Aaron, sola cum esset, & Ægyptiorum virgæ multæ, contra istas prævalere. Nec minori admiratione dignum existimo, quod extera virga intra aulam regis ineat certamen cum virgis aulicis, vbi aderant Pharao, & optimates regni; qui, vt regi præstarent lenocinium, patriis virgis non negarent auxilium, vt Aaronicæ victoriam, & triumphum impediterent. Quare ergo Aaronis virga non solùm expectat in arena, verumetiam superat Ægyptiacas? Nisi me propria fallit cogitatio, ex Moysis, & Aaronis vnitate orta fuit victoriæ felicitas. Moyses enim princeps, & dux erat gentis Israëliticæ, & sacerdotum sacerdos: sic eum vocauit Nazianzenus orat. 6. *Moyses principum princeps, & sacerdotum sacerdos*: Aaron Pontifex summus destinatus: ille princeps sæcularis; hic Ecclesiasticus antistes: vel in Moyse regia, & sacerdotalis dignitas præfulgebat, vt ex Nazianzeno vidimus. Quia ergo ibi vterque præsul, Ecclesiasticus, & sæcularis concordi animorum voluntate, & fraterno affectu certamen illud subibat: ideo Aaronis virga, quæ vtrique fratri erat communis, & indiuisa, quamuis sola, prævalet contra multas, & victoria, & triumpho coronatur. Adsint hostes, & furentibus animis ruinam minentur; adsint bellatores fortes, & strenui; adsint contra pusillum gregem armatorum phalanges: si tamen reges, & sacerdotes pro tuendis regnis vinculo charitatis sint coniuncti; absque dubio pauci contra plures, infirmi contra fortes, & debiles contra armatos desideratam, & gloriosam victoriam reportabunt. Exod. 7. Ibid. n. 12. Nazianz.

19. Fauet huic thesi victoria illa, quam filij Israël ab Amalec reportarunt. Obuiam occurrerat Amalec populo Dei in Raphidim, vbi castra fixerant Israëlitæ: at Moyses peruigil suorum agens negotium, duci Iosuë iussit, vt robustiores seligat, & militiæ in omnibus ordine seruato viriliter, & confidenter aggrediatur hostes. His ita præordinatis cacumen montis ascendit Moyses Aarone, & Hur comitantibus, vt illinc non armis, sed precibus hostes deuincant. Tunc Iosue, prout vrgebat necessitas, robustiores selegit, duces nominauit, munera distribuit, peritè acies instruxit, ac tandem diuino auxilio potiùs, quàm suis viribus fretus, iussit bellica canere, & bellum committi. Mirabile erat, quàm viriliter ex vtraque acie pugnabatur: at victoriæ felicitas, sic ex Moysis pendebat arbitrio, vt, quandiu religiosè versus cœlum manus leuabat, vinceret Israël; sin autem

tem paululùm remittebat, ſuperaſſet Amalec. Quæ cùm attento animo aſpexiſſent Aaron, & Hur, ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte. *Et factum eſt* (inquit ſacer textus Exod. 17. num. 12. & 13.) *vt manus illius non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis. Fugauitque Ioſuë Amalec, & populum eius in ore gladij.* Iamiam ob oculos ſe offert examinanda quæſtio. Cur, inquiro, dum Moyſes in vertice montis conſtitutus manus verſus cœlum leuaret, hoſtes vincebat Ioſuë; & quando laſſatus eas contrahebat, ſuperabat Amalec? Quid enim eleuatio manuum Moyſis cum victoria, vt hæc ex illa dependeat ita feliciter, vt ex turmis, & phalangibus Iſraëliticis, nec vnus quidem periſſet miles, cum ex Amalecitis propè infiniti periere, ſi credimus Ioſepho lib. 3 Antiq. cap. 2. dicenti: *Nemo ergo Hebræorum mortuus eſt: hoſtium verò tanti, quantos nec numero comprehendi poſſibile eſt?* Verùm, vt dubio ſatisfaciam, circunſtantias facti oportet, examinare. Nonne refert ſacer textus, Aaronem, & Hur manus Moyſis ſuſtentaſſe, dum bellum committeretur? Nonne etiam narrat, Moyſem duci Ioſue dixiſſe, ſe aſcenſurum in montem, Deum deprecandi causâ, ſimulque Dei virgam habituram in ſua manu? Quod abſque dubio fideliter adimpleuit: imo addit Cajetanus ad hunc locum, virgam inter vtramque manum tenuiſſe, dicens: *Et quia virgam Dei Moyſes in manu tenebat, non irrationabiliter creditur, quod manus eleuatas habebat, ſicque inter vtramque volam virgam teneret extenſis manibus verſus cœlum.* Accipe iam dubij ſolutionem. Ideo ergo dum manus ſurſum eleuabat Moyſes, vincebat Ioſuë: quia tunc Aaron ſacer antiſtes fraterno amplexu Moyſi ſæculari principi erat vnitus, vt manus ſuſtentaret. Tum inſuper; quia eleuante Moyſe manus verſus cœlum aderat virga inter vtramque volam. Cùm ergo Aaronis virga indiſtincta eſſet prorſus à virga Moyſis, vt expreſſis verbis docuit Auguſt. in quæſtionibus in Exod. q. 64. dicens: *Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ prius dicta eſt virga Aaron, poſtea verò virga Moyſis:* Et in ea vtriuſque brachij Eccleſiaſtici, & ſæcularis deſignaretur vnitas, & animorum concordia: Quid mirum, quòd eleuante eam Moyſe vincat Ioſuë ita feliciter, vt nec tyronem militem amittat? Nam vbi vterque præſul Eccleſiaſticus, ſcilicet, & ſæcularis charitatis vinculo, & ſocietate cordiali coniunguntur, omnia erunt proſpera, nihil infauſtum euenier.

Exod. 17.

Ioſephus.

Cajet.

Auguſt.

20. Parum eſſet hoc, ſi in glorioſiſſimo triumpho aduersùs dæmonem, mortem, & peccatum ſacerdotalis, & regiæ dignitatis non eſſet conſortium. De Chriſto Domino diuino oraculo prædicatur, verum fuiſſe ſacerdotem. Sic regius Pſaltes. Pſ. 109. n. 5. & Paulus in Epiſt. ad Hebr. à c. 5. vſque ad 10. & definitur in Concil. Epheſ. can. 10. & in Trid. ſeſſ. 22. can. 1. & 2. Similiter ſummi ſacerdotis munus ſubiens in ara crucis ſeipſum obtuliſſe, innumeris Patrum teſtimoniis poſſem comprobare, ſufficiant duo pro mille. Ambroſius lib. 3. de fide, c. 5. & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. Ille ſic ait de Chriſto loquens: *Idem ſacerdos, idem & hoſtia, ſacerdotium tamen, & ſacrificium humanæ conditionis officium eſt.* Iſte: *ſolus ſacerdos ſacrificium, & templum, & hæc omnia Deus ſecundum rationem ſerui?* Nec hoc ſilentio prætermiſit Paulus, cùm ad Epheſ. 5. n. 2. dicat: *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Quæ teſtimonia de Chriſto Domino vt homine, vt ſatis conſtat, intelligenda ſunt. Inſuper eum fuiſſe regem indubitatum eſt apud Catholicos, firmaturque pluribus ſcripturæ locis. Micheæ. 5. Ieremiæ 23. Matth. 27. Lucæ 19. Marc. 11. & alibi. Similiter in cruce regnaſſe Chriſtum, oſtendunt Patres ex titulo in ſummitate crucis affixo: *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.* Matth. 27. n. 37. Sic Ambroſius lib. 10. in cap. 2. Lucæ. Chryſoſt. Homil. 48. in Ioan. Hieron. in c. 27. Matth. Aug. in Pſal. 57. & in præfatione Pſalmi 58. Id etiam clarè intonat Eccleſia, licèt lugubri voce in hymno Dominicæ Paſſionis. Conſtat ergo ex his, Chriſtum Dominum in cruce pendentem, tum ſacerdotis, tum regis fulſiſſe diademate. Nunc examinandum ſupereſt, cur in cruce Chriſtus ſacerdotalem cum regia coniunxerit dignitatem? Ingeniosè & deuotè nodum ſolvit Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſt. cap. 5. dicens: *ſecundum hominem Chriſtus, & rex, & ſacerdos effectus eſt: vt eſſet, ad interpellandum pro nobis, mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Sed adhuc alia inſurgit difficultas ex verbis Auguſtini. Si enim dixiſſet, Chriſtum ſacerdotis habere dignitatem, vt pro nobis interpellaret; acquieſcerem: at ad hoc regiam etiam dignitatem requiri, difficultate non caret. Nam ſacerdotis officium eſt mediare inter Deum, & homines; regis autem neutiquam. Cur ergo Auguſtinus tenet, Chriſtum in cruce vtramque coniunxiſſe dignitatem, vt mediator exiſteret? Quia Chriſtus in cruce ſalutem hominum conſummabat, mediator Dei, & hominum exiſtens in quantum homo: ideo regia, & ſacerdotali dignitate fulſit in cruce, vt redemptionis feliciras ex vtriuſque dignitatis vnione reſultaret: *Rex, & ſacerdos effectus eſt; vt eſſet, ad interpellandum pro nobis mediator.* Vide, quàm potens ſit hæc Eccleſiaſtici brachij, & ſæcularis coniunctio; ſiquidem ad mundi reparationem, & ad interpellandum pro nobis, ea vſus fuerit Chriſtus, ne hominum redemptioni hæc deficeret excellentia. Quam etiam agnouit Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. in ipſa carne Chriſti, dum ait: *Firmiſſimè tenendum eſt, carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, & regum, ſcilicet, & ſacerdotum.* Quod ita à Deo diſpoſitum putarem; tum quia illam Chriſtus in cruce erat oblaturus; tum etiam quia in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in animarum alimoniam erat conceſſurus. Voluit igitur in vtroque ſacrificio, cruento ſcilicet crucis, & incruento Euchariſtiæ, Eccleſiaſtici, & ſecularis ſtatus concordiam exprimere; vt vtrumque myſterium huius vnionis gloria potiretur.

Pſal. 109. Ad Hebr. 5. Concil. Eph & Trident.

Ambroſ. Fulgent.

Ad Epheſ. 5

Matth. 27. Ambroſ. Chryſoſt. Hieron. Auguſt.

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis; iubet Deus ſeruo ſuo Moyſi. Sed cur Moyſi Aaronem applicari imperat? Sat eſſet eum vocare, & conſecrare in ſacerdotem: ad quid ergo approximationem requirit, & propinquitatem, vt legitur ex Hebræo? Perdoctè ſatis Oleaſter hîc dubium excitat, & ſoluit, *Ad* quid Domine (inquit) *ducis fratrem conſtituis ſacerdotem?* Ecce dubium: ſolutionem expecta. 21.

Oleaſter.

Turbari

Turbari solet Ecclesia, & maximè respublica Christiana, cùm intra principes, & sacerdotes non conuenit; & vice versa videmus, concordiam in populo summam. cùm inter reges, & sacerdotes fuerit pax: qua de causa voluit Deus, ex germanis alterum ducem, alterum verò summum facere sacerdotem. Omni enim tempore, quo Ioas rex secutus est consilia Ioiadæ summi sacerdotis, optimè præfuit; cùm verò ab eo recessit, defecit, & regnum eius maximè turbatum est. Ex vnione ergo sacerdotis, & principis sæcularis commoda; ex discordia, damna proueniunt.

Illatio II.

Ad dignitatis fastigium non consanguinitatis, sed meritorum gradibus est ascendendum.

22. OMnes desiderant magistratus, & dignitates, non tamen omnes eis digni sunt. Qui patrem habet præsulem, aut proconsulem, tametsi meritorum ornatu prorsus careat, sicut patriæ hæreditatis, sic dignitatis se putat hæredem. Sed proh dolor! sic paternus amor fallit istorum patres, vt non solùm eos, indigni cùm sint, dignos dignitatum iudicent, imo solo titulo consanguinitatis omnibus anrecellere. Ob hoc in bello milites non strenui, & qui nec bellica audierunt, ducatum consequuntur; in pace indocti Episcopatus; & qui vix ob inscitiam gubernari possunt, gubernatores creantur peritorum. Faxit Deus, vt non sic contingat in Republica Christiana, sed quòd præmia quærant promerentes, repellantur indigni, & probatos gradibus meritorum, non consanguinitatis fauore ad culmen dignitatum, videamus, ascendere.

23. Mirabilis extitit Moyses de hoc sæculo recessurus, cùm Deum oraret, vt populo ducem pro eo sufficeret. Numero 27. num. 16. & 17.

Numer. 27. *Prouideat* (inquit) *Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc: & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut ouis absque Pastore.* Quid agis Moyses? (exclamat Origenes Homil. 22. in Numeros.) Nunquid non tibi sunt filij Gerson, & Eleazar? Aut si hos tanto muneri iudicas ineptos; filios habet Aaron frater tuus, quos posses constituere duces populi: cur eos non eligis, sed à Deo summis precibus petis idoneum tanti muneris successorem? Nunquid non poteras filium, vel obuium in populi principem designare? Forsan non posset, cùm iustus esset, vel non fecit, ne serperet suspicio, ad tantam dignitatem ascendisse non meritorum gradibus, sed paterno affectu, vel fauore sanguinis adiutos. Prudenter ergo Moyses, cùm de subrogando duce curam gerit, non sibi reseruat electionem, sed totam Dei remittit iudicio, vt idoneus, & non ineptus sufficiatur; vt instruamur, ad dignitatum fastigia non fauoris, aut consanguinitatis scalis, sed meritorum gradibus ascendendum. Accipe Adamantium elegantissimè omnia confirmantem.

Origenes. *Discant Ecclesiarum principes successores sibi non eos, qui consanguinitatis genere iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare; neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei: & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere.* Si Moyses namque filium, vel consanguineum ad culmen tantæ dignitatis erigeret, suspectus redderetur, an eligeret, vel sanguinis affectu, vel ambitione successionis honorificæ attractus: vt ergo ab omni suspicione sit alienus, nec filium, aut consanguineum eligat, sed in re tanta totum electionis negotium Deo remittat; vt si fortè ex eis fuerit electus, non precibus, aut fauori, sed meritis tribuatur electi.

24. Deo, vt vidimus, remiserat Moyses noui principis electionem. Quid inde? *Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosuë filium Num virum, in quo est Spiritus Dei*, &c. Numero 27. n. 18. Non vacat mysterio, Deum elegisse Iosuam, vt populi ducatum teneat. At cur Iosuë, qui à tribu Ephraim ducebat originem, sufficitur in populi principatu? Nunquid in tribu Leui non erat, qui posset subrogari pro Moyse? Cur ex alia tribu eligitur, & non ex Leuitica? Vt constaret, non consanguinitatis affectu, sed meritorum excellentia deferendam esse dignitatem. Præclarè hoc expendit D. Isidorus lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 5. in tom. 1. Auctuar. Bib. vlt. Patrum dicens. Numer. 27. Isidorus. *Alij successores filios, vel parentes faciunt, & conantur posteris præsulatus relinquere dignitatem: cum hoc nec Moyses amicus Dei facere potuit, sed Iosuam de alia tribu elegit, vt sciremus principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ meritis.* Hæc electio & æquitatem Moysis, & Iosue merita commendat: illam, quia non elegit consanguineum; ista, quia cum esset ex alia tribu Iosuë suis meritis ad tantam ascendit dignitatem.

25. Nec minùs caret mysterio, quòd Deus imperasset Moysi, congregare populum Israël ad ostium tabernaculi, cum Aaron, & filij eius erant consecrandi, vt refertur Leuit. 8. à n. 3. *Et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. Fecitque Moyses, vt Dominus imperauerat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait: iste est sermo, quem iussit dominus fieri. Statimque obtulit Aaron, & filios eius. Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem*, &c. Duo notatu digna refert sacer textus. Primum: iussisse Deum populum congregari ad ostium tabernaculi. Secundum: Moysem expressis verbis dixisse à Deo fuisse ordinatam Aaronis, & filiorum eius electionem. Sed cur Moyses congregat populum, & in conspectu eius alta voce prædicat, Aaronem, & filios eius electos fuisse à Deo, vt sacerdotio fungerentur? Ideo ita factum puto, quia Aaron frater erat Moysis, & filij consanguinei. Meritò ergo, vt omnem suspicionem relegaret, congregato populo profert expressis verbis, ita à Deo fuisse constitutum: ne hæc electio fauori, aut sanguini, & non meritis tribueretur. Fauet Origenes Homil. 6. in Leuitic. dum ait: Leuitic. 8. Origenes. *Licet ergo Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen conuocatur & synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote, & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior,*

ctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc adstante populo, nequa postmodum retractatio cuique, nequis scrupulus resideret. Ita suspecta est electio consanguinei, vt indigeat Dei approbari ordinatione. Propterea ergo Moyses consecrationem Aaronis, & filiorum eius in medium profert, vt cunctus populus intelligat, non humano affectu commendari sed Dei iudicio, qui solùm respicit dignitatem meritorum.

26. Non ob aliam rationem Ioannes ille, qui præcursor Domini, & æterni verbi meruit appellari vox, cùm à sacerdotibus, & Leuitis interrogatur, an esset Christus, confessus est, non esse Christum, imo neque dignum eius corrigiam soluere calceamēti? & vocis munus adimplens, altera die videns Iesum clamauit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciebam.* Ioan. 1. n. 29. & 30. Hæc verba vltima, *Et ego nesciebam*, difficultate plena sunt. Nam Lucæ 1. n. 44. cùm regina cœlorum salutaret Elisabetham; Baptistæ mater sic Mariam alloquitur: *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Gaudium hoc Ioannis inde prouenit, quia diuinitus anticipato rationis vsu præcursor suum agnouit auctorem. Ita sentiunt Hieronym. in dialogo aduersùs Luciferinianos. Auctor operis imperfecti Homil. 27. Ambros. lib. 4. de fide cap. 4. & in Comment. in hunc locum Origenes Homil. 10 in Lucam. Cyril. Hierosolim. Cath. 3. Irenæus lib. 13. cap. 18. Chrysostom. Homil. de Ioanne Baptist. Maximus Homil. 1. de natiuitate Baptistæ Chrysolog. serm. 84. Bernard. de natiuit. Ioan. Theophylact. & Euthymi in Comment. Si ergo Ioannes adhuc in vtero existens Christum agnouit, & præ gaudio huius notitiæ exultauit alacriter; quomodo nunc ait, non cognouisse Christum? Insuper: si Ioannes tot encomiis Christi dignitatem prædicat: quî fieri posset, vt ignoraret, quem toties recognouerat? Caietanus ad cap. primum Ioannis verba illa, *Ego nesciebam*, sic explicat: *id est non cognoscebam ipsum sensibiliter.* Nam quamuis superna reuelatione Ioannes adhuc in vtero existens, & priusquam lucem, lucis cognouisset auctorem; tamen illum sensibiliter ignorabat, quia vt inquit S. Thomas ibidem, Ioannes in deserto à pueritia sua conuersatus est, & cum ad desertum secessisset, Christi familiaritatem non habuit. Verùm adhuc aliud dubium superest disquirendum. Cur Baptista cùm testimonium perhibet de Christo, & summis laudibus eius dignitatem extollit, prædicans eum esse agnum peccata mundi remittentem, ante ipsum factum, & ab Spiritu sancto in specie columbæ descendente filium Dei declaratum; tunc semel, atque iterum eum ignorasse confitetur, *& ego nesciebam?* Fallor, si id non fecit, vt testimonium, quod exhibebat de Christo ab omni calumnia, & suspicione liberaret. Nam si Ioannes cùm tot præclara prædicabat de Christo, si illum sciuisset, posset aliquis (licèt immerito) suspicari, non propter Christi merita, sed ob speciale sanguinis vinculum, & fidelem amicitiæ familiaritatem eius celebrare excellentias: Vnde eximia dignitas Christi non veritate, sed affectu videretur celebrari. Ne ergo rem tam absurdam vel malitiam cogitare posset; affirmet, Ioannes, cùm Christi magnalia dicit, illum nescisse, vt in omnium corde firmetur, non commendari à Ioanne affectu, & sanguine coniuncto, sed à Ionnne prædicatore veritatis. Confirmat hoc Rupertus cap 22. in lib. 1. Reg. dicens. *Hoc nempe ad puritatem veri testimonij plurimum valet, quia videlicet tibi in eligendo fauoris, vel gratiæ humanæ suspicio nulla ubesse potest, vbi ipsa, cui fauor, aut gratia impendatur, persona, necdum cognita est.* Rectè ergo Ioannes nescire Christum affirmat, cùm eius celebrat Deitatem, & tam præclara exhibet testimonia, vt de illis nec minima possit esse suspicio. Ignoret similiter, qui celebrat, nesciat personam, qui fauorem impendit, & solùm merita sciat, si iustè, & cordatè desiderat eligere.

Ioan. 1.

Lucæ 1.

Hieron.

Ambros. Imperf. Origen. Cyril. Hiero. Chrysost. Maxim. Chrysol. Bernard. Theoph. la. Euthym. Caietan.

S. Thom.

Rupertus.

27. Dei præcepto constringitur Moyses ad consecrandos Aaron, & filios eius: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum*, &c. Cur Deus hoc Moysis non remittit voluntati? Videtur mihi, consuluisse Deum honori Moysis, & Aaronis; illius, vt eligentis; huius, vt electi. Nam si Moyses ex se, & non ex Dei præcepto fratrem Aaron, & filios eius per consecrationem ad diuinum cultum applicaret, suspecta esset electio. Ne ergo Moysis integritas, & Aaronis dignitas obscurentur; imperet Deus Moysi, vt fratrem, & consobrinos ad tantam dignitatem extollat, vt exinde pateat iustitia Moysis, & Aaronis merita splendescant. Quæ enim Dei præcepto aguntur, non fauori, aut consanguinitati eligentis tribui possunt, sed meritorum dignitati. Præclarè Beda hæc expendens lib. 3. de tabernaculo. cap. 2. *Hoc est eos, qui sacerdotio functuri sunt, de medio filiorum Israël ad Moysem applicari, præsules, ac Doctores sanctæ Ecclesiæ communem vitam electorum singulari mentis culmine transcendere, & familiari inspectione, quid lex generaliter omnibus electis, quid verò paucis perfectionibus specialiter loquatur attendere: vt altiori excellentia meritorum ad altiora possint præmia peruenire.* Quibus verbis apertè docet, non affectu, non sanguine, sed excellentia meritorum ad dignitatum fastigium ascendendum.

Beda.

Illatio III.

Merendi gloria præstantior est felicitate consequendi: Imo hæc felicitas in meritis, non in consecutione consistit.

28. HOnores consequi sine meritorum ornatu, plus affert dedecoris, quàm gloriæ. Aptissimè hoc docuerat Saluianus lib. 2. contra auaritiam, & lib. 3. de prouidentia in principio. *Quid est enim aliud*, inquit, *principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas indigno nisi ornamentum in luto.* E contrà verò adsint merita, & honores desint, & sat erit merendi gloria. Hinc non semel cogitabam (parcant tot Philosophi, qui contrarium tenent) pretiosam honoris suppellectilem non esse sitam in honorante (vt vulgò circumfertur) nec in honorato, hoc est, in eo,

Saluianus.

in eo, qui honorem consequitur, sed in merente. Pulchrè hoc innuit Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 2. art. 2. in corpore dicens: *Honor enim exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam: & ita est signum, & testimonium quoddam illius excellentiæ, quæ est in honorato.* Non ergo est honor, sed dedecus, si desit dignitas suscipienti. Nam consequi honorem, multoties ex calliditate, aut fortuna pendet cõsequentis, non ex eius meritis: at promereri honorem, tametsi infelicitas contra merita coniuret, vt consecutio impediatur, merendi gloriam non tollit. Nam vel ipsa inuidia, quæ omnia corrodit, dignitatem meritorum laudat, quæ si præmia videret, non laudaret. Præstantior ergo est merendi gloria, quàm consequendi felicitas. Vnde honor non in felicitate possidentis, sed in meritorum ornatu constituendus est.

S Thomas.

29. Vidit Ioseph clausis oculis, quia somnians, vidit à cæli luminaribus adorari. *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Genes. 37. num. 9. Diuus Augustinus sermone 81. de tempore expresè asserit, in Iosepho non fuisse hoc somnium verificatum. Quia si per Solem Iacob, & per Lunam Rachel intelligamus, cùm hæc iam è vita discesserit, qui fieri posset, vFilium adoraret? Quare concludit hic Doctor, de Christo Domino intelligendum fore, quando victor surrexit è tumulo, & viram resurgendo reparauit. Tunc Maria cœlorum Regina, pulchra vt Luna, & castissimus eius sponsus Beatus Ioseph vt Sol electus, qui (vt docent Diuus Augustinus, Diuus Ambrosius, Diuus Cyprianus, & alij) adhuc in viuis agebat, & vndecim Apostoli vt stellæ fulgentes Christum adorauerunt. Idem quod Augustinus, tenet Glossa Moralis ad præfata verba. Caietanus ibidem, & alij quamplurimi Interpretes, per Solem Iacobum, per Lunam Rachelem, & per Stellas vndecim, totidem fratres Iosephi intelligunt. Caietanus verò sic ait: *Quoad visionem verò somnij possumus suspicari, quòd Rachel esset tunc grauida: & sic vidit patrem, & matrem, & fratres adorare se.* Vel si mauis, dicito cum Chrysostomo Homilia 66. in Genes. in Ægypto Iosephum adoratum à Iacobo, in quo amoris vita adhuc viuebat Rachel: vel cum Ruperto lib. 9. in Genes. cap. 6. Tunc adorasse Iacob, cum eius filij incuruati pro illo adorauerunt, vt constat Genes. 44. num. 26. Verùm quidquid sit de hoc, parum interest, quòd somnium perfectè in Ioseph non fuisset adimpletum, cùm ei sufficeret adorationem promeruisse: quare ad aliam difficultatem, quæ nostro seruiet instituto, gradum faciamus. Ea est: cur Ioseph cùm somniat, à fratribus adorari, non fratres, sed stellas inspexit; & cùm somnium verificatur, non stellas, sed humiles, & miseros Pastores? Quid enim est, quòd in phantasiæ fictione veneretur Ioseph à fratribus, vt stellis; & in Ægypto non ab stellis, sed à mendicis Pastoribus adoretur? Vbi nam sunt radij, quibus in somnio vt stellæ fulgebant fratres Ioseph; aut quomodo in Ægypto fulgorem amiserunt? In Canaam quando pauper, & patriæ subiectus potestati ab Stellis adoratur: & in Ægypto quando diues, & totius regni præses ab humilibus Pastoribus? Quæ fuit tantæ diuersitatis causa? Quia cùm Ioseph somniat à fratribus adorari, omnibus præstabat in ornamento virtutum, ac proinde erat dignus fraterno cultu, & imperio regni. Videat ergo non homines, sed stellas adorantes. Quando autem feliciter in Ægypto præsulis ornabatur purpura (licèt dignè primatum fuerit consequutus) possessionis gaudebat felicitate. Quid ergo mirum, quod in Canaam ab stellis, in Ægypto à Pastoribus adoretur; si illic solùm meritis fulgebat, hic possessione fruebatur? Quia licèt bene meritæ dignitatis possessio non posset Iosephi virtutes obtenebrare: nescio quid splendidius habeant merita, quæ præmio carent, supra possessionem meritis decoratam. Ideo ergo Ioseph, cùm meretur, & non possidet, vidit stellas se adorare; quando adoratione fruitur, non stellas, sed Pastores miserrimos intuetur; vt assignet tantum esse discrimen inter gloriam meritorum, & possidendi felicitatem, quantum versatur inter stellas radiantes, & rusticanos Pastores.

Genes. 37. August.

Caiet.

Chrysost.

Rupertus.

30. Numerorum 3. n. 12. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: *Ego tuli Leuitas à filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Israël, eruntque Leuitæ mei.* Eodem modo loquitur ibid. n. 41. & 45. Orig. Homil. 3. in Numeros notauit, Leuitas assumi pro primogenitis, cùm tamen, vt refertur Genes. c. 24. Leui non fuerit primogenitus Israël. Nam primus fuit Rubem, secundus Simeon, tertius Leui. Quomodo ergo Leuitæ, qui natura non sunt primogeniti, in primogenitos assumuntur? An quia Deus contra primogenitorum ius, primogeniti dignitatem à tribu Rubem transferret in Leuiticam? Absit. Cur ergo Leui præfertur Rubem, & filiis huius reiectis, illius successores assumuntur? Certè, quia apud Deum non illi primogeniti habentur, qui corporea natiuitate præcedunt, sed ij, quos proposito mentis in specto Deus ipse in ordinem primitiuorum iudicat assumendos. Filij enim Leui quamuis natiuitatis ordine non essent primogeniti, eorum tamen meritis inspectis iure optimo primatus erant digni. Quid ergo mirum, quòd in primogenitos assumantur, etsi secundùm corpoream natiuitatem primogeniti non fuerint? Filij autem Rubem secundùm carnem primogeniti erant; at apud Deum non digni tanta dignitate. Quid nouum si principatum amittant? Illi quantumuis natiuitate nouissimi, spectata ratione meritorum erant primi: gaudeant igitur gloria principatus, etsi primatum secundùm natiuitatem non habuerint. Hi felicitate nascendi primogenitorum decus obtinuerunt, non tamen hanc dignitatem egregiis factis, & meritis ornauere: perdant igitur merendi desidia consequendi felicitatem. Ex quibus apertè constat, felicitatem non in possessione, sed in meritorum magnitudine collocandam. Origeni, vbi suprà, debemus hoc acumen. *Filij ergo Leui primogeniti quidem non sunt secundum carnem, sed pro primogenitis assumuntur: vt sit amplius aliquid pro primogenito assumi, quàm primogenitum nasci.* Qui primogenitus nascitur, natiuitatis iure principatum consequitur, non meretur: qui verò assumitur, meretur, non nascitur. Ergo amplius est pro primogenito assumi, quàm primogenitum nasci: quia promerendi gloria absque dubio felicitatem superat consequendi.

Numer. 3.

Origenes.

Præ

31. Prædicat Petrus diuinitatem Christi quando de illo varia dicebant varij. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Matth. 16. num. 17. cui statim
Matth. 16. dixit Iesus: *Beatus es Symon Barjona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Duo hîc oportet examinare. Primum est: Cur Christus Petrum appellat beatum, si æterna fruitione nondum gaudet? Secundum est: Cur nomine præclaro Petræ eum illustrans (nomen enim Christi Petra est, iuxta illud 1. ad Cor. 10. num. 4. *Petra autem erat Christus*) & promit-
1. ad Corint. 10. tens ei, supra eius firmitatem Ecclesiæ fundamenta constituenda: *ædificabo Ecclesiam meam*: cur statim non ædificat, & Petro Ecclesiæ curam non committit? Si omnia hæc promittit, Christus remunerans tantam confessionem: cur differt Petro Pontificis dignitatem? Quia quando Petrus falsas hominum opiniones confutauit; quæ circa personam Christi vulgò circumferebantur, alta voce intonuit; *Tu es Christus filius Dei viui:* qua confessione honorem Petræ, Pontificis dignitatem dignè promeritus est. Sat igitur est Petro merendi gloria, quamvis ei desit felicitas comparandi. Meritò ergo Christus absque suæ liberalitatis præiudicio Petro tiaram promittit Ecclesiæ, & statim eam non confert: quia cùm Petrus tantæ dignitatis dignus esset, non deest possessio, vbi supersunt merita. Propter hanc causam beatus prædicatur; *beatus es Symon Bariona:* nam licèt semper in laborioso peregrinantis stadio militet, & in viatoris desiderio persistat, nomine beati insignitus est, quia meritis beatitudine condignis ornabatur. Hoc explicuit Cyrillus Hierosolim. Cathe. 11. de Petri confessione
Cyril. Hierosolim. loquens. *Qui itaque agnoscit dominum Iesum Christum cum Deo; fit particeps eius beatitudinis.* Sed quî fieri potest, vt Petrus adhuc in via, particeps fiat beatitudinis? Quia eximia illa confessione meruit beatitatem: sic Abulensis, q. 61. in cap. 16. Matth. *Accipiendo propriè beatum, vocat eum beatum: quia pro confessione fidei, debetur æterna beatitudo.* Optimè ergo Petrus beatus prædicatur, tametsi non fruatur beatitudine, cùm beatitudinis meritis ornetur,

32. Addimus insuper, tantam esse merendi dignitatem, vt vel ipsa beatitas meritorum agonibus consecuta glorioſior sit, quàm si absque meritorum ornatu consequeretur. Quis enim vsquam dubitauit, adultorum beatitudinem multò excellentiorem esse infantium, cum baptismatis gratia decedentium, beatitate? Adultis namque gloria corona est, & hæreditas: paruulis vero hæreditas, non corona. Ad summum paruulorum gloria corona dici potest meritorum Christi, non infantium, cùm ex hac vita decesserint, priusquam ad statum merendi peruenissent. Excellentior ergo gloria est, qua adulti perfruuntur, beatitate, qua potiuntur paruuli. Ob hoc Apostolus 2. ad Timo. 4. n. 8.
2. ad Tim. 4. gloriam suam coronam appellauit, *In reliquo reposita mihi est corona iustitiæ*, vt coronæ excellentia potiretur. Vides iam, qualiter gloria, meritorum ornamento decoretur. Sed adhuc audi Petrum in 1. epist. cap. 1. num. 12. de Angelis Spiritum sanctum intuentibus loquen-
1. Petri. 1. tem: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quantùm hæc verba interpretum torserint ingenia, neminem latet. Nam Angeli æterna felicitate perfruentes, æternum Deum intuentur: quomodo ergo quem vident, desiderant prospicere? Aut quî fieri potest, vt in æterna beatitudine, quæ totum animum satiat, alicuius rei anxietas admittatur? Varia dixere varij. At omnium venia, dicerem, Angelos diuini vultus desiderare prospectum, vt in gloria aliquo modo meritorum existeret ornatus. Non quia superni illi spiritus in patria iam degentes ipsam gloriam, qua fruuntur, promereantur (scio enim ad merita statum viatoris prærequiri) sed vt suis desideriis, quibus diuini vultus intuitionem desiderant, merentium significent anxietates, vt sic quodammodo in patria felicitati summæ, dignitatem (saltem in specie) adiungant meritorum. Tanta enim est merendi dignitas, vt vel in gloria existentes Angeli aliquo modo meritorum desiderent ornatum.

33. Parum hoc: ausim dicere, tantam esse meritorum dignitatem, vt non solùm præstantior sit possessione etiam illius, quod meretur: verumetiam, quod æternus Dei filius videatur pluris facere cognomen, quod meritis acquisiuit, quàm illud, quod accepit æterna generatione. De ipso dictum est Isaiæ 7. num. 14.
Isaiæ. 7. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Diuus Matthæus cap. 1. n. 23. & 23. disertis verbis affirmat, hoc oraculum in Christo fuisse adimpletum: quia Emmanuel interpretatur nobiscum Deus, id est Deus, & homo. Si tamen nomen, quo Christus Dominus insignitus fuit, inquiramus, inueniemus illud apud Lucam cap. 1. num. 31. vbi sic Angelus ad Mariam: *Ecce con-*
Lucæ 1. *cipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Idem nomen Christo inditum fuisse testatur idem Euangelista cap. 2. num. 21. *Et*
Lucæ 2. *vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Idem
Matth. 1. docuit Matth. cap. 1. num. 20. & 21. Hoc etiam nomen in vexillo crucis erat scriptum. Ioan. 19. num. 20. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hoc
Ioan. 19. fuit præclarissimum nomen, quo Christus vocabatur, antequam conciperetur in vtero, in toto vitæ decursu, in cruce, insuper & cùm in cælos eleuatus est: & nunquam in nouo testamento inuenitur Emmanuelis nomine fuisse appellatum. Nam licèt hoc nomen, *Emmanuel*, reperiatur apud Matthæum cap. 1. n. 22. est, quia refert testimonium Isaiæ. Hinc graue dubium insurgit. Quî fieri possit, vt nomine ab Isaia prædicto Christus non vocetur; vt Prophetæ oraculum verum esset? Ergo Emmanuelis nomine debuit vocari Christus: quod tamen factum nunquam legimus. Doctissimus Pater Ioannes Maldonatus in cap. 1. Matth.
Maldonat. num. 21. difficultati occurrit ex sententia Iustini Martyris, Tertulliani, Chrysostomi, Lactantij & aliorum, dicens, Prophetam prædixisse Christum nomine Emmanuelis vocandum, vt exprimeret, futurum esse, quod significatur hoc nomine, nempe Deum, & hominem; non tamen voluisse exprimere ipsum nomen, quo vocandus erat. Quod satis perdoctè ostendit ex frequenti scripturæ stylo; nam etiam Isaias 9. num. 6. de Christo prædi-
Isaias 9. cat: *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,*

liarius, Deus, fortis, Pater futuri saculi, princeps pacis. Et tamen non habuit tot nomina, sed res per ipsa significatas. Sicut etiam idem Propheta. cap. 1. num. 26. Hierusalem alloquens ait: *Posthac vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis*, cùm nunquam Hierusalem his nominibus fuerit insignita. Hæc adduxi, vt litteræ rigori satisfacerem. Verùm ad nostram thesim confirmandam alia superest non contemnenda ratio. Dico igitur, æternum Verbum hominem factum Emmanuelis nomine non vocatum, sed Sacratissimo Iesu; quia Emmanuel explicat Dei excellentiam; Iesus verò merendi dignitatem. Quod sic explico. Emmanuel, nobiscum Deus interpretatur: id est, Deus, & homo. Neutro nomine explicantur merita. Quia Christus non habuit Deitatem ex meritis, sed ex vi æternæ generationis. Debita enim erat diuina natura Filio Dei naturali. Rursus ex vi vnionis hypostaticæ habuit naturam humanam, quam vnionem nullatenus habuit ratione meritorum, quia merendi principium non cadit sub merita. Ergo si hoc nomen Emmanuel Deum, & hominem significat, aut Deum in recto, & hominem in obliquo, nullo modo exprimit meritorum dignitatem. E contrà verò hoc nomen, *Iesus*, hominum Saluatorem, & Redemptorem significat: Ergo explicat merendi dignitatem: Quia Christus Dominus sui pretiosissimi sanguinis & meritorum pretio nos redemit. En ergo tibi, cur Christus Iesu nomine, & non Emmanuelis voluit appellari, quamuis infinitam Dei designet excellentiam: quia illud erat nomen Redemptoris, in quo merendi dignitas erat imbibita. Ex quibus omnibus satis liquet, quoad externum cognomen, pluris Christum facere nomen merita notans, quàm diuinam excellentiam prædicans.

Isaias 1.

34. Haud difficile erit ex Apostolo ad Philipp. 2. num. 9. Hoc ipsum confirmare: nam de Christo Domino loquens, & de eius nomine, quod morte sua acquisiuit, sic ait: *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Origines homilia 1. in Iosue. Et Bernardus sermone 1. & 2. de Circumcisione Domini, putant, hoc nomen super omne nomen esse nomen Iesu. Sed quî nomen Iesu, quod Christum, vt Redemptorem significat, excellentissimum esse potest; cum ineffabile nomen, *Iehouah*, ob suam excellentiam, nefas esset, ab aliquo proferri, nisi à summo Sacerdote? Ergo excelsius est hoc nomen, quod arcanum diuinæ naturæ significat; quàm illud, quod Christum prædicat Redemptorem. Verùm si dicta recolamus, firmiter stabit sententia Origenis, & Bernardi, hanc supereminentiam Sacratissimo nomini Iesu tribuentium. Christus Dominus in quantùm homo nos redemit, labores, ignominias, & mortem patiens, tametsi horum operum valor à Persona Verbi huiusmodi opera significante prouenerit. Ergo in quantùm homo, nos redemit, quia vt talis spirauit in Cruce, vt nostram salutem consummaret. Ergo in quantùm homo meruit. Cùm igitur Redemptoris nomen meritorum includat dignitatem, & redimendi munus nomine Iesu significetur: hinc est, cur Apostolus hoc Sacratissimum nomen super omne nomen appellet. Nam licèt nomen *Iehouah* diuinæ naturæ arcanum designet, cùm tamen in eo nec minima meritorum ratio splendeat, non ita id extollit Paulus, sicut nomen Iesu, cui supereminentiam adscribit. Bernardum accipe sermone secundo de Circumcisione, nomini Iesu assignans significatum. *Saluator vocatur, quod videlicet ex hàc iam cœperit, operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Id est, vocatur Iesus, quia effuso sanguine nos redemit, & suis meritis nostram est operatus salutem. Meritò ergo hoc nomen quod meritorum Christi exprimit excellentiam, omnium est præstantissimum.

Ad Philip. 2.

Bernard.

35. Aaroni, & filiis eius, non Moysi, nec eius proli Deus commisit Sacerdotium, & vestes sacras præparauit, vt ex nostro textu constat: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, vt Sacerdotio fungantur mihi.* Cur Moysi tantum munus non committitur? An quia non esset fidelis in executione mandatorum Dei? Absit. Cùm de illo ipse Deus testetur: *At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Numeror. 12. numero 7. & 8. Quare ergo si Moyses erat Sacerdos, vt vidimus quæst. 1. num. 4. diuina ordinatione Aaroni, & filiis eius Sacerdotium committitur, & sacerdotalis ornatus præparatur? Anastasius Nissenus quæstione trigesima octaua, his verbis soluit dubium: *Moyses non fuit vnctus oleo; non gestauit vestem sacerdotalem, sed Sacerdotes induit: vt discas, quòd ei, qui est secundùm Deum perfectus, ei ornamentum sufficit virtutis.* Moyses excellentioribus meritis fulgebat, ac proinde dignus erat Sacerdotio, quamuis exercitio continuo illius non gauderet. Sat ergo illi fuit, ornamentum habere virtutis, & Sacerdotium promereri, etsi infulis non ornaretur Sacerdotalibus. Ob hoc igitur ornatus, & Sacerdotium non Moysi, sed Aaroni committitur: quia Moyses absque dubio maiori meritorum, & virtutum, quàm Aaron fulgebat excellentia, & vbi merita præcellunt, superfluit possessionis felicitas.

Numer. 12.

Anast. Nis.

ILLATIO IV.

Parentum gloria transfunditur in filios.

36. FIlij imaginem Patris repræsentant: & pater in filiis simulachrum sui posteritati tradit. Ecce causam ob quam patres de hæreditate instituenda tot curis, & laboribus sunt soliciti. Si pater bona acquirit, filiis recondit; si gloriam, si honorem, filiis legat, & hæreditario iure in filios transfundit. Summis laudibus Baptistæ parentum sanctitas, & virtutes celebrantur à Luca cap. 1. num. 6. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela.* Sed cur Sanctus Lucas cùm de Ioanne est tractaturus, sermoni dedit exordium parentum ipsius Ioannis commendans virtutes? Diuus Ambro-

Lucæ 1. n. 6

Ambroſ. ſius ibidem ſic reſpondet. *Quæ alia intentio Sancti Euangeliſtæ, niſi vt Sanctus Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus?* Aliquid amplius hoc explicuit Caietanus ad præfata Verba dicens: Caiet. *Vt ex iuſtis parentibus velut hæreditario iure Ioannes Baptiſta ſanctus naſcatur.* Ita coniuncti parentibus ſunt filij, vt eorum excellentia, & nobilitas tranſcendat vſque ad iſtos.

37. De Patre illo, qui lucem inacceſſibilem habitat, ſæpiſſime clamitat Scriptura, lucem eſſe. Sic Sapientiæ 7. num 26. *Candor lucis eternæ*, dicitur filius. Vnde ſi filius candor eſt lucis, pater lux eſt, cuius filius candor. Item Micheæ 7. num. 8. *Dominus lux mea eſt.* Et Iacobi in epiſtola capite primo, numero decimo tertio. Pater luminum appellatur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* De Filio etiam teſtatur Ioannes cap. 1. num. 9. non ſolùm eſſe lucem, ſed veram lucem: *Erat lux vera*, inquit, *quæ illuminat*, &c. Quis iam non cupiet ſcire: cur cùm toties in ſacra Pagina de æterno Patre prædicetur, eſſe lucem, eſſe veram lucem ſubticeatur; cùm tamen de Filio æterno, non ſolùm quòd ſit lux, ſed lux vera publicetur? An quia Pater non ſit vera lux? Abſit. Eſt enim lux æterna, & lux vera. Cur ergo cùm hoc ita ſit certum, vt dubitari non liceat, de Filio ſolùm, quòd ſit lux vera, de Patre autem, quòd ſit tantùm lux, prædicatur? Diuus Epiphanius in Ancoratu in principio, ſic reſpondet: *Si enim, qui ex ipſo genitus eſt genuinus Filius, lux vera eſt; Filij genitor citra ambiguitatem lux vera eſt ipſe, qui genuit ipſum ſine principio, & ſine tempore lucem veram.* Superfluum eſſet de Patre Deo referre, quod ſit lux vera, quando id prædicatur de Filio. Nam ſi Filius lux vera eſt, etiam Pater lux vera eſt. Quia cùm Filius procedat à Patre lux de luce: per inenarrabilem illam generationem Pater lucem communicat Filio, nec Filius aliam lucem habet, quàm à Patre communicatam. Ergo vera lux eſt Filius, quia Pater eſt vera lux. Rectè ergo intulit Epiphanius, ex eo quòd Filius vera lux prædicetur, Patrem veram eſſe lucem, qui genuit ſine principio, & ſine tempore lucem veram. Vides quomodo Pater ſuam lucem communicet Filio, & Filius ſuam lucem habeat à Patre? Sit ergo vera lux Filius, ſit etiam vera lux Pater, nam Patris, & Filij eandem lucem profitemur.

38. In oratione dominica à Chriſto Domino inſtructi, ſic inter alia Patrem Deum oramus: Lucæ 11. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Lucæ 11. num. 3. Quid eſt, da nobis panem noſtrum? Hunc panem æternus Pater nobis de cœlo præſtat quotidie: ergo ſuum eſt, non noſtrum. Quomodo ergo noſtrum appellamus panem, quem nobis gratuitò, & liberaliter donat? Quod abſque debito datur, dantis eſt, non accipientis, præſertim dum illius poſſeſſione non potitur. Immeritò ergo panem noſtrum appellamus, quem gratis poſtulamus, concedi. Sed vide quanto iure, eum ſic nominemus. Quia panis hic quotidianus Dei eſt, ſed patris noſtri. Sic enim orationi Dominicæ damus exordium: *Pater noſter, qui eſt in cœlis.* Si igitur noſtri Patris eſt panis, meritò hunc panem noſtrum appellamus. Nam ita paterna bona filiorum reputantur, vt nihil ſit in patris poſſeſſione, quod in filiorum vtilitatem non redunder. Meritò ergo illum panem noſtrum vocitamus, quamuis à patre nobis liberaliter donetur, cùm eius ſimus filij. Quia quæ patris ſunt, filiorum propria exiſtimantur.

Iuxta Crucem Ieſu conſtanter afflicta ſtabat 39.
Mater Virgo, ad quam cùm pendens è Cruce, conuerteretur Ieſus, quanti Matrem faceret, manifeſtè explicuit, ſiquidem in illo puncto Matrem ſolam reſpexit, & quaſi ſui immemor, & dolorum oblitus, maternam egit curam. Id refert Ioannes cap. 19. num. 26. & 27. *Cùm vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo: Ecce mater tua.* Ioan. 19. Arnoldus Carnotenſ. tract. de laudibus Mariæ admiratione plenus exclamat. Quid eſt, Domine, quòd vulnerato capite, manibus, & pedibus confoſſis, in vltimis cùm eſſes, quaſi tui, & dolorum immemor, ad Matrem conuertaris, & Ioanni Virgini Virginem Matrem commendes? Cur tam ſollicitus Matris, quando tui videris oblitus? Deuotè, & eleganter reſpondit Arnoldus. *Honoratur*, inquit, *etiam affatu familiariſſimo; & licèt brevis fuerit ſermo, intimatus tamen eſt debitus affectus, & expreſſa ſingularis dilectio. Mulier, inquit, ecce filius tuus. Præſens erat Ioannes, cui dicitur, ecce mater tua. Non eſt paſſus Chriſtus, vt Iudaïca rabies in Sanctuarium ſuum prophanam mitteret manum, vel aliqua infeſtatione violaretur illud Templum Spiritus Sancti.* Arnoldus Carnot. Sed nunc mihi liceat, replicare Arnoldo. Si tunc Chriſtus pendebat è Cruce extenſis brachiis; manibus, & pedibus confoſſis: ſi permiſit, vt ſacrilega rabies Iudæorum in Templum corporis ſui manum mitteret prophanam; cur tanta cura circa Matrem intentus, eam Ioanni commendauit, ne rabies Iudaïca temerario auſu aliquid contra Sacratiſſimam Matrem intentare præſumeret? Quando ſui eſt velut oblitus, Matris recordatur? Non curat de propriis iniuriis vitandis, & de maternis curat? Ita ſanè. Quia pluris habet, ſeruare honorem Matris intactum, quàm ignominias, & probra Iudaïcæ ingratitudinis effugere: quaſi paruipenderet in ſe tot opprobria, & contumelias ſuſtinere, dum maternus honor eſſet illæſus. Sciebat enim, genitricis honorem, ad ipſum refundendum; ob hoc de illo curat, vt proprij auidus honoris. Quid ergo mirum ſi Chriſtus curam ſui velut emitteret de pectore, quando circa Matrem ſolicitudo in animo eius erat infixa: cùm Matrem ab audacia Iudæorum illæſam ſeruare, ad proprium quæſtum, & vtilitatem pertinere, iudicauit?

Ad faſtigium dignitatis applicatur Aaron, 40.
ſed cum filiis ſuis. Ad quid applicantur filij, ſi ſolus Pater ſummo Sacerdotio eſt functurus? Vt ſatisfaciamus litteræ, poſſumus reſpondere: ideo applicari filios, vt tametſi non ſummo Sacerdotio fungerentur. Sed ad rem noſtram reſpondeo, ideo filios Aaronis accerſiri, vt honore Patris afficiantur. Nam vt pulchrè dixit Caſſiodorus libro tertio variarum,

epi

Caſſiod. epiſtola ſexta, *Origo ipſa iam gloria eſt*: id eſt, Patrem nobilem, & ſummis honoribus ſublimatum habere, eſt perfrui gloria originis. Sic enim Patris gloria transfunditur in filios, vt quantumuis Pater honoris dignitate ſolus gaudeat, naturali curſu traducitur in filios. Nam filiorum gloria patres eorum.

ILLATIO V.

Quid non obtinebis filius pro debitis parentum ſatisfaciens?

41. NAturali pondere paternus honor in filiorum gloriam propendet: indeque in filiis naturale conſurgit debitum de honore parentibus exhibendo. Qui hoc munus implet, Deo obedientiam, parentibus debitum obſequium impertitur, & ſuiipſius agit negotium. At non ſolùm filij erga parentes hoc præſtare debent, ſed ita pro eorum debitis ſatisfacere, vt pro eis ſolutionem offerant, ac ſi propria debita compenſarent. Si hoc præſtes, etſi primogenitus non ſis, habebis primatum in paterna domo, dignus eris, vt à Deo non ſeiungaris: & tandem nihil tibi ſupererit, niſi animam tradere in manus æterni Patris. Probemus ſingula.

42. Summis laudibus excellentiam fidei celebrans Apoſtolus, & teſtimonium, quod per eam conſequuti ſunt Sancti, inductione probans, virorum illuſtrium, qui ab exordio mundi præceſſerunt, ſeriem incipit ab Abel, ad Hebræos 11. num. 4. dicens: *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo.* Ad Hebr. 11. Sed cur Paulus hanc virorum illuſtrium ſeriem ab Abel, & non ab Adam incepit, qui Iuſtorum hominum fuit primus? Si dicas: quia conuerſus ad arborem, auerſus fuerat à Deo: culpam fleuit, & caput, & origo totius generis humani permanſit. Quare ergo Paulus non ab Adamo, ſed ab Abel, exordium dedit narrationi? Quia Abel inter omnes Adæ filios primus fuit, qui proprio ſanguine fuſo, & quando exhalauit ſpiritum, primi parentis pœnam exſoluit. Peccatum enim Adami conſequebatur mors: nam primi parentes, eo ipſo, quòd peccarunt, morti fuerunt obnoxij. Hoc debitum primus ſoluit Abel. Æquum ergo fuit, quòd filius; qui vita propria debitum à patre contractum ſoluit primus, ferat primas in ſerie, & narratione Iuſtorum. Aureo Conſtantinopolis ori debemus cogitatum. *Ergo Abel* (inquit Chryſoſtomus homilia 22. in cap. 11. ad Hebræos,) *& rectè obtulit, & rectè diuiſit: ſed pro his quam retributionem accepit?* Chryſoſt. Expende, quæ ſequuntur. *Interemptus eſt morte fraterna, & condemnationem, quam pater pro peccato commeruit, hanc ipſe primus excepit.* Abel primus ſuſtulit mortem, quam eius pater pro peccato commeruit: primus debitum protoparentis exoluit: ſit ergo primus inter illuſtres Adami filios. Nam iure primatus debetur filio, etiamſi minor ſit in paterna domo, qui Patris debitum exſoluit.

43. Non tantùm filius, qui debita parentis perſoluit, dignus exiſtit, inter reliquos fratres habendi primatum, ſed etiam vt à Dei latere minimè ſeparetur. Ad rem adeſt teſtimonium apud Matthæum cap. 8. à numero 19. Vbi Chriſtus Dominus reiecit Scribam promittentem ſecuturum eum, quocumque iuiſſet: Diſcipulum verò ad ſepeliendum parentem pietatis causâ euntem, non permiſit à ſuo latere ſeparari. Sic enim Scribæ reſpondit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Matth. 8. à n. 19. De Diſcipulo ſic refertur: *Alius autem de Diſcipulis ait illi. Domine, permitte me, primùm ire, & ſepelire Patrem meum. Ieſus autem ait illi: ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Vide, qualiter Chriſtus Scribam reiiciat, & admittat Diſcipulum. Sed cur ſi Scriba vltro ſe offerat, à Ieſu conſortio repellitur; & Diſcipulus, qui à Chriſti ſocietate vult ſecedere, vi præcepti detinetur, vt ſequatur Chriſtum; *ſequere me?* Si Diſcipulus inuitè videtur Chriſtum ſequi, & Scriba vltro ſe offert ſequelæ: cur iſte repulſam patitur, & ille admittitur? Ad primum reſpondet Caietanus ibidem dicens: *Reſponſio hæc accuſat animum Scribæ: ex eo enim, quòd reſponſio non congruit oblationi, intelligimus, quod non congruit animo eius.* Caiet. Simulato animo, & hypocryſi Scriba ſe obtulit: meritò ergo repellitur. Sed ad rem noſtram reſpondet Diuus Auguſtinus ſermone ſexto de Verbis Domini: Ideo Diſcipulum collegam ſui admiſiſſe Chriſtum, quia vidit eum pium erga parentem: *Domine permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Meritò ergo Dominus, quem ſic viderat officioſum ad exercendam pietatem erga patrem, vi præcepti conſtringit, vt à latere ſuo non recedat; quia ſic parentem, cupiebat honorare. *Accipe* Auguſtinum. *Piè quidem excuſauit, & ideo dignior, cuius excuſatio remoueretur, vocatio firmaretur.* Auguſt. Satis profundè, vt aſſolet, reſpondet Auguſtinus. Vidit Chriſtus Diſcipulum affectantem pietatem erga parentem: ſufficiens videbatur excuſatio, vt à latere Chriſti diſcederet. Nam quæ maior excogitari poteſt cauſa, quàm ob ſepeliendum parentem, à quo vitam acceperat? Chriſtus verò tantæ pietatis debitorem ſe conſtituit, & ex ea occaſionem ſumpſit, firmius vocandi Diſcipulum, & eum retinendi, ita vt à ſe nunquam ſepararetur: *Ideo dignior, cuius excuſatio remoueretur, vocatio firmaretur.* Sic enim Chriſtus pium erga parentes obſequium remuneratur.

44. Tandem vt hanc pietatem erga parentes commendemus, dicimus, quòd ſecurè Filius, qui paternæ pietatis curam habuit, emittere poteſt ſpiritum: nam æterni Patris manus eum recipient. In ligno pendebat, damnorum ligni reparator, tot iniuriis, & vulneribus plenus, vt quodlibet poſſet, eum vita priuare. Tunc igitur, tunc ad Sanctiſſimam Matrem, quam in corde habebat, vultum conuertens; dilecto Diſcipulo eam commendauit. *Cum vidiſſet Ieſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus*, &c. Ioan. 19. n 26. Ioan. 19. n. 26. Nota, quæ ſtatim refert Euangeliſta. *Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur*

Scriptura dixit: Sitio. Ibidem num. 28. Tandem libato aceto cùm dixiſſet: *Conſummatum eſt*: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* D. Lucas cap. 23. num. 46. referens vltima Chriſti, ait, quòd voce magna clamauit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.* Aduerte miram vtriuſque Euangeliſtæ conſonantiam. Ioannes ſolùm narrat, tradidiſſe ſpiritum: Lucas in manus paternas commendaſſe, refert: non oppoſita docent, cùm illa traditio, & hæc commendatio idem ſignificent. Redeo ad Ioannem. Cur Pathmeus vates, cùm narraſſet, Chriſtum Dominum dilecto Diſcipulo ſacratiſſimam Matrem commendaſſe, tunc refert, omnia conſummaſſe, & inclinato capite ſpiritum in paternas manus tradidiſſe? Quia ob hoc, quòd erga Matrem obſeruantiſſimum affectum, & piam curam oſtendit in Cruce, omnia conſummata ſunt, & nihil ei ſupererat, niſi in æterni Patris manus ſpiritum tradere. Nam ita Deo grata eſt erga parentes pietas, vt qui illam exercet, omnia conſummaſſe videatur, & poſſit ſperare confidenter, in æterni Patris manus ſpiritum traditurum. Patronum habemus Diuum Ambroſium lib. 10. epiſtolarum, epiſtola 79. in fine. Expendens hanc Chriſti erga Matrem curam. *Hoc ergo*, inquit, *teſtamentum Filij eſt de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis conſummationis. Denique hoc dixit, & emiſit ſpiritum, conſummans omne myſterium bono fine pietatis.* Vix Chriſtus Matrem dilecto Diſcipulo commendauit, cùm dixit: *Conſummatum eſt*: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Quia vbi præceſſit erga parentem tanta pietas, omnia conſummata ſunt; etiam nihil ei reſtabat, niſi tradere ſpiritum in manus æterni Patris. *Denique hoc dixit, & emiſit ſpiritum, conſummans omne myſterium bono fine pietatis.*

Lucæ 23.

Ambroſ.

45. Aaronem cum filiis ſuis ad Moyſem, Deus, iuſſit, applicari; non tantùm vt filij patris honore gaudeant, ſed etiam vt illos inſtruat, ab exhibitione debitæ curæ erga parentes nunquam ceſſaturos. Hoc enim eſt debitum naturale: hoc etiam diuina Lex præcipit, & ratio dictat: hoc ipſe præſtitit Chriſtus.

Illatio VI.

Filius paternos mores non imitans, adulterinus, & non germanus reputatur.

46. NOn ſolùm filij parentum ſignis à natura ſignatur frequenter, vidimus filios paterna habere delineamenta, vt imaginẽ exprimant parentum,) verùm ita eorum mores in filiorum animis inſeruntur, vt ſimiles eliciant actiones. Ob hoc præcauere tenentur parentes, ne vitiorum maculis inficiantur: quia abſque dubio his notabuntur & filij. Filiorum Schola paterni ſunt mores: ſi in bonum propendeant, bonis moribus inſtruentur; ſin autem eorum erunt imitatores filij. Hinc infertur, quòd filij, qui ab hoc quaſi innato gymnaſio diſcedunt, non germani, ſed adulterini reputentur.

47. Quando filij Iacob dilectum Benjamin in Ægyptum ducebat, vt Symeonem fratrem, qui ibi tenebatur in vinculis, liberarent, eorum pater tactus dolore cordis, quia putaret, ſe nunquam viſurum Benjamin, lachrymis, & ſuſpiriis verba miſcens, dixit eis: *Abſque liberis me eſſe feciſtis.* Geneſ. 42. num. 36. Quid ais Patriarcha ſancte! Nunquid, etſi pereat Benjamin, decem non ſuperſunt tibi filij? Cur quando eum in Ægyptum mittis, videris iam filiis orbatus? Decem adhuc filios habes, licèt non redeat Benjamin. cur ergo te iudicas ſine liberis? Pro libertate Symeonis mittis dilectum filium Benjamin. Ergo Symeonem iudicas filium. Deinde: ſi Rubem; ſi Leui; ſi cæteri apud Ægyptios manerent in vinculis, non minori, affectu ac pro libertate Symeonis, dilectum mitteres filium: Cur ergo dicis abſque liberis me eſſe feciſtis, ſi tibi decem adhuc ſunt filij? Viderat Iacob decem illos filios plurimis vitiis irretitos, auaritia, inuidia, & aliis. Et quid ſi parricidium ſciret Ioſeph, & à fratribus traditum Iſmaëlitis? Quia igitur eos paternarum virtutum vidit expertes, degeneres putauit eſſe naturæ. Iacob iuſtus erat, decem filij peccatores: meritò ergo non iudicat filios, quos imitatores patris non agnouit. Suſpicabatur Iacob Ioſephum fratrum periiſſe malitia (ſic docuit Rupertus lib. 9. ſuper Geneſim, cap. 2.) & in Benjamin, qui erat vterinus frater Ioſeph, paternus refocillabatur animus: hi duo filij cum paternarum virtutum eſſent imitatores, verè iudicantur filij, ſed inimici reputantur. Quid ergo mirum, ſi Iacob orbatus Ioſepho, & Benjamino ſine liberis ſe iudicet, quantumuis tot liberis ſit circundatus; cùm illi duo paternas imitarentur virtutes, ſecus alij decem? Id inſinuauit Chryſoſtomus homil. 64. in Geneſim, cùm dixit: *Videns enim tantum chorum liberorum ſe circunſtantem, abſque filiis ſe eſſe putauit, quia illo priuatus erat.* Dilectis filiis Ioſepho, & Benjamino orbatus erat Iacob, & ob hanc cauſam ſine liberis ſe putat, tametſi alios decem haberet filios, quia iſti mores eius non imitabantur; illi verò vt germani filij non ſolùm naturam, ſed mores paternos acceperunt.

Geneſ. 42.

Rupertus.

Chryſoſt.

48. Mortali odio Rex Saül proſequebatur Dauidem, quem vt perderet, falſa crimina illi imponebat: è contrà verò Ionathas Regis filius magno erga Dauidem amore flagrabat, & frequenter coram Rege eum extra culpam ponebat. Factum eſt quodam die cùm Saül celebraſſet conuiuium, & abfuiſſet Dauid, Regique interroganti, cur Dauid non adeſſet, reſpondiſſet Ionathas, accerſitum à quodam fratre ſuo cauſa celebrandi ſacrificium iuiſſe in ciuitatem ſuam; tunc contra Ionatham irato animo reſpondit Rex. *Fili mulieris virum vltro rapientis: nunquid ignoro, quia diligis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ?* 1. Regum 20. numero 30. Caietanus ad hunc locum pro illis verbis: *Fili mulieris virum vltro rapientis*, legit ex Hebræo; *Fili tortificantis rebellis.* Quod ſic explicat purpuratus Doctor: *Matrem appellat facientem tortum, quod contra rectum. Ignominiosè nominatur mater Ionathæ*

1. Reg. 20. n. 30.

Caietan.

re

rebellis marito adulterij probro. Sed cur mater Ionathæ adulterij nota ſtimulatur à marito? Aut cur Rex vna voce honorem deturpat regium; Reginam cuipat, & ſtrenuum filium adulterini nota inurit? Quid in propria inſpexit vxore, vt filium tanto dedecore deturparet? In Regina nihil malæ ſuſpicionis inuenit: verùm quia Ionathas Dauidem diligeret, quem Saül odio proſequebatur mortifero, ob hoc quòd patrem non imitaretur, Ionatham adulterini filij notauit infamia. Præclarè hoc explicuit eminentiſſimus Caietanus. *Vt Ionatham* (inquit) *tanquam ex matre contrahentem crimen rebellionis ad patrem, filiumque ſuum adulterinum, non germanum ſignificet: vtpotè non imitantem patrem, ſed matrem, dum Dauidi fauet.* Vidit Saül Ionatham filium diligentem Dauidem, quem ipſe odio proſequebatur; & hoc ſuſpicioni contra Reginam dedit exordium, putans non eſſe filium germanum, ſed adulterio conceptum, qui paternos mores non imitaretur. Nam ita paterni mores filiorum animis inſeruntur, vt ſi aliquando filius patrem non imitetur, non ex matrimonio procreatus, ſed adulterinus habeatur. Hiſpanè dicimus: *No es hijo de ſu padre.*

49. Hinc eſt: quòd ſi fortè contingat, filium paternos mores non imitari, nemo ſit, qui hoc non miretur, ac ſi rem præter ordinem naturæ, & miraculoſam inſpiceret. In communi illo Hebræorum infantiũ naufragio, quo prius mortem bibebant, quàm lac ſuggerent maternum, infantulus Moyſes inter vndas Nili fluctuabat, in ſcirpea ſiſcella incluſus. Tunc Pharaonis filia, cùm deſcenderet, vt lauaretur in flumine, & ſiſcellam vidiſſet, miſit vnam è famulabus ſuis, & allatam aperiens, cernenſque in ea paruulum vagientem, eius miſerta eſt; extraxit è flumine, velut è tumulo, & caſu quodam propriæ matri dedit, vt illum nutriret, nutritum accepit, & adoptauit in filium: *Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyſes, dicens, quia de aqua tuli eum.* Exodi. 2. numero 10. Diuus Auguſtinus libro de locutionibus ſuper Exodum attentè conſiderans filiam Pharaonis in ripa Nili, & inter eius brachia vagientem Moyſem, admiratione plenus exclamat: *Nouum miraculum; genus fecit miſericordiæ parricidæ filiæ.* Sed in quo miraculum? An quòd ſiſcella à fluminis vndis non abſorberetur, vel in tanto diſcrimine non ſubmergeretur infans? Mirabile hoc erat. At Auguſtini ingenium hoc non ſtupet; ſed quòd filia Pharaonis, qui diro edicto Hebræorum infantulos ſuffocabat in flumine, tenerum Moyſem extraheret ex vndis, traderet nutrici, adultum reciperet, & poſt tot pietates adoptaret in filium. Prodigioſa res eſt, & omni admiratione digna, quòd tyranni patris filia, qui execrabili odio proſequebatur Hebræos, à paternis moribus deſciſcens pietatis auxilium infantulo præberet Hebræo: *Nouum miraculum; genus fecit miſericordiæ parricidæ filiæ.* Tanta enim eſt vis in parentum operibus, vt filios attrahant ad ſui imitationem; vt ſi aliquando filius paternos mores non imitetur, vel nouum miraculum omnium mentes in magnam rapiat admirationem.

Exod. 2.

Auguſt.

Moyſes Aaronem fratrẽ cum filiis ſuis ad ſe iubetur applicare. Sed cur non ſolùm Aaron, ſed cum filiis ſuis accerſitur? Vt patrem in Sacerdotij culmine videant elenatum, ac perinde virtutum ornatu fulgentem, & eius virtutes imitentur: exindeque effecti imitatores paternarum virtutum probentur germani, & non adulterini filij. 50.

Illatio VII.

Qui ſplendorem ſanguinis conſequitur in naſcendo, ſciat teneri eſſe glorioſum in operando.

MAgni faciunt homines à præclaris parentibus ducere originem, glorioſa ſtemmata poſſidere, & præclaro ſanguine purpurari. Et meritò. Sed vtinam quemadmodum de progenitoribus illuſtribus gloriamur, ſic de præclaris facinoribus gloriaremur. Proh dolor! De ſtemmatibus gentilitiis, de ſanguinis puritate, de ortu, & origine gloriamur; & oblita, ne dicam ſpreta obligatione ſanguinis, ſpernimus etiam egregias operationes. Quid igitur erit, vt nobilis ſanguis pretioſo emblemate illuſtretur? Sciat, qui nobilitatis ſtemmata hæreditauit; quod ſicut ſplendorem ſanguinis conſecutus fuit in naſcendo, tenetur glorioſus eſſe in operando. 51.

Impletum eſt tempus, vt naſceretur Baptiſta, prodit in lucem: Quod cùm audiſſent cognati, & vicini eius congratulabantur Eliſabethæ. Mira profectò in hac natiuitate euenerunt: vicini abſque inuidia congratulantur; infantis pater, qui loquelam amiſerat, cum voce Verbi vocem recuperat, & plenus Spiritu Sancto prophetat, & ad infantulum, ac ſi intelligeret, loquitur. *Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Lucæ. 1. num. 76. Quid inde? Poſt pauca addit Sacer Euangeliſta. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.* Ibidem num. 80. Natiuitatem Ioannis tot miraculis illuſtrem legimus, non lactationem eius; imò Sacer textus poſt natiuitatem, fugam in deſertum commemorat. Ita ſentit, & explicat Origenes homilia 9. in Lucam. Dignum eſt, vt expendamus: cur Ioannes tanta cum feſtinatione paternis deliciis orbatus in aſperam ſolitudinem receſſit? Ibi tegumen eius cameli pellis fuit pellicea etiam zona præcinctum; eſca locuſtæ, & mel ſylueſtre, vt refert Matthæus cap. 3. num. 4. Ad quid in tenera ætate hic magnus puer eduliis ruſticis, & inuſitatis nutritur, & cibis delicatiſſimis paternæ domus priuatur, tam citò fugiens in eremum? Cur domi non manet, materniſque amplexibus non fruitur; ſed parentes, cognatos, amicos, & ius hæreditarium relinquit, feſtinanter in deſertum ſecedens? Non immeritò, nec temerè reſpondet Origenes ſuprà datus. *Dignè igitur fuit: qui ſic conceptus, & natus fuerat, non expectauit, vt à patre nutriretur vſque ad diem oſtenſionis ſuæ Iſraël, ſed receſſit,* Origenes.

Lucæ 1. n. 76

Ibid. n. 80.

fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abiit in deserta, vbi purior aër erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus Natus fuerat Ioannes Sanctus ex parentibus Sanctis,& illustribus: natiuitas eius gaudium, & admiratio fuit multis. Hoc cùm sciret Ioannes, omni mora depositâ, à paternæ domus blandimentis recedens, in solitudinem fugit, vbi cælestem vitam agebat, orationi, ieiuniis, pœnitentiæ,& omnium virtutum exercitio vacans;vt sic eius opera natiuitatis splendori, & parentum nobilitati responderent. Indecoram enim putaret Ioannes suam natiuitatem, si cùm primùm posset, glorioſum suæ originis stemma mirabili ora suarum virtutum non illustraret. Non expectauit, vt à parentibus nutriretur; sed cùm anticipatum vsum rationis haberet (vt tenent Origenes, Ambrosius, Beda, & alij apud Maldonatum ad hunc locum) statim cùm potuit, abiit in deserta, iniunctam sibi obligationem iudicans operandi præclarè, quia habuerat illustrem sanguinis originem.

53. Inter Iordanis vndas baptizatur Iesus à Ioanne: vix enim de aqua ascenderat cùm aperti
Matt.3.n.17. sunt cœli, descendit Spiritus Sanctus in specie Columbæ & æterni Patris vox auditur è cœlo dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth.; num.17. & statim cap. 4. num 1. prosequitur idem Euangelista
Matt.4.n.1. dicens: *Tunc Iesus ductus est in desertum ab spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Sed cur Christus Dominus contra diabolum in desertum ascendit tunc, quando in Iordane baptizatus est, & Pater Deus intonuit, hic est Filius meus dilectus? Et quare in ipso die, quando triplici congressu victus fuit Sathanas, & rubore suffusus in fugam se conuertit;tunc Christus animum applicuit ad celebre illud miraculum,quo aquam in vinum conuertit in nuptiis Cana Galileæ, vt refert Ioannes cap. 2. Et cur distulit mirabiliter operari vsque ad Baptismum,descensionem Spiritus Sancti, & manifestationem Patris in nube loquentis: *Hic est Filius meus dilectus?* Acutè respondet Chrysologus sermone 160. Ideo Christum tunc dedisse initium signorum; quia tunc æternus Pater absque velamine, & clara voce æternum Filium Christum demonstrauit. Cùm igitur iam Christus videret æternæ suæ filiationis publicam Maiestatem, animum ad opera præclara adduxit; sibi putans manifestata tantæ generationis excellentia incumbere, egregia facinora patrare. Accipe Chrysologum omnia dicen-
Chrysolog. tem. *Hodie Christus initium dat signorum cœlestium, dum conuertit aquas in vinum: vt quem Pater voce Filium probarat, ipse se Deum virtutibus approbaret.* Vsque tunc, quamuis Christus Dominus ante Luciferum genitus, ignorabatur tamen diuinæ generationis Sacramentum, & purus homo habebatur, qui in principio erat Deus. Quid ergo mirum, quòd omnipotentiæ radios occultasset, & mirabilia suspenderet? At semel paterna voce reuelata eius origine, qua lumen de lumine procedit, sibi visum est expedire, statim manus ad operandum applicare,pugnãdo cum dæmone,ipsumque vincendo, & aquam in vinum transmutando, vt sic munus Filij tanti Patris adimpleret. Nam qui generosa origine illustratur, constrictus nascitur operibus egregiis inseruire. Antequam Christus Filius Dei nosceretur,nullum fecerat signum; quia tunc eius diuinitas erat sub velamine occulta: at vbi primùm paterna vox eam declarauit; tunc certamen aggreditur, & mirabilia patrat, *vt quem Pater voce Filium probarat, ipse se Deum virtutibus approbaret.*

Cùm Christus Dominus instrueret Discipulos ad orandum, sic Dominicam instituit oratio- 54.
nem: *Pater noster qui es in cœlis*, &c. Matth. 6. Matt.6.n.9.
num. 9. Cur si hæc oratio tendebat in Deum, discipulis iussit, vt ipsum appellarent Patrem? Aut quare non incipiunt dicentes: *Deus noster, qui es in cœlis?* Antiquis Patriarchis sub nomine Dei innotuerat Deus: cur à nobis, cognomento Patris nominari dignatur, & hoc titulo desiderat, exorari. Vt Deum agnoscentes Patrem, hinc nos constringat ad egregia opera patranda. Perbellè Venantius Honoratus Pictauiensis homilia de oratione Dominica cùm dixit: *Quisquis ergo Patrem illum appellat,* Venantius
sicut decet Filium, sic vitam suam immaculatè Honor.
dispenset. Voluit Christus, à nobis Deum appellari Patrem, vt tanti cognominis non immemores,sicut Filij tanti Patris operemur Hæc enim est filiorum à parentibus illustribus obligatio, vt quos natura fecit illustres in origine; ipsi se exhibeant illustriores in operibus. Aaron cum filiis suis applicatur ad Moysem. Sed 55.
ad quid applicantur Filij? Vt videant Patrem ad excelsam Sacerdotij dignitatem euectum, indeque intelligant, quàm heroïcè debeant operari. Nam hoc ipso, quòd viderint parentem tanta dignitate fulgentem, debitum recognoscent suæ obligationis, vt tantæ filiationis non obliti, suo muneri satisfaciant, & paterni sanguinis splendorem illustribus operibus confirment.

Illatio VIII.

Ad virtutis culmen non subitò, sed pedetentim est ascendendum.

Vitia relinquere, & virtutem amplecti, re- 56.
galis est via, quæ ducit ad vitam. Qui vitiis inseruit, infaustè moritur; qui virtutem colit, alacriter viuit. Sequamur ergo virtutem, amemus vitam, detestemur mortem. Si per viam virtutis graderis; noli mœstus esse. Si vna die ad virtutis perfectionem non veneris; noli contristari; imò lætare, si quotidie in eius progressu proficias, tametsi ad culmen non peruenias. Scito, suspectam esse virtutem, quæ crescit subitò. Nam videre hodie miraculis coruscantem, quem heri deditum vitiis aspiciebas, non ex Dei fauore, sed ex diaboli fallacia, credendum est prouenire. Deus enim, etsi affluenter diuinæ gratiæ rore corda nostra fœcundet, paulatim fructus matureſcere desiderat. Non abnuo, Deum, qui in Sanctis suis mirabilis exiſtit, multoties perditissimos peccatores subitò in Sanctissimos transmutasse; vt Paulum, Magdalenam, & alios, quibus non rorem, sed torrentem gratiæ

præ

præſtitit: at frequenter non ſubitò, ſed pedetentim, & gradatim ad culmen virtutis, & perfectionis ducit. Oculis enim infirmis, vt lucem valeant percipere, ſenſim lux eſt concedenda, ne inimica fiat ex ſodali. Debilem ſtomachum, ſi cibum craſſum adhibeas ei, deteriorem reddes, calorem abſumes. Non aliter in virtute. Si heri peccaſti, hodieque ad virtutis ſummitatem conaris aſcendere, præcipitem prouocas deſcenſum. Aſcende ergo gradatim: nam ſubitò aſcendenti imminet periculum.

57. Genes. 27. Ab hoc diſcrimine liberum deſiderabat Iacobum pater eius Iſaac, cùm ei impartiebatur benedictionem: *Det tibi Deus* (inquit) *de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Geneſ. 27. num. 28. Miror Iſaacum, quando tanta benedictione ditat filium, non dixiſſe; det tibi Deus de pluuia cœli magnam copiam frumenti, & vini; ſed tantum de rore cœli. craſſæ & fœcundæ terræ non ſufficit ros, qui vix eius irrigat ſuperficiem, ſed pluuiâ magnâ eſt illi opus. Ergo aptiùs benediceret Iſaac, ſi dixiſſet: Det tibi Deus de pluuia magna cœli abundantiam frumenti, & vini; quàm cùm dixit, det tibi Deus de rore cœli frumenti copiam, & vbertatem vini. Cur ergo rorem, & non pluuiam filio ſuo deſiderat Iſaac? Philo Hebræus lib. de migratione Abraham in medio occurrit dubio dicens: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Ac ſi dicat: primùm continua te intelligibili cœleſtique irriget pluuia, non larga, vt inundet, ſed ſenſim, leniterque modo roris deſcendente, vt proſit. Deinde ſenſibiles terrenaſque diuitias largiatur vberes, depulſa contraria paupertate animæ, eiuſque partium.* Non pluuia, ſed rore cœli agrum Iacobi fœcundari deſiderabat Iſaac: quia ros ſenſim, & leniter deſcendens, terræque imbibitus vberem eam reddit: pluuia autem ſi larga ſit, terram inundat, radices auellit, defraudat ſpes, ac tandem perceptionem fructuum, & prouentus tollit. Cùm igitur lenitate roris terra fructificet, quæ pluuiæ inundatione, & largitate redditur ſterilis: merito Iſaac Iacobo non pluuiam largam, ſed rorem deſiderauit. Pluuia ſubitò terra irrigatur, & præ nimia humiditate vis eius natiua opprimitur: rore ſenſim humorem ſugit, quo fœcunda exiſtens, vberes parit fructus. Non aliter humani cordis terra ſi inundatione irrigetur, forſan reddetur ſterilis. Sed quid, vt prouentus vberes ferat? Adſit cœleſtis pluuia, vt ros, non vt pluuia larga: *Continua te intelligibili, cœleſtique irriget pluuia, non larga, vt inundet, ſed ſenſim, leniterque modo roris deſcendente, vt proſit.* Ac ſi diceret: ſubitò aſcendere, periculoſum eſt, pedetentim verò ſecurum. Et licèt in via virtutis inceſſanter ſit progrediendum, ſubitus tamen aſcenſus non eſt deſiderandus. Propter hoc Iſaac filio ſuo benedicens vbertatem de rore, qui leniter deſcendit, non de pluuia, quæ inundat, deſiderabat. Sciebat enim prudentiſſimus ſenex, ad culmen ſupernæ benedictionis non extenſis alis, ſed gradibus laborioſis aſcendendum fore.

Philo Hebr.

58. Quadraginta & duabus ſtationibus peregrinati ſunt filij Iſraël ex Ramaſſe vſque ad terram promiſſionis, vt refert Numeror. 35. ſed ad quid filij Iacob tot manſionibus detinentur? Cur breui itinere eos non perduxit Deus ad terram promiſſam? Vix egreſſi fuerant ex Ramaſſe, cùm caſtra metati ſunt in ſocoth, inde venerunt in Etham, &c. vt tandem deſideratam terram obtinerent. Quare ergo ad finem ſuæ profectionis non celeriter peruenerunt? Origenes Homil. 27. in Numeros in his figuraliter intelligit, conuerſionem animæ ad Deum, & auerſionem à creaturis. Ait enim, per Ægyptum, hanc vitam, vel ſtatum miſerum culpæ; per familias Iacob, animas; per terram promiſſam, gloriam, vel culmen virtutis, & perfectionis intelligi; per manſiones profectum in virtute, vel certamina cum inimicis indicari. Meritò ergo tot manſionibus filij Iſraël in terram promiſſam perducuntur, ne ſubitò ad tantam felicitatem aſcenderent; vt ex hoc pateat ad gloriam, vel ad virtutum conſummationem non ſubitò, ſed per manſiones eſſe aſcendendum. *Antequam* (inquit Origenes) *ad perfectum veniat, in eremo habitat, vbi ſcilicet exerceatur in præceptis domini, & vbi fides eius per tentationes probetur, vbi cùm vicerit vnam tentationem, & fides eius in ea fuerit probata, inde venit ad aliam, & quaſi de vna manſione ad alteram tranſit... Et impletur in his illud, quod ſcriptum eſt: ibunt de virtute in virtutem, vſque quo perueniant ad vltimum, imo ad ſummum gradum virtutum, & tranſeatur flumen Dei, ac promiſſa ſuſcipiatur hæreditas.* Non ſtatim poſt exitum de Ægypto terram deſideratam poſſederunt Iſraëlitæ, ſed poſt tot manſiones, & diuerſas victorias contra Moabitas, Madianitas, & alios: vt ex hoc inſtruamur, quòd ſi perfectionem vitæ, & exinde ſummam felicitatem obtinere deſideramus, indeſinenter in variis virtutibus exerceamur, euntes de vna in aliam, vſque quoad vltimam perueniamus: non ſubitò aſcendentes, ſed de virtute in virtutem,

59. Stella duce, vſque ad Betlehemiticam porticum, in qua Deum infantem inuenerunt, ab Oriente perlongum iter aſſumpſerunt Magi. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum ſtaret ſuprà, vbi erat puer.* Matth. 2. num. 9. Valde mirandum, quòd Deus miniſterio ſtellæ reges illos attrahat ad ſe. Cur, Domine, non Lunæ, nec ſoli, ſed ſtellæ regum tribuis ducatum? Promptiori animo accingerentur ad iter, ſi magni iubaris luce ducerentur ad te: cur ſtellæ radiis ab oculis eorum tenebras pellis, cùm luminaris maximi & breuius, & efficacius pellerentur? Profundè ſatis reſpondet Chryſologus ſerm. 87. dicens: *Hinc eſt, quòd & ad Magos adhuc noctis incolas, & totis obſtupeſcentes oculis, tenuiter micans ſtella aſſuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipſum fontem luminis, & dierum.* Quod eſt dicere: ſi Magos ſolaribus radiis verus ſol ad ſe duceret, tanti iubaris luce eorum oculi, vtpote tenebris aſſuefacti, obcæcarentur. Ducat ergo eos ſtella, vt remiſſæ lucis percipientes radios, ſolis percipere valeant lucem. In Magis (quis dubitat?) quærentium Chriſtum exprimebatur imago. Qui ergo Chriſtum inuenire deſiderant, indefeſsè quærant, & inuenient. Non præſumant ſubitò tantam lucem

Matth. 2. n. 9.

Chryſol.

inſpicere: videant primùm ſtellam eius, hoc eſt, in principio conuerſionis; videant in progreſſu virtutis; videant & ſupra ipſum Ieſum, hoc eſt, quando propinqui ſunt ſaluti, vt paulatim, & ſenſim luce ſtellæ percepta ad peremnem radiorum fontem valeant peruenire. Nam ſi ſubitò ad lucem Solis acceſſiſſent, forſan obcæcarentur, fortaſſis lux iniuria eſſet, non fauor. Vt ergo placido lumine noctis tenebras expelleret Chriſtus, non Luna, non Sole, ſed Stella tenuiter micante ducit ad Solem. Sic in virtutis progreſſu procedendum eſt: virtutem indefeſsè deſideremus, & amplectamur paulatim, ſed continuò ad eam properantes, vt ad eius culmen valeamus peruenire, & in eo perſiſtere ſecuri.

60. Apud Lucam cap. 7. num. 38. Non parum religioſam inuenies Magdalenam erga pedes Ieſu: ſtans retro ſecus pedes Domini lachrymarum torrente eos rigabat, capitis ſui capillis tergebat, & oſculabatur, & pretioſo vngebat vnguento. *Stans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Apud Marcum cap. 14. num. 3. Non minùs deuotam inuenies erga Chriſti caput: ſic enim legimus: *Venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius.* Liceat nunc expendere: cur Magdalena apud Phariſæum obſequium illud tantùm præſtitit pedibus Ieſu: apud Symonem Leproſum vero dominico capiti id præbuit? Cordatior exiſteret hæc fœmina, ſi priùs caput vngeret Ieſu, & deinde pedes. Cur ergo vnctionis obſequium à capite, & non à pedibus ſumpſit exordium? Quia tunc Magdalena viam ingrediebatur virtutis, quando apud Phariſæum Chriſtum quæſiuit. Meritò ergo à Chriſti pedibus incepit, vt inde ad caput eius, valeret, aſcendere. Nam cùm Magdalena tunc conuerteretur ad Deum, non ſubitò ad caput, ſed prona ad pedes iudicauit inde eſſe aſcendendum. Id breuiter notauit Drogo Hoſtienſ. de Sacramento Dominicæ paſſionis, cùm dixit: *Quid memorem de ſepulturæ officio, quod præuenit?* (loquitur de Magdalena) *De pedibus aſcendens ad vnctionem capitis.* Hoc nos inſtruxit exemplo ſpeculum illud pœnitentiæ, vt pedetentim, licèt continuò, in via virtutis laboremus, incipientes à pedibus, ſi ad caput Domini deſideramus, peruenire: hoc eſt, quòd ſi ad culmen perfectionis tendimus, incipiamus à minimo, vt inde ad ſummum perueniamus.

Lucæ 7. num. 38.

Marc. 14. num. 3.

Drogo Hoſt.

61. Tandem Chriſti Domini exemplo hoc confirmare haudquaquam erit operoſum. Suſcitaturus Lazarum venit in Bethaniam; acceſſit ad monumentum; remoueri lapidem iuſſit; deinde vocauit Lazarum, & reſurrexit, & ligatis manibus, & pedibus exiit foras. Ioan. 11. à numero 39. *Tollite lapidem: tulerunt lapidem: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis, &c.* Diuus Ambroſius lib. 1. Hexameron. cap. 7. Rem hanc expendens, quæſiuit: cur Chriſtus Dominus tot præmiſit, vt Lazarum reuocaret ad vitam? Audi ipſum. *Nonne poterat, remouere lapidem, qui poterat mortuum ſuſcitare? Et qui potuit defuncto vitam reddere, non potuit nexus ſoluere vinculorum? Cui vinctis pedibus greſſum dedit, huic non potuit ruptis vinculis inceſſum reddere?* En dubium. Expecta ſolutionem. *Sed vtique aduertimus, quod voluit, primo demonſtrare mortuum, vt oculis ſuis crederent: deinde reſſuſcitare; tertiò iubere, vt ipſi vincula funeris ſoluerent, vt inter iſta fides infunderetur infidelibus, & per gradus quoſdam credulitas naſceretur.* Hæc Ambroſius. Increduli Iudæi, qui tunc venerant Bethaniam ſorores Lazari conſolandi gratiâ de Chriſti potentia dubitarunt dicentes: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere, vt hic non moreretur?* Ioan. 11. num. 37. Quid ergo fecit Chriſtus, vt in eorum animis fides infunderetur? Tot præmiſit, vt per gradus quoſdam credulitas naſceretur: ne ſubitò, ſed pedetentim ex infidelibus rederentur fideles.

Ioan. 11. num. 39.

D. Ambroſ.

Ioan. 11. num. 37.

62. *Applica ad te Aaron*, &c. Deus imperat Moyſi. Noſter Abulenſis quæſt. 2. in cap. 28. Exodi, inquirit; cur non dixit Deus, applica ad me, ſed applica ad te? Si Aaron functurus eſt Sacerdotio, aptius eſſet ad Deum applicari, vt ex eius conſortio ad tantam dignitatem rederetur dignus. Cur non ad Deum, ſed ad Moyſem iubetur applicari? Reſpondet Toſtatus. *Quia cùm Deo miniſtrare deberet, oportebat, vt conſecraretur, & veſtibus Pontificalibus indueretur. Iſta autem conferebat Moyſes, qui erat vt ordinator, & conſecrator Aaron, & filiorum eius, & veſtes ei Sacerdotales tribuit.* Quod eſt dicere: Ideo oportuit Aaronem, & filios eius ad Moyſem applicari, vt eos ſacro indueret ornatu, & conſecraret Sacerdotij vnguento, vt ſic ad Deum poſſent accedere, & familiari ſermone cum Deo loqui. Voluit ergo Deus, Sacerdotes ſuos ad Moyſem priùs applicari, vt exinde veſtibus ornati, & oleo ſacro vncti ad Deum paulatim, & pedetentim accederent. Ad ſanctitatis culmen ſubitò aſcendere, non ſemper eſt tutum: paulatim, & ſenſim, periculo vacat.

Abulenſ.

ILLATIO IX.

Honores perſonas quærant; non quærantur à perſonis.

63. QVi honores petit ambitionis, & indignitatis eſt ſuſpectus; qui verò dignitates contemnit, abſque dubio earum comprobatur dignus, & à nota ambitionis liberatur. Hinc eſt, cur ſæpe honores inſectantur fugientes, inſectantes fugiunt. Meritò D. Bernardus lib 4. de conſideratione ad Eugenium, ſuadebat ei, vt non aſſumeret ad dignitates illas petentes, ſed renuentes: *Itaque non volentes*, inquit, *neque currentes aſſumito; ſed cunctantes, ſed renuentes.* Quia æquum eſt, vt dignus honorem fugiat, ſicut quod dignum honores quærant. Quare quibus honores diſtribuendi munus incumbit, nullum locum, latebras nullas omittant, vt dignos honoribus inueniant.

Bernard.

64. Moritur Moyſes iubente Domino: & loquitur Dominus ad Ioſuë dicens: *Omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedum veſtrorum, vobis*

Ioſue 1. n. 3.

vobis tradam. Ioſuë 1. n. 3. Origenes homil. 1. in Ioſuë ſic legit. *Omnis locus, quemcumque ſubdideritis veſtigijs pedum veſtrorum, veſter erit.* Magna hîc Deus promittit Iſraëlitis; terram ſcilicet lacte, & melle manantem: ſed promittendi modus, ni fallor, minuit promiſſionem. Quid enim eſt, omnem locum, quem veſtigia Hebræorum calcauerint ab eis fore poſſidendum? An Deus ſolùm promittit portionem illam terræ, in qua filij Iſraël veſtigia imprimerent? ſi hoc ita eſſet, paruo diſtrictu fruerentur. Nam licèt multitudo copioſa nimis eſſet; quî poſſet, calcare totam illam terram? Aut eſſet excluſa ab eorum poſſeſſione, quam pedibus non protererent? Quis ita promiſſionem tantam obſcurabit? Quid ergo ſibi vult Deus, cùm promittit: omnem locum, quem calcauerit veſtigium pedum veſtrorum vobis tradam? Certe idem fuit ac ſi diceret: omnem terram, quam veſtigiis pedum veſtrorum ſubiiciendo, patui habueritis, poſſidebitis. Nam ad bona terrena poſſidenda, efficaciſſimum medium eſt, ea contemnere. In hoc inſtruimur, ad fugiendos honores, vt nos ſequantur. Si enim eos non quæramus, quæremur ab eis.

Origenes.

65. Ad Hebræos 2. n. 16.

Ad Hebræos 2. num. 16. verbi celebrans incarnationem ait Apoſtolus: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* D. Chryſoſtomus Homil. 5. ad hunc locum inquirit: *Quid autem eſt, quod dixit, apprehendit? Ille,* inquit, *non apprehendit naturam Angelorum ſed noſtram. Quare non dixit, ſuſcepit, ſed iſto verbo vſus eſt, apprehendit?* Si dicas, ideo naturam humanam apprehendiſſe, quia ad Dei imaginem fuerat condita: etiam natura Angelica ad Dei imaginem fuerat creata, & ſublimiori modo, quàm humana. Cur ergo humanam apprehendit illâ relictâ? Omiſſis variis rationibus Theologorum, ad rem reſpondeo; idcirco, quia natuta Angelica (quamuis non tota) effræno appetitu, & temerario auſu ad diuinam ſedem conſpirauit, & ſuper aſtra Dei exaltare ſolium ſuum concupiuit: natura humana humilitatem, & vilitatem propriæ originis recognoſcens, non ſolùm ad diuinam ſedem non conſpirauit, verùm quamplurimi, vt Abraham, & multi ex eius progenie, ſuam vilitatem cognoſcentes, diuinum conſortium recuſabant, & veluti fugientes à tanta celſitudine, ac ſi poſſent, à Dei conſpectu abſcondebantur. En ergo tibi, quare reiecta Angelica, humana natura apprehenditur; & quare hæc aſſumptio noſtræ naturæ dicatur potiùs apprehenſio, quàm ſuſceptio. Quia ergo Angeli ſuperbè ſedem ſuam ſupra diuinum ſolium exaltare cupiebant: hominis verò è contrà puluerem, & cinerem ſe confitebantur: ideo nuſquam Deus Angelos apprehendit, ſed ſemen, Abrahæ apprehendit. Angeli enim, qui temerarium illud commiſerunt flagitium ambitione pleni, & inſolenti conatu diuinam altitudinem prenſabant: homines verò præ nimia humilitate à tanta celſitudine fugiebant. Quid ergo mirum, quòd Deus non Angelos, ſed Abrahæ ſemen apprehenderit? Nam qui dignitatem ardenter, & ambitioſè deſiderat, meritò ab illa reiicitur; qui verò fugit ab ea, iure illam conſequitur. Non longè abeſt ab iſto cogitatu citatus Chryſoſtomus, cùm proſequitur. *Ex metaphora inſequentium eos, qui auerſi ſunt, & omnia facientium, vt fugientes occupent, & vt reſilientes apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipſo naturam humanam, & procul aufugientem (eramus autem longè profugi) inſecutus apprehendit.* Fugerat homo (non ſolùm per culpam, hoc modo etiam Angelus fuerat profugus) à diuinitate aufugerat: è contra Angelus immoderato affectu ſuperbiens illam appetebat. Quid inde? Naturam Angelicam reiecit Deus, & apprehendit humanam: oſtendens, non apprehendere tantam dignitatem, qui illam inſectantur, ſed qui ab ea fugiunt: *aufugientem quippe ab ipſo naturam humanam, inſecutus apprehendit.* Efficacius enim medium ad conſequendum honorem eſt, ab illo fugere, & illum appetere. Si ita facias, quæret te honor, quantumuis in occultiſſimis latebris ſis reconditus.

Chryſoſt.

Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod, & Deus exaltauit illum: & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: de Chriſto Domino prædicauit Paulus ad Philippenſes 2. à n. 8. vbi Chriſti exaltationem ſecundùm carnem propter paſſionem, & mortem oſtendit. Nam illa verba: *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,* Id denotant ſecundùm expoſitionem communem Patrum. Ita Chryſoſtomus homil. 7. Auguſtin. tract. 104. in Ioannem, S. Thomas, Primaſius, Beda, & alij in commentario ad hunc locum. Nec mirum Chriſtum Dominum ad tantum honorem fuiſſe euectum, cùm ſe humiliauerit inenarrabili obedientia vſque ad probra, contumelias, & mortem crucis. Fugit ab honoribus, & abiectionem quæſiuit: meritò ergo eſt exaltatus, & nomen, quod eſt ſuper omne nomen acquiſiuit. Hoc viderat regius vates cum Pſalm. 109. num. 8. cecinit: *De torrente in via bibet: propterea exaltauit caput.* Sed quid eſt hoc? Reſpondet Auguſtinus ibidem: *Quia ergo de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput: id eſt, quia humiliatus eſt, & factus eſt ſubditus vſque ad mortem, mortem autem crucis; propterea eum exaltauit a mortuis, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hoc modo id explicant communiter interpretes ibidem. Liceat inſuper inquirere, qualiter Chriſtus de torrente ſuæ paſſionis biberit, vt inde cognoſcamus capitis eius exaltationem. Nam ſi exaltauit caput, neceſſe fuit illud inclinaſſe. Quando ergo inclinauit caput? Id refert Ioannes cap. 19. num. 30. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Inclinauit ergo caput, vt mortem biberet de torrente iniuriarum, & dolorum. Meritò ergo caput exaltauit, & obtinuit nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Placet tamen hanc rem altiùs expendere, & examinare hoc quæſito: Quare Chriſtus, cùm caput inclinauit, vt è torrente paſſionis mortem biberet; meruit exaltare caput, & honoris diademate coronari? Quid habet meriti capitis humiliatio, quando ſpiritum exhalabat, vt corona caput redimeretur? Quia caput inclinans honorem, & regiam dignitatem

66. Ad Philip. 2.

Chryſoſt. Auguſt. S. Thom. Primaſ. Beda.

Pſal. 109. num. 8. Auguſt.

Ioan. 19. num. 30.

tem recuſauit. Quod ſic explico. Supra Chriſti caput in cruce pendentis inſcriptio tituli hæc erat: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum* Matth. 27. num. 37. vel ſecundùm Lucam 23. num. 39. *Hic eſt Rex Iudæorum.* Tribus characteribus Hebraicis, Græcis, &Latinis Chriſtum Regem oſtendebat inſcriptio. Quid ad hæc Chriſtus? Inclinato capite tradidit ſpiritum, quaſi auertens illud ab honore regio, veluti dicens, regnum recuſo, coronam depono, fugio maieſtatem, de torrente bibo probra, paſſionem, & mortem. Meritò ergo caput exaltauit, & regia corona redimitus nomen, quod eſt ſuper omne nomen, acquiſiuit, nomen ſcilicet gloriæ, honoris, & maieſtatis; quia ſubditus vſque ad mortem factus, honorem regis fugiebat. Hanc rationem exhibuit Drogo Hoſtienſis lib. de Sacramento Dominicæ paſſionis dicens. *Data eſt tibi Domine Ieſu omnis poteſtas in cælo, & in terra, rex magne, rex virtutum: quia factus es obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce, qualiter Dominus, quia per obedientiam mortis fugit imperij maieſtatem, dedit illi Deus regnum magnum, & principem fecit illum. Quid eſt hoc, niſi oſtendere, quòd honores inſectantur fugientes? In Dei namque politica honores quærunt perſonas, perſonæ verò honorem non quærunt.

Matth. 27. num. 39. Lucæ 23. num. 39.

Drogo. Hoſtienſ.

67. Dei præcepto Aaron applicatur ad Moyſem: *Applica quoque ad te Aaronem*, &c. Ad quid accerſitur Aaron? Vt ſacerdotio fungatur coram Domino. Vide, quomodo Aaron non quærit ſacerdotium, ſed ab hoc quæritur. Forſan ſi Aaron ſacerdotij auidus illud quæreret, nunquam conſequeretur; Obtinuit, quia non petiit, & quæritur, quia dignus exiſtebat. Perbellè Stephanus Cantuarienſis apud Godofridum cap. 9. lib. 1. Regum vbi ſic ait. *Prælatus debet poſtulari, non ſe ingerere, vt ſit vocatus tanquam Aaron.* Nam qui poſtulat principatum, aut dignitatem, indignitatis eſt ſuſpectus: quia dum negotiationi confidit, defidit meritis. Egregius vir non poſtulat, imo imperio conſtrictus principatum acceptat, vt neminem lateat, quæſitum fuiſſe non quærentem.

Stephan. Cantuar.

Illatio X.

Adeſt Deus, vbi concordi charitatis vinculo vinciuntur voluntates.

68. DEus vnus eſt, non ſolùm, quia immutabilis, & idem ſemper eſt, ſed quia indiuiſus, & non duplex. Vnitate ergo habet eſſe à ſe, & non ab alio, cùm ab ipſo cætera. Infinitus eſt, quia à ſe; & à ſe, quia vnus. Finge duos Deos, & neuter erit infinitus. Neceſſariò enim vnus ab altero dependeret. Deus ergo vnitati quaſi debet gloriam infinitatis. Ergo pretioſa eſt vnitas, quæ noſtro modo concipiendi Deum vnum conſtituit (parcant ſcholaſtici) ſicut infinitas infinitum. Hinc eſt, cur Deus, qui vnitate eſt Deus, erga concordes ſpeciali quodam affectu feratur, tanquam ad imagines ſuæ celſitudinis: & licèt in rebus omnibus per immenſitatem ſit, at vbi animorum eſt concordia, ſpecialiter adeſt per affectum. Eleganter hoc confirmauit D. Hieronymus ex Pſal. 75. num. 1. *Notus in Iudæa Deus: in Iſraël magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius.* Quæ verba expendens maximus doctor ſic ait: *In Hebræo habet: & factum eſt in ſalem vmbraculum eius. Videte; quid dicat ſecundùm tropologiam, non eſt vmbraculum Domini, niſi vbi pax eſt. Vbi zelus, atque diſcordia, ibi non eſt protector Deus. Dicamus & ſecundùm ſeptuaginta: locus Dei non eſt, niſi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, ſciat ſe non eſſe locum Dei. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc eſt ſaluatoris hæreditas.* Ita vnionis, & pacis Deus amicus eſt, vt ſolùm ibi protector ſit, vbi animorum adeſt concordia. Ibi ponit vmbraculum, & requieſcit.

Pſalm. 75. Hieron.

Vidit Ezechiel atram nubem à vento Aquilonari vehementer agitatam, in cuius medio ſplendidus viſebatur currus, quaternis rotis altitudinis horrendæ, ignitis, & vita præditis. Quaterni iuuenes currum circumſtabant, ſinguli quaternis faciebus, & quaternis alis. D. Hieronymus in hunc locum huius currus rotas conſiderans aſſerit, tanta vnione fuiſſe colligatas, vt quantumuis eſſent quatuor, vna videretur. Inſuper rotarum aſpectus, & opus earum erat quaſi viſio maris, & aſpectus earum quaſi ſit rota in medio rotæ. Tandem inquit Propheta: *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Ezechiel. 1. n. 20, Valde notandum eſt, quòd ſpiritus vitæ ſedem habeat in rotis. Sed quiſnam eſt hic ſpiritus vitæ; & cur in rotis ſedem conſtituit? Diuus Hieronymus citatus per ſpiritum vitæ Spiritum Sanctum intelligit. Hinc vrget ſecunda pars quæſiti: cur ſcilicet diuinus Spiritus rotas ſibi in ſedem elegit? Quia circumferentia maioris rotæ, quaſi quodam amplexu minorem continebat rotam. Ambæ erant concentricæ, id eſt, vnum centrum, & quaſi vnum cor habentes, & vnaquæque alteri coniuncta. Sic Hieronymus. *Aſpectus earum erat, quaſi rota in rota: vt non vnam rotam crederes, ſed alteram alteri copulatam.* Meritò ergo Spiritus Sanctus in rotis ſedem conſtituit, quas tanta vnione vidit coniunctas. Inſuper iſtæ rotæ maximam cum animalibus habebant concordiam. Nam cùm animalia ambulabant, mouebantur & rotæ: ſi illa eleuarentur è terra, ſimiliter & iſtæ. Quid ergo mirum, ſi Spiritus Sanctus ſit in rotis? *Iſtæ ergo rotæ* (concludit Hieronymus) *in quibus erat Spiritus vitæ, omnia ordine faciunt, atque menſura: habentque cum animalibus concordiam ſequentes ea, & per ea Spiritum Sanctum: imo mediis prætermiſſis Sancti Spiritus ſocietate gaudentes.* Rotæ quatuor erant, ſed vnaquæque in medio ſui velut in corde rotam habebat incluſam (ſic ſacer textus ibidem num. 16. *Quaſi rota in medio rotæ*) in quo rotarum concordia ſummopere exprimebatur. Ergo iure optimo in eis ſedes Spiritus vitæ, & thronus Spiritus Sancti conſtituitur. Quia vbi cordium vnitas adeſt, & animarum concordia, Dei præſentia deeſſe non poterat.

69. Ezechiel. 1. Hieron. Ezechiel. 1.

Baptizatus Ieſus inter fluenta Iordanis: *& deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum.* Lucæ 3. num. 22. Sed cur non deſcendit Spiritus Sanctus in aquilæ ſpecie, quæ

70. Lucæ 3. n. 22.

quæ omnium auium nuncupatur regina: Diuus Cyprianus de vnitate Eccleſiæ ita factum iudicauit, quia columba animal manſuetum eſt, & pacis amicum. *Idcirco* (inquit) *& in columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal, & lætum eſt, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum.* Aquila verò auium regiam maieſtatem deturpans, viuit ex rapina, iniurias vindicat, ſæuâ morſibus, & vnguium laceratione violenta. Meritò ergo Spiritus Sanctus non in aquilæ ſpecie, ſed columbæ deſcendit. Sed adhuc vrgeo: cur non deſcendit in turture, de qua canebat ſponſa Cant. 2. num. 12. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra?* Origenes hom. 2. in Cantic. reſpondet: *Idcirco non turtur; ſed columba venit, & inter nos propter hominum multitudinem conuerſatur.* Turtur ſemper ſolus, & ſponſi lugubri planctu mortem deplorans, fugit conſortium, ſolitudinem amat, ſocietatem cum aliis ſpernit. *Columba* (inquit Chryſoſtomus Homil. 26. in Geneſ.) *animal eſt mite, & noſtra familiaritate gaudens.* Ob hoc à cœlesti ſponſo ſub nomine columbæ ſponſa quæritur Cant. 5. num. 2. *Aperi mihi ſoror mea, columba mea.* Quaſi Deus roget animam, & vltro illi ſe offerat, quæ columbæ pacem imitatur. Richardus de S. Victore apud Godofridum ad cap. 15. Geneſ. hanc cauſam præbuit, ob quam tanto honore affi-ciatur columba, vt ſedes Spiritus Sancti fuerit electa. *Columba* (iuquit) *gregatim volat, & ex eo formam dilectionis oſtentat, quæ corda ſemper conciliat, & in vnam pacis concordiam ligat.* Sed rem hanc profundiùs explicuit Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 8. dicens: *Quemadmodum enim poſt aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata eſt: poſt baptiſmum (vt ita dixerim) mundi pacem cœleſtis iræ præco columba terris annunciauit, emiſſa ex arca, & cum olea reuerſa, quòd ſignum etiam apud nationes paci prætenditur. Eadem diſpoſitione ſpiritualis effectus terræ, ideſt, carni noſtræ emergenti de lauacro, poſt vetera delicta, columba Sancti Spiritus aduolat, pacem Dei afferens, emiſſa de cœlis, vbi Eccleſia eſt arca figurata.* Ecce ex mente Tertulliani, ideo columba præ cæteris auibus eligitur, & Spiritus Sancti conſtituitur ſedes; quia olim diluuio iam ſedato, altera columba ab arca emiſſa, oliuæ ramum virentibus foliis portans ad arcam reuerſa eſt, pacem inter Deum, & homines annuntians. Quia ergo columba pacis eſt auida, vnionis amica, & iniuriarum oblita, in ſpecie eius deſcendit Spiritus Sanctus; vt omnibus innoteſcat, concordiam & pacem Spiritus Sancti gratam eſſe ſedem.

Cyprian.

Cant. 2. n. 12.

Origenes.

Chryſoſt.

Cant. 5. n. 2.

Richard. de S. Victor.

Tertulian.

71. Nec ſolùm animorum concordia Deum allicit ad ſe; verumetiam ipſe Deus, qui ab omni creatura dignus eſt laudari, eorum, quæ vnita ſunt ſpecialis fit encomiaſtes. In rerum exordio, vix Deus lucem produxerat, cùm eam laudat: *Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* Geneſ. 1. num. 3. ſegregauit aquas ab aquis, & eas, quæ ſub cælo ſunt, in vnum congregauit locum: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* Ibid. num. 10. Dei imperio protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum: *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum.* Ibid. numero duodecimo Solem, Lunam, & Stellas in ſigna temporum produxit: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum.* Ibidem numero decimo octauo. Idem protulit, cùm animalia terræ, & maris produxit ibidem numero 21. & 25. &c. Creatiſque rebus omnibus, ait ſacer textus: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Ibidem numero trigeſimo primo. Miraberis forſan, ſi ſtylum ſacri textus expendas. Nam quid eſt, quod quando Deus ſingula produxit, ſolùm æſtimauit vt bona; *Vidit Deus quòd eſſet bonum*, toties repetens: at rebus omnibus iam creatis, non tantum vt bona, ſed vt valde bona laudauit, *Et erant valde bona?* Hoc notauerat Auguſtinus libro decimo tertio confeſſionum, capite vigeſimo octauo cùm dixit. *Septies numerauí, ſcriptum eſſe, te vidiſſe, quia bonum eſt, quod feciſti, & hoc octauum eſt, quia vidiſti omnia, quæ feciſti, & ecce non ſolum bona, ſed etiam valde bona, tanquam ſimul bona.* Nunquid Deus rebus iam creatis nouam addidit perfectionem, vt quæ antea ſolùm bonæ æſtimabantur, nunc æſtimentur vt optimæ? Si hoc enim eſſet, procul dubio è diuinis manibus non prodiiſſent perfectæ, quod nullatenus eſt dicendum. Ergo ſi conſummato rerum opificio valde bonæ extiterunt, etiam cùm producebantur. Cur ergo poſtea vt valde bonæ laudantur, cùm antea vt bonæ tantùm celebrentur? Audi Auguſtinum reſpondentem, *Nam ſingula* (inquit) *tantùm bona erant, ſimul autem omnia, & bona, & valde bona.* Ac ſi diceret: cùm Deus ſeorſim ſingula producebat, bona erant (è manibus Dei quid niſi bonum prodire poterat?) Attamen conſummata rerum creatione valde bona ſunt omnia, quia ſimul ſunt; hoc eſt, mirabili concentu vniuerſi componebant pulchritudinem. Quia ergo Deus cum ſingulares crearet, tametſi non diſcordes, vnitas non vidit, tantum bonæ ſibi viſæ ſunt, cùm rebus omnibus iam creatis, naturæ mirabili concordia, eas videret vnitas, quas antea vt bonas, nunc vt valde bonas approbauit, quaſi ex vnitate earum creſceret perfectio. Vide ergo Deum creaturarum non ſolùm encomiaſtem, ſed eas ſummis laudibus extollentem, cùm earum collectionem vidit: vt exinde colligas, quanti apud Deum ſit diſtinctorum vnio.

Gen. 1. n. 3.

Ibid. n. 10.

Ibid. n. 12.

Ibid. n. 18.

Ibid. n. 31.

Auguſt.

Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum. 72. Cur Aaron non iubetur expreſsè ad Deum applicari, ſed ad Moyſem? Quia hæc applicatio Aaronis ad Moyſem, vtriuſque fratris denotabat concordiam. Nam vt diximus num. 1. ex Oleaſtro in Hebræo legitur, *Appropinqua.* Si ergo Moyſes, & Aaron veræ fraternitatis & charitatis vinculis coniunguntur, ſuperfluum eſſet, exprimere, Aaronem ad Deum applicari: quia quando cordium adeſt vnitas firma, proculdubio ad Deum adeſt coniunctio. Tanti enim Deus facit animorum concordiam, vt cùm primùm illam viderit, ibi alacriter conſtituat ſuam ſedem.

Illatio II.

Dedecori vertitur principi, si tantùm sibi sit, & subditorum vtilitati non consulat.

73. NOn sibi Princeps Reipublicæ fulget imperio: non sibi in sublimi potestatis sede constituitur; sed vt regat, vt foletur, vt succurrat. Hanc curam quibusdam Episcopis commendabat Bernardus epist. 229. cùm dixit: Bernardus. *Ad hoc vos Deus in summitate posuit, vt tanto maiori Ecclesiæ suæ vtilitati viuatis, quanto in ea maiori authoritate præstis.* Ac si diceret; Præsul, seu Episcopus non sibi, sed Ecclesiæ vtilitati eligitur. Ob hoc non absre erit, si dicamus, Præsulem Solis imitari debere proprietates, qui quamuis dispensatione liberali in corpora sublunaria influat: ipse tamen in seipsum non influit: vel si placet, Soli Præpositum, vel Rectorem comparamus; quia sicut Sol luminis sui radios ab infantili ætate, & in suo ortu omnibus communicat, sic Gubernator, & Princeps nihil lucidum, splendidum nihil habere debet, quod subditorum non Genes.1. cedat vtilitati. In exordio rerum, *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei; luminare minus, vt præesset nocti.* Genes.1. num.16. Quid in Sole præter lucem ita fulget, ob quod vix è nihilo emergit, cùm ei Deus diei imperium concedit? Aut quæ Lunæ fuit excellentia, vt noctis tenebras velut Regina illuminaret? Ni fallor, quia non sibi solùm; sed inferioribus lucem habent. Radiat Sol in se; sed nobis: fulget Luna; sed vt nobis inter noctis caliginem præstet lucem, & viam aperiat. Neutrum sibi Soli gaudet lucis pulchritudine. Non ergo immeritò Soli diei, & Lunæ noctis adscribitur imperium.

74. Ex Dei consortio fidelissimi amici eius Moysis facies radiabat, tantâ radiorum copiâ, vt timerent filij Israël vultum ad eum conuertere: At Moyses vt tantum timorem ab illis procul pelleret, & Dei mandata intimaret, velamine in facie superpositio tegebat lucem, & facilis Exod.34. præbebatur, vt cum eo possent agere. *Posuit velamen super faciem suam..... sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* Exod.34.num.34.& 35. Quid est, quod Moyses locuturus ad populum faciem velamine tegit? Et cur filij Israël magno timore perterriti ad eum non audent accedere, nisi faciem cooperiat? An eius fugiunt consortium, quia fratris lumen nolunt videre: & ad eum accedunt velamine superpositio, quia malunt, non lucida, sed obscura videre in fratre, in proximo, in concine? Forsan ob hoc. Nam sic aliena lux aliorum oculos offendit, vt malint ad obscuram, quam ad radiantem faciem appropinquare. Sed ad rem respondebis, si dicas; ideo Moysem radiantem vultum velamine illo abscondisse, quia cùm totius populi esset Princeps, dedecori sibi vertendum putauit, lumine illo radiantissimo perfrui in vultu, cùm subditorum facies illo carerent. Fulgor ille Moysem, non populum illustrabat. Ob hoc abscondit, & velamine faciem obtegit, quasi rubore suffunderetur, claritate gaudere, qua sibi subditus populus non frueretur. Quasi intra se diceret: Ego qui huius populi præpositus existo, solus tanta claritate fruor, quando mei subditi illius sunt expertes? Ego radiorum diues, cùm meis adest caligo? Non sic Moyses, inquit, non sic, tege velamine faciem tuam, velut verecundia affectus, quòd ipse lucem habeas, qua carent tui Israëlitæ. O prudens Princeps! O Dux strenue, quanto honore hoc facto dignus existis! Sic enim populum attrahes, cùm tibi Soli non sis, sed omnibus: cùm non tibi Soli Maiestatem desideres, sed subditis. Quid aliud populi indicabat timor? Nam fulgentem fugiebant Moysem, non radiantem quærebant. Fulgens sibi Soli fulgebat; ideo non solùm ab eo fugit populus, sed & oculos auertit, quasi non admittens Præsulem, qui totum fulgorem sibi adscribit, nihil claritatis subditis communicans. Nec irrationabiliter fugiunt à Præsule, qui sibi totus est splendidus, & micans. E contrà verò, cum velamine superpositio, & velut radios renuncians, quia eis subditi carent, quæritur à populo; nam Princeps, qui lucere contemnit, si populus luce caret, dignus est à populo acclamari.

75. Miserè deliquit Dauid contra Dei sanctionem numerans populum Israëliticum: iratusque Dominus misit ad eum Gad Prophetam dicentem: *Elige quod volueris: aut tribus annis* 1.Paral.21. *famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos,* n.12. *& gladium eorum non posse euadere, aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuersis finibus Israël.* 1. Paralipom. 21. num.12. optione data respondit Dauid: *Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius, quàm in manus hominum.* Ibid.n.13. ibidem num.13. Pestilentiam elegit Dauid, quam misit Deus in Israël, & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. Ibidem, num. 14. Diuus Ambrosius in Psalmum 37. miratur Dauidem elegisse pestilentiam. Nam quæ maior strages populo poterat euenire, quàm clades septuaginta millium virorum, si fames, aut hostium eligeretur incursus? Cur ergo Dauid pestilentiam elegit? Si dicas; quia pestis à Deo infligebatur, cuius multæ sunt miserationes: etiam fames, & bella tunc à Deo infligerentur terræ intemperie, & hominum incursione. Ergo eadem ratio militabat, vt ex tribus propositis malis quodlibet eligeret, cùm eodem modo diuinæ miserationis posset expectare fauorem. Cur ergo pestilentiam elegit? Quia si fame populus opprimeretur, Regi nullatenus deesset alimonia; & similiter si bello Regnum deuastaretur, Regi posset adesse recursus, vt in fugam se committeret, quantumuis totus caderet populus: at in damno communi, & æquali pestilentiæ, pari discrimini subiacebat populus, & Rex; nam à peste nec purpura, nec diadema defendit. Elegit ergo potiùs pestilentiam, quàm famem, & bella; quia in his pereunte populo, poterat non perire; at in illa simul cum populo communi patiebatur periculum. Grassante enim peste

ne

nemini parcit diſcrimen, Rex, & populus eidem ſubiacent periculo. Noluit ergo Dauid nec famem, nec bella eligere, ſed communem peſtilentiæ ſtragem: ne in tanto diſpendio populum ſibi commiſſum derelinquere videretur, imò potiùs voluit pro illo non ſolùm deprecari, ſed vitam offerre, vt conſtat ex præfato textu num. 17. cùm dixit: *Nonne ego ſum, qui iuſſi, vt numeraretur populus? Ego peccaui, ego qui malum feci: iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obſecro manus tua in me, & in domum Patris mei, populus autem tuus non percutiatur.* Voluit ergo, vt ipſe potiùs pro populo feriretur, quàm populum in tanto fuiſſe diſcrimine. Sed accipe Ambroſium rem hanc acutè expendentem. *Suam fugam non popoſcit propter illud, quia Propheta pro populo deprecari poterat, ſicut factum eſt.* Quod eſt dicere: Si Dauid famem eligeret, quantumuis populus opprimeretur inedia, Regi non deficeret cibus: ob hanc etiam cauſam nec bella elegit: facilè enim Rex belli periculum poſſet fugere, etiam ſuo exercitu pereunte; at in communi peſtilentiæ ſtrage ſicut populus, ita & Rex æquali ſubiacebat diſcrimini, imò voluit in ſe commune adire periculum, ne periclitaretur populi ſalus, indecorum ſibi putauit Dauid vita perfrui, quando totus populus peribat.

1. Paralip. n. 17.

Ambroſ.

76. Sermonem vtilem texuerat Chriſtus coram Diſcipulis de die illo terribili vniuerſalis iudicij, & de ſignis, quæ illum erant præceſſura. Quæ cùm audiſſent Diſcipuli, certam huius diei cognoſcere deſiderant durationem, quibus ſic occurrit Dominus: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum, niſi ſolus Pater.* Matthæi 24. num. 36. Difficilius eſt, quod apud Marcum legimus cap. 13. num. 31. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.* O bone Deus, quid ais? Conſubſtantialis es Patri, & hoc ignoras? Quid blaſphemo ore audebit Arrius? Quid petulanter non excogitabit Eunomius? Sed eorum fœtida ora obſeratunt præcipua Eccleſiæ lumina. Auguſtinus 1. de Trinitate, cap. 12. Hieronymus & Hilarius in Catena S. Thomæ ad hæc verba varias expoſitiones afferentes. Legito Maldonatum doctiſſimum ſi plura ſcire deſideras. Origenes in præfata catena relatus ſic præſentem difficultatem ſoluit. *Donec Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, neſcit diem illum, & horam, tandiu nec, ipſe Filius dicitur, diem illum, & horam ſcire.* Sed quid intereſt, quod Eccleſia diem illum ignoret, vt ob hoc putet Adamantius, Chriſtum dicere, eundem diem ignorare? Chriſtus, qui æterno Patri conſubſtantialis eſt, eandemque Deitatem, & ſapientiam habet, vt diem illum præcognoſcat, non dependet ab Eccleſia, vt patet. Quia ſicut independens in eſſentia, ſic in cognitione. Cur ergo Origenes aſſeruit, Chriſtum illum diem ignorare, quia Eccleſiæ ſubterfugiebat notitiam? Satis profundè id cogitauit Origenes. Nam cùm Chriſtus totius Eccleſiæ Præſul exiſteret, indecorum ſibi putauit, certi illius diei incertam manifeſtare durationem, & ſcientiam oſtendere ſe habere, quando Eccleſia, cuius caput erat, illum ignorabat: ne cognitionis excellentia videretur perfrui, qua non fruebatur Eccleſia. Chriſtus enim (quis dubitare poteſt?) Certò & infallibiliter terribilem diem illum cognoſcebat: attamen quia ab Eccleſia ignoratur, quando ſit futurus, ideo ſe ignorare dicitur; ne videatur ſibi ſoli ſapiens, & non Eccleſiæ, cuius caput exiſtit.

Matth. 24. n. 36.

Marc. 13. n. 31.

Auguſt.

Hieron.

Hilar.

Origen.

Matth. 5. num. 14. Diſcipulos ſuos Chriſtus vocat lucem: *Vos eſtis lux mundi.* Sed cur Domine, lucis cognomen, quod tuum eſt, iuxta illud Ioannis cap. 8. num. 12. *Ego ſum lux mundi*, Diſcipulis concedis? Chromatius Aquileienſis in cap. 5. Matthæi, ſic dubium ſoluit. *Nam cùm ipſe lucem mundi ſe eſſe profeſſus ſit, tamen etiam Diſcipulos ſuos hoc nomine voluit nuncupare, non auferens ſibi, quod ſuum eſt lumen, ſed largiens: quia lumen verum, & æternum, quod ſuum eſt, ſine aliquo detrimento propriæ naturæ largitur.* Chriſtus abſque dubio lux mundi eſt, & illuminat omnem venientem in mundum; & quia lux mundi eſt, hoc nomine Diſcipulos ſuos nuncupari voluit. Nota cauſalem. Quia lux Chriſtus eſt, lux etiam ſunt Diſcipuli: quod eſt dicere; ideo eos lucem appellat, quia ipſe, qui eorum caput eſt, lux vera eſt, ne lucis pulchritudine videatur gaudere, qua carerent diſcipuli. Nam cùm Præſul non ſibi ſoli ſit, ſed ſubditis, quod ſuum eſt, ſine detrimento, imò cum magna laude largitur. 77.

Matt. 5. n. 14.

Ioan. 8. n. 12.

Chromatius Aquil.

Applica ad te Aaronem fratrem tuum cum filiis ſuis. Ad quid cum filiis applicatur Aaron? Sat enim erat, Aaronem ſolum applicare, qui ſolus functurus erat ſummo Sacerdotio: Cur etiam filij applicandi ſunt? Quia quamuis filij non fruerentur ſummo Sacerdotio viuente Aarone, tamen Sacerdotes minores deſtinabantur. Vt ergo modo, quo poſſent, tanta fulgerent dignitate, quando Pater ad Sacerdotium vocatur, vocantur & filij, ne pater putet ſibi ſoli tantam præparari dignitatem. Nam cùm Aaron ſummo gauderet Sacerdotio, æquum erat, & rationi conſentaneum, vt tantæ excellentiæ filij non eſſent expertes. Ille enim Præſul erat, iſti ſubditi. In eo ergo inſtruebantur Prælati, vt non ſibi, ſed ſubditis, ad dignitatis faſtigium aſcendere. Nam prælationis excellentia fulgere, & ſubditorum vtilitati non conſulere ignominioſiſſimum genus eſt imperandi. 78.

ILLATIO XII.

Sciat, qui in culmine dignitatis ſedet, quòd ſicut omnibus antecedit in dominio, ſic & omnibus præſtare tenetur in virtute.

TRitum eſt axioma Philoſophorum, *Vnumquodque eſſe propter operari.* Quod licèt à pleriſque de innata propẽſione, qua vnaquæque cauſa proportionatam ſibi operationem elicere deſiderat, intelligatur; tot vitorum venia, aliter ad mores explicare non erubeſcam. Vnuſquiſque ergo eſt propter ſuam operationem: id eſt; vnuſquiſque ſecundùm quod eſt, debet operari. Nam ita operatio, & eſſentia ſibi mutuò cor- 79.

reſpondent; vt non ſolùm quis ſuæ naturæ, iuxta innatam propenſionem, proportionatas operationes teneatur elicere, ſed etiam claritati generis, & muneris celſitudini condignas actiones proportionare. Vnde non demiramur ſedentem in abiecto, & vili loco parua efficere, quanuis aliquoties, vt vilitatem diſſimulet, ad egregia aſpiret, & efficiat præclara. Cæterùm ſiquis in ſublimi ſede conſtitutus, aut perilluſtri genere ortus vilia exerceret, non immeritò miraremur. Tenetur namque vnuſquiſque iuxta illud quod eſt, elicere operationes, & ſicut alios excedit in ortu, & dignitate, ſic & in operibus antecellere. Optimè Saluianus lib. 2. contra auaritiam, ſacerdotum exemplo ad egregia facinora nobiles, & præclaros inuitat. *Miniſtri* (inquit) *& ſacerdotes, & Clerici, exemplo eſſe omnibus debent, & vtique tantò antiſtare cæteris omnibus deuotione, quantò antiſtant omnibus dignitate. Nihil enim eſt turpius, quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vilitate.... Et ideo cunctos, qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Id ipſum docuit Sanctus Petrus Damianus opuſculo vigeſimo quinto de dignitate ſacerdotij, cùm dixit: *Solicitè conſiderandum eſt, vt quem ad obtinendas Eccleſiaſtici culminis infulas ſummi ſacerdotij ſublimitas eleuat, celſitudo quoque laudabilis, & arduæ conuerſationis attollat: & ſicut per acceptæ dignitatis ſublime faſtigium cæteris eminet, ſic eum præ cæteris vita ſit pereminens, & ſpiritualium morum ſplendor exornet.*

Saluian.

Petr. Dam.

80. Ad hominis creationem, quaſi ineuntes conſilium, tres diuinæ perſonæ dixerunt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ. 1. numero vigeſimo ſexto & ſtatim num. vigeſimo ſeptimo conſultò refert ſacer textus: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Tertullianus cap. 5. de reſurrectione carnis notauit ſubtiliter ſcripturæ ſtylum. Cur Deus (inquirit) in hominis creatione, & voci operationem addidit, & hanc trina repetitione explicuit? *Faciamus*, inquit ſacer textus; *creauit*, addidit; & tandem, *ad imaginem Dei creauit illum.* In creatione cœli, & terræ ſemel poſuit ſacer ſcriptor, *creauit*, cùm dixit: *In principio creauit Deus cœlum, & terram:* in creatione lucis ſat fuit ſolum, *fiat*, vt pulchritudo radians exiſteret, *fiat lux, & facta eſt lux*: ſimiliter, *fiat firmamentum*, dixit; *& fecit Deus firmamentum*: tandem in nullius rei creatione auditur actionis trina repetitio, niſi quando formandus eſt homo. Inſuper notat Tertullianus omnia ſolo verbo produxiſſe, hominem verò è limo plaſmauit, deinde ſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, voci actionem, & linguæ manus adiungens. Cur ergo Deus, qui ſolo verbo hominem ex nihilo poterat extrahere, voci actionem, & manum linguæ ſuperaddidit? Et cur, ter repetiit ſcriptor ſacer, *creauit*, cum in aliarum rerum productione, aut ſemel aut bis, nunquam ter verbum, *creauit*, ſit additum? Paſchaſius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 5. ſic reſpondet. *Et dixit Deus, faciamus hominem. Quid eſt aliud, niſi quia ſubſtantia vnitatis loquitur, & potentia Trinitatis operatur? Perſpice, quomodo trina vice nomen Dei in creatione hominis nuncupatur.* Sed adhuc vrgeo: cur in hominis creatione tanti myſterij præbetur indicium? Reſpondeat Tertullianus citatus. *Faciamus enim hominem ante præmiſit: & amplius manu propter prælationem, ne vniuerſitati comparetur.* Creabatur homo, vt totius vniuerſi gauderet imperio. Quid ergo mirum, quod diuerſo, & excellentiori modo à Deo producatur in regem, vt ſic diſceret, tantam dignitatem operibus exornare, cùm multiplicata operatione à Deo produceretur? Creata omnia homine minora erant, ideo Dei iuſſu, & ſola vocis poteſtate creantur: at homo vt omnium Dominus, à Domino ſtructus eſt, vt eſſet Dominus. Adſit ergo multiplex operatio, vt in tanta dignitate conſtitutus diſcat, celſitudini opera egregia adiungere. Audi Tertullianum. *Et finxit*, inquit, *Deus hominem. Magnæ ſine dubio differentiæ ratio, pro conditione ſcilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta ſunt. Meritò igitur vt famula, iuſſu, & imperio, & ſola vocabuli poteſtate vniuerſa proceſſerant. Contra homo, vt Dominus eorum, in hoc ab ipſo Deo ſtructus eſt, vt Dominus eſſe poſſet, dum fit à Domino.* Cùm homo, vt præeſſet orbi crearetur, vniuerſa autem, vt hominis deſeruirent famulatui; conueniens erat, vt ſcripturæ variaretur ſtylus. Dicat igitur ſacer ſcriptor, eùm aliarum refert creationem, iuſſu, & imperio, & ſola vocabuli poteſtate proceſſiſſe: at cum hominis narrat conditionem, non ſolùm vocem, & Dei imperium, ſed trinam operationem referat, vt ſuæ creationis non immemor homo, operum addat excellentiam. Qui namque præclarè ortus agnoſcitur, aut in faſtigio dignitatis elucet, ſicut cæteris antiſtat in officio, antiſtare debet in operibus.

Gen. 1. n. 26.

Ibid. n. 27.

Ibid. n. 1.

Paſchaſius.

Tertullian.

81. Cùm Hebræorum populus Iordanis vndis impediretur, ne flumen traiiceret; Dei iuſſu, ſacerdotes, qui arcam fœderis in humeris portabant, & populum præcedebant, ingreſſi ſunt Iordanem Vix ſacerdotum pedes aqua tinguntur, cùm arcam, & ſacerdotes reuerentur vndæ, & inſtar montis intumeſcentes ſteterunt. Diuiditur flumen, & apparuit via ſine aquarum impedimento: *Et ſacerdotes* (inquit ſacer textus Ioſuë tertio numero decimo ſeptimo,) *qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti. Omniſque populus per arentem alueum tranſibat.* Quid eſt, quod ſacerdotes ſunt primi, qui fluminis per vndas ingrediuntur, & nouiſſimi, qui eas deſerunt? Et cur ſi populum præcedebant, non pergunt vltra, vt eorum exemplo confidenter populus flumen tranſmearet? Quia cùm ſacerdotes infulis ſacerdotalibus ornarentur; æquum erat, vt aliquid excellentius efficerent, quàm populus. Oportebat enim, vt primi Iordanis tranſitum aggrederentur, quo populo facilis eſſet tranſgreſſus; & vltimi egrederentur è flumine, vt præſtantius opus exercentes ſuo muneri ſatisfacerent. Qui namque dignitatis fulgent excellentia, in operibus tenentur antecellere.

Ioſue 3. n. 17.

Creata

82. Creata omnia ad Dei laudes decantandas inuitat regius vates. Pſalm. 148. & numero 4. Sic ſupernis aquis tantæ obligationis intimat
Pſ. 148. n. 4. obligationem: *Et aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Nunquid aquæ ſunt ſupra cœlos? Non pauci affirmant, quaſdam ſupra cœlos, quaſdam infra eos Deum collocaſſe, cùm firmamentum ad eas diuidendas legamus produxiſſe. Hoc poſito examinandum ſupereſt: cur Rex Propheta ſupernas aquas priùs inuitat ad Dei laudes celebrandas, quàm eas, quæ in terræ meatibus, aut ſupra dorſum eius, aut quieſcunt, aut hilari motu ſcaturiunt? Aut quid in ſupernis vidit aquis, vt eis priùs Dei gloriam enarrandi intimaret obligationem? Stephanus Cantuarienſis apud Godofridum ad capitulum primum Geneſis allegoricè ſoluit nodum. Per firmamentum Eccleſiam ſupra firmam petram fundatam intelligit; per aquas ſupra cœlos exiſtentes, Prælatos & Principes per aquas terræ enitentes, ſubditos non dubitat deſignari. Inuitat ergo Dauid ſupernas aquas, vt inceſſabili laude, diuinum celebrent nomen, (non quia inferiores ab hac excludat obligatione, cùm eas poſtea ad diuinas laudes decantandas etiam inuiIbid. n. 7. tet, numero ſeptimo, dicens: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyſſi.*) Sed vt ſupernis, hoc eſt, prælatis, & in dignitate conſtitutis intimaret, potiori iure conſtringi ad Deum ſummis laudibus efferendum. Quaſi diceret: aquæ tam infernæ, quàm ſupernæ laudare Deum tenentur: Attamen ſupernæ, vtpotè Principes, & Prælatos deſignantes, potiori iure conſtringuntur, quàm
Steph. Cant. infernæ. *Et diuiſit aquas ab aquis.* (inquit Cantuarienſ.) *Eccleſia eſt firmamentum, quaſi in bono confirmata, quæ habet aquas Superiores, id eſt, Prælatos; & inferiores, id eſt, ſubditos Et diuiſit aquas ab aquis: quia vita Prælatorum longè debet eſſe à vita ſubditorum.* Æquum enim eſt, vt qui eminentiori gaudent loco, fulgentioribus ornentur operibus; vt ſic excellentiori dignitati ſublimiora opera correſpondeant.

83. De medio filiorum Iſraël ſegregatur Aaron cum filiis ſuis, vt Sacerdotio fungerentur. Ad quid ergo eſt iſta ſegregatio? Vt qui ad ſacerdotalem dignitatem fuerant euecti, ſublimius quàm cæteri operarentur. De filiis Aaron, & Leuitis refertur Numerorum 26. numero ſexageſimo ſecundo, non fuiſſe cum cæteris Iſraëlitis annumeratos, nec cum eis obtinuiſſe poſſeſſionem. *Non ſunt recenſiti in*
Numer. 26. n. 62. *ter filios Iſraël, nec eis cum cæteris data poſſeſſio eſt.* At cur Leuitæ inter filios Iſraël non recenſentur, & à poſſeſſione terræ excluduntur? Origenes Homilia vigeſima prima in Numer.
Origenes. his verbis rationem offert. *Sunt aliqui in iſtis, qui conditione ſortis ſupereminent, & omnino nec adducuntur ad ſortem, omnes Leuitæ, id eſt, omnes, qui intentè, & indeſinenter permanent in miniſterio Dei, & peruigiles in ſeruitio eius excubias gerunt, ſortes inter cæteros non accipiunt.* Quod eſt dicere: ideo Sacerdotes, & Leuitæ ad terræ ſortem non adducuntur; quia conditione ſortis ſupereminent, hoc eſt, quia ad tantam dignitatem euecti, vt in miniſterio Dei permanerent, & peruigiles in eius ſeruitio exiſterent, non ſicut cæteri terrenis curis, ſed tanto miniſterio, vt Dei miniſtri vacarent. Non igitur fuerunt excluſi à terræ ſortitione, niſi vt intelligerent, Sacerdotum, & Miniſtrorum Dei curam ſublimiorem eſſe debere, quàm illorum, qui popularibus vacabant negotiis. Præclarè id explicuit Diuus Hieronymus epiſtola ad Titum, capite ſecundo. *Nec ſolùm* Hieron.
Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi curent magnopere, vt cunctum populum, cui præſident, conuerſatione, & ſermone præcedant: verum & inferioris gradus exorciſtæ. Idem dixit Sanctus Laurentius Iuſtinianus de complanctu Eccleſiæ. *Debet prorſus omnis illorum vita omnium* Laur. Iuſtin.
magiſterium eſſe fidelium, atque ſanctitatis ſpeculum. Tandem ad noſtrum verſum Gloſſa Moralis totum corroborat aſſumptum. *Ideo* (inGloſ. Moral.
quit) *præcipitur Moyſi, vt applicet ad ſe fratrem ſuum cum filiis de medio filiorum Iſraël ad fungendum Sacerdotio coram Domino: Neceſſe eſt enim, vt qui ad maiorem gradum promouendi ſunt, maiori mentis induſtria ſeſe ad legem Dei applicet, id eſt, diuinorum mandatorum obſeruationem.* Videat ergo Sacerdos, & Præſul intelligat, non ſolùm à populo ſegregari, vt gloria dignitatis fulgeat, ſed præcipuè vt ſplendeat operationis excellentia.

ILLATIO XIII.

Qui Deo vacat, nec vilem puluerem, nec ſubtilem aërem rerum terrenarum præſumat, admittere.

84. DEi infinita bonitas ſicut propriæ, ita creatæ voluntatis adæquatum obiectum facilè comprobatur. Ipſa omnis eſt plenitudo dulcedinis; ipſa omnium bonorum aggregatum; vt clarè viſa noſtrum deſiderium ſatiet, feliciterque ſpectata ſemper (licèt ſine anxietate) deſideretur poſſideri. Hinc in rationali creatura oritur innata illa propenſio videndi Deum: hinc etiam obligatio inſurgit, ipſum amandi. Voluntatem ergo à tanti obiecti amore retrahere, incuria, & vitium reputabitur. O bone Deus! Quis te diligeret quantùm poteſt! Aut quis tui arderet amore, quantùm debet! Ex te enim venit, & velle, & diligere: da vtrumque, vt nihil præter te quæramus, ſiquidem in te quidquid appetibile eſt, inuenimus. Quæramus ergo ſummam hanc dulcedinem, & eam tanto proſequamur amore, vt nullius creati flagremus deſiderio.

85. Prudenti, licèt magna fiducia, fideliſſimus ille Dei amicus Moyſes Deum exorabat, dicens: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Exo- Exod. 33.
di trigeſimo tertio, numero decimo octauo, cui Deus reſpondit: *Non videbit me ho-* n. 18.
mo, & viuet. ibidem, num. 21. Sed quia propriè, & ſpecialiter placuiſti mihi: *Ponam te* Ibid. n. 21
in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam. Vel vt ex Hebræo legitur: *Po-* Hebr.
nam te in cauerna rupis. Caietanus ad hæc verba preſſius legit, dum ait: *Per foramen ru-* Caietan.

pis introductus tunc diuino miraculo in concauum rupis. Ac si diceret; ita angustum erat foramen, in quod Deus Moysem introduxit, vt illud non posset capere, nisi diuino miraculo introduceretur, quo ita contiguus mansit rupis concauo, vt nec subtilissimus aër ingredi posset. Sed ad quid Deus in tam angusto loco Moysem collocauit? Aut cur concauitati rupis adæquatur, ita vt subtilis aër ingredi, aut egredi non valeret, quando Dei gloria transiret? Ideo factum puta, vt Moysis erga Deum ardentissimus amor innotesceret. Moyses namque gratiam coram Deo inuenerat, hoc est, placebat Deo propriè, & specialiter, quia ex toto corde, & ex tota anima sua Deum diligebat. Cùm igitur Moyses tanto ardore erga Deum æstuaret; æquum erat, vt cùm Dei gloria transiret, in angusto rupis concauo poneretur, ita vt nec subtilissimus aër illuc posset ingredi, ne cum tanto amore, vel tenuem auram admitteret in consortium. Nam vt pulchrè annotauit Richardus de Sancto Victore libro quarto contemplationis, capite decimo quarto. *Amor singularis consortem non recipit, socium non admittit.* Singulariter Moyses Deum diligebat: ergo vel tenuis auræ consortium tenebatur respuere. Meritò ergo tenet Caietanus, diuino miraculo introductum fuisse in concauum rupis, vt contiguitas eius ad petram innotescat, & vel tenuis auræ motum non admisisse, neminem lateat. Qui enim diuini amoris ardet calore, ita totus debet esse Deo, vt nec tenuem aërem admittat, quo ardor ille frigescat.

Richard. de S. Victor.

86. Quid dicam, tenuem aërem non admittere debere diuinæ bonitatis amatorem? Despicabilem puluerem nec conculcare licet, ne aliquid terrenum cum diuino amore compati videatur. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*: Dicebat Christus Discipulis Matth. 10. numero decimo quarto, cùm eos misit ad verba salutis annuncianda. Caietanus hìc peracutè hanc Saluatoris nimiam prænotauit diligentiam. Nam quid interest, quod Discipuli excutiant, vel non excutiant puluerem, qui casu quodam pedibus adhæserat in illa ciuitate, quæ diuinum Verbum noluit suscipere? Eia Domine: dedecet enim nobile, & magnificum cor, paruæ, & vilissimæ rei tantam curam habere? Cur ergo iubes Discipulis, vt puluerem de pedibus excutiant? Perbellè, inquit Caietanus. Nam Discipuli Deum diligebant, & ex toto corde illius infinitæ, & incomprehensibilis bonitatis amore flagrabant: gens verò illa, quæ eos recusabat excipere, & Euangelium respuebat, idololatriæ, & superstitionis caligine erat sepulta; Dei nominis inimica, & à veritate aliena. Iure ergo prohibentur discipuli, vel tenuissimum puluerem ex illa ciuitate afferre: nam sic Deus zelotypia suos respicit amatores, vt vel despicabilem puluerem ex inimica terra, & ex solo ingrato secum reportare prohibeat, ne vel in puluere communicent cum infidelibus. *Ad testificandum*, (inquit perdoctus Cardinalis) *tali signo, quòd nihil commune relinquitur vobis cum eis.* Puluis ille, licèt casu quodam Discipulorum pedibus adhæserat, erat tamen ex infideli, & Dei inimica terra assumptus: Discipuli autem Christum diligebant. Vt ergo Dei intelligerent amatores, nec casu quodam aliquid diuino amori contrarium eis permitti, iubentur Discipuli puluerem excutere, ne vel illo tantî amoris excellentia reddatur suspecta. Deus enim Deus zelotes est, & in se diligentibus, nec puluerem ex inimica terra admittit.

Matth. 10. n. 14.

Caiet.

87. Hoc apertè monstrauit, cùm prodigum illum beneuolis suscepit amplexibus. Experientiis, & miseriis plenus rediit ille in paternam domum; & qui audacter substantiæ partem, quæ ei contigerat, postulauit à patre, ea dissipata, patris desiderabat seruitutem. Vix iter aggreditur, cùm videtur à patre, qui motus misericordia occurrit illi, & promeritam reprehensionem amplexibus commutans, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Tunc filius tantæ beneuolentiæ non ingratus, profusis lachrymis dicebat, peccaui in cœlum, & coram te, non sum dignus vocari filius tuus. Quid ad hæc pater? Seruis suis imperauit, dicens: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.* Lucæ 15. numero vigesimo secundo. Expende, quæso, prouidam huius patris curam. Nec mireris eum de indumentis filij fuisse solicitum. Nudus enim venerat, quare pium, & necessarium erat, operire eum indumentis. Deinde manum eius annulo exornare, reconciliationis erat indicium; nec hoc est rarum apud piissimum patrem. Quod videtur autem inusitatum, est, tanta cura pedibus calceamenta postulasse. Nam non me latet, eundem patrem, cum in ardenti, licèt incombusto rubo appareret, Moysi ad illum appropinquanti præcepisse, pedes exuere calceamentis, vt ad tanti mysterij accederet oraculum, Exodi tertio numero quinto: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Cur igitur in præsenti, idem pater, in pedes filij cum tanta festinatione iubet dare calceamenta? Acutè Chrysologus sermone tertio dubio satisfacit. *Ne vel in pede*(inquit)*remaneret deformitas nuditatis.* Quod est dicere: cùm prodigus suspiriis plenus pœnitentiæ voce dixit, *Peccaui in cœlum, & coram te*, ad pristinam patris gratiam, & amicitiam reuersus fuerat: insuper clemens pater filium recipiebat amplexibus, & inter vtrumque mutuus ardebat amor. Meritò ergo pater filium, quem amantem viderat, non solùm annulo exornari, & stola indui, sed & calceamenta pedibus iusserat præparari; ne vel in pede tenuissimi puluerís immunditia anteactæ vitæ maneret. Pedibus terram patri inimicam tetigerat: ne ergo vel in digito pedis aliquid sit terrenum, & paternæ amicitiæ oppositum, pedes calceari iussit. Nam sic Deus sui amatores ab huius sæculi curis expeditos præuenit, vt nec puluerem tangere, pedis extremitati permittat; ne ob hoc terreno-

Luc. 15. n. 22.

Exod. 3. n. 5.

Chrysolog.

rum

rum affectu à tanto amore aliquantulum diuagentur.

88. De medio filiorum Iſraël Aaronem ſegregari iuſſerat Dominus. At quid intererat, vt cun reliquis habitaret? Audi noſtrum Abulenſem in capite vigeſimo octauo Exodi quæſtione ſecunda. *Filij Iſraël* (inquit,) *erant homines*

Abulenſ. *dediti curis mundanis, ſcilicet quòd quilibet ſuis inſiſtebat negotiis; voluit autem aliquos ſegregare, qui non ſuis negotiis intenderent: ſed cultum Dei ſolùm principaliter exercerent; & iſti fuerunt Aaron, & filij eius, qui de medio populi ablati ſunt, ne talia eſſent ſtudia ſua ſicut popularia.* Vide, quomodo Aaron, & filij eius à reliquis ſegregantur, ne ſæcularibus inſeruiant negotiis, ſed Soli Deo vacent, vt ſic expeditiùs, & honeſtiùs fungerentur tanto miniſterio. Nam cùm Dei infinita bonitas totum deſiderium creatæ voluntatis expleat; æquum eſt, vt qui Deo conſecratur, nullius negotij cura diuagetur. Sint igitur Sacerdotes à curis ſæcularibus abſtracti, vt ſic ſoli Deo præbeant gloriam, & honorem; & affectum, & voluntatem non dimidient, alius obiecti admittentes conſortium. Qui namque diuino obſequio emancipatur, Soli Deo inſeruire debet, aliarum rerum curâ contemptâ.

ILLATIO XIV.

Malorum ſocietas, quem afficit, inficit.

89. QVot incommoda ex malorum ſocietate proueniant, & quot mala ex eorum pullulent conſortio, ita oculata docet experientia, vt id nullatenus indigeat probatione. Nam multi, qui in via virtutis, & veritatis incedebant, aberrarunt ab ea, mores amicorum prauos imitantes, & eorum conſiliis acquieſcentes. Ob hoc ſatis diſerte docebat Seneca epiſtola vndecima à falſis amicis, & vitiis deditis fore fugiendum maiori ſtudio, quàm à cibis exitiali confectis ve-

Seneca. neno. *Ante circumſpiciendum eſt cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas.* Timenda ergo eſt malorum ſocietas, ne boni peruertantur: & execrandum eſt illorum conſortium, ne perfecti, vel præuaricentur, vel refrigeſcant.

90. Creata adhuc erant in exordio tenebrarum caligine cooperta: Dixit autem Deus, fiat lux,

Geneſ. 1. n. 4. & facta eſt lux: *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris.* Geneſis 1. numero quarto. Hæc in prima die. In quarta iterum ſolicitus eſt Deus de diuiſione lu-

Ibid. n. 14. cis, & tenebrarum, cùm dixit: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem* Ibidem numero decimo quarto. Rupertus in hunc locum ſic ingeniosè dubitat.

Rupertus. *Quid neceſſe erat, vt luminaria diuiderent diem, ac noctem, ſiue lucem, ac tenebras? Imò quomodo diuiderent, quod iam Deus diuiſerat, & nemo rurſus confuderat?* Si Deus in die prima inter lucem & tenebras iam poſuerat diuortium: ad quid Sol, & Luna creantur, vt diem diuiderent à nocte, & lucem à tenebris ſepararent? An quia diei, & nocti confuſionis imminebat periculum? Non negarem. Sed à quonam iſta confuſio erat inferenda? Certè non ab alio, quàm à tenebrarum conſortio. Dies, & nox vicina ſunt, & inter vtramque nihil mediat: Vnde diei cum nocte maximum confuſionis imminebat periculum. Quia ergo proximitas noctis poſſet diei communicare caliginem, non ſemel tantùm Deus lucem diuiſit à tenebris, ſed luminare maius creauit, quod diei defenderet claritatem. Quaſi non ſat eſſet, ſemel lucem à tenebris ſeparare, ni Solis cuſtodia protegeretur. Theofridus Abbas de Sanctorum reliquiis in ſecundo tomo Bibliothecæ veterum Patrum, per hanc diuiſionem lucis, & tenebrarum, ſedulam curam, quæ adhibenda eſt vt peccatorum fugiamus ſocietatem, intelligit. *Diſtantia,* Theofridus. inquit, *quippe grandi diuiſit Deus lucem à tenebris, id eſt, pios ab impiis.* Tam exitiale contagium ex malorum prouenit conſortio, vt quaſi non ſufficeret ſemel lucem, & tenebras, bonos & malos ſeparare, iterum inter eos poſuit diuortium, ne impiorum peſtis ad pios transfundatur.

Separatam lucem audiuimus à tenebris, 91. non ſemel ſed iterum, atque iterum, ne lucis pulchritudo pateretur diſcrimen à tenebrarum conſortio. Vide nunc: An hæc ſeparatio vindicauerit lucem à tanto diſcrimine; vt exinde colligas, quanto ſtudio fugienda ſit malorum ſocietas. *Pereat dies, in qua* Iob. 3. n. 2. *natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt homo*: Clamabat Iob capite tertio, numero ſecundo, ſine patientiæ præiudicio. Origenes libro tertio in Iob ſubtiliter inquirit. *Porrò quando natus es, ô Beate Iob? Per diem,* Origenes. *an per noctem? Si in die natus es, nocti quid iraſceris? Sed ſi in nocte natus es, diem cur maledicis?* Argumentum Origenis nemini non videbitur efficax. Nam ſi in die prodiit ex vtero, abſque iure noctem maledicit. Si è contra, in nocte materna deſeruit viſcera, dies maledictionis erat indigna. Ergo diem, vel noctem execretur, non vtrumque. Cur ergo contra noctem, & diem ſimul iraſcitur? Ingeniosè reſpondet Adamantius. *Vbi dies illic, & nox: & quod diei, hoc etiam nocti. Ob hoc ergo, quia vnum ſunt dies, ac nox, cum diei malediceret, nocti non pepercit.* Quid illuſtrius? Vicinitas diei cum nocte, in cauſa fuit, vt illius maledictio iſtam comprehenderet. Demus Iobum in die natum: Hoc ſat eſt, vt maledicatur nox. Demus è conuerſo, Iobum in nocte prodiiſſe in lucem: Hoc ſufficeret, vt dies execretur: quia vbi dies, illic & nox. Inſeparabilitas ergo, & diuturna coniunctio noctis, & diei, inſeparabilem vtrique maledictionem præſtitit. Sed adhuc expende illud. *Ob hoc ergo, quia vnum ſunt dies, ac nox, cum diei malediceret, nocti non pepercit.* Hoc videtur difficile. Nam dies, & nox diſtincta ſunt: aliàs, quî potuiſſent à Deo ſeparari in exordio? Quomodo ergo Origenes apperto ore diem, & noctem vnum appellat? Non propter identitatem, ſed propter conſortium. Ex diuturna ſocietate diei cum nocte

prouenit, vt idem reputentur. Quid ergo mirum, si sanctus Iob, diem, in qua natus est, maledicens, nocti non parcat, licèt in ea non prodiisset ex vtero? Quia etsi dies, & nox mutuò pugnent inter se; immediata tamen copulantur coniunctione. Societas ergo inseparabilis à die in noctem maledictionem transtulit, & quasi vnum effecit noctem, & diem; lucem, & tenebras; iustos, & impios.

92. Ob hoc iuuenis ille castitatis exemplar lasciuientis dominæ fugit attactum. *Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Genes. 39. numero 12. Sed cur Ioseph cùm pallium sensit apprehendi, violenter è manibus fœminæ non extraxit, sed reliquit? Diuus Ambrosius libro de Iosepho, capite 5. Ideo factum putauit, ne si pallium seruaret, in eo lasciuiæ occultaretur venenum, & castissimum animum iuuenis inficeret. *Contagium enim iudicauit, si diutiùs moraretur; ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent.* Reliquit pallium Ioseph, quia adulteræ attactu infectum putauit; timens, ne libidinis incentiua per pallium lasciuæ fœminæ manibus pollutum transfunderentur in cor. Ita adulteræ fugiebat societatem, vt de remotissimo attactu vereretur.

Genes. 39. num. 12.

Ambros.

93. Et quid dicam, ex prauæ societatis attactu vitiorum communicari contagium? Audeo dicere prauorum consortium ita inficere, & communicare contagium, vt tametsi illorum solum adsit desiderium, hoc sufficiat infectioni. Per colles, & valles pio affectu fratres quærebat Ioseph, & non inueniebat, *Inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit, quid quæreret?* Genesis 37. num. 15. Sed cur Ioseph à recta via declinans errabat in agro? Diuus Ambrosius libro de Ioseph, capite tertio respondet: *Non immeritò errabat, qui quærebat errantes.* Sed adhuc vrgeo. Ioseph quamuis errantes quæreret fratres, eorum mores non imitabatur. Insuper, non quærebat eos, vt in eorum vitiis communicaret, sed vt portaret alimoniam, in paternam domum iterum reuersurus. Cur ergo Ambrosius, causam errandi Ioseph studio quærendi fratres errantes attribuit? Quia vel studium pium associandi errantibus, sat est ad errandum. Fratres Ioseph perditissimi erant, & dissolutis moribus à paterna declinabant virtute: Ioseph autem apud patrem educatus imitabatur paternos mores, & tamen quia errantes fratres quærebat, errabat in agro. Nam prauorum societas, non solùm sibi proximos inficit, sed etiam longè dissitos; imò & eam ex bono fine quærentem.

Genes. 37. num. 15.

Ambros.

94. De medio filiorum Israël, hoc est, de consortio eorum; *vel de filiis Israël*, vt legunt Septuaginta, Aaronem cum filiis suis segregare, iubetur Moyses. Sed cur Aaron, & filij eius à reliquis separantur? Vt mores populi non imitarentur Sacerdotes. Nam vt ex nostro Abulensi retulimus præcedenti illatione, numero octogesimo octauo. *De medio populi ablati sunt, ne talia essent studia sua, sicut popularia.* Populus ille sæcularibus negotiis erat distractus: ne ergo altaris ministri populi moribus inficerentur, meritò segregantur. Nam ita moribus illorum, qui nobiscum habitant, & conuersantur, adhæremus; vt si malitia sint infecti, tanquam pestis mortifera nos inficiat. Quamobrem fugere oportet ab illorum consortio, ne similes in moribus reddamur, quibus communicamus in conuictu.

Septuaginta.

Abulens.

ILLATIO XV.

Praua societas, sic quem afficit, inficit, vt si possibile esset, vel ipsum Deum macularet.

95. DEus Optimus Maximus ita malitiæ est expers, vt repugnet ei execrabilis deformitas peccati. Bonorum auctor est, malorum neutiquam. Hoc ex infinita eius bonitate prouenit, cui ex se competit iuxta rationem operari; cum efficere aliquid contra eam, ex omni capite repugnet. Vnde quantumuis Deum ad materiale peccati concurrere asseramus, nec peccati malitia maculatur, nec peccatorum inficitur consortio. Sicut enim infinita lux non potest, obscurari tenebrarum caligine; sic nec bonitas infinita malitiæ admittere permixtionem. Hæc vera sunt: attamen si Deus posset aliquam indecentiam pati, ex praua societate id eueniret. Vt exinde colligas, quid in nobis malorum faciet consortium, quando vel ipsum Deum, (quod prorsus est impossibile) videatur inficere.

96. In primo rerum exordio, *spiritus Domini ferebatur super aquas.* Genes. 1. numero 2. Non desunt, qui existiment, hîc per spiritum, aëris elementum, quod naturalem situm habet super aquas, intelligi. Patres verò tam Græci, quàm Latini, non de aëre, sed de Spiritu Sancto tertia in Trinitate Persona præfata verba accipiunt. Verùm quamuis communi Patrum adhæream sententiæ: haud facilè possum explicare, quomodo Spiritus Sanctus, cùm Deus sit, ferri posset super aquas? Nam Deum moueri ex triplici capite repugnat. Primò: quia localiter moueri, est de loco in locum transmutari. Hoc in Deo, qui immensus est, omnia replens loca, & à nullo comprehensus, reperiri nequit. Secundò: quia motus, teste Philosopho, 3 Physicorum capite tertio. *Est actus entis in potentia, secundum quod in potentia.* Id est, actus actiui, & passiui; quod actionem & passionem denotat. Deus enim, etsi prima causa, & summum agens sit, imò semper agat; pati non potest. Quia purus actus, omnis receptionis est incapax. Nam licèt Verbum strictissimo vinculo vnionis hypostaticæ sibi humanitatem vnierit, non tamen eam recepit, vt perdocti Theologi tenent, distinctionem vnionis, & receptionis agnoscentes. Quam præclarè explicuit Complutensis Primarius Magister meus, imò tot Doctorum Magister, Ioannes Salius Martinius lib. 1. Physicorum, quæst. 3. circa secundum, & tertium. Tandem tertiò: quia motus essentialiter includit mutationem, quæ à Deo prorsùs relegan-

Genes. 1. n. 2.

Arist.

Salius.

da est,

eſt, vt inquit D. Iacobus in ſua Epiſtol. cap. 1.
Iacobus. num. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicisſitudinis obumbratio.* Ex his ergo tribus conſtat, Deo receptionem, mutationem, & motum repugnare. Si hæc ita ſunt: Quomodo de Spiritu Sancto prædicatur, in exordio ambulaſſe ſuper aquas; *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas?* Albinus Flaccus Alcuinus in quæſtio. in Geneſ. interrogatione 29. in
Albinus. 3. tom. Bibl. vet. Patr. ſic inquirit. *Quid eſt: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas?* Reſpondet. *Non per vagationem, ſed poteſtate, & regentis imperio ad formandum, vel vinificandum informem materiam, quæ hoc loco, aquæ nomine ſignificatur.* Negat hic auctor motum, & vagationem Spiritui Sancto: attamen moueri ſuper aquas non negat, quia imperio, aut poteſtate ad informandum, ver viuificandum, eis inſidebat. Sed adhuc vrgeo. Cur ſi Spiritus Sanctus moueri nequit, ei attribuitur motus, ex eo, quòd aquis inſederit? Fallor, ſi hoc non prouenit ex aquarum conſortio. Elementum aquæ ex ſua natiua propenſione fluidum eſt, faciléque hinc inde tranſmutatur. Quia ergo Spiritus Sanctus in aquis ſedem conſtituit, ſuper eas ferri, & tranſmutari videtur. Non quia ſuper eas moueretur (hoc enim immenſitati eius repugnat) ſed vt pateat, quàm efficax ſit ſubſtantiæ mobilis conſortium; cùm Spiritui Sancto immobili mobilitatem attribuat, ex eo, quòd cum aquis habuerit ſocietatem. Vt exinde noſcas quanto ſtudio fugienda ſit imperfectorum communicatio, ſiquidem ob eam Spiritui Sancto infinitè perfecto mutationis, & motus (ac ſi eſſet poſsibilis) adſcribitur.

97. In ſpecie iuuenis cum Iacobo luctabatur Deus, qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet viribus, precibus intentat deuincere. *Dimitte me* (inquit Deus Geneſ. 32. n. 26.)
Geneſ. 32. num. 26. *iam enim aſcendit aurora.* Cui reſpondit Iacob. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* O bone Deus! luctaris cum homine, & ſuperaris ab eo? Homini inermi, debili, fugitiuo, timore pauenti occurris; & ab eo petis, vt te dimittat, & certamen deponat! Iacob ſolus eſt in ſtadio: quomodo à te victoriam reportat? Vbi eſt Domine, tui roboris præſtantia? Vbi eſt tui animi fortitudo? Homo vilis, exiguus puluis præualet contra omnipotentem? Vnde tibi tanta prouenit imbecillitas, vt ſupereris ab homine? Sic enim faſſus eſt ipſe Dominus cùm Iacobo nomen mutauit; cùm dixit: *Si contra Dominum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis.* Ibid. num. 28. & explicuerat
Ibid. n. 28. ſacer textus num. 25. *Qui cùm videret quòd eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum eius, & ſtatim emarcuit.* Cedit Dominus ſeruo, & Deus vincitur ab homine, quia cùm eo luctabatur. Luctæ certamen brachiorum innexionem includit, & hoſtili amplexu luctantes inſerti, victoriam reportare contendunt. Cùm igitur Dominus luctaretur cum Iacobo, vterque alterius amplexibus tenebatur. Quia ergo Deus homini imbecillo inhæſit in lucta, ex hominis imbecillitate didicit, ab homine vinci. Vel dicito: Ideo Iacobum contra Deum præualuiſſe, quia Deus, vel ſpecie tenus, humanam induit naturam. Ex conſortio ergo imbecillis naturæ, licèt apparentis, omnipotentis apparuit imbecillitas. Vincitur ergo Deus, vel quia naturæ ſuperabili adiungitur in luctamine: vel quia eiuſdem naturæ inducit ſpeciem. Cauenda ergo eſt imperfectorum ſocietas: quia ſi Deus ab eorum conſortio videtur imbecillitatem mutuare, quid erit in nobis?

In ſede maieſtatis Chriſtus Dominus vni- 98.
uerſam hominum iudicans naturam, & operum exigens rationem, ſic contra impios proferet ſententiam. *Diſcedite à me maledicti in* Matth. 25.
ignem æternum. Matth. 25. num. 41. cur non dixit; *ite maledicti*, ſed appoſuit, *diſcedite?* Et quare tanto ſtudio eos à ſe reiicit, vt diſceſſus non eorum relinquat arbitrio, ſed imperio, & vi à ſe propulſet? Fortaſſis, quia à dextris iuſti, à ſiniſtris impij collocandi ſunt. Ne ergo illi iſtorum inficiantur contagio, vix inter vtroſque medius adeſt Chriſtus, cùm iuſtos ſeparat ab iniuſtis. Sit ita. Verùm altiùs rem explicare contendam. Dico ergo: ideò tanta cum feſtinatione Chriſtum à ſe impios reiicere, non quia ab eorum peſte infici vereretur, ſed quaſi oſtendens, hoc vereri, ob noſtram eruditionem, vt malorum fugiamus conſortium. Ac ſi diceret: Diſcedite à me improbi, qui à ſiniſtris collocati, ſiniſtras oſtenditis operationes. Diſcedite à me, hoc eſt, ne mihi appropinquetis, qui in vita tot mala perpetraſtis. Diſcedite à me, ne mihi videamini aſſiſtere: nam veſtrum conſortium reſpuo. Quia licèt à veſtro contagio ſim immunis, effugere contendo vel minimum veſtræ ſocietatis ſignum. Sic inſinuauit Origenes homil. 34. in
Matth. dicens: *Propter hoc tolletur ab eis, & qui* Origenes.
ſibi videbantur aſſiſtere ei, audientes, diſcedite à me, vt qui modò vel videntur eſſe ante eum, poſtea nec videantur. Improbi dum à ſiniſtris Chriſto aſſiſtunt, videntur cum Chriſto communicare, & Chriſtus cum illis habere conſortium: ſed ne poſtea videatur reprobis aſſociari, quaſi violenter illos repellit, dicens, *diſcedite à me*, relegans vel minimam ſuſpicionem, quæ oriri poterat ex illorum ſocietate. Nam ſic malorum ſodalitas inficit, quos afficit, vt vel ipſe Chriſtus videatur vereri, ne homines putent, ab eorum inſici ſocietate. Meritò ergo violenter illos repellit, vt vanam hominum ſuſpicionem tolleret, & ſimul oſtenderet, quanto ſtudio impiorum contubernium ſit fugiendum. Ob hoc etiam Deus Aaronem, & eius filios à conſortio filiorum Iſraël iuſſit ſegregari: ne qui Dei conſecrabantur obſequiis, curis, & negotiis ſæcularibus vacarent, quibus irretitus erat populus. Facilè enim communicamus in moribus, ſi in conuictu communicamus.

Illatio XVI.

Affabilitas principis obedientiam ſubditorum captat, & eos in ſeruitutem redigit voluntariam.

QVanti momenti ſit principis, aut præſulis affabilitas ad ſubditorum captandam 99.
obedientiam, nullus ignorat. *Frequenter* (in-

Cassiodor. quit Cassiodorus lib. 1. varia. Epist. 45.) *quod arma explere nequeunt, oblectamenta suauitatis imponunt.* Efficacissima sunt principis verba: si suauitatis sint plena, eis subditorum emitur animus, & affectus. Mirum est, quod Clemens Alexandrinus refert lib. 6. stromatum cap. 2. de Alexandro. Hic cùm decem Gygmnosophystas captos duceret, singulis singulas quæstiones dissoluendas proposuit, quarum sexta

Clemens Alexand. fuit. *Quanam ratione fieri posset, vt quis maximè diligeretur?* Cui Indus satisfecit, dicens: *Si cùm sit potentissimus, non fuerit terribilis.* Digna profectò tanto auditore responsio! Sic ego (principes alloquor, prælatos moneo, præsules exoro) si omnium voluntates ad se allicere desiderant, ne cùm fuerint potentissimi, sint terribiles, sed laudabili, & iusta floreant affabilitate, sic subditorum obedientiam captabunt, & eos velut in seruitutem voluntariam redigent.

100. Ad hominis plasmationem velut consilium inientes tres diuinæ personæ dixerunt: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Gen. 1. n. 26. Genes. 1. num. 26. Tertullianus lib. 2. aduersùs Marcio. cap. 4. notauit acutè: cur Deus non dixit, fiat homo ad similitudinem, & imaginem nostram? In productione lucis, *fiat lux*, sat fuit, vt pulchritudo lucis existeret, & micantibus radiis adhuc inter tenebratum caliginem fulgeret. Vix etiam Deus protulit, fiat firmamentum in medio aquarum, cùm expansio illa cæli aquarum diuisionem interiecit. Tandem, hoc solo verbo, *fiat*, rebus dedit exordium, & existentiam. Si ergo Dei sermo tanta efficacia pollet, vt vix prolatus ex nihilo cuncta extraheret; cur ad hominis formationem, non, *fiat*, sed, *faciamus*, addixit?

Tertullian. Audi Tertullianum. *Eam quoque* (loquitur de imagine, & similitudine Dei, qui est homo) *bonitas, & quidem operatior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quod est dicere: Ideo diuina bonitas, non imperiali verbo, sicut in aliarum rerum creatione; sed familiari manu, hoc est, plasmatione, & quasi manibus alliciens, hominem produxit, quia inter creata solus homo capax erat obedientiæ. Nam licèt omnia Dei pareant imperio, tamen in expertibus rationis propria, & rigorosa non inuenitur obedientia. Vt ergo Deus ad suum obsequium liberum hominem alliceret, non imperiali verbo, *fiat*: sed suaui, & familiari attactu produxit, vt hoc artificio ad sui obedientiam captaret. Docens in hoc, cum ingenuis, & ratione præditis, non vi, aut imperiali voce agendum, sed blandienti sermone, & familiari manu. Docebatur insuper homo, qui futurus erat totius orbis princeps, vt blanditiis ageret cum subditis, si eorum optabat dominium.

101. Ob hoc regius vates, cùm Deum supremum legislatorem alloquitur, sic canebat Psal. 118.

Ps. 118. n. 68. num. 68. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.* D. Augustin. serm. 4. de

D. August. verbis Apostoli sic legit: *suauis es, Domine, & in tua suauitate doce me iustitias tuas.* Mirot, Augustinum vocasse Deum suauem, quem bonum appellat Dauid. An Dei bonitas cum eius suauitate confundenda erit? Ita sanè. Loquebatur enim cum Deo imperante, & legem docente. (hoc enim denotat, *doce me iustificationes tuas*: nam hîc iustificatio sumitur pro lege) Ait, ergo, Dauid: tu Domine, qui bonus es, doce me in tua bonitate legem tuã: vel, tu Domine, qui suauis es, doce me in tua suauitate tuas iustitias; quasi idem reputans in legislatore, & principe esse suauem, ac bonum. Nam princeps si bonus est, confidenter imperat, & si suauis subditorum animos ad suæ legis obseruationem constringit. Sit igitur superior, & præsul, & bonus, & suauis: bonus, vt nemo dubiter de iustitia mandati; suauis, vt inferiorum captet obedientiam. Hanc suauitatem optabat Isaias cap. 16. num. 1. cùm summis precibus saluatorem nostrum postulabat: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Sic exponunt Hieronym. D. Thom. Lyran. Hugo. Vatablus, Menochius, & Tirinus. Sed cur Propheta si dominatorem postulat Christum, agnum desiderat? Quid agnus cum dominatore? Perbellè postulat agnum, cui omnis terra erat subiuganda. Agnus enim mitissimum est animal: vt ergo ostenderet, imperij suauitatem multùm valere ad omnium animos attrahendos; dominatoris maiestati mansuetudinem agni adiunxit, vt discant præsules potiùs suauitate, quàm imperio obedientiam fore captandam. Hoc eleganter explicuit Ambrosius lib. 5. Hexamer. cap. 21. apum exemplo. *Apibus autem rex natura claris formatur insignibus, vt magnitudine corporis præstet, & specie: tum (quod in rege præcipuum est) morum mansuetudine. Nam etsi habet aculeum, tamen eo non vtitur ad vindicandum. Sunt enim leges naturæ, non scriptæ litteris, sed impressæ moribus, vt leniores sint ad puniendum, qui maxima potestate potiuntur.* Sufficit gaudenti potestate, posse punire, vt leges seruentur. Nam non semper expedit, vti potestate, & imperij rigore. Sæpe enim oblectamentis ad obedientiæ iugum reducuntur subditi, quos potestatis violentia non reduceret. Apum regina à natura prædita est mansuetudine: habet aculeum, sed non eo vtitur ad pungendum, & hac suauitate omne examen ad sui reducit obedientiam.

Isaiæ 16. Hieron. D. Thomas. Lyran. Hugo. Vatabl. Menochi. Tirinus. Ambros.

102. Grato animo, vt moris erat, sic Christus Patrem alloquitur: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea parvulis.* Matth. 11. num. 25. Cur priùs patrem quàm Dominum vocauit; cùm simul sit Dominus, & Pater? Vt ostenderet, quòd vt aliquis sit Dominus, priùs debet esse pater. Hoc est dicere: sit pater, qui Dominus esse desiderat. Pater Clementer, & suauiter agit cum filiis, & amore potiùs, quàm timore ad sui redigit obedientiam. Sit ergo pater, qui Dominus, & erit Dominus. Quid aliud idem Dominus denotauit. Marc. 8. num. 35. cùm dixit? *Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Cur Domine non dicis: iubeo, vt me sequamini, & crucem tollatis, sed hoc nostro remittis arbitrio? Victor Antiochenus ad hæc verba nostrum confirmat intentum his verbis. *Non dicit: & si*

Matth. 11. n. 25.

Marc. 8. n. 35.

Victor Antioch.

vos

vos non volueritis, ego nihilominus, pati vos volo; ſed quomodo? Si quis vult me ſequi. Quaſi dicat: ad bona, & honeſta prouoco, non ad mala, & odioſa: nec quemquam huc compello, ſed amicè tantùm inuito. Hæc autem dicens, magis attrahit. Qui enim vim affert, decorum non ſeruat: qui autem auditori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim, & obſequium quauis violentia fortiora ſunt. Quid clarius?

103. Tandem, imperantis affabilitas ita ſubditorum attrahit voluntates; vt non dubitent, libertate neglecta, voluntariam ſeruitutem, & perlongam incarcerationem vltro amplecti. Fabricam arcæ, in qua viuentium ſeruaretur ſeminarium, Deus imperat Noëmo: quia inueteratam peccatis terram abluere decreuerat, vlciſcente diluuio. Diligenter Patriarcha præceptum Domini executioni mandauit: arcaque conſummata, in eam ex omnibus mundis animantibus ſeptena & ſeptena, maſculum, & fœminam; totidemque de volatilibus cœli: de immundis verò duo, & duo, maſculum, & fœminam incluſit. Quid inde? *Et incluſit eum*
Gen.7.n.17. *Dominus deforis.* Geneſ.7. num.17. Ecce iam Noë cum filiis ſuis intra arcæ ambitum includitur. Sed cur, Patriarcha ſancte, cum feris, cum brutis libenti animo in tam anguſto carcere detruderis? Quid tibi cum leone, cum equo, cum ſerpentibus, cum brutis, vt cum eis hilari voluntate, & vltrone è vitam degas? Fortè ſanctus Noë commune cum brutis non dedignatur habitaculum, quia omnibus commune erat diſcrimen, patienter ferens brutorum ſocietatem, quando propter rationis præditos irrationabilia erant in tanto diſcrimine conſtituta. Bene. Sed adhuc inſto. Cur Noë arcam non clauſit, ſed Dominus eam deforis incluſit? Et cur intra arcæ clauſtrum detinetur libenter, cùm non ſolùm eam Deus incluſit, verùm & clauem reportauit? Si ex arbitrio Noëmi operire arcam, vel claudere penderet, non mirarer, vltro intra eius ambitum detineri: at intra arcam concludi, quando Deus eam obſeruauit, neſcio quomodo Noëmus ſuſtinere potuit? Quid eſt ſancte Patriarcha, quòd intra tabularum anguſtias, & vndarum diſcrimina libenti animo te detinet? Quid, quòd in hanc voluntariam captiuitatem te valuit, recludere? Non aliud, niſi quòd Deus cum Noëmo leniter, & honorificè alloquebatur, vt conſtat ex eodem cap.7. num.1.
Gen.7.n.1. *Dixitque Dominus ad eum: ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.* Quid ergo mirum, quod Noë alacriter Deo obtemperet, & voluntariam arcæ captiuitatem ſuſtineat; ſi Deus cum eo leniter, & honorificè colloquitur? Chryſologus ſerm.147. aureis verbis mentem
Chryſol. noſtram confirmat, dicens. *Noë noui ſæculi vocat parentem, blando ſermone compellat, dat familiarem fiduciam, piè de præſentibus inſtituit, conſolatur per gratiam de futuris, & iam non iuſſis, ſed participato labore vna in arca claudit totius ſæculi partum, vt ſocietatis amor timorem ſeruitutis auferret, & ſeruaretur amore communi, quod fuerat communi labore ſaluatum.* Expende illud: *blando ſermone compellat*, &c. Neſcio quid habet efficacitatis ſermo lenis ad animos cõciliandos; vt ſi præſul familiariter, & honorificè agat cum ſubditis, eos in ſeruitutem voluntariam redigit, & difficilia, & in maximo diſcrimine conſtituta libenti animo facit amplecti. Concluditur Noë intra ambitum arcæ, ſed blando ſermone: obſeratur deforis arca, & veluti reus humanorum criminum cum brutis degere compellitur humani generis ſeminarium, ſed leni verbo, & honorifica voce. Quid nouum, ſi alacri animo, & voluntaria detentione intra arcæ clauſtrum detineatur? Quia cùm præſul ſuauiter imperat, ipſa imperij lenitas abſque dubio obedientiam captat, & executionem conuincit.

Aaron cum filiis ſuis Dei imperio ad Moyſem applicatur, vt infulis ſacerdotalibus ornetur. Sed ad quid Pontifex cum ſacerdotibus minoribus eſt applicandus? Profectò, vt eos blando ſermone, & familiari manu alliciat ad obedientiam mandatorum. Summus ſacerdos inferiorum erat præſul: vt ergo iſtorum obedientiam captet, ſimul applicetur cum eis, vt exinde etiam diſcat, cum inferioribus leniter eſſe agendum. Nam ſuperior, qui nimis rigidè ſubditos alloquitur, longè relegat eorum obedientiam; qui verò erga eos eſt affabilis, ſuauiſſimo captiuitatis iugo, & voluntariæ ſeruituti ſubiicit. 104.

ILLATIO XVII.

Supremum dominium inferiorum conſortio indiget coadiuuari.

QVi regia, vel imperatoria fulget dignitate in ſuprema dominij celſitudine eſt conſtitutus: attamen nec purpura, nec diadema regio micarent ſplendore, ſi ſubditorum deficeret comitatus. Nemo cùm ad tantam maieſtatem euehitur, arroganter præſumat, ſubditorum non egere ſuffragiis. Solus rex ſupremus, & dominantium Dominus creatis non indiget adiuuari: principes autem creati, & creatarum rerum, & inferiorum ornatu ſunt egeni. Imo (ſi placet) ſupremus ille rex, qui omnibus dominantibus imperat, dominio proximo, & formali non gaudebat, vſque dum ex nihilo res creatas protulit in lucem, quibus ſuum intimare poſſet imperium. Domini dignitas, & ſerui abiectio mutuò ſe reſpiciunt, & correlata ſunt. Hæc ſi deſit, euanuit illa. Hinc quamplures docti, in Deo Domini dignitatem, & creatoris excellentiam pro formali extrinſecam denominationem autumant. Nec enim ſine ſeruo Dominus, nec Domini dignitas conſiſtit ſine ſeruitute. Si hoc attentè terreni principes penſitarent, ſubditorum humilitatem nunquam deſpicerent. Recognoſcant ergo ſubditos, tanquam ſupremæ dignitatis conſeruatores: quia ſicut nec magnum intelligi poteſt ſine paruo; ita nec ſuperior ſine inferiori poteſt reperiri. 105.

Vix temporis mentionem fecit textus ſacer, cùm temporis breuitate tempori finem impoſuit, dicens: *Factum eſt veſpere, & mane dies* Gen.1.n.5. *vnus.* Geneſ. 1. num. 5. Cur non dixit, dies prima, ſed dies vna? in hac die ſupremus opi- 106.

fex

fex cœlum expanderat, terram condiderat, lucis candorem in lucem protulerat, & à tenebrarum caligine ſeparauerat: quid huic dici defuit, vt prima vocaretur? Rurſus: hæc dies Dei operibus dedit exordium, cùm in ea Deus tanti opificij lineas ductaret primas: cur ergo vna, & non prima nuncupatur? Nulla præter hanc præextitit dies. Ergo prima fuit: cur vocatur vna? Origenes homil. 1. in Geneſim dubium
Origenes. proponit, & ſoluit his verbis. *Non dixit dies prima, ſed dixit, dies vna. Quia tempus nondum erat, antequam eſſet mundus. Tempus autem eſſe incipit ex conſequentibus diebus. Secunda namque dies, & tertia dies, & quarta, & reliquæ omnes tempus incipiunt deſignare.* Quod eſt dicere: Quia vſque tunc nondum aderat ſecunda dies, prima eſſe non poterat. Prior enim à poſteriori nomen accipit. Defuit dies poſterior: quare nec prior adeſſe potuit. Nam ſi primam diem non ſubſequeretur ſecunda, vnius diei, non primæ gauderet nomine. Aduentus ſecundæ, primæ dedit excellentiam. Hoc eſt dicere: ſecunda dies eſt veluti inferior primæ; & prima, vt pote inter reliquas primas ferens, velut ſuperior reputatur. Caret ergo dies illa, in qua Deus rebus dedit exordium, primatus honore, quia ei defuit, reſpectu cuius prior exiſteret. Nam vbi non eſt ſecunda, prima non valet exiſtere, nec ſuperior, ſi deſit inferior. Similiter non inuenitur imperare, ſi imperari non inueniatur: quia ſuperioris, & præſulis dominium inferiorum conſenſu adiuuari indiget.

107. Ex corpore, & anima; ex carne, & ſpiritu reſultat homo. Quantùm verò anima excedat corpus, & illius prædicat ſubſtantia, & origo confirmat. Eſt enim anima ſpiritus ſicut Angeli principium vitæ, intellectionis, ſenſationis, motionis; hominis præcipua pars conſtitutiua, morti non obnoxia, & inſuper à ſolo Deo per creationem producta. Corpus autem corruptibile, limus, puluis, ſine vita, & omnis vitalis operationis expers, ſecundùm ſe conſideratum. Hæc omnibus certa. Sed quanuis anima tot ornetur excellentiis, ſine conſortio corporis, nec meretur gloriam, nec ad ſalutem proficit æternam, vt profundè notauit Tertullianus cap 8. de reſurrectione carnis di-
Tertullian. cens: *Adeò caro ſalutis eſt cardo, de qua cum anima Deo allegitur, ipſa eſt, quæ efficit, vt anima allegi poſſit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur. Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit.* Pulchrè intulit Septimius ex conſortio carnis cum anima, illius reſurrectionem. Sed quid eſt, quòd anima carnis iuuamine tantopere indigeat, vt caro ſalutis animæ cardo vocitetur à Tertulliano? Et quî ipſa caro præſtare poteſt, vt anima allegi poſſit, aut coniungi Deo? Anima Angelorum cognata, & quæ à ſolo Deo valet produci, carnis conſortio indiget, vt ſalutem valeat adipiſci? Ipſa, naturâ ſuâ, & independens à corpore: non ignorat Philoſophus) ſi ergo anima naturali iure ad ſui conſeruationem corporis ſuffragia non exigit: quare vt æterna beatitate coronetur, carnis, & corporis operibus adiuuatur? Profectò non ex alio capite, niſi quia anima corpore eſt præſtantior, illius rector, & domina. Cùm igitur corporis præſul ſit anima: quid mirum, quòd ad gloriam, vel pœnam promerendam corporis ſibi ſubditi adiuuetur ſuffragio? Nam ſic, qui in dignitate, & dominio conſtituti ſunt, ſubditorum indigent iuuamine; vt anima, dominatrix corporis cùm ſit, nequeat Dei coniunctionem promereri ſine corporis adiutorio. Diſcant hinc, qui imperij, & gubernationis maieſtate tument, ſe ſibi non ſufficere, ſed rurſus inferiorum ſuffragiis indigere.

Perfidè filij Iſraël, conſentiente, & coope- 108.
rante, aut ſaltem non prohibente Aarone ad conflatilem vitulum Dei cultum tranſtulerunt. Quod cùm à longè inſpexiſſet Moyſes, Dei zelo accenſus, tabulas teſtimonij, quas portabat in manu, iratus confregit. Exod. 32. num. 19. *Iratuſque valde proiecit de manu tabu-* Exod. 12.
las, & confregit eas ad radicem montis. Non ſic num. 19.
ſe geſſit Moyſes, cùm Deus illi referret furorem contra populum ob eamdem vituli conſecrationem; ſed ſummis precibus illum orabat, vt dimitteret populum. *Moyſes autem orabat Do-* Ibid. n. 11.
minum Deum ſuum, dicens: cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum? Ibidem num. 11. Sed cur Moyſes non iraſcitur contra populum, cùm à Deo narratur ſacrilegium, imo potius pro eo deprecatur: cùm autem illum adorantem vitulum vidit tabulas legis confregit? Quia tunc non iudicis, ſed mediatoris munus gerebat: at cùm choros vidit adorantium, cùm legis tabulas teneret in manu, iudicis habebat officium. Meritò ergo cùm vidit ſacrilegium, iraſcitur, non cùm audiuit, diſtinguens munera mediatoris, & iudicis. Sit ita. Iraſcatur Moyſes zelo zelans honorem Dei. Hoc non debet in fideliſſimo amico Dei qualis erat Moyſes, peregrinum putari: attamen tabulas legis confringere, prorſus erat à populo legem ſubtrahere. Ad quid Moyſes ſine lege populum manere deſiderat? Puniat tanti ſacrilegij fontes, legem autem non deleat tabularum confractione. Cur ergo, ſancte Moyſes, accenſus ira tabulas confringis? Audi Brunonem apud Godofridum ad hunc locum.
Iraſcitur Moyſes (inquit) *& frangit tabulas,* Bruno.
Populus peccat; lex deſtruitur. Peccauerat populus, & à Deo auerſus ad vitulum ſacrilegè ſe conuerterat. Meritò ergo confracta fuit lex: Nam deficiente populo lex ſuperfluit: *Populus peccat, lex deſtruitur.* Lex imperabat, defuerunt, qui legi debitum præſtarent obſequium: deficiat lex, ſi deficit obedientia. Nam legis gloria ex obedientia pendet ſubditorum. Cordatè ergo Moyſes tabulas fregit, cedens imperium, dominium renuncians, & apertè exprimens malè imperium conſtitui, ſi deſit ſubiectio. Nam dominantis maieſtas obſcura eſt, non fulget abſque ſubditorum ornatu.

Applica quoque ad tè Aaron fratrem tuum cum 109.
filiis ſuis, &c. Ad quid non ſolùm Aaronem Pontificum maximum Moyſi Deus applicari iuſſit, ſed etiam cum filiis ſuis, hoc eſt, cum inferiorum ſacerdotum colligio? Vt Aaronis

gloria

gloria fulgeat nitidiùs & clariùs eluceſcat. Nam parum eſſet, Aaronem in ſuprema Pontificatus ſede collocari, ſi ſubditorum ornatu priuaretur. Ad quid ergo eſſet dominium ſine ſubditis? Profectò titulus ſine re potiùs dedecorem, quam ſplendorem affert.

Verſ. 11. Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. *Facieſque veſtem ſanctam.* Id eſt, veſtes ſanctas. Sæpe namque in ſcriptura ſacra ſingularis numerus ſumitur pro plurali. Si Geneſis 7. num. 7. dicitur: *Delebo hominem, quem creaui*, ideſt, homines. Leuit. 20. num. 3. *Qui dederit de ſemine ſuo Moloch.* Vbi per hoc idolum ſic nuncupatum, omnia intelliguntur idola. Exod. 24. num. 19. *Non coques hædum in lacte matris ſuæ.* Per hædum, etiam alia animalia coqui prohibentur in lacte. Et Iſaiæ. 25. num. 10. dicit. *Triturabitur ſub eo Moab.* id eſt, quilibet hoſtis ſub Moabitarum nomine comprehenſus. In his omnibus, vt patet, ſingularis numerus ſumitur pro plurali. Quapropter Montanus, Oleaſter, & alij, *Facies veſtes*, legerunt. Vnde hic nomine veſtis non denotatur aliquod ſpeciale indumentum, ſed totus ſacerdotalis ornatus, quo vtebatur Aaron, & poſt eum ſummi Sacerdotes.

Genes. 7. n. 7.
Leuit. 20. num. 3.
Exod. 24. num. 19.
Iſaiæ. 25. n. 10.
Montanus. Oleaſter.

2. Sancta dicitur veſtis Sacerdotis, vel ſecundum Oleaſtrum, & Montanum, *Veſtis ſanctitatis*, quia oleo erat conſecranda, Dei cultui inſeruiens, & à prophanis vſibus remota, atque à ſolis ſanctis, id eſt, ſacerdotibus Deo ſanctificatis, id eſt, conſecratis, in loco ſancto vſurpanda. Sic explicat Cornelius à Lapide in hunc locum.

Cornelius.

3. *In gloriam, & decorem.* Poteſt hîc per gloriam intelligi cultus vndequaque refulgens, in quo exponi diuites ſolent ad publicum ſpectaculum, iuxta illud Pſalmi 48. num. 18. *Quia cùm interierit* (diues) *non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Oleaſter legit; *ad grauitatem, & pulchritudinem.* Emmanuel Sa: *Ad ſplendorem, & ornatum.* Vt ſummus ſacerdos (notat Abulenſ. hîc quæſt. 2.) appareret honorabilis, & eius miniſterium plurimi apud populum haberetur. Quod etiam docuerat angelicus Doctor S. Thomas. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad 10. ſic de ſummo ſacerdote veteris teſtamenti, & eius ornatu ſcribens. *Ad hoc autem, quod in reuerentia haberetur, adhibebatur ei ſpecialis ornatus veſtium, ſpecialis conſecratio*, &c. Nam ſi Aaron veſtibus communibus miniſtraret Deo, non pluris haberetur miniſtratio ſacra, quàm prophana.

Pſalm. 48. num. 18.
Oleaſter.
Sa.
Abulenſ.
S. Thomas.

QVÆSTIO IV. Litteralis.

An ſummi ſacerdotis ornatus tantâ præfulgeret maieſtate, vt animos intuentium ad ſui reuerentiam excitaret?

4. QVanto ſplendore, quantaque maieſtate ſummi ſacerdotis ornatus fulgeret, ſatis conſtat ex dictis ante verſum primum, cùm de eius allegorica ſignificatione pauca prælibauimus. Præter illa, nunc addimus, tantam fuiſſe huius ornatus excellentiam, vt frequentiſſimè in ſacra pagina maximis encomiis celebretur. De Aarone ſic dicitur Eccleſiaſt. 43. num. 10. *Beatificauit illum in gloria.* Seu vt ex Græco poteſt legi: *Beatificauit illum in veſte ſacerdotali.* Quaſi ab hoc ornatu mutuaretur ſplendor beatorum dotibus perſimilis. Hinc eſt, quòd Eccleſiaſt. 50. num. 12. de Symone ſummo Pontifice Oniæ filio dicatur: *In aſcenſu altaris ſancti, gloriam dedit ſanctitatis amictum.* Ideſt adeò glorioſus erat ſacerdotalis ornatus, vt gloriam ipſi altari conferret. Ob hoc Lyranus in cap. 16. Leuit. aſſerit, in die expiationis, quæ ſemel in anno fiebat, ſummum ſacerdotem ingredi ſanctuarium, non ſine ſanguine (vt conſtat ex 9. num. 7. ad Hebræos) & depoſuiſſe Pontificalem ornatum, reſeruatis ſolùm veſtibus etiam propriis inferiorum ſacerdotum, vt conſtat Leuit. 16. quia auguſtiſſimus Pontificis ornatus non congruebat lugubri ingreſſui per pœnitentiam, qualis erat ille ad expiationem peccatorum: quanuis eâ factâ, vt ſacrificium perageretur, aureis, & Pontificalibus ornamentis induceretur. Accipe Lyrani verba. *Quia miniſterium expiationis, quod præceſſerat, debebat fieri cum humilitate, ſed conſummatio ſacrificij cum ſolemnitate.* Id ipſum docuerat Rabbi Salomon apud Lyranum, licèt ob aliam cauſam. Audi ipſum. *Cum veſtibus lineis intrabat Sanctum Sanctorum, ne miniſter eſſet ſicut Deus.* Hoc eſt dicere: ita præclarus erat ornatus Pontificis, vt eum redderet quaſi parem Deo.

Eccleſ. 43. num. 10.
Eccleſ. 50. num. 12.
Lyran.
Rabbi. Salo.

5. Cùm ergo ornatus Pontificis tanta fulgeret gloria, & maieſtate, facile erit creditu, quod de Alexandro Magno refert Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 8. & noſter Abulenſis hîc quæſt. 13. ex Gualtero Alexandreidis lib. 3. de Alexandro Magno, quam hiſtoriam putat ita certam Toſtatus, vt eam ſolidiſſimam veritatem appellauerit. Cùm ergo inuictus Macedo hoſtili impetu, & ſæuienti animo ad propugnandam Ieroſolimam acceſſiſſet eique occurreret Laddus Dei ſummus ſacerdos veſtibus Pontificalibus ornatus (quod non abſque Dei conſilio, & diſpenſatione factum, teſtatur idem Ioſephus: prohibitum namque erat, extra tabernaculum ſacris vti ornamentis) tantam maieſtatem in illo inſpexit imperator, vt irâ penitus extinctâ, & furore pacato, pronus in terram adoraret, quem bellaturus acceſſerat, teſtatus

Ioſephus. Gualterus. Abulenſ.

ita

In eo ornatu aliquid habitu humano auguſtius perſpexiſſe, quo ad Pontificem adorandum cogeretur. Cauſam tam ſubitæ nouitatis refert Ioſephus, quæ an vera ſit, aliorum committo examini. Ea eſt. Nam cùm adhuc Alexander in ciuitate Dio Macedoniæ conſtitutus eſſet, & ſecum cogitaſſet, an poſſet Aſiam ſubiugare; in ſomniis apparuit ſummus ſacerdos huiuſmodi habitu ornatus, felices exitus prædicens, & contra Perſarum regem promittens victoriam. Quem cùm aſpexiſſet Alexander, præteritæ promiſſionis non oblitus, & probationem nocturnam intuens, ſalutauit, arbitrans diuino iuuamine viciſſe Darium, & ſoluiſſe Perſarum virtutem. Exinde ad templum aſcendit, ſacrificium Deo vero obtulit ſecundùm ſacerdotis oſtenſionem; & ſacerdotum principi, & reliquis ſacerdotibus munificè multa donauit. Vt exinde colligas, quantus eſſet illius Pontificis ornatus, cùm ſolus eius conſpectus ethnicum, & furentem regem, & in ſanctam ciuitatem ſæuientem ita placaſſet, vt non ſolùm ciuibus pacem; ſed reuerentiam, & donaria exhiberet ſacerdotibus.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO XVIII.

Prælatorum exemplum etiam ratione carentia, & inſenſibilia ad eius imitationem mouet.

6. PRæſulis vita non ſolùm nitidum eſt ſpeculum, in quo ſubditi velut in exemplari viuido intuentur; ſed etiam eſt lex, aut ius quoddam obligans eos, vt prælati moribus conformentur. Quinimo non ſic humanos ſenſus edicta regum valent inflectere, ac vita regentis ſubditorum mentes allicit ad eius imitationem, ob hoc Claudianus accinit.

Claudian. *Scilicet in vulgus manant exempla regentum.*

Nam ſicut aqua è perſpicuo fonte manans tingitur vicina terra, ſic regentum exempla manant in vulgus, hoc eſt, ſubditorum animos tingunt. Quid aliud veteres indicabant, (teſte Valerio Max. lib. 2. tit. de inſtitutis antiquis) cùm in conuiuiis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant; niſi vt ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent? Magna igitur eſt vitæ præſulum efficacitas. ſiquidem non ſolùm homines, verumetiam bruta, & inſenſibilia ad eius opera imitanda tanto exemplo mouentur.

Valerius Max.

7. Quantùm apud ſubitos valeat regentis exemplum ſatis oſtendit Chriſtus, qui (vt refert Ioannes cap. 21. num. 19.) poſtquam Petrum interrogaſſet, an eum diligeret, & trina amoris confeſſione ternariam negationem magiſtri Eccleſiæ Petra compenſaſſet, meruit à Chriſto audire: *ſequere me.* Sed cur Dominus ſoli Petro, & non aliis diſcipulis intimauit ſequelam? An quia Petrus, & non alij, Chriſtum erat ſecuturus? Abſit. Si ergo alij erant ſecuturi: cur eis etiam hoc non intimauit mandatum? Quia cùm Petrus omnium diſcipulorum eſſet apex, ſuperfluum putauit Dominus, huiuſmodi imponere præceptum. Nam ſi Petrus omnium Apoſtolorum rector Chriſtum indefeſſo animo ſequeretur, abſque dubio reliqui Apoſtoli eum ſequi non dubitarent. Tantam enim vim habent regentium opera apud ſubditos, vt pro comperto haberet Dominus, omnes diſcipulos eum ſecuturos, ſi ſolus Petrus amplecteretur ſequelam. Mens eſt, ni fallor Hugonis Cardinalis ad hunc locum. *Sequere me: id eſt, me, imitare in procuratione gregis, te dimitto, vt ſis loco mei, vt ſis vicarius, & imitator meus.* Vide rationem, ob quam ſoli Petro, & non aliis, Chriſtus Dominus ſequelam ſui mandauerit. Quia cùm Petrus eſſet vicarius Chriſti, & totius Eccleſiæ rector, ſat erat, Petrum Chriſti amplecti ſequelam, vt reliqui ad eius imitationem eandem viam aggrederentur.

Ioan. 21. n. 19.

Hugo Card.

8. Nec ſolùm rector ad ſui imitationem ſubditos ratione præditos excitat; verumetiam gubernantis exemplo adhuc inſenſibilia capitis actiones imitantur. Decem lineis verſus Orientem ſolem fecit Iſaias repedare, vt Ezechiam regem diuinæ promiſſionis redderet ſecurum. *Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam aſcenderat in horologio Achaz decem gradibus.* 4. Reg. 20. num. 11. Noſter Abulenſis ibid. quæſt. 33. inquirit: Vtrum repedante ſole decem lineis verſus Orientem, retroceſſerint etiam reliqui planetæ? Affirmatiuè reſpondet his verbis. *Dicendum ergo, quòd omnes cœli moti ſunt ab Occidente in Orientem cum ipſo ſole.* Quod non dubitat comprobare mirifico illo miraculo, ſcilicet quando ad nutum Ioſuë ſtetit ſol in medio cœli. Vtrobique enim varias rationes adducit, quibus ſuam roborat ſententiam. Verùm præter eas, alia confirmare poſſumus, cœlos, aſtra, & planetas ſtetiſſe, cùm ſol imperio Ioſuë ſtetit: & nunc ſimul cum ſole repedaſſe, cùm Iſaiæ oratione retroceſſit. Quia cùm ſol diei teneat imperium: *Luminare maius, vt præeſſet diei* dicitur Geneſ. 1. num. 16. imo inter aſtra velut eorum rex diademate lucis coronatus fulgeat: non eſt mirum, ſi ſtante, aut repedante ſole, inferiora aſtra ſtent, vel retrocedant. Nam ita illius, qui præſidet, exemplum ad ſui imitationem mouet: vt aſtra omnia, ex eo quòd ſolis ſubiacent imperio, ad ſolis motum moueantur & ſiſtant, dum ſtat, aut mouetur luminoſus præſul.

4. Reg. 20. n. 11.

Abulenſ.

Gen. 1. n. 16.

9. In montem Sinai flammis, fulguribus, & tonitruis terribilem, & nube denſiſſima coopertum caligine Dei imperio Moyſes aſcendit. Exod. 19. num. 20. *Deſcenditque Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocauit Moyſem in cacumen eius. Quò cum aſcendiſſet,* &c. Non poſſum non mirari Moyſis fiduciam, ne dicam, audaciam. Quomodo ignis, & fulgurum non terretur aſpectu, ſed intrepidus per fulgura, & flammas montis ingreditur? Poſſet aliquis reſpondere, quòd ita Dei amore, & obedientia ardebat, vt omnia contemneret diſcrimina. Rurſus alio modo: quia Deum quærebat: qui autem Dei flagrat deſiderio, nihil timet. Bene. Sed adhuc mirandum reſtat. Quomodo nec fulguribus incenditur, nec

Exod. 19. n. 20.

flammis

flammis conſumitur ? Fulgur tanto impetu, tantaque ſubtilitate cremat, vt vix ſui ingreſſus relinquat veſtigium. Vnde ergo tam beneuolus erga Moyſem, vt nec tunicæ pilum auſus fuerit comburere ? Baſilius Magnus homil. 1. de ieiunio dubium ſic ſoluit. *Moyſem cognouimus per ieiunium penetraſſe montem. Neque enim id auſus fuiſſet fumante montis cacumine, neque ſuſtinuiſſet ingredi in nubem, niſi fuiſſet obarmatus ieiunio.* Sed nondum difficultas euacuatur. Nam quid Moyſi præſtare potuit ieiunium, vt tanta fiducia fumantem montem aggrederetur ? Pulchrè, & profundè Baſilius totam hanc Moyſis fortitudinem ieiunio attribuit: ſiquidem illo extingui videbatur inſatiabilis ignis, & fulgurum voracitas. Nam Moyſis ieiunantis exemplo, qui totius populi erat gubernator, ignis, & fulgura didicerunt ieiunium. Vidit hoc elementum (liceat ſic loqui) præſulis ieiunantis exemplum, & ab eo quaſi motum adamauit ieiunium, & natiuam voracitatem obliuiſcens, nec pilum Moſaycæ tunicæ conſumpſit. Perbellè ergo Baſilius ieiunio Moyſis eius attribuit fortitudinem, eidemque erga Moyſem vrbanitatem.

Baſilius.

10. Idem fermè ſancto Prophetæ Eliæ contigit, cùm igneo curru raperetur in cœlum. 4. Regum 2. numero vndecimo. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque : & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Mirareris, ſi inſpiceres ſanctum Eliam inter igneas rotas, & equos flammigeros illæſum ad ſuperos tranſportari. Quænam vis actiuum ignis repreſſit impetum, vt veneraretur Prophetam ? Vix aurum in ignem proiicitur, cùm audacter ignis pretioſum contemnens metallum calefacit, liquefacit calefactum, & liquidum tandem conſumit. Quid ergo eſt in Elia, quod reueretur ignis ? Aut cur non comburit nec pelliceam veſtem ? Auguſtinus ſerm. 2. in Dominica 1. Quadrageſimæ ad rem noſtram hanc ſuppeditauit ſolutionem. *Sancto Eliæ ieiunanti* (inquit) *etiam elementa famulata ſunt.* Breui calamo noſtrum delineauit conceptum. Sed quid ſibi vult Aurelius cùm ait: *Sancto Eliæ ieiunanti etiam elementa famulata ſunt ?* Aut quid Eliæ ieiunium cum elementorum famulatu ? Audi rationem. Elias vt vir Dei, & Propheta docebat populum, publicam agebat perſonam, cùm Prophetarum eſſet parens, & rector : inſuper tot titulis inſignitus ieiunabat. Quid ergo mirum, ſi voracitas ignis, licèt inſenſibilis, à præſule ieiunante ieiunare diſcat, & doctrinam quam à Moyſe didicerat, proprium ſuæ actiuitatis impetum reprimens, exerceat cum Elia ? Tanta enim eſt rectoris ieiunantis efficacitas, vt inſenſibilis ignis ſuam voracitatem conuertat in ieiunium, & lucentibus flammis ieiunanti Prophetæ famuletur.

4. Reg. 2. n. 11.

Auguſt.

11. Ad hæc : intuere Chriſtum in cruce pendentem, & æternum Patrem pro crucifixoribus exorantem. Lucæ 23. num. 34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Paucis interiectis, idem refert Euangeliſta num. 44. quod, *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, & obſcuratus eſt ſol.* Speciale dubium mihi ſe offert. Cur ſol non ſtatim ac vidit Chriſtum pendentem in cruce, manibus pedibuſque confoſſis, tuſpi diademate coronatum, ab amicis relictum, & opprobriis plenum, tenebras quærit depoſita radiorum cæſarie ? Si lucis radios abſcondit, creatoris mortem lugens, à quo tanti luminis acceperat pulchritudinem: cur expectauit, vt Chriſtus pro perſecutoribus exoraret, vt ſe, & totam terram tenebroſa caligine operiret ? Dicam, quod iamdiu cogitaueram. Vidit ſol Chriſtum iniurias dimittentem, quærentemque inimicos, non vt perſequeretur, ſed vt veniam impetraret. Vidit affectuosè clamantem : *Pater dimitte illis.* Quid inde ſol ? Obſcuratus eſt, quaſi tenebras amplectens inimicas, tanto excitatus exemplo. Nam cùm Chriſtus in cruce regalibus ſtemmatibus eſſet inſignitus (hoc exprimebant crucis inſcriptio, & ſpinarum diadema) & regis ingenuitate immemor iniuriarum, pro inimiciſque orans charitatis affectu amplecteretur inimicos : hoc cùm aſpiceret ſol ſupremi regis velut imitans exemplum, tenebras quærit, & obſcuratus eſt amicabili conſortio eas amplectens. Quaſi rubore ſuffunderetur ſol, ſi ſupremi regis amantis inimicos contemneret exemplum, & tenebras ſibi inimicas non quæreret, & amplecteretur. Tanta enim efficacitate præſulis mouet exemplum, vt eo vel inſenſibilia, & rationis carentia excitentur ad ſui imitationem.

Lucæ. 23. num. 34.

Ibid. n. 44.

12. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron.* Cur non dixit : Facies veſtem Aaron, & filiis ſuis ? Hi namque etiam functuri erant ſacerdotio, & ornandi his veſtibus, tametſi non omnibus. Quare ergo Aaronis filiis non præparantur veſtes ? Quia ſat erat, patrem his veſtibus ornari, vt etiam filij hac gloria decorarentur. Nam, vt inquit Gloſſa Ordinaria hîc ex Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 3. *Veſtes ſanctæ Aaron, quas illi Moyſes fecit, opera ſunt iuſtitiæ, & ſanctitatis, quæ ſcriptura ſacræ legis rectoribus habenda commendat, quorum in Chriſto exempla imitanda oſtendit.* Cùm ergo per hanc veſtem præſulis, & rectoris iuſtitia, & ſanctitas deſignentur ; meritò ſoli Aaroni adſcribitur, & ſuperfluum eſſet etiam eius filiis aſſignari. Quia ſi rector, & gubernator floreat ſanctitate, abſque dubio ſubditi, & inferiores ea florebunt. Nam ita potens eſt regentis ſanctitas, & probatæ vitæ exemplum, vt ſubditi hoc exemplari moueantur ; vt non ſolùm homines, ſed etiam inſenſibilia concitentur ad ſua opera imitanda. Totum noſtri thematis propoſitum concluſit Hugo Carenſis in Pſalm. 131. dum agens de ornatu Aaronis dixit. *Sapientiæ* 18. *dicitur, quod in veſte pode is, quam habebat ſacerdos, erat deſcriptus vniuerſus orbis : quia omnes debent inuenire in vita ſacerdotum, quid valeant, & debeant imitari.* Qualiter vniuerſus orbis deſcriptus fuerit in ornatu Pontificis, ſatis ſuperque diximus in principio huius operis, cùm de eius allegorica ſignificatione ageremus. Nunc reſtat examinandum : an rectè intulerit Hugo Carenſis ; ideo vniuerſum orbem deſcriptum fuiſſe in ornatu Pontificis, quia omnes debent in vita ſacerdotis inuenire, quid valeant, & debeant imitari ? Cælum, aſtra, elementa, &

Gloſſ. Ord. Beda.

Hugo Carenſis.

creata omnia descripta erant in ornatu Aaronis: an quia hæc imitari possent sacerdotis vitam? Ita sanè. Quia quantumuis insensibilia sint, excitari possunt sacerdotis exemplo. Hæc enim est vis, & efficacitas exempli præsulis, vt insensibilia, & rationis expertia, eo moueantur, & excitentur ad huiusmodi opera patranda.

ILLATIO XIX.

Qui per viam incedit virtutis, curet, ne aliqua spolietur: nam qui vna caret, omnibus carere putatur.

13. PVlchertrima res est virtus: imo ipsa pulchritudo. Species, aut forma symetriam partium, & colorum harmoniam exposcit. Fœmina, quæ albore pollet, si rubore careat, haud pulchra existimatur: nec quanuis colorum fulgeat harmonia, si partium proportione fuerit destituta, speciosa habetur. Ex partium proportione, & colorum symetria coalescit pulchritudo. A corporis pulchritudine ad animæ speciositatem idem argumentum formo. Virtus pulchritudo est animæ. Ergo vt anima reddatur speciosa, concentum, & harmoniam requirit virtutum. Studeat ergo, qui per viam virtutis incedit, ne aliqua spolietur: quia qui vna caret, omnibus carere putatur. Doctrina est expressa Angelici Doctoris. 1.2. quæst.65. art.1. S.Thom. Caietani ibidem. Conradi & plurium Thomistarum. Id docuerat Magister. in 3. dist.36 c.1. Caietan. Magister. & 2. Alexander. 4. p.quæst.65. memb.3.art.3. Conrad. Alexand. sed accipe D.Hieronymum Comment.in c.65. Pſal.105. Isaiæ. In principio explicans illa verba Ps.105. D.Hieron. *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Dicentem: *Vt iustè, quod iustum est prosequantur. Quanquam nomine iustitiæ omnis mihi videatur significari virtus: quod qui vnam iustitiam fecerit, cunctas virtutes impleſſe dicatur: quæ inuicem se sequuntur, & sibi hærent: ita vt qui vnam habuerit, omnes habeat, & qui vna caruerit, cunctis careat.* Quid illustrius? Beatus est qui custodit iudicium, & facit iustitiam in omni tempore: id est, qui omnium virtutum ornatur pulchritudine tanquam beatus laudari potest: qui verò vnam habens reliquis spoliatur, non meretur laudari, nam perinde est, ac si omnibus careret.

14. Cupiens Dauid laudari Deum non solùm vocibus, sed etiam musicis instrumentis, sic populum exhortabatur ad Dei laudes decantandas Pſal.80.n.1. Psalmo. 80. num.1.& 2. *Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Sumite Psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.* Quid sibi vult Dauid cum vltra Psalmum, etiam requirit instrumenta? Nunquid, rex sancte, Psalmus, in quo magnalia Dei continentur, diuinæ celebritati non sufficit? Quare desideras tympanum, psalterium, & citharam? In Psalmo Dei laudes continentur. Ergo sufficit Psalmus: præsertim cum instrumenta, quanuis hilaritatem excitent, auditum recreent, & animum suspendant, non tamen Dei laudes intonant. Cur ergo tantam de his instrumentis curam geris? Non abs re, imo satis attentè. Nam Psalterium, vt docet Genebrardus ad hunc Psalmum ex B.Hieronymo, est instrumentum duodecim chordas continens: cithara decem amplectens: quæ ita inter se consonare debent, vt si vna dissonet, perinde est, ac si omnes dissonarent. Cupiens ergo Dauid fidelium animos ad Dei celebritatem excitare, non contentus Psalmo, hæc instrumenta requirit, quasi dicens: non sat est vocibus Deo iubilare, sed vlteriùs instrumenta requiro ad diuinas laudes decantandas, hoc est, corda omnium virtutum ornamentis condecorata, quæ, velut Psalterium, & cithara chordarum exigunt consonantiam, sic omnium virtutum habeant concentum. Sic Bernardus lib.1. de consideratione ad Eugenium cap. 8. *Ibi etiam aduertere tibi est,* Hieron. Genebrard. Bernardus. *suauissimum quendam concentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera.* Cor hominis, quædam cithara est, cuius decem chordæ (id est, decem præcepta) sic inter se consonare debent, vt nulla ab alia dissonet aliàs spiritualis concentus, & harmonia diuinis non placebit auribus, imo nec erit concentus, sed dissonantia. Sonat in te chorda castitatis: sonent etiam chordæ iustitiæ, & misericordiæ. Pulsas chordam infimam humilitatis: pulsa etiam supremam charitatis chordam. Nam quid tibi prodest, castitatem indefesso animo custodire, si odium, & iram retines? Quid humilitatem amare, si ebrietate tumes. Cor tuum quædam cithara est, in quo si virtutis chorda aliqua dissonat, totus cessat concentus. Eleganter D.Ambros. in cap.4. Apocalips. expendens verba illa Christi Domini Matth.19. num.21. *Si vis perfectus esse, vade,* Matth.19. num.21. *& vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me:* sic ait: *Quid enim prodest substantiam relinquere,* Matth.19. Ambros. *si iram, odium, ebrietatem, inuidiam, superbiam, vanam gloriam, cæteraque vitia, quæ occidunt animam à mente sua non abiiciat? Non enim prodest, arborem conscendere, vt leonem euadat, si serpentem in sinu gestet, cuius veneno pereat.* Adsit ergo in anima virtutum admirabilis consonantia: nam sicut in cithara temperatæ chordæ efficiunt concentum, dissonæ autem destruunt harmoniam: sic cordis, & animæ concentus ex harmonia omnium virtutum integratur.

15. Felices fuerunt illæ quinque virgines, quæ accensis lampadibus expectauerunt sponsum, & cum eo intrauerunt ad nuptias: infelices verò aliæ quinque fatuæ, quæ ferè extinctis lucernis exierunt obuiam sponso, & propter suam desidiam meruerunt audire repulsam. *Nescio vos.* Matth.25.num.12. Miror, Deum Matth.25. num.12. (qui sponsi nomine communiter intelligitur) sic has virgines contemnere. Nam etsi fatuæ, & imprudentes sint, tamen pretiosâ virginitatis gemmâ fulgent, quæ Deum accersiuit à cœlo. Cur nunc Deus, qui tanti fecit semper virginitatem, virgines contemnit, & eis ianuam cœlestis palatij fortissimis seris claudit? Audi Origenem homil.1. in Leuiticum respondentem. *Virgines quidem fuerunt, & castitatem corporis seruauerunt, oleum autem charitatis, & pacis, & reliquarum virtutum in vasis suis condere* Origenes.

nescio

neſcierunt, & idcirco excluſæ ſunt à thalamo ſponſi. Magni Deus facit virginitatem. Quis dubitat? Nam magnum eſt in corpore viuere, & cognatam Angelis vitam degere: ſed quia fatuæ (quanuis virgines) aliarum virtutum caruerunt ornamento, quaſi parui faciens virginitatem Deus, ianuam eis clauſit, indicans, quàm parum valeat virginitas, ſi deſit conſortium cæterarum virtutum. Imitetur quis in caſtitate, & iuſtitia Angelicos choros, ita vt cœlos tranſcendat: ſi iuſtitia, humilitate, miſericordia erga pauperes, & aliarum virtutum ornamento careat, quid illi prodeſt.

16. Vidit Iacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: *Et Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. num. 13. Diuus Ambroſius in cap. 4. Apocalipſ. putauit per lapidem Iacobi capiti ſuppoſitum Chriſtum intelligi: *Per lapidem Chriſtus intelligitur.* In vtraque ergo extremitate ſcalæ aderat Deus. Sed cur? Idem Ambroſius ibidem reſpondet. *Duo namque ligna ſcalæ maiora, quæ ſunt ex vtraque parte, atque ab inferioribus ad ſuperiora eriguntur, duo præcepta charitatis deſignant. Per gradus verò, qui in tranſuerſum ex vtraque parte iis duobus lignis inſeruntur, cæteræ virtutes deſignantur. Et ſicut duo ligna niſi à gradibus, & gradus niſi à duobus lignis contineri non poſſunt: ita & charitas ſine ceteris virtutibus, & cæteræ virtutes ſine charitate eſſe non poſſunt.* Ita virtutes inter ſe connectuntur, vt charitas, quæ omnium eſt regina ſine cæteris eſſe valeat. Nam ſicut neque ſcala confici poteſt duobus illis lignis, ſed indiget gradibus tranſuerſis, vt per eam aſcendi poſſit: ſic in aſcenſu ſpirituali, ſi adeſſet charitas (quod puto difficile) ſine ornamento cæterarum virtutum, neutiquam ad gloriam pateret aſcenſus. Adfuit ergo Deus in vtraque extremitate ſcalæ, explicans quantùm ſibi omnium virtutum complaceat concentus, & harmonia.

17. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron.* Montanus & Oleaſter, *veſtes ſanctas*, legerunt. Sed cur vbi noſter textus legit, veſtem: hi, *veſtes*, vertunt? Profectò, quia homo iuſtus non ſolùm debet ornari vnius virtutis indumento, ſed omnium virtutum decorari pulchritudine. Quapropter idem eſt, Aaronem veſtem ſanctam indui, ac veſtibus ſanctis exornari. Nam per hanc veſtem abſque dubio intelligitur ſanctitas, & iuſtitia, iuxta illud Pſalmi. 131. n. 9. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.* Vt ergo denotaretur, non ſat eſſe vnica exornari virtute: non immeritò vbi ſacer textus veſtem ſanctam legit, Montanus, & Oleaſter tranſtulere veſtes: quia vna virtus ab alia non eſt ſeparabilis.

Montanus. Oleaſter. Pſal. 131.

ILLATIO XX.

Qualis eſt exterior corporis ornatus, tale debet eſſe interius cordis indumentum.

18. FIngit, & malè fingit, qui alia oſtendit in vultu, & alia tenet in animo. Vultus namque intentionis, & cogitatus eſt index. Sic Tertullianus cap. 15. de reſurrectione carnis. *Volutet* (inquit) *aliquid in anima, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium ſpeculum eſt.* Malè ergo fingit, qui bene fingere putat. Fallit, ſed fallitur. Alius eſt à ſe, cùm aliud teneat in mente, quàm oſtendit in facie. Idem prorſus contingit ei qui aliena vtitur veſte, vt propter illam maiori afficiatur honore. Fallit, mentitur, hiſtrio eſt; non ille, quem repræſentat. Sicut ergo vultus cordis, affectibus correſpondere debet, ſic & ornatus vitæ, & dignitati correſpondeat. Tertullian.

De ſancto Enoch dicitur Eccleſiaſt. 44. n. 16. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* In eundem locum tranſlatus eſt etiam Elias, vt cum Enocho in magna ſpiritus, & carnis quiete viueret ſine peccato, ſine nouo merito, ſine concupiſcentia, ſine morbo, ſine corruptione, ſine ærumna, ſine mærore, quouſque ad finem mundi aduersùs Antichriſtum redeant, & mortis debitum ſoluant. Ita Tertullianus, lib. de reſurrect. carn. cap. 58. Auguſtinus lib. 2. de peccato originali cap. 13. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3. Rupert. lib. 3. de Trinit. cap. 33. Suar. in 3. p. S. Thom. tom. 2. q. 59. diſp. 55. ſect. 1. ſed nota, referre ſacrum textum, Eliam proieciſſe pallium Eliſæo, cùm curru, & equis igneis raperetur in cœlum. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ciderat ei.* 4. Reg. 2. n. 13. iamiam dubium præoculis ſe offert: cur Elias pallium proiecit, cùm flammigero curru rapitur per aëra: Enoch autem integro ornatu defertur in paradiſum? Forſan etiam pallium haberet Enoch: cur illud non reliquit ad ſuæ poſteritatis ſolatium? Diſparitatem apertam inueniemus, ſi vtriuſque tranſlationis perpendimus circunſtantias. Præcipua ad præſens inſtitutum eſt, quam tradidit Abulenſis quæſt. 5. ad cap. 5. Geneſ. ibi enim hanc reddit rationem, ob quam Enoch non viſus eſt transferri, ſicut Elias: *Quia* (inquit Toſtatus) *fortè nullus erat tunc dignus videre eum transferri, ſicut vidit Eliſæus Eliam, quia ſanctus vir erat.* Ex mente ergo noſtri Toſtati, tempore Enoch nullus præter ipſum erat iuſtus: cùm autem Elias tranſlatus eſt, Eliſæus vir ſanctus erat. Hinc ad noſtrum thema deduco rationem, quæ dubium ſoluit. Ideo igitur Enoch pallium non dimiſit, cùm raperetur in paradiſum; ſecus autem Elias: quia Enoch non habuit ſocium iuſtum, cui tantum pignus relinqueret, ſicut Elias, qui habebat Eliſæum virum ſanctum, & probatæ vitæ. Sed adhuc inquiro: cur ad recipiendum pallium Enoch, requiritur vir iuſtus? Quia cùm Enoch eſſet amicus Dei, & cum Deo ambulaſſet, æquum erat, vt illo pallio, nonniſi iuſtus operiretur: ne qui huiuſmodi haberet operimentum, exteriùs appareret iuſtus, cum interiùs eſſet peccator. Cùm autem Elias raperetur in cœlum & tunc Eliſæus adeſſet vir iuſtus, & ſanctus; meritò huic pallium dimiſit: nam ſi exteriùs ſanctus apparebat, vtpote pallio iuſti coopertus, ſanctus etiam erat interiùs. Vtrumque, ni fallor, fuit diſpoſitum, vt exteritoritas ornatus vitæ, & dignitati correſponderet; nec aliud interiùs eſſet, & aliud appareret exteriùs. Tertullian. Eccleſ. 44. Auguſt. Rupertus. Suarez. 4. Reg. 2. num. 13. Abulenſ.

Ioſephum diligebat Iacob præ cæteris filiis, & in tanti amoris ſignum tunicam polymitam, 20.

& variegatam fecit ei, vt pulchrior, & elegantior omnibus appareret. *Fecitque ei tunicam polymitam.* Genes. 37. num. 3. D. Ambros. lib. 1. de Ioseph c. 2. sic inquirit. *Quid ergo? Reprehendendus Iacob, quia præferebat vnum cæteris?* Absit. *Sed nec libertatem* (prosequitur) *possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis resecare debemus studium plus placendi. Denique & Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum insigna præuidebat.* Inordinatus amor parentum erga filios reprehendendus est: tunc scilicet, cùm eos diligunt, quos reprehendere tenebantur. At illos præferre, in quibus maiora virtutum sunt insignia, æquum est. Iustè ergo Iacob diligebat Iosephum. Sed inquirendum restat: cur Ioseph præ cæteris fratribus ornatur à patre tunica polymita, & variegata? Cur non Rubem primogenitus? Cur non Symeon, aut Leui? Cur non cæteri? Respondet Ambrosius. *Meritoque variam tunicam fecit ei, quo significaret, eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum.* Facile esset Iacobo viro honorato, & diuiti singulas singulis polymitas tunicas elargiri: Verùm quia tunicæ varietas diuersarum virtutum erat insigne, quibus solus inter fratres præfulgebat Ioseph; ideo ei solùm hunc præparauit amictum. Nam si cæteri filij polymita veste induerentur, exteriùs ostenderent virtutum insignia, cùm tamen interiùs omnino illis carerent; quod totis viribus fugere intendebat Iacob, ne pectus sceleribus plenum virtutum insignibus operiretur. Dedecet enim externè virtutum radios emittere; & internè peccatorum tenebris obscurari.

Gen. 37. n. 3.

Ambros.

21. Pulchritudine sponsæ captus cœlestis ille sponsus, non semel, sed iterum atque iterum decorem eius celebrat, dicens: *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce vt pulchra es.* Cant. 1. num. 16. sed cur, O sponse sancte, bis pulchram appellas sponsam? Sat est semel de eius pulchritudine exhibere testimonium, qui nec falli potes, nec mentiri. Quare ergo repetita voce, quasi vna non contentus, sponsæ peruulgas pulchritudinem? Philo Carpathius ad præfata verba sic respondet. *Duplici laude celebrat sponsæ pulchritudinem, cùm dicit. Ecce tu pulchra es,* &c. *vt non modò extrinsecùs eam formosam esse ostendat, verùm & intrinsecùs decoratam.* Non superfluè cœlestis sponsus duplicato elogio decorem, & formam dilectæ amanter celebrauit; sed vt indicaret perfectam esse eius pulchritudinem: & non contentus formositate externa, ad internam appellauit, repetita voce: *Pulchra es.* Parum putans exteriùs pulchram apparere, si internè desit pulchritudo. Nam vilescit externa formositas, si decor animæ deficiat.

Cant. 1. n. 16.

Philo Carpa.

22. Angelus ille, qui Magdalenæ apparuit, sedens super Christi sepulchrum satis ostendit exterioris vestis, & animi conformitatem. De illo sic Matthæus cap. 28. num. 3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur; & vestimentum eius sicut nix.* Dubitare libet: cur hic Angelus non purpurea, sed candida apparuit veste? Purpurà ornatus maiorem ostenderet maiestatem: siquidem purpura splendoris regalis est insigne. Cur ergo non purpura, sed candore se induit? Drogo Hostiensis lib. 1. de Sacramento Dominicæ passionis sic dubium soluit. *Quid autem per candorem niuis, & vestimentorum speciem, nisi corporis nostri frigida, & mundissima castitas signatur, quæ præsidenti in se angelicæ claritati similis, & testimonium præbet, & obsequium?* Frigiditas niuis, & albor vestis castitatis angelicæ est indicium: vt ergo exterior vestis interiori candori correspondeat, quo fulget Angelus; non purpura, sed veste candida appareat exteriùs; ne diuersa sint quæ insunt internè, & externè apparent.

Matth. 28. num. 3.

Drogo Hostiens.

Facieque vestem sanctam Aaron. Cur Aaronis ornatus sanctus dicitur? Aaron, vt dicitur Exod. 29. multis cærimoniis consecratur in sacerdotem: ad quid insuper eius vestes sanctificantur? Quia voluit Deus, internè, & externè sanctum esse sacerdotem. Sic S. Iuo Episcopus Carnotensis serm. de significatione indumentorum sacerdotalium. *Sicut bona domus* (inquit) *in ipso vestibulo agnoscitur: sic sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exteriùs qualis apud se esse debeat interiùs.* Eandem fermè rationem nobis reddidit Abulens. hìc quæst. 1. *Accepit tamen* (ait) *sacras vestes conuenientes huic ministerio, quæ etiam conformes significationes ministris gerunt; id est, vt tales ministri esse debeant, quales per vestes significantur.* Summopere enim Deo displicet, intima cordis ab externis operibus dissonare.

23.

S. Iuo. Carnot.

Abulens.

ILLATIO XXI.

Certum prænuncium excidij regni est, si Ecclesiæ bona à regibus vsurpentur.

24. QVanto amore Christus Dominus prosequatur Ecclesiam, facilè agnoscet, qui Cantica legerit Canticorum. Quod autem Ecclesia sit sponsa Christi, multis possem confirmare: sic eam appellauit Cant. 4. num. 8. *Veni de Libano sponsa mea.* Et cap. 5. n. 1. *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* Quæ verba D. Bern. serm. 69. in Cant. de Ecclesia non dubitat intelligere, dum ait. *Quid sponsa, nisi congregatio iustorum: quid ipsa nisi generatio quærentium Dominum?* Probat insuper ex illo Apocal. 21. n. 2. *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Idem docent Glossa super Psal. 40. ad illa verba, *nunquid qui dormit*, &c. & Augustinus lib. de Symbolo. Res hæc vsque adeo certa, vt dubitari nequeat. Hinc apertè colligitur, nefas esse regibus ab bona Ecclesiæ manus extendere, apprehendere ea, & conuertere ad prophanos vsus. Hinc etiam regnorum excidia, subuersiones ciuitatum, ciuium perturbationes, & neces sequuntur iusto Dei iudicio: quia dilectæ sponsæ bona arripiuntur, & contra omne ius eius vulneratur immunitas.

Cant. 4. n. 8.

Cant. 5. n. 1.

Bernard.

Apoc. 21. n. 2.

Glossa.

August.

25. Consilio principis Ionathæ fugerat Dauid à domo Saül, & venit in Nobe, vbi morabatur Pontifex Abimelech. Is cùm videret Dauidem obstupuit, eo quòd venisset solus ad eum. Necessitate ergo compulsus Dauid panem petit à sacerdote: cui respondit Abimelech, non habeo laicos panes, sed tantùm panem sanctum. Ad hæc Dauid tacitè respondens, panem sanctum

ctum petiuit. Et ait facer textus. 1. Reg. 21.
1.Reg.21. n.6. *Dedit ei sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.* Ex alimonia accepta occasionem sumpsit Dauid petendi etiam arma à sacerdote. Cúmque illic solùm esset gladius Goliath inuolutus pallio post Ephod, dixit sacerdos, si istum vis tollere, tolle; & ait Dauid,
Ibid.n.9. ibidem num.9. *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Vix accepit Dauid de manu sacerdotis panes sanctos, & gladium cinxit Philistæi, cùm fugiens venit ad Achim regem Gethæorum, ibique captum à seruis Achis perduxerunt ad regem, in cuius conspectu cùm Dauid magno timore esset perterritus, insaniam finxit, vt liber euaderet: sic refertur ibidem n.10. vsque ad finem capitis. Inde Dauid abiit, & fugit in speluncam Odollam: hinc descendit in Maspha cap.22. Ex Maspha venit in terram Iuda, & vbique Saülis timens insidias profugus errabat. Multa pertulit Dauid ab illa die, qua recessit ab Abimelech. Sed placet inquirere, quænam fuit causa, ob quam Dauid à Nobe discessit, cùm ibi Pontificis vmbraculo, & protegi, & occultari posset? Insuper quid fecerat Dauid, vt tot malis afficeretur; tum in manus incidens Gethæorum, insaniam fingens, vt ab eis liber euaderet; tum timore perterritus hinc illuc fugiens, quasi nullibi esset securus? Nullam infelicitatis, & timoris aptiorem causam inuenio, nisi quia panes sanctos, & solis sacerdotibus dicatos accepit, & gladium Goliath, qui Deo fuerat oblatus in tantæ victoriæ monimentum, accinxit. Sed adhuc insto. Dauid non sustulit panes, nec gladium, sed à sacerdote compulsus necessitate, & timore perterritus accepit. Ergo non ob hoc omnia siniſtrè eueniunt Dauidi. Crede mihi tanta infelicitas Dauidis non aliunde potuit prouenire, nisi quia ad bona sacra, & Deo deputata (quanuis indigus) manus extendisset. Vide gladium Goliath, quo superbum illud caput fuerat amputatum, non ad victoriam, & triumphum, sed ad fugam, & ignominiam Dauidis deseruire. Vide etiam panes illos sanctos, quibus alendi erant sacerdotes, Dauidi profugo non alimoniam, sed famam attulisse. Non aliter regibus contingit, qui quantunuis necessitate oppressi bona sacerdotum & Ecclesiæ vsurpant. Timeant ergo diuinam vltionem: nam res sacras vsurpare, Ecclesiis, & sacerdotibus gabellas imponere, ab eis tributa exigere, non solùm periculosum est, sed excidij regni certissimum prænuncium.

16. Auarus, & infidelis contra diuinam sanctionem pepercit Saül, post victoriam contra Amalec obtentam, eorum regi Agag: Oues, arietes, armenta, & omnia, quæ pulchra erant, noluit disperdere, sicut præceperat Dominus, solùm enim, quod erat inutile, demolitus est. Tunc iratus Dominus misit Samuelem, qui relatis tot beneficiis à Deo acceptis, futura mala prædiceret, & eum ingratitudinis, & inobedientiæ argueret. Saül se excusare cœpit, & Prophetam exorare, vt pro eo ad Deum preces effunderet: quibus non assentiens Samuel conuersus est, vt abiret. At Saül, vt detinere posset eum, in-

quit facer textus. 1.Reg.15.n.27. *Apprehendit* 1.Reg.15.
summitatem pallij eius, quæ scissa est, & ait ad eum n.27.
Samuel: scidit Dominus regnum Israël à te hodie, tradidit illud proximo tuo meliori te. Quid enim sibi vult, quod Samuel non annunciauerit Saüli regni iacturam, excidium, vsque dum apprehendit Saül, & scidit pallium Prophetæ? Si Deus mittebat Samuelem, vt regem increparet, & ei intimaret, regnum fuisse traditum alteri meliori: cur in ipso discessu, & non antea tot mala prædixit, & ad hoc scissionem vestis Samuelis expectauit. Caietanus ad hũc locum acutè hanc reddit rationem. *Interpretatus est Samuel* (in- Caiet.
quit) *scissionem sui pallij signum esse scissionis regni à Saüle decretæ à Deo.* Sed quid habet scissio pallij Samuelis cum scissione regni Saülis; vt illa sit istius velut quædam Prophetia? Ni fallor, maxima inter vtrumque est connexio. Nam si rex, quanuis inconsultò manum extendens, vt Prophetam detineret, pallium Samuelis scidit: (in quo vsurpatio sacrarum rerum figurabatur) meritò intulit sapientissimus Cardinalis ex illa scissione translatum fuisse regnum à Saüle ad alium meliorem regem. Nam ita ex bonorum Ecclesiæ, & sacerdotum apprehensione iactura regis infertur: vt Samuel Saülis, & regni ruinam subticeret, vsque dum sacerdotalem vestem vidit scissam.

Apud Caïpham tenebatur Christus, quem 27.
cùm audiret sacerdos esse filium Dei confitentem, furore correptus vestem sacerdotalem scidit. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta* Matth.26.
sua. Matth.26.num.65. Sed cur impius ille sa- n.65.
cerdos vestimenta scidit? Origenes homil. 3. in Iob. respondet dupliciter. Primò fuisse in signum acerbissimi doloris, quem ex responsione Christi verum Dei filium se confitentis mutuauerat. Frequentissimè enim in sacra pagina vestis scissione magnus dolor significatur. Sic Rubem Genes.37.num.29. quando fratrem Ioseph non inuenit in cisterna, dolore captus vestes scidit: sic etiam Iacob ibid.num.34. cùm eiusdem Iosephi tunicam agnouisset, & alibi pluries. Secundò & ad rem nostram respondit Origenes his verbis. *Scidit vltimus in lege Iu-* Origenes.
dæorum princeps sacerdotum cùm aduersùs Dominum blasphemiam quæreret: ex quo Iudæorum sacerdotium, & omnis Iudæorum legis ritus conscissus, atque distractus penitus interiit. Itaque in sententia Origenis, Caïpham vestes sacerdotales scidisse, signum fuit conscissionis, rituum finis, & subuersionis totius populi. Ac si diceret: si vestes sacræ Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum bona, quæ iure diuino naturali, & Ecclesiastico prohibita sunt apprehendi, à regibus, & Dynastis vsurpentur, & ad vsus prophanos scindantur: timeant, ne sacerdotium penitus intereat, & totius populi sequatur excidium; sicut ex scissione vestium Caïphæ iacturam sacerdotij, & Iudaici populi subuersionem non incongruè inferebat Adamantius: *Ex quo Iu-* Leuit.21.
dæorum sacerdotium, & omnis Iudæorum ritus conscissus atque distractus penitus interiit. Nec abs re putarem secutus Origenem, ideo in veteri testamento Leuit.21.n.10. illicitum fuisse sacerdoti vestes suas scindere, dum de eo dicit: *Ve-* num.10.
stimenta sua non scindet: quia sacerdotalium vestium scissione, hoc est, earum vsurpatione ad

vſus prophanos, ruina imminebat ſacerdotij, & excidium regni. Non aliter ſi reges Eccleſiæ ſupellectilem vſurpent, deerit ſacerdotium, & regni iactura non deficiet. D. Ambroſ. lib. de Ioſeph. c. 3. expendens verba illa Matthæi 27. num 51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum.* Sic ait. *Et velum templi ſciſſum eſt, & prophanata myſteria, vt eſſe nudatum populum ſalutaribus indumentis, diuiſum regnum talibus manifeſtaretur inſignibus deſtruendum.* Quaſi diceret. Sciſſio illa veli Eccleſiaſticorum bonorum diuiſionem in duas partes, in ſacros, & prophanos vſus denotabat, & populum conſequenter nudatum eſſe ſalutaribus indumentis, & diuiſum regnum, atque deſtruendum. Nam cum Eccleſiaſtica bona, quæ Deo conſecrata ſunt, à regibus ob quamlibet neceſſitatem vſurpantur, manifeſtè prænunciant regni ſubuerſionem.

Ambroſ. Matth. 27. n. 51.

28. Multis hiſtoriis huius thematis veritatem poſſem confirmare: ſed præ aliis ſemper in memoria retinenda eſt celebris illa confeſſio Alexij Commeni quondam Græcorum imperatoris, vt diſcant reges, & principes res Eccleſiaſticas venerari, & à bonis Eccleſiæ manus auertere. Refertur hæc hiſtoria 3. tom. Bibl. vet. Patr. in reſcripto, vel oratione, quæ *tabula aurea*, nuncupatur, digna vt in omnium regum cordibus ſculperetur ſtylo ferreo, vel adamantino: ne tam audacter in res ſacras manus extenderent. Hic igitur Alexius cum primùm imperatoriæ dignitatis faſtigium conſcendiſſet, & in ſummam rerum anguſtiam eſſet adductus, ſtatuit ſacra diuinaque Dinodia contingere, quod certè facinus in pleriſque ſacris Eccleſiis fuit admiſſum, nec ſacrorum donariorum pauca in publicos ceſſerunt vſus. Quid inde? Quodcunque moliebatur rex, in eius deſpectum, vel in regni contumeliam eueniebat. Hinc cogitare cæpit imperator, diſquirere, & inueſtigare, quidnam hoc eſſet, quod tantam Dei iram concitaſſet? Qui cum viris diuino ſpiritu afflatis de hac re conſilium iniret, certior factus eſt, ſatis eſſe cauſæ, quod prophanis manibus ſacra, & veneranda Eccleſiarum vaſa contrectaſſet. Quapropter operæ prætium illi viſum eſt, & futurum mali impetum reprimere, ne vllo in poſterum tempore inter Chriſtiani nominis principes irrepat, & præteritis, quoad eius fieri poſſet, præſens afferre remedium. Quamobrem coram Deo, & hominibus imperatoria maieſtas prolapſa fatetur, veniamque delictis, quæ temerè admiſit, ex intimis animi adytis poſtulat: ſeque omnia, quæ ſui ſunt imperij diuino numini mancipaturum, eaque viribus imperatoriis denuo reſtituturum pollicetur, quæ in hodiernum vſque diem ab Eccleſiis Deo ſacris ablata in publicos vſus malè verſa ſunt; ſi modò, quæ orbem vniuerſum exagitat, procella deſæuierit, imperioque ſtatus melior fuerit reſtitutus. Quare in poſterum tum ſibi, tum poſt ſe futuris Chriſtiani dogmatis principibus *Aurea bulla* legem non minùs obſeruandam imponit, quam ſi à Deo ipſo dictaretur: *Ne quis poſthac ſacra temerè contrectet, etiamſi vel Cadmea neceſſitas vrgeat, ne manus impuras ſacris rebus iniiciat, ne prophana ex diuinis Dinodia fiant, dum in publicos vſus circumferuntur.* Quam legis obſeruationem, vt firmitate ſanciat, multis maledictionibus confirmat contra prædicti ſtatuti violatores, & humiliter, & reuerenter Deum rogat, vt iram ſuam auertat. Ex hac hiſtoria, & ex pluribus, quas poſſem referre, manifeſtè conſtat, imminere iacturam regibus, qui ad ſacra bona manus extendunt. Vtinam ſicut aliis exemplis vtuntur ad ea vſurpanda, his terrerentur, ne tale facinus committerent.

Tabula aurea.

29. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron.* Ad quid veſtis ſancta? Quia ſolùm ſacro miniſterio debet inſeruire, & nullus niſi ſacerdos hanc veſtem induere. Sic explicuit Toſtatus hîc q. 2. dicens. *Ad ſolum autem ſanctum miniſterium veſtes iſtæ applicari debebant, & nullus hominum eis indui, niſi qui ſacerdos eſſet, & ad miniſtrandum procederet.* Tantam igitur reuerentiam Deus rebus ſacris exhiberi voluit, vt nefas eſſet laïcis eas in publicos, & prophanos vſus conuertere. In quo Iacobeæ ſtirpis agebatur negotium, ne magnam iacturam pateretur. Nam ad bona ſacra manus extendere, ea vſurpare, & in prophanos vſus conuertere, abſque dubio regni annunciat excidium.

Abulenſ.

ILLATIO XXII.

Splendor ſubitaneus ſuſpicionem generat, ſi à quo habuerit originem, ignoretur.

30. QVod rarum eſt, admirationem parit; ſicut quod ſubitaneum ſuſpicionem. Hinc eſt, quod ſi is quem heri vix decenter veſtitum videbamus, hodie ſericam veſtem induat, non ſit liber à ſuſpicione. Eleganter D. Bernardus ſerm. 2. de verbis Iſaiæ ornatum ſubitum reprehendebat. *Quid eis inuides* (inquit) *qui de operibus vermium, & murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubeſcunt, cultu indigno viris interdicto, & mulieribus, ſemetipſos dehoneſtantes, potius quam ornantes?* Indignus ergo cultus eſt, & obſcurus ſplendor, cuius ignoratur origo: ſuſpectus etiam aſcenſus illius, qui ſubitò è puluere ad faſtigium dignitatis aſcendit: nam caret ſuſpicione improuiſum diuitiarum incrementum: imo ſubitus virtutis ſplendor purgari debet, vt ſuſpicione careat. Quid ergo, vt omnis relegetur ſuſpicio? Cognoſcatur, vnde habuerit ortum ſplendor; quibus mediis conſecuta ſit dignitas; & erit ab omni ſuſpicione aliena, ſi origo fuerit illuſtris, & honeſta.

Bernardus.

31. Inuiſibilis, inculta, & omni ornatu vacua erat terra in exordio rerum, vſque dum audiuit à Domino: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Geneſ. 1. n. 11. Cur tam ſolerter notat ſcriptura, Deum dixiſſe: *Germinet terra*, &c. Et ibidem num. 24. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo*, &c. Sat enim eſſet, referre, terram germinaſſe herbam, & lignum pomiferum produxiſſe. Cur repetita voce, id à Deo prolatum, facet textus commemorat? Tertullianus aduerſùm Hermogenem

Gen. 1. n. 11.

Ibid. n. 24.

nem cap. 22. dubium hoc tam de terra, quàm de aliis rebus tunc à Deo productis peracutè ſoluit. Quia cùm terra ex nihilo in lucem ante lucem edita eſſet, ſtatimque ornanda pulchritudine, & varietate florum; arborum opacitate; diuerſitate animalium; cùm tamen in ſui exordio inanis, inuiſibilis, & inculta exiſteret, abſque dubio ex tam ſubita mutatione contra eius ornatum, & pulchritudinem ſiniſtra poſſet ſuboriri ſuſpicio. Vt igitur terræ ornatus perſiſtat illæſus, & ab omni ſuſpicione immunis, operæ pretium duxit Sacer Scriptor, palam exponere, Dei imperio terræ aduemiſſe tantam pulchritudinem. Accipe doctiſſimum Tertullian. Africanum ſic dicentem: *Quanquam poſſimus, vnde illas prolatas exiſtimare, dum ne ex nihilo, iam enim facta erant quædam, ex quibus prolatæ videri poſſent: ſi tantam curam inſtructionis noſtræ inſumpſit Spiritus Sanctus, vt ſciremus, quid vnde proceſſerit.* Magna profectò futura erat, aſpectuique grata herbæ viriditas, florum varietas, & pulchritudo, brutorum diuerſitas delectabilis: quæ omnia terram ex incompoſita ornatam, ex inuiſibili ſpectabilem, ex inani plenam ſubita mutatione reddebant. Ne ergo ob hanc mutationem ſiniſtræ ſuſpicioni locus ſit; mira inſtructione, vnde tantus ornatus terræ venerit, Spiritus Sanctus declarauit, dicens; *germinet terra herbam virentem.* Nam ita ſuſpicioni obnoxius eſt nouus ſplendor, vt ad eam relegandam, opus ſit, exprimere, vnde habuerit exordium.

32. Læta, admirabili, & inaudita ſalutatione Gabriel Archangelus ſalutauit Mariam; & Dei Filij Matrem annunciat, & veneratur. Ad quæ Beatiſſima Virgo reſpondit humiliter: Luc. 1. n. 34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Lucæ 1. n. 34. Iamdiu hæc interrogatio Mariæ ingeniolum meum torſit. Plura pluries dixi. Cur ergo, Virgo Beatiſſima, à Gabriele quæris: *Quomodo fiet iſtud?* Quæris ſolùm, an ſciſcitaris? Quærit, & ſciſcitatur. Nam ab Angelo didiciſſe tantum myſterium concors Sanctorum Patrum eſt conſenſus. Dubitas, an quæris? Quærit, non dubitat. Sed cur quæris, & ais; *Quomodo fiet iſtud?* Diuus Ambroſius in Ambroſ. hunc locum dubio reſpondit: *Etenim cùm dixit, quomodo fiet iſtud, non de effectu dubitauit, ſed qualitatem ipſius quæſiuit effectus.* Quam ergo qualitatem in effectu quæris Virgo Sacra? Si more noſtro reſpondendum eſt, qualitatem myſterij indagare cœpit, quando dixit: quomodo fiet iſtud? Ac ſi Hiſpane diceremus: *Deſſeò calificar el miſterio.* In noſtra Hiſpania cùm generis, & ſanguinis ſcrutinium fit, præſtito iuramento interrogantur teſtes de ſanguinis puritate, & generis ſplendore, & tanto rigore procedit examen, vt vſque ad primum fontem, à quo candidatus traxit originem, fiat indago; ne vel minima ſuſpicio circa ſanguinis puritatem, & ſplendorem, etiam inuidia mordente, poſſit ſuboriri. Sic enim ſanguinis qualitas omnibus manet perſpicua, & etiam dicimus: *Bien calificado queda el linage.* His ita prælibatis, quibus ſatis laudabiliter vtimur Iberi, mentem Ambroſij ſic explico. Cùm enim ait, Beatiſſimam Virginem non dubitaſſe de effectu, ſed effectus quæſiuiſſe qualitatem; perinde eſt, ac ſi dixiſſet, inueſtigaſſe Mariam, vnde, & à quo tantum myſterium duxiſſet originem. Nam, cùm Virginem concipere, & ad Dei Maternitatem aſcendere, eximia eſſet dignitas (quid enim altius, & excellentius excogitari poteſt, quàm quod Virgo intemerata manens Deum, & hominem concipiat?) & futuris ſæculis admirabile Sacramentum: cordatè Beatiſſima Virgo myſterij qualitatem quæſiuit, vt audiret ab Angelo: *Spiritus Sanctus ſuperuenet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: & effectus qualitas neminem lateret. Sic enim qui audirent, Mariam ſubitò ad tantæ dignitatis faſtigium eleuatam, ſcirent etiam Authore Spiritu Sancto patratum fuiſſe tantum myſterium, & omnis mala ſuſpicio prorſus eſſet relegata. Nam ſic apud homines malè olet ſubitanea gloria, & excellentia; vt vel ipſa Virgo Sole purior qualitatem tanti myſterij ſtudeat oſtentare, ne ſuſpicioni, vel anguſta ſemita aperiatur. Luc. 1. n. 35.

Hoc ſtudium non ſolùm in Matre Virgine, ſed in eius, & æterni Patris Filio manifeſtè apparuit, cùm in Cana Galileæ aquam transmutauit in vinum. Aqua hydrias impleri iuſſit, vt hoc patraret miraculum. *Dicit eis Ieſus:* Ioan. 2. n. 7. *Implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vſque ad ſummum.* Ioan. 2. num. 7. Hugo Cardinalis ad hæc verba ſic ait: *Quare non fecit ſignum* Hugo Card. *ante impletionem? Mirabilius enim eſſet ipſum vinum ex non entibus facere, quàm qualitatem commutare.* Cui quæſito ſic reſpondet. *Etſi mirabilius eſſet de nihilo vinum creare, non tamen ita credibile.* Sed examinemus Hugonis reſponſum. Quare credibilius eſt miraculum, aqua conuerſa in vinum, quàm ſi vinum ex nihilo crearetur, cùm mirabilius eſſet, de nihilo vinum creare? Quia ſi vinum produceretur ex nihilo, origo, à qua dimanaret, ignoraretur; ac proinde ſuſpicione poſſet notari miraculum. At aquæ in vinum conuerſio manifeſtè indicabat, vinum de nouo productum ab aqua, qua impletæ fuerant hydriæ, originem duxiſſe. Ecce ergo ob quod, etſi mirabilius eſſet de nihilo vinum creare, non tamen ita credibile: quia hoc modo eius non cognoſceretur origo. Videre enim ſubitaneam vini productionem, & originem, à qua prouenerit, ignorare, non omnino à ſuſpicione purgaretur. Meritò ergo Chriſtus aqua hydrias impleri iuſſit, vt ſubiectum, ex quo productum fuit vinum, cognoſceretur, vt ſic liberum ab omni ſuſpicione, & credibilius eſſet miraculum. 33.

Haud difficilè hoc ipſum confirmabitur, ſi expendamus attentè eiuſdem Domini liberalem munificentiam, qua quinque panibus, & duobus piſcibus innumeram turbam ſaturauit in deſerto. Sic enim ait Matthæus cap. 14. num. 19. *Et cùm iuſſiſſet, turbam diſcumbere* Matth. 14. n. 19. *ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit Diſcipulis panes, Diſcipuli autem turbis: & manducauerunt omnes & ſaturati ſunt.* Quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis innumeris comederunt. Ibidem, num. 21. Diuus Chryſoſtomus homilia 50. in Matth. & in Catena Sancti Thomæ 34.

Chryſoſt. S. Thom. ad hunc locum inquirit: *Propter quid autem non facit panes ex nihilo, quibus turbam paſcat?* Nam maius miraculum eſſet panes ex nihilo producere, quàm iam productos multiplicare. Illud creationis includit excellentiam Soli Deo reſeruatam: iſtud tametſi miraculoſum, inferioris tamen ordinis, quàm creatio. Cur ergo panes, & piſces non produxit ex nihilo, ſed ex allatis ibi multiplicauit? Ingeniosè reſpondet Chryſoſtomus: *Vt oſtendat, quia ipſe eſt, qui fructus tradidit.* Sed adhuc reſtat examinandum, vnde collegit Chryſoſtomus, Chriſtum Dominum tanti miraculi Authorem extitiſſe, ex eo quòd non ex nihilo, ſed ex præſuppoſitis panibus, & piſcibus eos multiplicaſſet ad ſatiandam turbam? Putarem ego, efficaciori argumento Chriſtum huius miraculi probari Authorem, ſi ex nihilo panes produxiſſet. Cur ergo putauit Chryſoſtomus, Chriſtum huius mirandi ſe oſtendiſſe Authorem, ex eo quòd panes præceſſerint, & piſces huic prodigio ſeruirent? Quam optimè. Nam ſi Chriſtus ex nihilo panes, & piſces produxiſſet, tam ſubitam alimoniam admirantes turbæ, forſan ſuſpicarentur, à Deo non dimanaſſe. Vt ergo Chriſtus oſtenderet, ipſum eam tradidiſſe, accipiat panes, & piſces; aſpiciat in cœlum; benedicat eos, frangat, & tradat Diſcipulis, qui poſtea porrigant turbis; vt apertè principium tanti miraculi omnibus innoteſcat, & omnis mala ſuſpicio relegetur. Nam videre quinque panes, & duos piſces, qui ad ſummum totidem viris alendis ſufficerent, multiplicatos mirabiliter vſque ad ſaturitatem quinque millium virorum; ſi vnde multiplicati eſſent ignoraretur, ſuſpicari poſſet, an à Deo patratum fuiſſet illud miraculum. Ne ergo in eo ſiniſtra ſuboriatur ſuſpicio; ſed Chriſtus huius mirandi Author comprobetur, non ex nihilo, ſed ex panibus hanc produxit alimoniam. Nam ſic in ſubitis mutationibus ſuſpectus eſt quilibet ſplendor, ſi vnde dimanauerint, ignoretur, vt vel ipſe Chriſtus in ſuis operibus originem, ſtudeat, patefacere.

35. *In gloriam, & decorem* Aaroni præparatur ornatus, non arbitrio humano, ſed diuina iuſſione. Sed cur tantâ curâ ipſe Deus exprimit hunc ornatum eſſe glorioſum? Quia cùm in eo tanta fulgeret maieſtas, vt totius orbis varietas, & parentum magnalia eſſent deſcripta; Aaroniſque dignitatem excelſam hic demonſtraret amictus: ne populus cùm Aaronem communibus veſtibus exutum, & Sacerdotalibus ornatum inſpiceret, ob tam ſubitam mutationem malè de illo ſentiret; meritò Deus huius ornatus ſe præbuit Authorem, & eum arbitrio Moyſis non reliquit, ſed glorioſum oſtendit. Nam ſicut fulgentiſſima veſtis, ſi vnde proceſſerit, ignoretur, non ornat, ſed dehoneſtat geſtantem: ſic illa, cuius origo clara omnibus innoteſcit, cedit bſque dubio in gloriam, & honorem.

ILLATIO XXIII.

Solus Deus in iudicio verax: homines falſitati ſunt obnoxij in iudicando.

SVpremum ens ſicut in eſſentia eſt indefectibile, ita & in iudicio veraciſſimum Deus enim nec falli poteſt, nec fallere. Non illud, quia ſummè ſapiens: non iſtud, quia ſummè bonus. Homines è contrà, cùm in eſſentia ſint caduci, in iudicando nimis errant. Finge tibi hominem ſapientiſſimum, & omni eruditione ornatum; is limitata fruitur ſapientia. Finge etiam eundem præditum bonitate, & virtutum ornamento fulgentem, intra creaturæ tamen limites coarctatur. Sicut ergo Deus, ob infinitam ſapientiam, & bonitatem ſine limite, nec falli poteſt, nec fallere: ſic homo propter limitatam fallere, & falli poteſt. Hinc eſt, quòd homo ſæpè falſum iudicat verum, & verum falſum. Quamobrem iudicio humano non multùm eſt fidendum; ſolúmque Dei aſſerto credere eſt neceſſarium. 36.

Geneſis 1. numero 4. Lucis approbatio ſic exprimitur: *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris.* Hugo de Sancto Victore apud Godofridum ad præfata verba hoc dubium excitauit. *Si cætera opera ſua in luce vidit, ſi eſſent bona: in qua luce vidit lucem, ſi eſſet bona? Nihil enim ſine luce videri poteſt: ſed nec tenebræ ſine luce videntur: quantò magis lux non videtur ſine luce.* Hic Author poſtquam lucem increatam à creata diſtinxiſſet; in illa pulchritudinem, & nitorem creatæ lucis videre, oportere docuit. *Hæc ipſa lux* (de increata loquitur) *qua, & nos videre oportet omnem lucem, ſi bona eſt.* Sed inquiro: Cur Hugo nimis nimiè ad ſupernam lucem increatam creatæ lucis remittit teſtimonium? Lux hæc corporea, & materialis ſolo ſui aſpectu natiuam pulchritudinem oſtendit. Nam ſat eſt, illam videri, vt omnibus amabilis, & omnibus pulchra comprobetur. Ad quid ergo diuinæ lucis teſtimonium poſtulauit Hugo? Quia etſi pulchra; etſi omnibus ſpectabilis lux exiſtat: ſi tamen de eius pulchritudine, & nitore humanum iudicium proferendum ſit, facilè circa lucem aberraret. Poſſet enim ſplendor lucis pati diſcrimen, ſi humanæ ſententiæ ſubiaceret. Vt igitur firma, & conſtans lucis creatæ forma lucidiſſima irrefragabili teſtimonio comprobetur; non ad humanum iudicium falſitati obnoxium, ſed ad diuinum teſtimonium ſummæ veracitatis azylum recurrendum eſt. 37. Geneſ. 1. n. 4. Hugo de S. Victor.

Vidiſti, ad creatæ lucis teſtimonium ipſius Dei requiri iudicium? Vide nunc etiam requiri ad teſtificandum de increata luce, ne humani iudicij fallibilitas circa infallibilem lucem patiatur errorem. De Verbi præcurſore, ſic alter Ioannes capite 1. numero ſexto teſtatur: *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine* Sed quænam eſt hæc lux, de qua Ioannes perhibuit teſtimonium? Concors 38. Ioan. 1. n. 6.

Patrum, & interpretum ſententia eſt, hîc per lucem Chriſtum Dominum intelligi qui candor eſt lucis æternæ. Si ergo Chriſtus lucem inacceſſibilem inhabitat, & lucis æternæ candor eſt: ad quid Ioannis teſtimonium? Ioannes homo erat. Ineptè ergo teſtificaretur de Deo. Nam inferius eſſet teſtimonium re teſtificata. Cur ergo miſſus eſt Ioannes, vt teſtimonium perhiberet de lumine? Indiget-ne humano teſtimonio lux illa, quæ in ſeipſa, & per ſeipſam ſplendens illuminat omnem venientem in hunc mundum? Caietanus ad præfata verba ſic dubium ſoluit, poſtquam dixiſſet, officium Ioannis fuiſſe teſtificari de luce. *Quocirca ad hoc Ioannes teſtatus eſt de luce, vt lux haberetur lux, crederetur lux, vt tranſmitteret homines ad lucem, per quam omnes inſtruerentur in Fide, per quam omnes ducerentur ad credendum.* Lux illa infinita, & inacceſſibilis, velut indiguit teſtimonio Ioannis, vt crederetur lux: in quo non parua excellentia Baptiſtæ apparuit, cùm Deus, qui nullius eſt indigus, videtur teſtimonio Ioannis indigere. Sed adhuc examinandum reſtat: cur ſi Ioannes teſtificaturus eſt de luce, miſſus à Deo prædicatur? Doctiſſimus Pater Maldonatus hîc reſpondet: *Nempe etſi Ioannes homo erat, tamen, quia teſtis à Deo miſſus fuerat, eius teſtimonium non humanum, ſed diuinum erat.* Sed tandem inquiro: cur ad teſtificandum de luce illa infinita non humanum, ſed diuinum requiritur teſtimonium? Quia cùm humanum falſitati obnoxium ſit, ineptum eſt ad teſtificandum. Et quamuis pulchritudo increatæ lucis periclitari non poſſit ob tenuitatem humani teſtimonij: tamen præcauens Deus, ne in hominum opinione pateretur diſcrimen, Ioannes mittitur à ſuprema veritate inſtructus; vt teſtimonium eius, etſi ab homine, non humanum, ſed diuinum eſſet.

Caietan.

Maldonat.

39. Humanum iudicium à Deo inſtruendum, vt certam poſſit ferre ſententiam, ipſe nos inſtruit, cùm ſeruum Moyſem alloquitur, vt eligat viros, quibus populi regimen committi poſſit. Numerorum 11. numero decimo ſexto. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod Senes populi ſint, ac Magiſtri: & Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi,* &c. Origen. homil. 3. in Geneſ. parum ante medium inquirit: cur Deus iuſſerit Moyſi, vt eligat ſenes quos ſenes eſſe nouiſſet? Nunquid ex vultu quiſnam eſſe preſbyter, aut ſenex non appareret? Quare ergo Deus Moyſis iudicio commiſit, vt inter veros ſenes diſcernat? Aut cur non reputantur Preſbyteri, quos cæteri homines venerantur Senes, ſed quos Moyſes agnouit? Reſpondet Adamantius. *Quid ergo ſoli Moyſi tanto, ac tali Prophetæ ſpecialis iſta mandatur inſpectio, vt eligantur, non quos cæteri homines norunt, non quos imperitus vulgus agnoſcit, ſed quos Propheta Deo plenus elegerit?* Quaſi diceret: non omnes, qui apparent Preſbyteri, ſunt ſenes, quantumuis eorum capita canorum albedine exteriùs redimita videantur, ſi iuuenum opera, & mores imitantur, vel interiori prudentia carent. Quis ergo de eorum maturitate iudicare poteſt? Moyſes, aut alius Propheta, qui Deo plenus exiſtat. Per quod oſtendit, quòd non imperiti vulgi cognitioni, ſed ſoli Deo, vel ſpiritum propheticum habenti verum tanti negotij ſcrutinium remittatur. Nam ita falſitati ſubeſt humana cognitio, vt plura, vel ferè omnia aliter iudicet, quàm ſint: quare diuinum oraculum conſulendum, in quo nec fallaciæ vmbra reperitur.

Numer. 11. num. 16.

Origen.

Confidenter Petrus loquebatur ad Chriſtum: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Matth. 26. num. 36. Adimpleuit-ne promiſſum Eccleſiæ petra? Neutiquam: ſed ter miſerè negauit Magiſtrum, ſicut ab eo prædictum erat. Huius rei rationem exhibuit Auguſtinus ſermone primo in vigilia Petri, & Pauli dicens: *Quia Deus erat Chriſtus, homo autem Petrus, impleta eſt Scriptura. Ego dixi in pauore meo, omnis homo mendax. Dicit autem Apoſtolus: quoniam Deus verax, omnis autem homo mendax. Verax Chriſtus, mendax Petrus.* Petrus fretus ſuo iudicio promiſit, non adimpleuit. Quid mirum? Erat mendax, quia homo. At quod Chriſtus prædixerat, ad vnguem eſt adimpletum. Quid miraris? Erat verax, quia homo & Deus. Quî ergo Petri iudicio abeſſet falſitas, ſi iudicauit vt homo? Attende ipſum de amoris excellentia interrogatum à Chriſto. Ter Dominus Petrum interrogat, an eius ardeat amore? Totidemque reſpondit Petrus: *Tu ſcis Domine, quia amo te.* Ioan. 21. à num. 15. vſque ad 17. Cur Petrus, qui in ſe amoris Chriſti experiebatur incendium, non dixit confidenter: *Domine amo te*: ſed amoris veritatem Chriſti remiſit cognitioni? Quia ſciebat iam, quam parum fidendum ſit humano iudicio. Nam cùm tunc promiſiſſet animam pro Chriſto poſiturum, quod vt ſibi videbatur haud difficilè exiſtimabat; & poſtea ter negaſſet Magiſtrum; propriæ imbecillitatis non oblitus didicit, iam ſuo non credere iudicio, ideoque nunc de amoris excellentia ferre ſententiam, Chriſto commiſit. Pulchrè Aurelius verbis aureis omnia concluſit. *Veraciter reſpondebat. Hoc enim reſpondebat, quod in corde ſuo videbat. Quando autem dixerat, animam meam pro te ponam, de futuris voluit præſumere viribus. Omnis autem homo qualis ſit, tunc cùm loquitur fortè ſcit, qualis craſtino futurus ſit, quis ſcit? Quod autem dico, tu ſcis: quod hîc video in corde meo, vides, & tu.* Summa certitudine Chriſto Domino reſpondit Petrus: quia ſui amoris Deum iudicem conſtituit, dicens: *tu ſcis Domine, quia amo te.* Nam ſi aliquando Petrus ſuo fretus iudicio confidenter promiſit, animam poſiturum pro Chriſto, & ab ancilla illuſus ter Dominum negauit; nunc damno proprio iam cautior factus eſt, vt non propriæ fideret ſententiæ, ſed diuino iudicio ſui amoris remitteret certitudinem. Hoc enim modo verax fuit Petrus, nec à veritate poterat aberrare.

40. Matth. 26. num. 36.

Auguſt.

Ioan. 21. n. 15

Auguſt.

Facieſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo. 41. Deus ipſe hunc ornatum appellat Sanctum. Sed ſanctitatis nomen non à Moyſe, nec ab Aarone, ſed à Deo ſacerdotalibus imponitur ornamentis? Quia Moyſes, & Aaron, etiamſi Dei amici, homines tamen erant, ac proinde

obnoxij falſitati. Ne igitur controuerſia eſſet de ſanctitate huius ornatus: ipſe Deus, cui ſubeſſe falſum non poteſt, veſtes appellauit Sanctas.

ILLATIO XXIV.

Humanus viſus ad videndum, quod indecorum eſt, perſpicax; ad quod illuſtre, cæcus.

42. POtentia viſiua colorem, vel lucem vt proprium attingit obiectum: tenebrarum caliginem, vtpotè extra latitudinem obiecti, non videt. Tenebræ (vt certa tenet Philoſophia) ſunt non entia: non ens non attingitur à ſenſu: ergo tenebræ non videntur. Cùm ergo potentiæ viſiuæ obiectum color ſit, aut lux: humanus viſus in id, quod lucet, & quod pulchrum eſt magis propendet, ſi eius innata propenſio non patiatur vim, quàm in obſcurum, & deforme. Sed proh dolor! Malignitas noſtra peruertit ordinem, iura commutat. Summa perſpicacia videt indecorum, & cæcutit ad lucidum.

43. Poſt victoriam partam contra Philiſtæum in aulam regiam ab Abner introducitur Dauid, gloria, & ſpoliis plenus. Adſtat igitur ſtrenuus miles habens caput Philiſtæi in manu ſua coram Saüle, qui ſic ad Dauidem loquitur. *De qua progenie es, ô adoleſcens? Dixitque Dauid: filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.* 1. Reg. 17. numero 58. Non poſſum non mirari Saülis obliuionem. Ignorabat ne Rex, quiſnam eſſet ille adoleſcens, qui gigantem ſuperans abſtulerat opprobrium, & terrorem Iſraël. Minimè. Nam paulò antea refertur, cap. 16. à numero 18. quòd cùm Saül ab ſpiritu nequam torqueretur, & certior factus fuiſſet à quodam aulico, quòd adeſſet illic Dauid Iſaï Bethlehemitæ filius, iuuenis fortiſſimus robore, & bellicoſus; prudens in verbis, pulcher in vultu, & quod pluris haberi debet, Dei amicus, ſtrenuè pſallens, accerſiri iuſſit, qui cùm in conſpectu regis adeſſet, inuenit gratiam coram Saüle, abeoque diligeretur nimis, & factus eſſet eius armiger, &c. Hæc cùm certa ſint; quomodo Saül ignorare poſſet Dauidem, quando partâ victoriâ caput Philiſtæi trophæum certaminis ferebat in manu, & interrogare eum: *De qua progenie es, ô adoleſcens?* Quomodo, ô Saül, tam citò aduersâ memoriâ Dauidis obtuis obſequia? Nonne iſte, cùm exagitabaris ab ſpiritu nequam, cithara, & voce tibi præſtabat leuamen, vt refertur. 1. Regum 16. num. 23? Aduerte, ô Rex, vitio tibi vertendum. Nam beneficiorum obliuio dedecet non ſolùm Regem, ſed priuatum hominem. Agnoſce ergo Dauidem, ne nota ingratitudinis inuraris. Cur ergo eum ignoras? Lyranus putauit, Saülem Dauidis indagaſſe ſtirpem, quia cùm filiam illi collocandam promiſerat, ſcrutinium de genere Dauidis facere, cupiebat. Non placet mihi Lyrani ſolutio: quia Regis filia non erat præmium ſanguinis, ſed facinoris. 1 Regum 17. numero 25. Aliter reſpondet Caietanus. Aſſerit enim ignoraſſe Saülem Dauidem, quando victor in conſpectu Regis apparuit: quia cùm apud Regem pſallentis, & armigeri fruebatur functione, puer erat Dauid; at cùm victoriâ reportauit, erat adoleſcens. Nec hoc ſacro textui conſonare poteſt. Nam cùm primum Dauid ſtetit coram Rege fortiſſimus, bellicoſus, & prudens ab illo aulico refertur. 1. Regum 16. num. 18. Quomodo ergo eſſet puer, qui his dotibus erat præditus? Quapropter aliâ viâ dubio occurrendum exiſtimo. Accipe iam mentem meam. Ideo ergo Saül non cognoſcebat Dauidem victoriam reportantem, cùm habuiſſet familiarem, & domeſticum, quia tunc videbat eum manubiis plenum poſt illud egregium facinus. Domeſticus enim erat ante victoriam, Regi pſallebat, & officio armigeri fungebatur: nunc ſatis notus erat Saüli. Quia hæc non illuſtria erant, ſed obſcura. At poſt victoriam partam à Philiſtæo, cùm glorioſus ad Regis conſpectum veniret Dauid, ignorat eum Rex, nec illius vultus recordatur, & quaſi illum nunquam vidiſſet, interrogat, ex qua progenie ducat originem, quaſi non haberet oculos ad tantum facinus videndum. O mortalis conditio! Pellibus indutus, & paſtoritia pera humiliter ornatus, cùm in aulam Regiam ingreditur Dauid, domeſticus ſit Regis, ſatis notus, & dilectus nimis: cùm autem ablato Iſraëlis opprobrio glorioſus rediuit è certamine, ignoratur omnino. Quid eſt hoc? Niſi quòd humanus viſus, quem paſtorem videre lætabatur, victorem faſtidit intueri: & cùm ſit perſpicax ad infima, & obſcura; ad illuſtria, & ſublimia cæcus exiſtit?

1. Reg. 17. n. 58.

Lyran.

Caiet.

Ligatus pedibus, & manibus Lazarus ſurrexit è funere. Tunc Ieſus dixit Iudæis (de illis explicat Maldonatus ad hunc locum) *Soluite eum, & ſinite abire.* Ioan. 11. num. 44. Quid eſt, quod Chriſtus Lazarum excitaturus non iuſſit ante miraculum ſoluere eũ, vt expeditius poſſet incedere, & exire de monumento? Ad quid, bone Ieſu, Iudæis præcipis Lazarum viuum ſoluere, & adhuc mortuum ſoluere non permittis? Eligius Nouiomenſis Homil. 11. reddit rationem. *Ecce* (inquit) *illum iam viuentem Diſcipuli ſoluunt, quem reſuſcitauerat mortuum! Si enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem.* Quanto acumine? Ac ſi diceret: ita homines quod inglorium eſt apertis oculis intuentur, & publicare ſtudent; vt ſi Diſcipuli (de illis, & non de Iudæis hoc præceptum intelligit Eligius) Lazarum ſoluerent, priuſquam eſſet reuocatus ad vitam, fœtorem olfacerent, & mortis pallorem cernerent. Vnde licèt poſtea, euaneſcentibus horroribus mortis, intuerentur eum vitæ pulchritudine gaudere, fœtoris potiùs, & horroris, quàm nitoris vitæ recordarentur. Et qui oculos habuerant ad videndum mortis horrores, non haberent ad videndam vitæ pulchritudinem. Ne igitur ad ignominiam lyncæi, & ad nitorem lippi ſint diſcipuli, aut Iudæi; non mortuum, ſed iam viuum Lazarum ſoluunt, vt etiam manibus eum contrectantes, credant tactui, quod forſan viſui denegarent.

44. Maldonat. Ioan. 11. num. 44.

Eligius.

Quam fulgens, quam nitidus deſcendebat 45.

Moyſes

Moyses de monte, manibus legem tenens, ignorans tamen, quòd cornuta esset facies eius ex consortio Dei. Et meritò tot radiis Moyses præfulgebat, si legem Dei in manibus portabat, hoc est, cùm eam prompto animo non dubitabat executioni mandare (Præsul namque legem adimplens splendore dignus existit) sed quid tunc? *Videntes eum Aaron, & filij Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo reuersi sunt tam Aaron, quàm Principes Synagogæ.* Exod. 34. num. 30. & 31. Cúmque Moyses Aaronem fratrem, & Principes fugientes conspexisset, velamine super faciem posito fulgentes radios cælabat, non extinguebat. Hoc modo loquebatur ad filios Israël omnia, quæ sibi Dominus imperauerat, & filij Israël eum intuebantur libenter. *Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus velamine faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* Ibidem, numero 35. Quid est, quòd descendente Moyse micantibus radiis, luces spergente, aërem illustrante, populus, imo eius frater Aaron terga verteret, nec illum valet intueri: & velamine super faciem posito, & quando nullus nitebat splendor, hilari aspectu omnes in eum desiderent conspicere? Profectò non est aliud, nisi quòd velamine superposito Moyses obscurus, & sine splendore manebat; & eo ablato conspicuus, & micans. Quid ergo mirum, quòd eum intueantur, cùm apparet sine splendore, & ad eum intuendum, cùm præfulgens est, oculos non habeant? Nam humanus visus obscurum videt, non quod lucidum est. Non longè abest Origenes Homilia 12. in Exodum dicens: *Glorificata est facies Moysis, sed non poterant intendere in faciem vultus eius filij Israël, non poterat intendere populus Synagogæ.* Non poterat populus, quasi oculis careret, videre glorificatam Moysis faciem. Nec solum hæc impotentia oculos abstulit à populo, sed à fratre Aarone: cùm tamen omnes aquilinis oculis in faciem eius aspicerent velamine superposito, & quando occultabatur splendor. Quia alienum splendorem non solùm extranei, sed nec fratres desiderant intueri, imò nec possunt: qui tamen, vt vmbras, & quod obscurum est videant, lynceos habent oculos.

Exod. 34. num. 30.

Ibid. n. 35.

Origenes.

46. Summi Sacerdotis ornatum Sanctum vocauit Deus: *Facies vestem sanctam Aaron in gloriam, & decorem.* Cur Deus Moysi non remisit sanctitatis, & pulchritudinis ostensionem, sed ipsemet declarat? Non quia Moyses, Dei fidelis seruus, id non præstaret: sed vt humanam propensionem manifestet, quæ cum ad illustre cæca, & inepta sit, ad tenebrosum, & indecorum videndum aptissima, & oculata.

ILLATIO XXV.

Quod in aliis lucet phantasticum putamus; quod turpificat, tanquam verum credimus.

47. SAtis probauimus illatione præcedenti, humanum visum cæcutire ad alienam gloriam, pessicacissimumque esse ad indecorum, & obscurum. Nunc ostendere placet, tantam habere propensionem ad obscurandas aliorum excellentias, vt si forsan aliquam videre, contingat; non veram, & realem, sed chimericam, & phantasticam existimet: è contrà verò quod deturpat, non fictitium, & apparens, sed verum, & existens cogitet.

48. Vsque ad saturitatem Christus Dominus quinque millia virorum quinque panibus, & duobus piscibus aluerat in solitudine. Quid inde? Iussit Discipulos ascendere in nauiculam, vt præcedant eum trans fretum, donec turbas dimitteret. Vix ergo vela ventis dederunt, cùm nauicula exorta tempestate, & tumentibus vndis iactabatur. Sed, O bone Deus, quanto studio tuorum recordaris! Audi Matthæum cap. 14. numero 25. *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: quia phantasma est.* Sed quærere oportet ab Apostolis: cur Christum ambulantem per salum sicut per solum phantasma, & non verum hominem existimant? Quia ambulare super mare etiam fluctibus compositis marabile erat, & multò mirabilius turgentibus vndis, & sæuiente procella. Sic enim homines caligatis oculis alienum splendorem intuentur; vt siquem miraculis ornatum, meritis micantem, & illustrem operibus conspiciant, non verum hominem, sed phantasticum existiment. Habeo patronum Hugonem Cardinalem ad hunc locum. *A visu* (inquit) *non cognouerunt eum, propter noctem, & hyemem, & mirabilem incessum.* Expende hæc vltima verba. *Et mirabilem incessum.* Noctis tenebrosa obscuritas, & hyemalis densitas aëris visum Discipulorum obtenebrauit, ne Christum ambulantem super vndas intueretur: sed præcipuè admirabilis incessus super aquas eorum visum caligauit putantes phantasma, quod verum erat. Nam sic aliorum excellentiam lippis, & infectis oculis prospicimus; vt quando illam non possumus abnuere, saltem non veram, sed apparentem publicemus.

Matth. 14. num. 25.

Hugo Card.

49. Vinctus catenis Petrus seruabatur in carcere: cúmque in tanto esset discrimine, vtpotè producendus populo, in ipsa nocte, in qua producturus eum esset Herodes, dormiebat vel à curis oppressus, vel vt notat Menochius in Biblia Magna, securè quiescens confidens in diuina prouidentia. Tunc Angelus Domini astitit lumine circumfusus, qui excitauit Petrum, & eduxit de carcere. Quid tunc putaret Petrus? Audi sacrum Oraculum, Actor 12. num. 9. *Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre*: id est, vt inquit Interlinealis: *Non putabat fieri, sed ostendi imaginariè.* Tanta erat impotentia euadendi è carcere præ fortitudine eius, & militum custodia, vt rem gestam somnium imaginasset Petrus, inquit Lyranus ibidem. Sed audi Petrum in se reuersum, & in tuto collocatum. *Nunc scio verè* (inquit) *quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione*

Menochi.

Actor. 12.

Interlineal.

Lyran.

Actor. 12.

tione plebis Iudæorum. Sed cur Petrus, qui Angelum luce circunfusum viderat, & audierat dicentem: *Surge velociter, & sequere me*, &c. Somnium, vel phantasma existimauit: cùm autem Angelus ab eo discessit, verè sciuit ab Angelo Dei fuisse liberatum? Quid est, ô Petre, quòd cùm Angelus tecum loquitur, & illum sequeris, expeditumque te vides à catenis, & custodibus, putas hoc esse phantasticum, & apparens: & cùm Angelus discedit, certò illum agnoscis? Profectò, non ob aliud dicerem, nisi quia quando Angelus eum adiuuauit, vt è carcere egrederetur, totus erat luce circunfusus. Quod enim lucidum est humano visui apparens, & phantasticum videtur. At verò cùm Angelus à Petro discessit, euanuerunt fulgor & luces, & solùm noctis obscuritas, & caligo mansit. Quid ergo mirum, quòd Petrus hoc sciat, & verum esse sibi persuadeat: *Nunc scio verè*, &c? Nam ita humanus visus ad illustre, & lucidum cæcutit, vt si illud videre, accidat, non verum, sed imaginarium putet: è contrà verò si obscurum, & tenebrosum attingat, verum, & reale existimet.

50. Vix Christus vocis imperio mortuum Lazarum vocauit, cùm *statim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis.* Ioan. 11. num. 44. Cur Lazarus in sepulchro mortis infulas non reliquit? Expeditiùs enim è monumento exiret, si priùs fuisset dissolutus. Quare ergo prodiit compeditus? Pulchrè Basilius Seleucus orat. 4. in his Lazari institis nodum dissoluit: *Exiuit ergo Lazarus* (inquit,) *sed compeditus, ne res phantasma esse putaretur.* Sed adhuc vrgeo. Vnde colligit Basilius, ideo Lazarum non existimari phantasma, quia è tumulo exiuit compeditus? Accipe Basilij acumen. Quia si turba Lazarum, quem quatriduanum clauserat monumentum, tam subitò ad vocem Saluatoris, sine mortis fasciis, viuum conspiceret, non verè viuum, sed apparentem, & phantasticum cogitaret. Ne ergo detur ambiguitati locus, & Lazari resurrectio videatur suspecta, prodeat ligatus manibus, & pedibus compeditus; vt videns mortis insignia, credat verum hominem, quem sepulchri horrores comitatur. Forsan si Lazarus sine mortis fasciis egrederetur è tumulo, crederetur phantasma; nec humanus visus in eum valeret intueri. Vt igitur & viuus putetur, & in eum humanus visus prospiciat, non deponat Lazarus mortis insignia, quæ eum potiùs horribilem, quàm conspicuum reddunt, nam vt hos horrores veros esse ostendat humana conditio, verum, & non phantasticum putabit hominem, quem videt. Ita proni sumus ad ostendendum quod deturpat, vt non crederemus illustre, nisi cum obscuro conspiciamus coniunctum.

Ioan. 2. n. 44. Basil. Seleuc.

51. *Facies vestes sanctam Aaron.* Cur Deus ipse ostendit, sanctum fore Sacerdotalem ornatum? Quia cùm paulò post Pontifex tanta maiestate ornatus, vndequaque fulgens radiantibus gemmis, & oleo sacro delibutus in conspectu populi esset præsentandus, opus fuit diuino testimonio, ne phantasticus, sed verus ille putaretur amictus. Sic enim nemini, de illo dubitare, liceret: aliàs sub controuersia posset esse, an verus esset, vel apparens. Nam ita sumus propensi ad obtenebrandum, & ad illustrandum ignaui; ita cæci ad videndum illustre, & lyncei ad intuendum obscurum: vt ne quod fulgens est, putemus phantasticum, opus sit irrefragabili Dei testimonio verum, & non apparens atte stantis.

ILLATIO XXVI.

Qui virtutem celat, in tuto collocat; qui eam manifestat, penitus amittit.

52. MAgna res est virtus, sed multis periculis obnoxia. Nulla est, quæ careat hoste; imò plures cum duobus hostibus prælium committunt. Charitati, quæ omnium virtutum est Regina odium opponitur; spei desperatio; fidei infidelitas. Virtutibus moralibus, non vnicus tantum hostis, sed duo contrariantur. Sic liberalitati auaritia, & prodigalitas; fortitudini timor, & audacia opponuntur. Quibus ergo propugnaculis, defendemus virtutem, & à tot hostibus conseruabimus illæsam? Profectò illam cælantes. Est enim virtus sicut pulchritudo: imò ipsa est species, & decor animæ. Sicut enim fœmina, quæ suam ostentat pulchritudinem, in magna pericula eam offert, quam si occultaret, seruaret indemnem; sic virtutibus floret, si eas occultat, conseruat; si prodit, perdit.

53. Crudeli edicto impiissimus Pharao cunctam Iacobi stirpem desiderauit delere, imperans, vt quidquid masculini sexus natum fuisset, proiiceretur in flumen. Hæc feritas exequebatur ad vnguem, & vix Hebræorum pueri videbant lucem, cùm in aquis summersi lucem amittebant. Vrgente hac tyrannide natus est Moyses, nimis elegans, vt magis maternum cor feriret eius pulchritudo tanto nata dispendio. *Et videns* (inquit Sacer textus Exod. 2. num. 2. & 3.) *eum elegantem abscondit tribus mensibus.* Genes. 1. n. 1. *Cúmque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Notatu dignum est, matrem Moysis ipsum abscondisse tribus mensibus, in quibus tutus à periculis, & tyrannide Ægyptiorum commune puerorum non patiebatur naufragium: at cùm primùm mater eum intentat manifestare, statim de fiscella curat, & nullo impellente tortore inclusum in ea puerum vndis committit, & morti. O mulier imperita! O impia mater, quid agis? Expecta carnificem, & ne propriis manibus, quem in tuis visceribus genuisti, audeas interficere. Cur tam celeriter de nece infantis cogitas, quem ipse Pharao, forsan pulchritudine eius allectus, libenter dimitteret? Si viscera materna non te detinent, non te ad pietatem alliciunt, parce eius pulchritudini. Quid amplius à tyranno expectare posses, quàm dilecti pignoris mortem crudelem? Sicut tribus mensibus valuisti puerum defendere, valebis & vltra: cur discrimini exponis, ex quo euidens non po-

test

teſt dubitare naufragium? Peracutè Origenes homilia ſecunda in Exodum noſtram theſim
Origenes. confirmat. *Denique refert ſcriptura*, inquit, *quod de Tribu Leui, quædam genuit maſculum, & videns infantem eſſe elegantem occultauit eum menſibus tribus. Vide ſi non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed clauſo oſtio oremus Patrem in occulto, & quod facit dextera noſtra, neſciat ſiniſtra. Niſi enim in occulto fuerit, diripietur, ab Ægyptiis innadetur, in flumen iactabitur, vndis, & fluctibus ſummergetur.* Satis eleganter, & vtiliter. Dum occulta fuit Moyſis pulchritudo, ab vndis Nili libera extitit; at cùm primùm in lucem prodit, pericula inuenit, & ex periculis tot damna, vt vel eius mater tortoris ſortita officium, eum morti traderet. Non aliter contingit in ſpiritu. Dum celatur virtus, eius pulchritudo manet intemerata: at ſi in lucem prodeat, in profundo vanitatis pelago tumidis ſubmergetur vndis.

54. Eliſeus largus in petendo duplicatum
4.Reg.2.n.9. ab Elia poſtulabat ſpiritum, dicens: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus* quarto Regum ſecundo, numero nono, cui aſſentiens Elias duplicatum promiſit ſpiritum, ſi ab ipſo videretur aſcendens in cœlum. Paulò poſt cùm Eliſeus videret Eliam per turbinem in cœlum aſcendentem flammigeris equis, & igneo curru, inceſſanter clamabat: *Pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.*
Ibid.n.12. ibidem, numero duodecimo: Quaſi diceret; Pater mi, vbi eſt ille ſpiritus duplex tuus, quem mihi promiſeras? ſic enim non ſolùm orphanum, ſed illuſum me derelinquis? His angebatur doloribus fidelis diſcipulus tanti abſentia Magiſtri, & tunc Eliæ pallium cecidit, & leuauit illud. Theofridus Abbas ſermone de veneratione Sanctorum non dubitat aſſerere in hoc Eliæ pallio, eius accepiſſe ſpiri-
Theofridus. tum Eliſeum. *Eliæ pallium*, inquit, *Eliſeo duplicauit ſpiritum.* Non ſatis capio, quomodo in Eliæ pallio duplicatum acciperet ſpiritum Eliſeus. Quid enim pallium Prophetæ cum eius ſpiritu? Illud fragilis erat pallis; iſte ipſa fuit fortitudo, qua non ſolùm in faciem reſtitit Iezabeli, ſed tot falſos Prophetas ſuperauit. Cur ergo hic ſpiritus quaſi pallio inuolutus communicatur
Galfridus. Diſcipulo? Galfridus ad hunc locum apud
Rab.Salom. Godofridum Tilmanum, & Rabbi Salomon apud Lyram putarunt duplicem Eliæ ſpiritum impletum fuiſſe in ſignorum exhibitione, quòd duplo in illis ab Elia Eliſeus effulſit. Accepit ergo Eliſeus duplicatum ſpiritum Eliæ pallio tectum, & inuolutum; quia cùm in illo ſpiritu virtus ad patranda miracula ei communicaretur, oportebat, celatam eſſe, & non menifeſtam. Marceſcit enim virtus, ſi prodit in lucem; quæ ſi obtegitur immarceſſibilis perſeuerat. Aptiſſimè ergo Elias duplicatam virtutem pallio inuolutam præſtitit Eliſeo, quo illam obtenebrare poſſet, vt ſic conſtans permaneret. Sciebat namque Elias, iugulare virtutem, qui illam manifeſtat, & conſeruare, qui occultat: quapropter, vt Eliſei virtus illæſa duraret, pallium ſuum reliquit, vt in illo celaretur.

Quam ſtrenuè inuicta illa fœmina Iudith 55.
Aſſyrios vno victo Holoferne ſuperauit phalanges. Sed quibus armis tantum certamen intentat inire? Quibus? Audi Chromatium Aquileienſem in caput quintum Mat Chromat. Aquileienſ.
thæi: *Sanctiſſima Iudith*, (inquit,) *cùm magno mœrore pro populo eſſet afflicta, poſt ſolemnitatem triduam ieiunij; capite vncto, & lota facie, ita internæ afflictionis triſtitiam texit; vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur: ac ſi demum per lætitiam vultus ieiunium texit, & ab hoſte triumphum victoriæ reportauit.* Iudith cum Bethuliam patriam obſeſſam ab Aſſyriis videret, intelligeretque Oziam promiſiſſe traditurum illam quinque dierum curriculo tranſacto, eleganti prudentia carpſit Principes, & poſt longum ſermonem, vt eos ad veram pœnitentiam excitaret, & ad viuam ſpem deſideratæ libertatis, ingreſſa eſt, & induens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum; & proſternens ſe Domino clamabat ad Dominum. Tandem, vt egregium facinus, quod ſibi propoſuerat executioni mandaret, exuit ſe veſtimentis ſuæ viduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & induens ſe veſtimentis ſuæ iucunditatis proceſſit ad portam ciuitatis, & peruenit ad Aſſyriorum caſtra, captaque fuit ab Exploratoribus Holophernis, & adducta ad eum: & vt multa omittam caput eius amputauit; quo facto Bethulia ab obſidione libera, & victrix Iudithæ pudor ſuperauit Aſſyrios. Vbi aduerte, non ſolùm ieiuniis, oratione, & pœnitentia hoſtes ſuperaſſe, ſed quia ſimulato gaudio læta hoſtibus videretur, & per lætitiam vultus ieiunium, & pœnitentiam tegebat. Virtus namque ſi oſtentatur, vincitur; quæ ſi celetur, abſque dubio vincit.

Facieſque veſtem ſanctam Aaron. Velut 56.
Montanus, & Oleaſter legunt, *Veſtes ſanctitatis.* Vbi nota, Deum, non Moyſem, neque Aaronem ſanctitatem huius ornatus in publicum adduxiſſe. Sed cur Deus ſolus curat de ſanctitatis veſtium oſtenſione? Quia ſanctitas à Deo debet oſtendi, vt debito luceat ſplendore; ſi enim ab habente illam oſtenderetur, marceſceret: cùm autem à Deo declaratur, fulget. Montanus, Oleaſter.

ILLATIO XXVII.

Præſul: & qui ſplendore dignitatis fulget, ſubditorum potiùs vtilitati ſtudeat, quàm propriæ.

NOn ſolùm (vt illatione vndecima,) 57.
indecorum eſt Principi alicuius excellentiæ claritate ornari, ſi eam inferiores non participant: ſed etiam ignominioſum eſſet, & perfectum Gubernatorem dedeceret maximè, ſi propriis conſuleret ſplendoribus, ſubditorum vtilitati, & commodis ſuperſedens. Quamobrem, qui ſplendore dignitatis fulget, ex proprio munere tenetur,

ſubditorum vtilitati potiùs ſtudere, quàm propriæ.

58. Exodi decimo nono, numero quarto: Sic fatur Deus Moyſi in ſummitate Synaï, vt fideliter, & clara voce populo annunciet. *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* Septuaginta legerunt: *Et aſſumpſi vos tanquam ſuper alas aquilarum.* Interrogare libet: cur Deus potiùs aquilarum alis filios Iſraël portaſſe repræſentat, quàm aliarum auium? Vel quare filios Iacobi quaſi ſuper alas aquilarum bajulaſſe dicit? Lyranus ibidem ex Rabbino Salomone, ſic ait: *Dicit hic Rabbi Salomon, quòd modus aquilæ eſt, quando portat pullos de loco ad locum, quòd portat eos ſuper dorſum: itaque ſi proiiciatur ſagitta ab inferius, ipſa recipiat ſagittam, & non pulli; Ideo Dominus comparat ſe aquilæ, quia cùm voluit transferre filios Iſraël & per mare rubrum, Angelus, qui præcedebat caſtra Iſraël, in hoc perſonam Domini repræſentans, poſuit ſe cum columna nubis inter Ægyptios, & Hebræos, ne Ægyptij poſſent impetere Hebræos machinis, vel ſagittis, vt habetur ſuprà.* Id eſt, in poſti. capite decimo quarto Exodi. Aquila Regina volucrum ſatius habet, vt in eam iaculum penetret, quàm in pullos. In aquila (vt eruditè notauit Pierius libro nono, verbo *Aquila.*) Regni erat auſpicium apud antiquos. Sic cùm natus eſſet Alexander Macedo (refert idem Author) duæ aquilæ tota ea die præpetes ſupra culmen domus inſederunt, omen duplicis imperij Europæ, & Aſiæ præſeferentes. Sic cùm Octauianus in loco arboribus conſito comederet, ſubito aquila à manu rapuit panem ex quo velociter omen ſui imperij habere non dubitauit. Eſt ergo aquila regiæ poteſtatis indicium. Hinc facilè colliges, cur ſicut aquila pullos ſuper alas portat; ſic Deus Iacobi filios ſuper alas dicatur portare? Sicut enim aquila, vt Reginæ munus adimpleat, pullos ſuper alas portat, vt ſi quando auceps mittat ſagittam, priùs in illam iaculum penetret, quàm in filios: Sic Deus, vel Angelus cum Iacobi familias traducebat de Ægypto, dicitur ſuper alas aſſumpſiſſe, vt Ægyptiis ex aduerſo eas impetentibus, Angelus interpoſitus ſuſciperet, & retunderet ſagittas, ne peruenirent ad Hebræos. Hoc ſtudio rectoris officium adimplebat; quia ſubditorum vtilitati potiùs conſulebat, quàm incolumitati propriæ.

59. *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei:* Chriſto in ligno pendenti irriſoriè dicebant Principes Sacerdotum, Scribæ, & Seniores populi. Matthæi vigeſimo ſeptimo, numero quadrageſimo ſecundo: Sed falluntur in petitione: nam ideo Rex Iſraël demonſtrabatur, quia crucem non deſeruit. In ea enim glorioſum Regis oſtentabat inſigne. Noluit ergo deſcendere, ne videretur amiſiſſe regale imperium. Sed in quo, quæſo, Regem ſe oſtendebat patiens in cruce? Reſpondeat Ambroſius in caput vigeſimum tertium Lucæ. *Voluit,* inquit, *deſcendere, ne deſcenderet ſibi, ſed moreretur mihi.* Profunde ſatis loquitur Ambroſius: ac ſi diceret: ſi Chriſtus de cruce deſcenderet, ſibi deſcenderet. Sic enim vitam ſibi reſtauraret, & à clauorum, & ſpinarum plagis maneret immunis: at hominum ſalus eius morte impedita prorſus fruſtraretur ex vi præſentis decreti. Ne ergo, qui Regis diademate fulgebat in cruce, ſibi potiùs, quàm ſubditis prouidere videretur, crucem deſerere noluit, putans, quòd pro nobis moriens, & ſibi non parcens, firmiter regnum ſuum ſtabiliebat.

Exod. 19. n. 4. Septuag. Lyran. Rabb. Salo. Matth. 27. num. 42. D. Ambroſ.

60. Hoc ipſum confirmat felix ille latro, cùm in cruce pendens hos ſermones cum Chriſto Domino, ſimili patibulo, ſed diſſimili cauſa, affixo conferebat: *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.* Lucæ vigeſimo tertio, numero quadrageſimo ſecundo Diuus Auguſtinus ſermone centeſimo trigeſimo de tempore ſic hunc latronem interrogat: *Dicito mihi latro, regnum petens, quid in eo tale vides, ex quo petis?* Cui quæſito reſpondet idem Aurelius. *Sed hæc, inquit, crux eſt, ipſa Regni inſigne eſt, & propter eam Ieſum Regem appello, quia video crucifixum. Opus enim Regis eſt, vitam ſuam pro quibus regnat, ponere.* Quaſi diceret latro: Video Chriſtum in cruce pendentem, & ſoluentem, quæ non rapuerat; animamque ponentem pro ſuis; & tandem magis conſulentem ſuorum ſaluti, quàm propriæ: ergo abſque dubio inter tot ignominias regio fulget diademate.

Luc. 23. n. 42. D. Auguſt.

61. Verùm vt huius theſis robuſtiorem afferamus confirmationem, ne diſcedamus è cruce, quæſo, ſed attendamus eundem Dominum, & patientiſſimum agnum velut dolorum ſuorum oblitum, breui ſermone ſitis aridam anxietatem experimentem, dum dixit: *Sitio.* Ioannis decimo nono, numero vigeſimo octauo, Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis in principio ſic cum Chriſto Domino inſtituit ſermonem: *Domine, quid ſitis? Ergone plus cruciat ſitis, quàm crux? De cruce ſiles, & de ſiti clamas? Sitio. Quid?* Ad hæc ſic reſpondet: *Veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium: plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet.* Quid apertiùs ad rem noſtram confirmandam? Meritò ergo Rex acclamatur in cruce. Sed ſubtilius Arnoldus Carnotenſ. tractatu de ſeptem verbis Domini in cruce ſitim hanc expendit. O bone Deus, quid ais? Sitim manifeſtas coram impiis militibus, à quibus tam longè abeſt pietas, vt ab eis non aquam, ſed myrratum vinum, propinandum non dubites? Et quod maiorem excitat admirationem; ſi in pectore vberem, & affluentem fontem habes, cur ſitis anxietatem oſtendis? Nonne mucrone dito lanceæ ſæuus ille miles, qui tuum vulnerauit latus, fontem aquæ, & ſanguinis aperuit? Quomodo ergo ſi aquæ fluenta habebas in pectore, ſitiebas in ore. Profectò, quia his vndis homines erant abluendi, mundus irrigandus, abſtergendæ culpæ. Voluit ergo Dominus ſitim pati, & ex

Ioan. 19. n. 28. Drogo Hoſt.

pectore

pectore aquas non haurite; ne ſi vel minimam potaret guttam, videretur aquam vſurpare, quæ hominum deſeruiret lauacro. Sic enim vt verus Rex hominum conſulebat ſaluti, vt etiam patiens ſitim, ne ſuorum aquam videretur bibere, myrratum vinum elegit, potiùs quàm ex aqua ad humanum lauacrum reſeruata, vel minimam guttam vſurpare. Fallor, ſi hoc non voluit Arnoldus Carnotenſ. citatus. *Profluentibus*, inquit, *de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet; & ipſe mundum irrigans, & fœcundans de ariditate cauſatur.* Tanti Chriſtus noſtram habuit ſalutem, vt propriæ commoditati ceſſerit, vt ſaluos faceret homines. Sitim in cruce patitur, & quamuis latices haberet in pectore, aquam non hauſit, putans dedecori vertendum maieſtati, qua in cruce fulgebat, ſi aquam humanæ ſaluti deſtinatam conuerteret in propriam vtilitatem. Ob hoc de ariditate cauſatur, mundum irrigans, & fœcundans, pluris faciens ſubditorum commoda, quàm ſua. Hæc enim eſt Præſulis, & Rectoris obligatio, inferiorum ſcilicet vtilitati prouidere, etiamſi propria impediantur emolumenta. Arnol. Carn.

62. *Facieſque veſtem ſanctam Aaron.* Non Moyſi, ſed Aaroni Deus ſanctum ornatum in gloriam, & decorem præparauit. At cur Deus Moyſi, non ſibi, ſed præparari veſtem imperat? Ni fallor, quia Moyſes totius populi Princeps erat. Aaron autem quamuis poſtea in Sacerdotem conſecrandus, tamen tunc Moyſi erat ſubditus. Vt igitur in Moyſe Rectores inſtruantur, non ſibi, ſed Aaroni præparet ornatum, hoc eſt, magis de ſubditorum vtilitate curet, quàm de propria.

Verſ. 111. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui Spiritu Prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. *ET loquêris cunctis ſapientibus corde.* Vt Sacerdotalis perficiatur ornatus, Moyſi iubet Deus, vt cunctis ſapientibus corde loquatur: id eſt peritis artificibus, vt explicat Emmanuel Sa, Cornelius à Lapide hîc, per ſapientes corde, intelligit artifices peritos, vt ſunt ſartores, Phrygiones, gemmarij, &c. vt patet capite trigeſimo ſexto, numero primo. Hi ſunt Beſeleel, & Ooliab, de quibus Exodi trigeſimo quinto, numero trigeſimo. Noſter Abulenſis eoſdem intellexit per hos ſapientes, & alios etiam, qui his tanquam Magiſtris peritioribus ſubſeruiebant. Beſeleel enim fuit Princeps omnium operum tabernaculi, & atrij, ſiue in auro, ſiue in argento, ſiue in lignis, aut ære, aut purpura, byſſo, & in omnibus, quæ affabrè poterant excogitari, & fuit de Tribu Iuda, cui aſſociatus fuit Ooliab de Tribu Dam. Ab his omnia, quæ fuerant in Tabernaculo, & in atrio, & in veſtibus, & ornatu Aaronis fuerunt fabrefacta, vt conſtat, Exodi 31. à numero ſecundo, & trigeſimo quinto, à numero trigeſimo. Ex mente ergo Toſtati hîc per ſapientes corde præcipuè intelligendi ſunt Beſeleel, & Ooliab, & deinde alij artifices, qui horum exequebantur mandata. Sa. Cornelius.

Quos repleui Spiritu prudentiæ. Septuaginta legerunt: *Spiritu Sapientiæ, & ſenſu.* Id eſt, vt notat Toſtatus, habitu artis practico, vt ſcirent quomodo prædicta erant fabricanda, & diſponenda: quamuis iſte habitus practicus hîc ſpecialiter fuerit infuſus ad ornatum Aaronis conficiendum. Nec miteris, ſi Toſtatus per ſpiritum intelligat habitum practicum: nam etiam ſpiritus ſignificat artem ipſam, quatenus applicatur ad opus, quæ quia mouua eſt dicitur ſpiritus; ſicut etiam dicimus Spiritum Prophetiæ impetum illum, aut lumen tranſiens, quo commouetur, aut illuſtratur propheta. 2. Septuag.

Vt faciant veſtes Aaron. Non eſt ita intelligendum, quaſi ſolùm ad hoc fuerit hic ſpiritus conceſſus; cùm etiam ad omnia illa, quæ facta fuerant in tabernaculo, & in atrio, fuerit infuſus, vt conſtat ex citatis locis Exodi trigeſimo primo, & trigeſimo quinto. *In quibus ſanctificatus*; id eſt, *conſecratus*, vt explicant Lyra, & Sa. *Miniſtret mihi.* Quia ante conſecrationem non Aaron, ſed Moyſes miniſtrabat, vt conſtat ex capite ſequenti. Illuſtrauit ergo Deus mentes Ooliab, & Beſeleel, vt Pontificis ornatum conficerent, vt ſic reuerenter Pontifex Deo miniſtraret. 3. Lyran. Sa.

QVÆSTIO V. Litteralis.

An Beſeleel, & Ooliab ſapientia à Deo infuſa, vel humano labore acquiſita Aaronicas veſtes fabricauerint?

OLeaſter in præſenti aſſerit, Deum his multas artes fabriles infudiſſe. Huius aſſerti fundamentum eſt, quia in ipſo textu dicitur: *Quos repleui Spiritu Sapientiæ.* Ergo antea non fuerant repleti. Dixiſſet enim; quibus addidi Spiritum Sapientiæ, vel artem auxi, vt veſtes Aaronicas conficerent. 4. Oleaſter.

Mihi autem magis placet noſtri Toſtati ſententia quæſt. 2. citata aſſerentis, præter ſcientiam naturalem, & acquiſitam, qua Beſeleel, & Ooliab pollebant ad arte facta conficienda, Deum inſuper eis Spiritum Sapientiæ, & prudentiæ contuliſſe, vt veſtes Aaronicas fa- 5. Abulenſ.

Lyran. Exod. 31. num. 3.

bricarent. Hoc ipsum docuit Lyra ad illa verba Exodi trigesimo primo, numero tertio. *Et impleui Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere.* Vbi sermonem esse de Beseleel, & de eius scientia tam acquisita, quàm infusa, non dubitat: quia omne donum, siue acquisitum, siue infusum à Deo est. Ex quo satisfit fundamento Oleastri. Nam licèt in nostro textu, Deus repleuisse dicatur hos sapientes scientia, & prudentia; non abs re hoc de acquisita, & infusa poterit intelligi. Quod ex aliqua congruentia deduci potest. Nam cùm Beseleel, & Ooliab iam aliqualiter essent artifices, illis potiùs quàm aliis Deus infundere voluit hunc spiritum, velut aptioribus ad opera tabernaculi fabricanda, & vestes Aaronis conficiendas.

QVÆSTIO VI.
Litteralis.

Quid per Aaronicas vestes sit intelligendum in præsenti?

6. Abulens.

NOdum soluit noster Abulensis quæstione quarta sub hac distinctione. Nam si propriè loquamur, nomine vestium solùm tunica linea, tunica Hyacinthina, & superhumerale possunt intelligi: si autem latè præter has plures supersunt. Nã rationale, lamina, Mitra Hyacinthina, Cidaris, Baltheus, & femoralia vestium nomine comprehendi possunt. Aptiùs tamen iudico, hæc ornatus nomine, quàm vestium nominanda. Vtraque tunica ornabat, & induebat summum Sacerdotem. Id ipsum præstabat superhumerale: reliqua verò ornabant, non induebant. Quare cùm hîc Sacer textus ait: *Vt faciant vestes Aaron*: intelligendum iudico tam de vestibus rigorosis, quàm de ornatu, vt versu sequenti manifestè constat, in quo sub vestium nomine præfata annumerantur, quia omnia ad summi Sacerdotis ornatum pertinebant. Sic Damascenus oratione secunda de natiuitate Virginis, loquens de Tribu Leuitica: *Quarum*

Damascen. *alteri longè ante Sacerdotij poder, & diuinum Ephod, & Mitra, & sanctificationis lamina, & doctrinæ Rationale, præsignandi videlicet maioris Sacerdotij gratia tradita fuerant.*

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO XXVIII.

Diuini sermonis annunciator verba non tam ex ore, quàm ex corde proferat.

7. Matt. 5. n. 13.

DOctoris munus magnum est: honore simul, & onere afficitur, qui docentis gaudet dignitate. Sali, & luci Ecclesiæ Magistros, & Doctores Christus comparauit: Matth. 5. num. 13. *Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi.* Luci propter verba: sali propter opera. Hoc enim est Doctoris munus: loqui, & operari. Nam nec lingua sine manibus, nec verba sine operibus valent Doctorem constituere. Vtrumque ita coniungi oportet, quò sermo Dei in pretio sit: nam si verba ab operibus disiungas, non Dei sermo, sed prophana videbitur cantilena. Studeat ergo, qui diuini Verbi præco existit, vt vox operibus correspondeat.

8. Genes. 1. n. 4.

Inter omnia creata primas tulit lux in diuina approbatione. Constat apertè ex Genes. 1. n. 4. *Et vidit Deus lucẽ quod esset bona.* Magnum profectò testimonium eius pulchritudinis est, diuina approbatione sigillari! Sed quid in luce vidit supremus opifex; vt eam tanto honore afficeret? Cur non cœlum in creatione primum, & Sedes eius excelsa? Cur non terra scabellum pedum eius? Cur non aqua, quæ Sancti Spiritus erat vehiculum, diuina approbatione commendantur ante lucem? Lux quarta refertur creatura, & tamen priùs à Deo laudatur quàm cœlum; priùs honoratur quàm terra; priùs celebritate gaudet, quàm aqua. Meritò. Quia Deus in lucis creatione primam vocem emisit, dicens: *Fiat lux, & facta est lux.* Ibid. n. 3. Ibidem, num. 3. Diuinam vocem secuta est lucis operatio; nec ab effectu vox ipsa dissentiebat, sed id ipsum quod voce protulerat, operatus est Deus. At quando ipse cœlum, terram, & aquam è nihilo extraxit, nullum verbum protulit, sed pro suæ voluntatis nutu extra causas prodierunt ista (Vbi etsi opus adfuit, vox defuit) non sic in productione lucis, in qua vtrumque mirificè fuit coniunctum, imò ibi fuit, vbi primùm vocem comitabatur operatio. En ergo causam, cur Deus lucem cæteris in commendatione prætulit. Adest Diuus Ambrosius lib. 1. Hexameron, cap. 9. *Fiat,* Ambros. *inquit, lux. Plena vox luminis non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est; & creauit.* In lucis productione loquitur Deus, & operatur; diuinum adfuit Verbum, sed non absque opere; dixit, quod faciebat, & quod in ore habebat, transferebat ad manus (in quo docentis præsignabatur munus. Meritò igitur lux ante alia diuinam consecuta fuit commendationem.

9. Exod. 20. num. 18.

Cùm Deus in summitate Sinaï legem traderet, vt eam Moyses populo Hebræorum intimaret, ait Sacer textus Exod. 20. num. 18. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem.* Diuus Ambrosius in Prooemio ad Euangelium Lucæ, subtiliter inquirit: quî fieri posset, vt populus vocem oculis conspiceret? Vox auditu, non visione percipitur: audi Ambrosium. Vox, inquit, *non videtur, sed auditur.* Ambros. *Vox enim quid est, nisi sonus, qui non oculis cernitur, sed aure percipitur?* Cui dubio statim satisfacit his verbis: *Verum altissimo ingenio voluit declarare Moyses; quia vox videtur Dei.* Sed adhuc insto, vt mentem Ambrosij aperiam. Cur Dei vox visu percipienda est? Non mihi alia se offert ratio, nisi quia diuina est. Sermo namque Dei, hoc debet peculiariter habere, vt simul audiri, & videri queat. Hoc est diuinus sermo ita proferri debet, vt quod dicit, efficiat. Videtur enim vox diuina, cum

à loquente exequitur, quod loquitur: nam ratione vocis auditu, ratione operationis visu percipitur sermo Dei. Si naturam vocis spectes, pertinet ad auditum; si autem Doctoris munus attendas, ad visum. Vtrumque sensum sermo Dei postulat.

10. Quam ad rem regius vates cecinit Psalmo quadragesimo quarto, numero secundo, vbi linguam suam calamo velociter scribentis
Psal.44.n.2. comparauit, dum ait: *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Sed quid calamus cum lingua? Lingua vocem profert, vt conceptum explicet: calamus tametsi conceptum exprimat, non loquitur. An in hoc similes sunt lingua, & calamus? sunt profectò. Sed Angelicus Doctor Sanctus Thomas ad hunc
S. Thom. locum rem altiùs explicuit. *Propria operatio*, inquit, *designatur, cùm dicit, lingua mea calamus Scribæ. Quasi dicat; quod ipse est lingua mea. Est etiam calamus Scribæ. In Sacra Scriptura operationes Metaphoricè designantur per instrumenta, vel membra, quæ sunt operationum principia, & sic per linguam, & calamum operatio Dei designatur conueniens linguæ, & calamo.* Sic mentem explico Sancti Thomæ. Non solum Dauid calamo linguam suam contulit, cùm dicit, lingua mea calamus; sed ipsam linguam calamum appellans, consonantiam inter voces, & opera eius explicuit. Lingua instrumentum est locutionis: & sic per linguam non impropriè ipsam vocem intelliges. Calamus operationes significat: nam calamus sine manu ad nihil deseruit, adiutus tamen illa formantur caracteres, fit Scriptura, & mentis conceptus exprimuntur. Est ergo calamus simul cum manu lingua Dauidis: hoc est, vox simul & operatio: *Quasi dicat; quod ipse est lingua mea:* parui putans linguam, quæ calamus non est scribentis, id est, cui operatio non adiungitur: propria operatio designatur, cùm dicit, lingua mea calamus Scribæ. Nam cùm in lingua Dauidis Doctorum voces præsignentur, rectè calamus appellatur scribentis velociter: quia sicut calamus, cùm scribit, operationem elicit; ita docentis lingua, vt ministerium suum impleat, voci debet operationes adiungere.

11. *Et tu loqueris cunctis sapientibus corde.* Se-
Septuaginta. ptuaginta: *sapientibus mente.* Et qui sunt hi sapientes corde, ad quos locuturus est Moy-
Glossa Ord. ses? Glossa Ordinaria hîc: *Sapientes corde, quos ad faciendas vestes repleuit Deus spiritu prudentiæ, Prophetæ sunt, & Apostoli, & cæteri Doctores, qui quomodo Sacerdotes debeant viuere, & altari ministrare, facto, & verbo ostendunt.* Non sat est, quibuslibet sapientibus loqui. Sunt enim multi exteriùs solùm sapientes, non intrinsecùs, hoc est, verbis, non factis. His non est locuturus Moyses, sed illis, qui vocibus operationes addunt. Hi sunt Doctores perfecti; hi sapientes corde, & mente, quia verbo, & exemplo docent.

ILLATIO XXIX.

Est perillustre liberalitatis insigne, quando petitioni antecedit beneficium.

BEneficia liberali manu conferre est cordis magnanimi: at non omnes, qui ea largiuntur, liberalitatis ornantur gloria: fœnerant quam plures, non dant, quia in ipsa donatione attento animo de remuneratione cogitant. Sic ferè semper inter homines contingit: pauci, aut ferè nulli inter priuatos homines inueniuntur, qui cùm largiuntur, maiora accipere non desiderent. Hi absque dubio à liberalitate sunt extranei. Alij beneficia conferunt, sed ita tardè, & precum importunitate impulsi, vt deturbent beneficia, cùm benefaciunt. In his defuit liberalitas, & accipienti onus gratitudinis non imponitur. *Non* Seneca. *tulit gratis*, inquit Seneca lib. 2. beneficiorum, cap. 1.) *qui cum rogasset accipit. Quoniam quidem, vt maioribus nostris visum est, nulla res carius constat, quam quæ precibus empta est.* Quapropter magnum est (ni fallor) liberalitatis insigne, non solùm absque spe retributionis; sed ante preces beneficia conferre. 12.

Tentauit Deus Abraham, & Isaacum filium dilectissimum iugulandum expostulat à parente. Quid inde Abraham? *Extenditque manum,* Gen.22.n.10 *arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Genes. 22. numero decimo, Transeamus hinc ad caput primum lib. 1. Reg. vbi de Anna Elcanæ vxore sic dicitur, num. 11. *Et votum vo-* 1.Reg.1. *uit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ. & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Nunc mihi hoc dubium se offert: an scilicet Abraham quando hilari, & obedienti animo filium obtulit, reddens eum Deo, à quo acceperat, fuerit liberalior, quàm Anna Samüelis mater? Pro Abrahamo adest non contemnenda ratio: quia non quomodolibet filium obtulit, sed iugulandum, imo (vt communiter sentiunt Patres) intentione iugulauit: Anna dedit filium, non mactandum, sed vt Deo in tabernaculo deseruiret. Ergo maius quid præstitit Abraham, quàm Anna. Non abnuo. Nam Abraham in oblatione filij, licèt constanter afflictus, manum extendit, vt propriam vitam in filio iugularet. Anna autem nec filium mactare intendit, nec dolorem passa est in eius promissione. Sed quamuis hæc ita sint, munificentiorem Annam existimo, quàm Abrahamum. Quia si iste filium offerebat, id non à se præstitit, sed quia eum Deus postulauerat: illa verò Deo non postulante obtulit. Ergo liberalior fuit Anna filium ante petitionem offerens, quàm Abraham, qui filium rogatus dedit. Discrimen hoc attigit Chrisost. serm. 24. in Epist. ad Ephes. vbi loquens de Abrahamo, & Anna, sic Chrysost. ait: *Ipsa erat Abrahæ filia. Ille postquam petituerat filium suum dedit. Ista verò, etiam ante petitionem dedit.* Abraham læto animo, hilari facie, & obedientia prompta filium mactabat: at post Dei petitionem. Anna au-

tem filium non petitum obtulit Deo. Ergo quamuis oblationem Annæ Abrahami ſacrificio inferiorem putemus, tamen in modo offerendi liberaliorem exiſtimamus. Nam donum, quod præit petitionibus, abſque dubio maioris liberalitatis eſt indicium.

14. Geneſ. 1. n. 1. Geneſi primo, numero primo, ſic ſacer textus. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Magna lis eſt inter Doctores: an fuerint Angeli creati in ipſo prorſus inſtanti, in quo Deus cœlum ex nihilo produxit? Origenes, Theodoretus, Seuerianus, Caſſianus, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Iſidorus, & alij apud Salianum in apparatu ad Annales, capite ſeptimo, aſſerunt Angelos creatione cœlum anteceſſiſſe. Reliqui Patres, & Catholici contrarium ſentiunt tanquam definitum in cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, & Fide Catholica in Concilio Lateranenſi, quamuis aliqui hanc definitionem exponant, ne tantorum virorum ſententia videatur damnata: ſed facta hypotheſi, quòd angelicæ creaturæ in eodem inſtanti, quo cœlum, fuerint creatæ, alia inſurgit dubitatio: cur, videlicet, Deus Angelos ſimul produxit cum cœlo? An quia ſpiritus determinatum locum exigerent? Non ſic exiſtimandum eſt; cùm Angeli non ſint in loco, nec moueantur localiter, niſi ratione corporum aſſumptorum, vt ſentit S. Thom. 1. p. quæſt. 51. art. 3. ad tertium. Si ergo Angeli locum non expoſtulant, cur ſimultanea creatione cum cœlo ſunt producti? Quia ſi Angeli priuſquam cœlum crearentur, ſuſpicari poſſet, Angelorum precibus cœlum fuiſſe creatum, & deinde totam hanc mundi pulchritudinem. Voluit enim Deus in orbis opificio ſuam liberalitatem oſtentare, innuens, quòd non precibus allectus tantam rerum machinam produxiſſet, ſed ſolùm ſuæ bonitatis abyſſo. Diuus Baſilius Seleucus oratione duodecima, tantum benefactorem admirans, id eleganter notauit. *Quid hæc loquar? Angelorum turbæ ſuo eſſe priuatæ erant; ſolus enim Deus erat, Deus ipſius eſſe fons, vitæ theſaurus, ortus non indigens, bonitate ſcatens. Hic ea, quæ non ſunt, vocat, non rogatus, non ſupplicatione inuitatus, non exiſtentibus dat exiſtere.* Expende hæc vltima verba: *Non rogatus, non ſupplicatione inuitatus*, &c. Quaſi dicat: Deus velut ambiens ſuæ liberalitatis maiorem oſtenſionem, non præmiſit Angelorum exiſtentiam ante cœli, & vniuerſi orbis creationem; ne angelicis precibus reliqua produxiſſe ſuſpicaretur: ſed non ſupplicatione inuitatus non exiſtentibus dat exiſtere, vt maius ſuæ beneficentiæ præſtaret præconium. Nam licèt creaſſe mundum precibus allectum magnæ liberalitatis eſſet ſpecimen; maius proculdubio fuit, nulla ſupplicatione præmiſſa, illum produxiſſe.

S. Thom.

Baſil. Seleuc.

15. Ioan. 2. n. 4. Deficiente vino in nuptiis Cana Galileæ Mater Virgo piiſſima Filio ſuo illius conuiuij propoſuit defectum. Cui reſpondit Ieſus: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* O Domine, ſic dilectiſſimæ reſpondes Matri? Mulierem vocas, quam matrem intra omnes mulieres à diebus æternitatis præparaſti? Multa dixere multi: ſed ad rem præſentem profundè ſatis reſpondet Chryſoſtomus homilia vigeſima in Ioannem dicens: *Alia præterea cauſa afferri poteſt, non minus neceſſaria, ne qua ſuſpicio oriretur.* Breui linteo magnum delineauit conceptum. Aperiamus illum. Sed priùs interrogemus Chryſoſtomum. Vndenam oriretur ſuſpicio in tanto miraculo, ſi Ieſus Matris precibus acquieſceret? Virgo Mater tantùm propoſuit indigentiam vini, non petiit ſupplementum: Vnde ergo ſuſpicionis cauſam in miraculo agnouit Conſtantienſis Antiſtes? Ni fallor, quia, ſi Chriſtus Virginis precibus aſſentiretur, & vini ſuppleret indigentiam; vt Matris vota adimpleret, abſque dubio illis tribueretur miraculum. Cupiebat munificentiſſimus Dominus conuiuij indigentiæ occurrere vini ſupplemento: Inſuper (vt teſtatur Ioannes ibidem; numero vndecimo,) hoc erat primum ſignum, quod fecit, vt ſuam gloriam, & largitatem oſtenderet. Audiens igitur Matrem vini defectum proponentem; exiſtimauit petentem, & orantem, vt dignaretur ſupplere tantam indigentiam. Ecce cur mulierem appellat: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Vt videatur tantum miraculum patrare, non Mariæ precibus (quamuis illis fuerit motus,) ſed propria liberalitate. Duriùs ergo quàm ſolebat Matrem appellat mulierem, vt à primo ſigno omnem relegaret ſuſpicionem, & omnibus conſtaret, non precibus obtentum, ſed liberalitate donatum. Non quia Domino preces diſpliceant (placent vtique, & præcipuè dilectiſſimæ Matris,) ſed quia ſuæ munificentiæ manifeſtare intendebat theſaurum, qui glorioſiùs oſtenditur, cùm beneficia preces anteuertunt.

Chryſoſt.

16. Sapientes illos Beſeleel, & Ooliab Deus oſtentat repleuiſſe Spiritu Sapientiæ, dicens: *Quos repleui Spiritu Prudentiæ.* Non dixit ad Moyſem; quos vt replerem à me poſtulaſti; ſed quos repleui, te, & illis neſcientibus. Sed cur nullam precum fecit mentionem? Profectò, vt maiorem erga hos ſapientes, & Sacerdotis ornatum munificentiam oſtenderet. Nam beneficium, quod preces antecedit, illuſtrat largientis liberalitatem.

ILLATIO XXX.

Diuinitatis excellentia in benficiorum largitate nitidè eluceſcit.

17. DEi ſubſtantia à nulla creatura valet comprehendi? Cherubini in conſpectu tantæ maieſtatis cæcutiunt. Magnum diuinæ eſſentiæ attributum eſt incomprehenſibilitas; & Deus, qui à nemine, à ſeipſo ſolo comprehenditur. Hæc cùm ita ſint certa, aſſero, diuinam naturam non comprehendi, ſed innoteſcere, & maximè in beneficiorum largitione.

18. Ex flammanti rubo ad Moyſem loquitur Dominus, & ei Pharaonis commiſit legationem, & libertatis Hebræorum negotium. Timet Moyſes, tum officij difficultatem, tum populi præcauens incredulitatem, & duritiam, præci-

puè

puè ſi mittentis nomen interrogent. Quibus
Exod.3.n.14. Dominus plenè ſatisfacit, dicens: *Ego ſum, qui ſum. Ait: ſic dices filiis Iſraël: qui eſt, miſit me ad vos.* Exod.3. num.14. Et ſtatim num.15. ac ſi non ſatis nomen ſuum explicuiſſet, proſe-
Ibid.n.15. quitur. *Hæc dices filiis Iſraël. Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale in generatione, & generationem.* Sec cur bone Deus, ſi Moyſi nomen tuum ineffabile demonſtraueras, totius eſſe fontem ſignificans, à quo omnia ſunt, & à nemine ipſe dependes; ſeruorum tuorum te prædicas Deum? Tuum eſſe abſolutum eſt, & à creaturis independens: cur ex illis te præbes noſcendum? Et quod maiori admiratione eſt dignum, memoriale tuum in ſempiternum ex hoc cognomine aſſumis? Et tu, ô Moyſes, ſi Dei magnum nomen audiſti, quid amplius deſideras? D.Petrus Damianus ſerm. in natiuitate ſaluatoris ſic vtrumque dubium ſoluit.
Petr.Dam. *Perterritus Moyſes inextricabilis authoritate vocabuli, ac ſi diceret. Hoc excedit intellectum meum, non poſſum capere, niſi effundatur, audit à maieſtate: ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Vides effuſionem?* Ac ſi diceret: Moyſes inſufficiens erat, vt illud nomen, *Ego ſum qui ſum*, vt pote naturæ incomprehenſibilis, intelligeret, exceditque humanum captum diuinitatis arcanum. Vt ergo ſeruus Domini excellentiam agnoſceret, alio adiuuatur nomine, non naturam Dei ſignificante, ſed effuſionem, ſed gratiam, & largitatem. Illud namque nomen, *Ego ſum, qui ſum*, naturam diuinam explicat: hoc, nempe, *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, gratiarum effuſionem. Quid ergo mirum, ſi Moyſes ex hoc nomine Deum agnoſcat, quem ex illo intelligere non valebat? Et quid miraris, ſi Deus benefacientis cognomen aſſumat in ſempiternum, quaſi proprio nomine relicto; cùm ex beneficiorum largitate omnibus innoteſcat?

19. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*
Geneſ.1. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Geneſ. 1.
num.2. num.2. Chryſoſtomus homil.2. in Geneſ. ſic
Chryſoſt. dubitat. *Cuius gratia, dic quæſo, cœlum clarum, & abſolutum creauit: terram autem informem effecit?* Audi reſponſum. *Quoniam ipſa eſt nutrix, & mater noſtra, & ex ea facti ſumus, ac educamur, ipſaque noſtra patria eſt, & commune ſepulchrum, reditus enim noſter ad eam eſt) & innumeris per eam bonis fruimur.* Expende quæ ſequuntur. *Ideo, vt ne homines ob vſus neceſſitatem, pluſquam dignum eſt, eam venerentur, oſtendit primùm rudem, & abſque forma: Vt ne beneficia terræ, telluris naturæ imputes: ſed ei tribuas, qui illam ex nihilo, vt eſſet, creauit: propter hoc ait. Terra autem erat inanis, & inculta.* Quæ ſic explico. Sic ſupremus artifex ad benefaciendum propendet; vel ſic diuinitatis eſt proprium beneficia conferre, vt ex eis ſatis diuina natura cognoſcatur. Cùm ergo terra tot beneficia in homines diſtribuat: mater enim noſtra eſt; ipſa nos nutrit viuos, & mortuos non deſerit, quia eſt commune ſepulchrum: & vt vno dicam verbo, cùm per eam innumeris fruamur bonis, in quorum largitione diuinitatis apparet inſigne; meritò terram rudem, incultam, inuiſibilem, & inanem in ſui productione prædicat ſcriptura, ne ipſa Deus exiſtimetur, à qua tot erga homines dimanant beneficia. *Ideo, vt ne homines ob vſus neceſſitatem, pluſquam dignum eſt, eam venerentur, oſtendit primùm rudem & abſque forma*: Vt deformitas ipſa diuinitatis ſuſpicionem, quæ ex beneficiorum largitione oriebatur, penitus aboleat, & tanta beneficia ſoli Deo tribuantur, qui illam ex nihilo creauit.

Hortatur Chriſtus Dominus ſuos, vt breui- 20.
ter, cum fiducia, & ex toto corde ad Deum preces mittant, non in multiloquio ſicut faciunt Ethnici putantes ſic faciliùs exaudiri, & normam orandi tradidit eis in oratione Dominica, Matth. 6.num.9. his verbis: *Pater noſter,* Matth.6.
qui eſt in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Venan- n.9.
tius Honoratus Pictauienſis Homilia de oratione Dominica hanc excitat quæſtionem. *Vi-* Venantius.
gilanter conſiderandum eſt (inquit) *quid in hoc* Pictau.
vocabulo admonitio diuina ſignificat, dicendo: ſanctificetur nomen tuum? Nunquid inuenitur ſuperior, à quo Pater ſanctificari valeat? Cui dubio ſatisfacit his verbis. *Sed ſanctificetur, id eſt, benedicatur nomen tuum inceſſanter omnibus linguis, vniuerſis in locis, cuius donare hoc ipſum, quod reſpiramus, & viuimus.* Quid eſt dicere: Pater ille cœleſtis à nemine poteſt ſanctificari, cùm ipſe totius ſanctitatis ſit origo, & omnia ſanctificet: ſed ſanctificatur, & benedicitur nomen eius omnibus linguis, cùm beneficia largitur. Hoc eſt nomen eius, vt ſanctum ab omnibus celebratur, & omnibus innoteſcit, cùm bonorum ſuorum theſaurum in homines diffundit. Nam ita eſt diuinæ naturæ ad benefaciendum propenſio, vt eius nomen ſanctificari iudicetur, cùm fauores impertit, & beneficia largitur: & qui in ſe ſanctus eſt, & à nemine valet ſanctificari, hoc ipſo quòd munera diſtribuit, benedicitur, & quaſi ſanctificatur.

Hos ſapientes Beſeleel, & Ooliab repleuiſſe 21.
ſpiritu ſapientiæ, & prudentiæ ad conficiendum Pontificis ornatum non contemnit Deus, imo velut ſuæ naturæ inſigne aſſumit, dicens: *quos repleui*, &c. Quia ita Dei eſt, beneficia libaraliter largiri, vt ipſe munerum ſe prædicet auctorem: & Diuinitas aliàs incomprehenſibilis, ex bonorum largitione omnibus eluceſcit, à nullo non benedicitur, & ab omnibus ſanctificatur.

Illatio XXXI.

Vbi primùm Deus à benefaciendo ceſſat, quaſi mortuus eſſe videtur.

Diuinitatis inſigne conſiſtere in benefi- 22.
ciorum largitate ſatis probatum manet præcedenti diſcurſu. Nunc Deo dante altiùs expendam hanc diuinam propenſionem ad effundendas illius infiniti theſauri diuitias. Philo Hebræus lib.de ſomniis, Deum à benefaciendo nomen ſortiri, affirmat, dicens: *Cæterum* Philo He-
beneficæ potentiæ Deus nomen eſt. Et ibidem: *Ipſa* bræus.
natura Dei eſt dare. Si ergo in donatione conſiſtit diuinæ naturæ prædicatum: profectò cùm

Deus à donis ceſſat, ſuum eſſe videtur finiri. Nam licèt in Deo libera ſit voluntas ad beneficia conferenda: ſi tamen omnia contulit (loquamur pro noſtro modulo) vel ab eis ceſſat, videtur iam vita deſtitutus, & diuinitatem amiſiſſe.

23. Adſit pro nobis Doctoris gentium patrocinium ad Philippenſ. 2. num. 6. vbi loquens de Chriſto Domino ait. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo,* Textus Græcus pro illis; *Exinaniuit*: legit, *euacuauit.* & Tertullianus, *exhauſit.* Quam difficilis ſit huius loci intelligentia, qui Patres, & interpretes legerit, fatebitur. Quia cùm diuinum Verbum coæquale, & conſubſtantiale Patri, ſit in ſeipſo magnum, infinitum, & æternum; quî fieri poteſt, vt ſeipſum exinanierit, euacuarit, & exhauſerit per humanæ carnis aſſumptionem? Quomodo fons ille totius eſſe ſeipſum exinaniuit factus homo, qui in principio erat Verbum? Chryſoſtom. Theophylact. Thodoretus. Æcumenius ad hunc locum aſſerunt, quòd cùm æternum verbum noſtram aſſumpſit naturam, exinaniri dicitur, quia luces illas inacceſſibiles, quas apud Patrem habitat, quaſi obtenebrauit humanitatis aſſumptione. Amplectuntur hunc ſenſum. Diuus Ambroſius Epiſt. 47. ad Ireneum. D. Auguſt. Epiſt. 120. & tract. 17. & 55. in Ioan. D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 16. Tertul. lib. aduerſus Marcionem. cap. 20. Cyrill. Alexand. lib. de recta fide ad reginas. S. Thomas ad hunc locum. Caietanus ientaculo 11. ad hæc verba, & alij, & ſi ab his Patribus inquito cur verbi incarnationem exinanitionem appellant? Vno ore reſpondent: Quia Verbum Patri conſubſtantiale, & Spiritui Sancto coæquale, vt humanum genus à captiuitate peccati liberum redderet deſcendit ad infima noſtra; & qui Deus erat in principio, factus eſt in tempore homo; qui impaſſibilis, paſſibilis; temporalis, qui æternus humanam naturam mutuans è tempore, qui præſtat temporibus æternitatem. Veneror expoſitionem. Sed magis ad rem noſtram eſt, quam præbuit Dioniſius Alexandrinus Epiſt. contra Paulum Samoſatenum. Ait itaque hic Doctor, hanc exinanitionem fuiſſe dexteræ excelſi inſigne. *Hæc exinanitio* (inquit) *dexteræ excelſi.* Sed inueſtigare libet, Vnde collegit Dioniſius, hanc exinanitionem monimentum fuiſſe dextetæ excelſi? Quid exinanitio cum Deo, qui in ſeipſo infinitus eſt, & immenſus? Aut quomodo euacuari poteſt, qui omnia replet? Quomodo exhauriri fons peremnis totius eſſe? Quàm acutè Dioniſius nodum ſoluit, his verbis: *Itaque exinanitio non mutationem ipſius ſignificat, abſit hoc. Sed per exinanitionem eius, quam nobis donauit, qui ſeipſum exinaniuit.* Quod eſt dicere: Verbum nullam paſſus fuit mutationem (quia in ipſo nec eſt viciſſitudinis obumbratio) quando noſtram naturam aſſumpſit; tamen quia per humanæ naturæ vnionem, ei totum diuitiarum ſuarum impertiuit theſaurum, ita vt nihil diuinitatis reſeruauerit, totum quod habebat eſt largitus, ita vt iam amplius nihil poſſet conferre; exinaniri, euacuari, & exhauriri dicitur. Nam Deus ita liberalitatis titulo honoratur, vt ſi ſemel omnes ſuæ largitatis theſauros præſtitit (vt contingit in hoc ineffabili myſterio) exinaniri dicatur, & euacuari, quia donans omne quod habebat, nihil iam ei reſtat ad donandum.

Ad Philip. 2. a n 6.

Textus Græcus. Tertullian.

Chryſoſt. Theophila. Æcumenius. Ambroſ. Auguſt. Gregor. Tertullian. Cyrill. Alex. S. Thomas. Caietan.

Dioniſ. Alex.

24. Diſputant Theologi: An conceptus ille Paternitatis, in diuinis, prout præciſus à natura (& idem diſputant de aliis relationibus) importet aliquam perfectionem? Quidam affirmant; quidam negant: ex his eſt ſubtilis Doctor Durand. Capreolus, & alij. Nam licèt æternus Pater ſummè prefectus ſit, hæc perfectio ei competit, quà Deus, non quà Pater, prout formaliter virtualiter, vel ex natura rei Patris conceptus diſtinguitur à Deitate ſecundùm diuerſos modos opinandi in Theologia. Suppono tanquam probabilem hanc ſententiam, licèt contrariam ſequutus fuerim pro cathedra, & relictis ſcholaſticorum rationibus prout ad mores attinet, inquiro. Quid obſtare poteſt, vt Pater, quà Pater, perfectionem imbibat? Varia reſpondent Theologi; ſed ad noſtrum inſtitutum dico. Ideo Paternitatem præciſiuè loquendo non importare perfectionem in diuinis, quia implicat, communicari Paternitas. Sola enim Deitas & attributa communicantur in diuinis. Sit ergo perfectionum pelagus. Cùm igitur Paternitas communicari nequeat; meritò ſub illo preciſiſſimo conceptu perfectionem excludit. In Deo namque quod communicari non poteſt, ſub eo conceptu, quo donari nequit, non intelligitur perfectum. Igitur cum conceptus Patris, ſolius Patris ſit, & non filij, aut Spiritus ſancti (aliàs tres diuinæ confunderentur perſonæ, quas (teſte Athanaſio) confundere non licet, & quod ad intra communicatur, ſit ſola diuinitas & attributa; hinc eſt, quòd ipſa ſola ſit perfectiſſima. Vide ergo qualiter ex negatione communicationis Pater, qui quà Deus, eſt infinitè perfectus, quà Pater, quia Paternitas, quæ illum in ratione Patris conſtituit, non valet communicari, perfectus non concipitur.

25. Libauerat Chriſtus in cruce ſitiens acetum felle permixtum, & dixit: *Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ioan. 19. num. 30. Multa circa hanc dominici capitis inclinationem ſcripſere Patres, quæ ſuis locis Deo dante referemus: nunc quæ ad præſens ſpectat inſtitutum dicamus. Cur quæſo, patientiſſime Deus, vix è cruce clamas, conſummatum eſt; cùm ſtatim caput inclinans emittis ſpiritum? Et tu Euangeliſta dilecte, quam inueniſti connexionem inter hanc vocem, conſummatum eſt, & emiſſionem ſpiritus, vt vnam, & alteram clauſulam connectens, diceres: *Conſummatum eſt. Et inclinato capite emiſit ſpiritum?* Profectò euentus ipſe meum explicat cogitatum. Vidit Chriſtus poſt libatum acetum nihil iam ſupereſſe ad generis humani remedium. Ideo enim conſummatum eſt, clamauit è cruce, quaſi dicens: Omnia prædicta à Prophetis adimpleta ſunt; omnia quæ pati oportebat pro ſalute hominum ſum perpeſſus; omnia conſummata ſunt; nihil iam

Ioan. 19. num. 30.

reſtat

restat nisi mors. Inclinat ergo caput mortem vocans, quia præstitit, quidquid præstare poterat. Audi Augustinum tract. 119. in Ioan. & in Catena S. Thomæ ad hunc locum tanti cogitatus auctorem. *Quia nihil remanserat* (inquit) *quod antequam moreretur, fieri oporteret. Vnde sequitur* (*& inclinato capite tradidit spiritum*) *peractis omnibus, quæ vt peragerentur, expectabat, tanquam ille, qui potestatem habet ponendi animam suam, & iterum resumendi eam.* Obtulerat iam Christus in ara crucis suum sacratissimum corpus, suum pretiosissimum sanguinem, in quo non mediocre pretium, sed infinitum, vt æterno Patri pro peccatis hominum satisfaceret, exhibuit: dederat quantùm potuit, & maius pretium non valebat conferre, quia infinitum non est maius alio. Quid tunc Christus Dominus? *Consummatum est*, exclamat, *& inclinato capite emisit spiritum.* Ac si diceret: omnia sum largitus, quibus humana salus indigebat; imo nec amplius efficere, aut conferre possum. Si ergo iam omnia dedi, superfluit vita, veniat mors: quasi se iam reputans mortuum, quia suæ largitatis thesauros effudit: *His omnibus peractis, quæ, vt peragerentur, expectabat, inclinato capite tradidit spiritum.*

August. & S. Thom.

26. Admonet Apostolus Romanos. cap. 8. n. 17. non esse filios seruitutis, sed adoptionis Dei & prosequitur: *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* O quam summa felicitas est dignitas huius filiationis, quæ ius præbet ad gloriam tanquam ad hæreditatem! S. Bruno hoc dubium excitauit ad hunc locum: *Quomodo sumus hæredes Dei, si decessus facit hæredem morte decessoris?* Deus enim qui vita est per essentiam mori, vt Deus, non potest. Ergo non sumus Dei hæredes: quia, *hæreditas* (vt habetur, leg. *Nihil*, ff. de verborum significatione) *Nihil aliud est, quàm successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit.* Quomodo hæredes sumus Dei; aut quî gloria tanquam hæreditate perfruemur, si Deo mori repugnat? Profundè satis respondet Bruno dicens: *Tunc Deus nobis moritur in æterna beatitudine.* Sed vt mihi videtur, multò difficilior resurgit dubitatio. Deus namque in æterna beatitate non solùm viuens, sed est ipsa vita æterna beatos glorificans in perpetuum. Quomodo ergo Deus moritur in æterna beatitudine? Habes iam nodum: expecta solutionem. Deus non moritur in æterna beatitudine, imo est ipsa vita æterna: sed quia beati in patria intuentur quidquid in Deo formaliter existit, & totum Deum possident vi visionis beatificæ, Deus videtur quasi mortuus. Quidquid Deus habet communicat beatis in æterna illa felicitate; & sic beati diuinis perfruuntur thesauris, vt nihil sit diuinum, quod non possideant, imo Deus nihil amplius possit elargiri, cùm cuilibet beato se totum præbeat videndum, & possidendum: en ergo causa cur à Brunone dicatur mortuus Deus in æterna beatitudine, quia totum quod habet, confert, in suprema illa felicitate. Tanti Deus æstimat benefacere; vt si propter nimium erga homines amorem pelagus illud diuinitatis, & perfectionis elargiatur, mori videatur à Brunone.

Ad Rom. 8. num. 17.

Bruno.

Iam non miror Deum benefactoris titulum tanti facere cùm ad Moysem de illis sapientibus ait: *Quos replevi spiritu prudentiæ.* Nam cùm, *Deus*, sit nomen beneficæ potentiæ, ostentat, se illius beneficij fuisse auctorem, vt ex eius beneficentia Diuinitas comprobetur, taliter, quòd si à benefaciendo cesset, videtur velut suum esse amittere (quod implicat) vt sit quasi mortuus, & exinanitus. 27.

ILLATIO XXXII.

Quanta reuerentia exhibenda sit sacerdotibus, docet ipse Christus.

QVanti habenda sit sacerdotalis dignitas, dictat ipsa naturalis ratio. Hinc adhuc apud Barbaros idololatras, qui tam turpiter cultum supremo creatori debitum ad falsa simulachra transferebant, suis prophanis sacerdotibus honorem exhibentes, numina placasse putabant. Quid autem erga veros, & sactos sacerdotes veri Dei ministros præstandum sit, summi sacerdotis Christi schola prædicat, & eius exemplo confirmare contendam. 28.

Adsit pro huius thesis robore eximium illud humilitatis exemplum, cùm Christus Dominus in supremæ nocte cænæ tanti amoris incendium erga suos ostendit, augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituens, & discipulos ad sacerdotalis dignitatis culmen eleuans qui vt tanti muneris honorem declararet; *Misit aquam in peluim, & cæpit lauare pedes discipulorum.* Ioan. 13. num. 5. Quid agis bone Deus? Creator omnium, & redemptor, vt quid piscatorum pedes abluis? Quid in tanta abiectione desideras, nisi seruili functione supremum dominium, quo gaudes obtenebrare? Sat erat Apostolos in sacerdotes cõsecrasse, Eucharistiam eis porrexisse: ad quid ergo eorum pedes lauare vis? Quid tantæ humilitatis fuit incitamentum? Ni fallor, in hoc Christi lauacro magna erga sacerdotes præfulget reuerentia. Voluit ergo Christus discipulorum pedes abluendo, eos super suas manus collocare, vt omnibus innotesceret, quanti æstimet sacerdotes; & quantus eis honor exhibendus sit. Quando Dominus Iesus pedes eorum abluebat, modò suis sacratissimis manibus pedes attrectabat; modò plantis eorum manus supponebat; indicans, tantam esse dignitatem sacerdotum, vt vel ipse Christus super manus suas portare eos non dedignetur. *Tanto estimæ Christo a los sacerdotes, que lleua sobre sus palmas.* Et quid dicendum, si Iudas primus recubuisset, vt eum lauaret (vt docet Chrysostom. homil. 69. in Ioan. & communiter Patres Græci) portauit etiam eum Christus super manus suas? Absque dubio traditorem hoc honore affecit, propter sacerdotium. Nam vel ipse Iudas, quà sacerdos est, honoratur à Domino. 29. Ioan. 13. n. 5

Audacter, temerariè, & sacrilegè seruus Pontificis alapa percussit Iesum. Hic Angeli stupuerunt, humana corda trement, hebet intellectus, aufugit auditus? Sed quid huic scelerato responderet Iesus? Notauit Ioannes 30.

cap. 18. num. 23. nam sic respondisse testatur: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Sed quid intererat, quòd Iesus Pontificem illum acriter reprehenderet, aut durè contra illum loqueretur, si quidem Caïphas (vt testatur Iosephus apud Maldonatum in cap. 3. Lucæ num. 2.) à Romanis magnis largitionibus obtinuit sacerdotium, & erat illegitimus Pontifex? ergo dignus erat vt contumeliosè tractaretur à Christo. Et tamen ipse Dominus ostendit, nihil contra Caïpham fuisse locutum, adhuc cùm alapam recepisset. Quare ergo sic patienter se gessit Dominus? D. Cyprianus Epist. 65. ad Rogatianum, sic respondet. *Quæ omnia ab eo* (id est à Christo Domino) *ideo facta sunt humiliter, & patienter, vt nos humilitatis, atque patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim sacerdotes veros legitimè, & plenè honorari, dum circa falsos sacerdotes, ipse talis extitit.* Quasi dicat; si Christus Dominus ostendit, contra illum perfidum sacerdotem nihil fuisse contumeliosè locutum, ne sacerdoti etiam falso videatur detrahere honorem: quanta reuerentia desiderabit, veros sacerdotes affici? Vides iam quanta sit sacerdotij dignitas, vt propter eam Iudas, & Caïphas, inter sacerdotes pessimi, ab ipso Christo honorentur.

Ioan. 18. n. 23.

Cyprian.

31. Tandem tanti Christus habuit sacerdotium, vt ipsum supra caput suum imponat. *Iesus Nazarenus rex Iudæorum*, erat titulus affixus supra crucem Ioan. 19. num. 19. sed cur supra Christi caput affigitur hic titulus? D. Ambrosius ad cap. 22. Lucæ reddit rationem, dicens: *Meritò supra crucem titulus quia non humani corporis, sed diuinæ potestatis est regnum, quod habet Christus.* Regnum Christi non erat de hoc mundo: quanuis super omnes reges haberet imperium adhuc in quantum homo, quia vt sic est filius Dei naturalis. Rex erat in quantùm homo; quia vnctus vnguento lætitiæ, hoc est, ipsa Diuinitate, qua humanitas illa sanctificatur. Nam Christus vnctum significat. Ita tenent Theologi non ignobiles. Antoninus 3. p. tit. 3. cap. 2. Vualdens. lib. 2. doctrinæ fidei c. 76. Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 28. Suar. disput. 48. Vasquez disput. 87. Ragusa disp. 25. Gaspar Hurtado disput. 19. dist. 10. qui omnes non dubitant appellare Christum regem habentem temporalem regiam iurisdictionem. Hurtado & alij ex vasquez hanc dignitatem Christo vt homini concedunt ratione vnionis hypostaticæ, & sanctificationis prouenientis à Deitate, qua tanquam forma humanitas Christi sanctificatur, vt docuerunt Cyrillus lib. posteriori de recta fide ad Reginas cap. *de eo, quod Christus:* Nazianzenus orat. 4. Elias Cretensis in oratione 1. Nazianzeni. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum. Damascen. orat. 2. de B. Mariæ natiuitate. Dionisius Alexand. in Epist. contra Paulum Samosatenum. Et Clemens Romanus lib. 8. constit. Apostolic cap. 46. Propter hanc eandem rationem Christo Domino sacerdotium perpetuum concedere non dubitant Medina, & Suar. 3. p quæst. 22. art. 5. Vasquez disput. 85. sed clariùs Hurtado disput. 19. dif. 3. Ecce quomodo eodem titulo, quo regiam potestatem habuit dignitate sacerdotali est insignitus, nempe ratione Deitatis sanctificantis eius humanitatem. Redeo nunc ad Ambrosium dicentem: *Meritò supra crucem titulus, quia non humani corporis, sed diuinæ potestatis est regnum.* Ac si diceret: quia Christus in quantum homo habet regnum ab illa vnctione, qua in sacerdotem est vnctus: ideo supra crucem habebat titulum, vt sic poneret supra caput, sacerdotalis dignitatis insigne. Tanto desiderat honore affici sacerdotes, vt titulum repræsentans dignitatem sacerdotalem supra proprium caput constituat.

Ioan. 19. num. 19.

Ambros.

Antonin. Vualdens. Molina. Suarez. Vasquez. Hurtado.

Cyrillus. Nazianz. Elias Cretēs. German. Damascen. Dionis. Alex. Clemens Roman.

Spiritu prudentiæ repleuit Deus Beseleel, & Ooliab, vt faciant vestes Aaroni. Sed ad quid Deus tantam curam gerit in harum vestium artificio? Respondet noster Tostatus hîc quæst. 2. hoc modo. *Ista vestis erat, vt ipse Aaron appareret pulcher in ea, & honorabilis. Et ista est causa generalis, id est, vt Aaron appareret sic nimis reuerendus.* Cupiebat Deus sacerdoti reuerentiam à populo exhiberi, & ob tantam curam adhibuit circa eius vestes, & ornatum. Nam tanta est sacerdotum dignitas, vt vel ipse Deus illorum honoris curam gerat. 32.

Abulens.

ILLATIO XXXIII.

Sacerdos, vt sacro altaris ministerio inseruiat, ne vel vmbra, aut peccati signo dedecoretur.

SAcerdotes homines sunt, sed non hominum, sed Dei sunt homines. Hinc summo studio Deo vacare debent, & non irretiri rebus sæcularibus, quæ animum si non penitus à Deo deuiant, saltem refrigerant. Ob hoc Philo Hebræus lib. *quòd Deus sit immutabilis*, sic sacerdotes instruit. *Dei verò homines sacerdotes, & Prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quàm vt se misceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues sint.* Id est; tanta est sacerdotum dignitas, vt Dei homines appellentur. Quapropter nullis curis sæcularibus debent se admiscere; Verùm nec illis, quæ specimen peccati præseferunt. Huc spectat consilium illud Athanasij in exhortatione ad Monachos: *Omne quod fingi potest* (inquit) *tanquam posse credi caueamus, nec tantum nobis fides facti, sed possibilitas relegenda mendacij est.* Non sat est, sacerdotem mundum habere animum, tutamque conscientiam; sed etiam possibilitas mendacij releganda est, vt nec vel minimum signum culpam implicans præbeatur; vel ipsa peccati vmbra sacerdotalem obscurat splendorem. 33.

Philo Hebr.

Athanasius.

De Christo Domino sic refert Matthæus cap. 27. num. 31. *Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Miror sanè Iudæorum dementiam! si in prætorio milites Christum illudebant, quia rex Iudæorum fuerat appellatus; & hoc ei crimen Scribæ, & Sacerdotes obiecerant, quod sibi imperium in populum Israëliticum vsurparet; & vt eum ignominiosè illuderent nudatum pristinis vestibus induunt chlamidem coccineam, qua reges veteres vtebantur; & pro diademate 34.

Matth. 27. num. 31.

diademate imponunt ei ſpineam coronam, & pro ſceptro calamum, vel arundinem, & tandem quaſi regem adorant: cur exuerunt eum chlamydem coccineam, cùm ducunt ad crucifigendum? Maior ſine dubio eſſet illuſio, ſi publicè, & in conſpectu populi regiam geſtaret veſtem. In prætorio namque ſolùm coram militibus rex ille verus illudebatur; in via, & in monte coram omni populo irrideretur. Si ergo propter irriſionem regalibus induitur inſignibus; quare his exuitur, cum baiulat crucem, & ornatur propriis? Altiſſimo Dei conſilio id factum puto. Ducebatur ad montem, in quo cruci affixus ſimul victima exiſtens, & ſacerdos, Patri ſeipſum erat oblaturus. Inſuper chlamis illa coccinea peccatorum præferebat inſigne cùm igitur in cruce functurus eſſet officio ſacerdotis; non fuit paſſus indutus peccatorum veſte perduci ad tantum munus exercendum, ſed priſtinas, hoc eſt, innocentiæ ſuæ veſtes induit, ne vel minima peccatorum vmbra in chlamyde deſignata ſacerdotij dignitas deturparetur. Adeſt patronus huius cogitatus D. Hieronymus ad hæc verba Matthæi in caten. S. Thomæ. *Notandum autem* (inquit) *quod quando flagellatur Ieſus, & conſpuitur non habet propria veſtimenta; ſed ea, quæ propter peccata noſtra ſumpſerat: cùm autem crucifigitur, & illuſionis pompam præterierit, tunc priſtinas veſtes recipit, & proprium aſſumit ornatum.* Hæc eſt mens Hieronymi: Cùm Dominus Ieſus illuditur in prætorio, exuitur propriis veſtimentis; cùm autem ad crucifigendum ducitur, priſtinas veſtes, hoc eſt, proprias, & innocentiæ ſuæ induit: quia in prætorio ſacerdotis munus non exercebat, in cruce verò ſacrificium offerens ſacerdotem ſe coram omni populo prædicabat. Exuatur ergo crucem aſcendens illa chlamyde coccinea, quæ peccatorum erat inſigne, ne cum exiſtit ſacerdos, vel leui ſigno, aut vmbra tenui peccatoris tanta dignitas obſcuretur.

Hieron.

35. Inſipiens populus Hebræorum ſacrilegè aureum vitulum erexit in Deum. Vidit Moyſes populi ſacrilegium, & iratus valde combuſſit vitulum, contriuit eum, & filiis Iſraël dedit in potum. *Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël.* Exod. 32. num. 20. Noſter Abulenſ. hîc quæſt. 31. quærit: Quare Moyſes filiis Iſraël dedit aquam mixtam cineribus vituli? Et reſpondet: *Vt aliquod ſignum in bibentibus appareret.* Rurſus inquirit; quodnam eſſet tale ſignum? Refert ſententiam Rabbi Abraham Abenezra aſſerentis eſſe quandam ægritudinem, in quam incurrebant, quæ manifeſtabat delinquentes in vituli adoratione; innocentes autem tali morbo nullo modo affici, tenet. Quemadmodum de aqua zelotypiæ dicitur numer. 5. Huic ſententiæ aliam adiungit Toſtatus aliorum aſſerentium, *Quòd iſti qui deliquerant inſigniebantur barbis aureis cuiuſcunque coloris barbæ antea fuiſſent*, &c. Tandem ibidem quæſt. 32. in dubium vocat: an ſcilicet ſummus Pontifex Aaron biberit de illa aqua, in qua vituli combuſti cinis erat aſperſus? Cui quæſito his verbis ſatisfacit: *Dicendum ergo, quòd ipſe Aaron, & omnes Leuitæ ſicut cæteri de Iſraël biberunt, tamen non fuit inuentum in illis ſignum aliquod ſceleris ex potu illo.* Sed cur quæſo in Aarone, & Leuitis nullum apparuit ſignum; cùm hi maiori pœna eſſent digni ſcelus illud non impedientes? Aaron namque vtpote ſummus Pontifex, & reliqui Leuitæ, populum à tanto flagitio tenebantur auertere. Ergo æquum erat, vt propter hoc tali ſigno notarentur. Quare ergo illo non inuruntur? Ne ſacerdotij dignitas, & Leuitarum ordo notorietate peccati infamaretur. Si enim Aaron, & Leuitæ inſimularentur illo ſigno, indigni prorſus eſſent tanti muneris exercendi. Audi iterum Toſtatum. *Item ſi Aaron bibiſſet de aqua, & apparuiſſet in eo ſignum ſceleris, ſiue eſſet infirmitas, ſiue color deaurata barbæ, & occiſus non fuiſſet, infamis inter alios remanſiſſet, quì non manebant notati de hoc crimine, & ſic nunquam fuiſſet aſſumptus ad ſummum ſacerdotium, in quo requirebatur homo mundiſſimus, ab omni infamia immunis. Sed aſſumptus fuit in ſummum ſacerdotium. Ergo non apparuit in eo ſignum ſceleris, quod in cæteris apparebat.* Verum eſt, Aaronem idololatriæ conſenſiſſe, quia vt populo blandiretur, vitulum conflatilem formauit: & per hoc ſatis ſuperque apud omnem cætum eius peccatum erat notum; ſed quamuis hoc ita fuerit, noluit Deus illo ſigno peccatum Aaronis publicè demonſtrare, dignitatem ſacerdotalem velut venerans, ne in ſacerdote tanti flagitij vel minimum appareret ſignum.

Exod. 32. num. 20.

Abulenſ.

Tantis flagitiis domus Iſraël dominum ad 36
itacundiam irritauit, vt eius miſericordiam commutaret in iuſtitiam. Sex viris vltionem remittens Deus, generali edicto iubet, vt tranſeuntes per mediam Ieroſolymam, ſolùm parcant ſigno Thau inſignitis, reliquos autem interficiant vſque ad interfectionem: & vt amplius eius iuſtitia ſplendeat, vltionem à ſanctuario exordiri imperat. *Et à ſanctuario meo incipite.* Ezechiel. cap. 9. num. 6. D. Hieronymus ad hunc locum ſic ait. *Et à ſanctuario meo incipite: ſiue vt ſeptuaginta tranſtulerunt: id eſt, à ſanctis meis incipite. Vel ſacerdotes ſignificat, qui verſabantur in templo, & adorabant idola: Vel eos, qui pro ſacerdotij merito ſancti vocabantur in populo.* Miraberis B. Hieronymum per ſanctuarium ſacerdotes idololatriæ deditos intelligere. Si templum illud abominationibus profanabant ſacerdotes, Deo vero cultum abnegantes; quomodo per eos intelligitur ſanctuarium; vel ſi ſeptuaginta interpretum ſequamur tranſlationem; quî ſancti appellari poterunt, qui tot idololatriis templum ſanctum Dei polluerant? Et ſi ab his incipienda eſt vltio, quomodo vocantur ſancti? Sanctos punire diuinam dedecet iuſtitiam. Ergo vel non appellentur ſancti, vel maneant impuniti. O bone Deus, quanto ſtudio agis pro honore ſacerdotum! ſancti appellantur quanuis idololatriæ dediti, ne ſacerdotium maculetur, ſi eorum crimina detegantur. Nam ita Deus honori ſacerdotali ſtudet, vt adhuc quando eos ob vitam ſceleratam ſeueriſſimè, & iuſtiſſimè punit, ſanctitatis pallio eos tegit, ne cauſam publicet punitionis ſacerdotum; quaſi magis deſiderans nimis ſeuerum apparere, & ſanctos

Ezechiel. 9. num. 6. Hieron.

puniri

puniíe, quàm ſacerdotum crimina detegere. Vocantur ergo ſancti, quanuis criminoſi, non quia culpæ eſſent expertes, ſed quia ſacerdotes: *Qui pro ſacerdotij merito ſancti vocantur in populo*; ne vel vmbra peccati ſacerdotum tanta dignitas obtenebretur.

37. Pretioſo ornatu, & veſtibus religioſis indui Pontificem deſiderat Deus, vt ſanctificatus miniſtret ei: *In quibus ſanctificatus miniſtret mihi; id eſt* (inquit Abulenſis quæſt.4. in fine) *Deo applicitus*: Vt ex tali applicatione, & cultui Dei conſecratione etiam exteriùs ſanctificatus appareat. Tantam enim curam agit Deus ſacerdotum, vt non ſolùm ſanctitatis internæ decore eos ornari deſideret; verumetiam ſplendore externo præfulgere cupiat: ne qui altaris miniſterio inſeruiunt, criminis vmbra dedecorentur.

Abulenſ.

ILLATIO XXXIV.

Quanta animi puritate ad venerandum Euchariſtiæ Sacramentum accedendum ſit.

38. MAgno beneficio magna debetur gratitudo. Ergo maximo ſumma. Nam quanto reliquis antecellit beneficium, tanto illius memoria in animo accipientis grata recordatione verſari debet. Ob hoc Symmachus lib.7.Epiſt. 52. dicebat: *Officia tua reuera æquare non poſſum: ſpondeo tamen nunquam me cultu mentis, & affectione ceſſurum.* Quot beneficia Chriſtus Dominus in inenarrabili Euchariſtiæ, Sacramento cumulauerit, Concil. Trident. ſeſſione 13.c.2. narrat, cùm de hoc Auguſtiſſimo myſterio agens in hæc verba prorumpit. *Ergo ſaluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum.* Quid ergo pro tantis beneficiis ſumus reddituri? Profectò non aliud poſſumus, niſi nunquam nos cultu mentis, & affectione ceſſuros, accedentes ad hoc ſaluberrimum conuiuium magna animi puritate, abſque peccatorum ſordibus, & ipſum Chriſtum in nobis habentes, promittamus firmiter, manſuros in Chriſto.

Symmachus.

Tridentinũ.

39. Tranſierant filij Iſraël per Iordanem ſicco pede ſicut per arentem alueum ſtupentibus vndis ad præſentiam arcæ: & tunc ſic fatur Dominus ad Ioſuam: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide filios Iſraël in colle præputiorum*, Quid inde? *Fecerunt Phaſe quarta decima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho.* Quare non celebratur Paſcha ab Iſraëlitis ante trãſitum Iordanis, nec ante circunciſionem? & cur Paſcha circumciſioni ſuccedit? Quia Phaſe illud Chriſtum Dominum in Euchariſtia latentem figurabat: circumciſio, & tranſitus per Iordanem ſiccis, & mundis pedibus expiationem à peccatis. Dignè ergo celebratur Paſcha, hoc eſt, reuerenter accipitur Euchariſtia, cùm anima maculata peccatorum ſordibus in alueo cordis culpas tergit lachrymarum fluentis, & ſuperfluitatibus circumciſis munda ad tantum ſacramentum accedit. Sic Origenes homil.5. in Ioſue. *Vides ergo, quia nemo immundus facit Paſcha: nemo incircunciſus, ſicut Apoſtolus interpretatur, dicens: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

Ioſue 5.n.2.

Ibid.n.10.

Origenes.

Diuus Gaudentius tractat.7. dubitauit ingeniosè: cur Deus Mannæ pabulum diſtulit filiis Iſraël vſque dum profecti ſunt de Ægypto? Imò ſi Ioſepho lib.3.antiq.cap.1. fides eſt adhibenda, rem altiùs exaggerat aſſerens Mannæ ferculum non accepiſſe Iſraëlitas, donec quæcumque portabant ex Ægypto penitus conſumpſerunt. Quod ſatis ſacro textui conſonum eſt. Nam Exod. 16. refertur, famem ita dirè oppreſſiſſe Iacobeas familias, vt putarent. famſam vitam exhalandam in ſolitudine; & qualiter libenter venderent libertatem, vt à famis oppreſſione liberarentur. Suo quæſito reſpondet Gaudentius rem hanc in debitam reuerentiam Euchariſtiæ adumbratæ in Manna religiosè transferens. *Cùm verò*, inquit, *exieris de Ægypto huius mundi actu, vel corpore: Mannæ pabulo manducabis, panem cœli accipiens.* Quaſi diceret: vt dignè, & reuerenter ad Euchariſtiam accedamus, relinquenda eſt Ægyptus, hoc eſt, peccatorum cõuentus, & diſtractionis occaſio. Deuotè ſatis Gaudentius. Sed adhuc ſupereſt examinare Ioſephi aſſertum. Cur putauit (inquiro) Iſraelitas prorſus omnes cibos conſumpſiſſe? Dixi iam in ſacro textu ſufficiens eſſe fundamentum huius aſſerti: ſed myſteriũ oportet indagare. Cur Deus, qui tot mirabilibus præmiſſis populũ è dura Ægypti ſeruitute in manu forti, & brachio excelſo eduxit, in tantam anguſtiam paſſus eſt incidere, vt omne pabulum, quod ex Ægypto aſportauerãt, penitus conſumeretur? Quam aptè Hugo Card ad c.13. Ioan. referauit arcanũ! *Datum eſt eis Manna*, inquit, *per quod corpus Domini ſignificatur: & dicitur, quod non habuerunt Manna, quouſque defecit farina, quam aſportauerant de Ægypto, id eſt peccatum.* Tanta puritate ad ſacroſanctum altaris Sacramentũ eſt accedendũ, vt nec minutiſſimus culpæ puluis (de graui loquor) adeſſe debet in anima ſuſcipientis. Ideo tota farina, quam ex Ægypto aſportauerant filij Iſraël defecit omnino, antequam acciperent Manna: quia iſtud Chriſti Domini corpus præſignabat; illa peccatum. Quod eſt dicere: vſque dum à mortalibus mundemur per pœnitentiam, non licet ad ſacram menſam accedere. Nam ſi in Manna huius Sacramenti vmbra hoc exegit Deus: quanta cum puritate ad tantum Sacramentum debemus accedere?

40. Gaudentius. Ioſephus.

Gaudentius.

Hugo Card.

Maximum huius puritatis exemplum in Deipara puriſſima præbet Lucas cap.1.n.29. Mittitur Gabriel ad Mariam feliciſſima annunciaturus, & ad eam ingrediens, ſic exorditur ſalutationem. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Miratur Chryſologus ſerm. 143. & tanti arcani perterritus reuerentia, acuit intellectum, & ex verbis angelicis conſequentiam infert. *Miſſus eſt Angelus à Deo*, (vocis aureæ ſunt verba) *& quid dicit? Dominus tecum. Ergo erat cum Virgine, qui Virginem miſerat?* Erat ſanè. Si ergo erat Deus cum Maria, ad quid ex ſupernis mittitur Archangelus? Cùm Rex, Ducem, Marchionem, vel Comitem alteri Regi legat, ex eo eſt, quia procul ab eo diſtat. Nam ſi noctu, diuque inter duos reges familiariſſimus eſſet ſermo

41. Lucæ 1.n.29.

Chryſol.

ſuperflua,

superflua esset vnius ad alterum legatio. Quis hoc dubitet? cum præsentia regis nuncij non indigeat adiutorio. Cur ergo Deus mittit Archangelum ad Mariam, si à felicissimo suæ conceptionis momento candore gratiæ & gloriæ erat ornata; & præseruata à communi clade? Iamiam Deus erat in Maria, vt testatur Gabriel: ad quid ergo mittitur? Vel omittatur legatio, vel Dei reticeatur præsentia, & diuina habitatio cum Maria. Si Mariæ sanctitate, & pulchritudine allectus (ô bone Deus) in sinu Patris manens, descendis è cœlo, quin ab eo sis absens, pulchrius, & splendidius cœlum quærens in terra virginea, dicito salutationem, & excusabis legatum. Cur si eum mittis, præcurrens ei, iam es cum Maria, vt fatetur ipse? *Aue gratia plena: Dominus tecum?* Aut si Mariam in matrem prælegisti, quis de eius sanctitate, & gratiæ plenitudine poterit ambigere? Quare ergo Angelus rem satis perspicuam intonat voce clara dicens, gratia plena? Euentus ipse offert solutionem. Missus est Gabriel, vt salutaret Mariam, & tanti mysterij faceret certiorem, simulque ei annuntiaret, ex ipsa fore nasciturum, qui produxit ipsam. Sic apertè Lucas ibid.

Lucæ 1. n. 31 num. 31. *Concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Susceptura Deum prænonet. Ecce ergo, cur Angelus Mariam gratiæ plenam prædicat. Quia in ventris hospitio acceptura erat Dominum: & en etiam tibi, quare Dominus iam adest cum Virgine, cùm ab Angelo salutatur. In quo docemur, ad suscipiendum Deum, requiri, vt Deus ipse præexistat in nobis, qui præcessit in Maria ipsum susceptura. Breuiter, & profundè Chrysol. citatus præfata sensit, & illustrauit. *Ergo erat cum Virgine*, ait, *qui ad virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus.* Quasi dicat: Quia Maria Deum erat susceptura, præcessit nuntium suum Deus; vt Deo iam existente in Maria, suum generaret auctorem, & in suis visceribus clauderet, quem cœli capere non possunt. Docemur igitur per hoc, ad dignam sacræ synaxis susceptionem, debere in nobis Deum præexistere per gratiam, ita vt Deus sit in nobis præuia dispositio ad ipsum Deum sanctè, & reuerenter suscipiendum.

42. Hoc ornatu Deus ostendebat sanctificatum fuisse Pontificem, vt decenter, & religiosè in tabernaculo deseruiret: in quo non solùm sacerdotum commendauit reuerentiam, qua sacrificium offerre debent, sed etiam populares exhortatur, vt tali ministerio debitum cultum

Abulens. exhibeant. *Etiam* (inquit Abulensis quæst. 1.) *vt ipsi vulgares talium reuerentia admoniti, ipsum quod gerebatur, ministerium honorarent.* Sed cur tantus honor huic ministerio erat exhibendus? Ni fallor, quia in eo præsignabatur sacrificium Eucharisticum. Qui erat intra tabernaculum, quod non obumbraret Eucharistiam? Longum esset hoc probare. Simus ergo grati tanto beneficio: & quamuis nulla ex parte nostri possit esse gratitudo, quæ æquare valeat beneficiorum Eucharistiæ magnitudinem; tamen diuino auxilio adiuti reuerenter ad tantum conuiuium accedamus, ne datorem respuentes, ipsum beneficium afficiamur iniuria.

ILLATIO XXXV.

Ad sacram synaxim tanquam in Dei iudicio iudicandi; vel ad subeundam mortem; vel ad Dei fruitionem peruenturi, accedere debemus.

43. QVanti momenti sit in mortis periodo habere animi puritatem, nullus, qui de diuina iustitia, & benignitate bene sentiat, audebit dubitare. Ex morte enim æternitas vel in gloriam, vel in pœnam pendet. Tremendum instans, & incertum, cùm exitum ignoremus certum, cùm credamus ineuitabile! ob hoc Drogo Hostiensis lib. de Sacramento dominicæ passionis explicans illa verba Matthæi. 26. num. 38. *Tristis est anima mea vsque ad mortem,* Matth. 26. num. 38. ait: *Anima tristis est, quæ expectat mortis tribulationem: quis enim sciat, vtrum ad sinistram, an ad dexteram eat? Quis enim sciat, quomodo re-* Drogo Hostiens. *spondeat ad arguentem se, quando iudex sicut parturiens loquitur?* Propter hoc Isaias Abbas oratione 9. dicebat: *Ita viue, vt si diem agas quotidie vltimum, & non peccabis.* Isaias Abbas. Aurea sane verba, quæ in nostris cordibus sculpi, & nunquam aboleri, necesse erat! Tremendum, inquam, est mortis momentum, quod sequitur Dei iudicium; & post iudicium, aut gehenna æterna, aut requies in sempiternum duratura. Quis Dei iudicium non timet? Quis mortem non formidat? Quis scit, an ad dexteram, vel ad sinistram sit collocandus? Vndique metus, suspiciones vndique molestant. Quis animum suum non præparat, si mortis agitetur cogitatione; vt ad Dei hæreditatem perueniat? Non aliter oportet ad Eucharistiam accedere, ac si diem vltimum ageremus; & quasi in Dei iudicio iudicandi; & gloriam consequuturi. Singula gradatim confirmemus.

44. Prouerb. 23. num. 1. dicitur. *Quando sederis,* Prouerb. 23. num. 1. *vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo.* Caietanus hunc locum explicans sic ait. *Pones multitudinem cultrorum circa guttur tuum (hoc est, considerabis te tanquam positus sub multitudine gladiorum imminentium gutturi tuo.* Caietan. Sed vir sapiens comedentem cum principe admonet, vt se veluti sub multitudine gladiorum imminentium constitutum consideret, tanquam vitam agentem, & morti obnoxium? Præsentia principis timorem pellit. Ergo, qui cum principe recubat in magna videtur esse securitate. Quare ergo statuendus est gladius in gutture comedentis cum principe; aut cur recubans cum illo se debet considerare, quasi statim iugulandus foret? Fortassis hæc admonitio fit, vt pericula, quibus obsidentur aulici, & qui propius principibus adstant, explicentur. Sed aliam huius dubij expositionem nobis dedit Lyra ibidem, dicens: *Vt comedas cum principe, id est, in mensa principis.* Sed adhuc instо: cur tanta cura mensæ principis sit adhibenda? Aut quæ est hæc mensa potentis, quæ tantam præparationem exigat in comedente, ac si multitudinem gladiorum gutturi suo imminentium perspi-

ceret? D. Augustinus tract 46. in Ioannem, per hanc mensam intelligit ferculum Eucharisticum. Ecce iam reseratum arcanum. Cupiebat sapiens animos instruere ad dignam Eucharistiæ receptionem. Sicut enim capitali supplicio addictus, dum illud intuetur, animum præparat, vt feliciter migret è vita, magni faciens momentum mortis, à quo æternitas pœnæ, aut gloriæ pendet; ita qui ad sacram synaxim accedit, non minori cura se debet præparare. *Mensa potentis* (inquit Aurelius) *quæ sit, nostis, vbi est corpus, & sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam, præparet talia. Quid est, præparet talia? Quomodo ipse pro nobis animam posuit, sic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad asserendam fidem animas nostras pro fratribus ponere.* Puritas ergo desiderata in moriente, in conuiua potentis, hoc est, in suscipiente Eucharistiam debet reperiri, vt ad mensam tanti principis possit accedere. August.

Mortem sequitur tremendum Dei iudicium. Quare non solùm morientis puritate ad Eucharistiam debet homo accedere, sed vt rationem de suis operibus redditurus. Fallor si Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 11. num. 26. rem hanc non tetigit dicens: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quid est; *mortem Domini annunciabitis donec veniat?* Angelicus Doctor hæc verba exponens, sic ait. *Donec veniat, id est, vsque ad vltimum eius aduentum: in quo datur intelligi, quod hic ritus Ecclesiæ non cessabit vsque ad finem mundi.* Sed propius ad rem nostram accedit Hieronymus ad præfata verba Apostoli. *Donec veniat. Tandiu memoria opus est, donec ipse venire dignetur.* Quod est dicere: quotiescumque sacramentum Eucharistiæ sumimus, mortem Domini annunciamus, vt tanto beneficio non respondeamus ingrati, sed tanquam vitam agentes, sumamus sacram synaxim; & veluti seuerum iudicem expectantes timore, & reuerentia ad illam accipiendam accedamus, memoria semper retinentes illius æquissimi tribunalis rectitudinem. Mortem 45. 1. ad Cor. 11. n. 26. S. Thom. Hieron.

Tandem post mortem, & iudicium, in quo sententia lata est, vel mors æterna, vel fruitio Dei in perpetuum duratura subsequitur. Accede ergo ad sacrã Eucharistiam ita ab omni sorde mortali mundus, vt beari dignus existas, & summa illa felicitate, quæ in visione clara Dei consistit, gaudere, & in sempiternum perfrui valeas. Non enim assero ad dignam Eucharistiæ susceptionem tantam puritatem requiri, quantam ad fruitionem beatitudinis. Absit hoc. Nam scio, peccata leuia non impedire dignam susceptionem tanti Sacramenti, quæ tamen cælorum ianuam occludunt, vt dicitur Apoc. 21. n. 27. de cœlesti illa Hierusalem: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Quæ verba tam de grauibus, quàm de leuibus culpis intelligenda sunt: vtraque enim regni cælorum impediunt ingressum. Assero igitur ad recubandum cum Domino tantam dignitatem requiri, quantam, vt aliquis dignus sit visione Dei. Apparuit Deus Abrahamo sedenti in ostio tabernaculi sui in conualle Mambre: summis precibus Patriarcha Deum exorat, ne transeat seruum suum, sed maneat apud eum, requiescat sub vmbra arboris, lauentur pedes eius, & comedat buccellam panis, &c. Cui Deus acquiescens dixit: *Fac vt locutus es.* Gen. 18. n. 5. si inquiras cur tanta familiaritate apud seruum dignatus sit manere Dominus, & ab illo pasci se permittat? Puto id magno Dei consilio euentum. Sed audi Origenem homil. 4. in Genes. rem hanc sedulò expendentem. *Mambre in nuestra lengua,* inquit, *interpretatur visio, siue perspicacia. Vides, qui, & qualis est locus in quo Dominus potest habere conuiuium. Delectauit eum visio & perspicacia Abrahæ. Erat enim mundus corde, vt posset videre Deũ. In tali ergo loco, & in tali corde potest Dominus cum Angelis suis habere conuiuium* Deliciosè Dominus cum Abrahamo epulabatur; quia erat mundus corde, vt posset videre Deum, & in tali corde potest Dominus cum Angelis suis habere conuiuium. Sed quid habet visio Dei cum illo conuiuio, vt ex cordis candore colligat Adamantius dignitatem Abrahami ad intuendum Deum? Conuiuium illud teste Isidoro Hispalensi in quæstion. in Genes. c. 14. Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum prænotabat, nam sic ait de vitulo saginato, quem Deo obtulit Abraham in isto conuiuio: *Iste autem vitulus tener saginatus Domini Iesu Christi est corpus.* Ostendit ergo Origenes, ita mundum fuisse Abrahamum ad accumbendum cum Deo, vt eius beatifica visione perfrui posset. Ex hoc collige ad dignam Eucharistiæ susceptionem tantam requiri dignitatem, sicut ad Deum intuendum prærequiritur. Sic sic Deus dignè hospitatur, & in corde mundo cum Angelis suis celebrat conuiuium. Habes ergo, quanto timore, & reuerentia ad tantum Sacramentum accedendum sit. Genes. 18. num. 5. Origenes. Isidorus.

Ob hoc Deus Pontificem suum sacris vestibus ornatum in ministerio altaris desiderabat, vt sanctificatus ministraret ei. *In quibus sanctificatus ministret mihi.* Quibus docemur ad Sacrosanctum altare, nefas esse, sine puritate cordis, & animæ munditia accedere. Nam si ad illud, quod nostrum præsignabat, Deus requirebat sanctitatem in ministrante; ad Eucharisticum, in quo non vitulorum sanguis, sed immaculati agni, qui peccata mundi abstersit, immolatur corpus, & sanguis, quanto animi decore est accedendum? Profectò tanta puritate, ac si accedens esset moribundus, aut quasi strictissimo Dei iudicio iudicandus; & tandem vt dignus sit beari, & summa illa felicitate perfrui. 47.

ILLATIO XXXVI.

Qui Deo consecratur, totum se ei tradat, omni alterius rei curâ neglectâ.

QVam miserè erat, qui Dei consecratur cultui, si temporalium rerum laqueis irretiatur. Deo obsequia pura, immixta debent exhiberi: nam eius immensæ bonitati magnopere displicet, si apparens bonum terrenarum rerum summo illius bonitatis pelago admisceamus. Excribam verba Origenis homil. 24. super 48.

Numeros,

Origenes. Numeros, rem hanc altius explicantis. *Sancti enim dicuntur illi, qui ſe vouerunt Deo. Vnde & aries (verbi cauſa) ſi vouetur Deo Sanctus appellatur, quem tonderi ad communes vſus non licet. Sed & vitulus ſi deuotus fuerit Deo, Sanctus nihilominus appellatur, nec licet eum iugi in opus commune. Ex his ergo colligamus, quid eſt, hominem ſeipſum vouere Deo? Si te voueris Deo imitandus tibi eſt vitulus, quem non licet, humanis operibus deſeruire, nihil facere, quod ad homines, & ad præſentem pertineat vitam: ſed quidquid ad animam pertinet, & ad diuini cultus obſeruantiam, hoc agendum, & cogitandum tibi eſt.* Pulchra, & non prolixa verba, quæ ſemper religioſos, & Deo conſecratos oporteret in animo retinere.

49. Primo parenti vix in lucem edito prohibuit Deus eſum ligni ſcientiæ boni, & mali. Gen. 2. num. 17. *Ex omni ligno paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas.* Si ex omni ligno fructum carpere licebat, & etiam ex ligno vitæ (vt ait Lyra ad hunc locum) cur excipitur arbor ſcientiæ? Quid in hac arbore vidit Deus, ob quod Adamo illius eſum non permittat? Quid ſpecioſius, & melius hac arbore: quare igitur interdicitur hæc ſola? S. Thomas in cap. 2. Geneſ. putat, hoc præceptum homini fuiſſe impoſitum, quia tenebatur homo ſtatim diuino cultui mancipari. *Fuerunt*, inquit, *data iſta præcepta ſtatim, quia non erat ratio differendi, & debuit ad Dei cultum ſtatim ordinari.* Sed rurſus rogo: ſi homo ex ligno ſcientiæ comederet; an aliquid aduersùs talem ordinationem committeret, ſi abeſſet præceptum? Ni fallor, ex ipſo effectu, quem huius arboris fructus ferebat, poteſt colligi reſponſio. Arbor hæc boni, & mali præbebat ſcientiam, in quo effectu, vt patet, bonitatis, & malitiæ erat admixtio, quæ non congruebat viro Deo conſecrato, & ex toto animo intento, qualis fuit Adamus in illo ſtatu feliciſſimo innocentiæ. Ideo ergo huius ligni fructus interdicitur, quia in eo boni, & mali ſcientia coniungebatur. Vt igitur in homine ad diuinum cultum ordinatum huiuſmodi permixtio exterminetur; meritò arboris ſcientiæ prohibetur cibus, ne in eo, qui Dei ſe dedicauit obſequiis, vel mali reperiatur notitia.

Gen. 2. n. 17. S. Thom.

50. Sciebat callidus ille ſerpens, quantùm Deo diſplicet boni, & mali conſortium, quando mulieri perſuaſit huius arboris eſum. Sic illi dixit: *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* Geneſ. 3. n. 5. Non ita callidè vt cupiebat dæmon, videtur rem iſtam agere. Si mulierem in fraudem deducere deſiderat; cur eam mali recordatione perturbat? Faciliùs eam deciperet, ſi ſolius boni mentionem faceret. Quare ergo ſcientiam boni, & mali promiſit? Deinde; cur boni ſcientiam ſpondet, ſi ad malum adducere nititur mulierem? Ignoret bonum, vt ſolùm ad malum conuertatur, & deleatur ex eius memoria vel minima notitia boni, ne aliquando bonitatis ſuauitate allecta, malum deſerat, bonum inquirat. Quare (ô deceptor generis humani) boni ſcientiam promittis, cùm mali ſcholam in viſceribus mulieris totis viribus deſideras fundare? Deuotè Galfridus apud Tilmanum ad caput tertium Geneſ. *Ad ſcientiam boni, & mali* inquit, *nos prouocat inimicus: licèt malit nos malum ſemper, & malum, vel malum, & peius noſſe; videlicet malis initiis peiores progreſſus, peſſimum finem dare. Alioquin ſi bona nobis omnimodis diſſuadere non poteſt, prima eſſe maluerit, etiam in hoc ipſo ad exitum vitæ pergens & calcaneo magis inſidians.* O fera calliditas ſerpentis! Bonum promittit, vt ad malum alliciat. Mallet ſi poſſet ad peſſima homines falſis blanditiis pellicere, & omnino à via bonitatis retrahere; ſed quando aliter ei quam ſperabat, ea, quæ cogitauit procedunt, bonum malo admiſcet, vt per mali admixtionem ipſum bonum corrumpat. Habes hinc dæmonem non libenter mulieri ſcientiam boni promiſiſſe ſed vt ſcientiam mali daret; putans boni notitiam nihil profecturam, ſi cognitionem mali comitaretur. Ita hæc boni, & mali permixtio Deo diſplicet, vt fera illa peſſima bonum ſuadere non timeat, ſi bono malum videat conſociandum. E contra Deus ita in bono placet, vt ſi bonum malo permiſceri intueatur, illud reputat non bonum, ſed malum; & quod aliàs ſummopere placebat, propter mali conſortium incipit diſplicere. Galfridus

51. Chriſto Domino in cruce ſitienti vas aceto plenum propinarunt iniquitatis miniſtri. Ioan. decimo nono numero vigeſimo nono. *Illi autem ſpongiam plenam aceto hiſſopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Matthæi vigeſimo ſeptimo numero trigeſimo quarto ſic exponit rem hanc: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum guſtaſſet noluit bibere.* Mirabilie eſt Chriſtum in cruce ſitientem guſtaſſe vinum, & non bibiſſe. Sitienti nulla eſt amara potio: bibito, Domine, ſi non vt vincas ſitim, ſaltem vt palatum refrigeres. Quare renuis bibere, libans potum? D. Ambroſ. in cap. 23. Lucæ quæſtionem diſſoluit putans; ideo Dominum labia à vino auertiſſe, quia erat cum felle mixtum, in quo bonitatis, & malitiæ admixtio præſignabatur. *Acetum* (inquit Mediolanenſis antiſtes) *bibitur, vinum cum felle mixtum non bibitur: non quia fel, ſed quia admixtæ vino amaritudines recuſantur.* Plus Domino quàm fel diſplicet, fellis, & vini admixtio: hoc eſt: boni, & mali conſortium plus diſplicet, quàm malum. Ioan. 19. n. 29. Matth. 27. num. 34. Ambroſ.

52. Sanctificatur Aaron ſanctarum veſtium ornatu, vt altaris exerceret miniſterium: *In quibus ſanctificatus miniſtret mihi.* Seu vt Lyra, & Sa legunt: *Vt conſecratus miniſtret mihi.* Septuagin. *Ad ſanctuarium:* quaſi diuino cultui addictus. A capite vſque ad pedes ornatur Pontifex, vt ſciat, qui Dei conſecratur altari, totum ſe Deo conſecrandum, & ſæcularium rerum curis ſibi non licere deſeruire. Lyra. Sa. Septuagint.

ILLATIO XXXVII.

Deuotus animus ita in Dei ſe tradat ſeruitutem, vt non ſolùm ſeipſum, ſed & omnes ſenſus à tanto obſequio retrahi non permittat.

53. PLuries in ſacro eloquio inter alia Deus zelatoris cognomine inſignitur. Sic Exod. 20.

Exod.10. num.5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Ex Exodo trigeſimo quarto numero decimo quarto. *Dominus Zelotes nomen eius, Deus eſt amulator.* Lyra ad caput vigeſimum Exodi hoc attributum, propter amorem, quo Deus filios Iſraël proſequebatur, aſſumptum putat. *Zelus*, inquit, *propriè ſignificat amorem viri ad vxorem, in qua non patitur alium communicare, & hoc modo dicitur Deus Zelotes, quia non vult, quòd homo fornicetur cum Diis alienis per idololatriam.* Sed Origenes homil.8. in Exod. circa finem, aſſignato diſcrimine inter animam, quæ proſtituta eſt dæmonibus, & habet plures amatores, vt intrent ad eam, modò ſpiritus fornicationis, modò auaritiæ, modò ſuperbiæ, & alios, & à ſuis amatoribus nullam patitur zelotypiam, & inter animam à Deo dilectam, ſic de iſta loquitur. *Si verò coniuncta fuerit viro legitimo, id eſt, Chriſto* (inquit apud Gloſſam ad c.20. Exodi) *etiamſi aliquando fuerit peccatrix, vltra eam peccare non patitur, nec ferre poteſt, vt alludat adulteris, excitat ſuper eam zelus eius, & defendit coniugij caſtitatem. Si autem viderit eam temerantem coniugij iura, & occaſionem quærere peccandi, dat ei libellum repudij.* Quaſi diceret: Tanto amore erga animas ipſi dicatas ardet Deus, vt in eis quidquid auertere ab ipſo poteſt, penitus exterminet; aliàs zelotypia accenſus tanquam temeratis dat eis libellum repudij. Quamobrem anima, quæ Dei cultui conſecratur, vt placitum Deo præſtet obſequium, totam ſe ita tradere ſtudeat, vt omnes ſenſus, nec leuem viſum, nec capillum capitis ad terrenarum rerum curam diuertere audeat.

Lyran.

Origenes.

53. Victoria parta contra Madianitas principes exercitus Iſraël pretioſam ſupellectilem ex præda captam obtulerunt Moyſi dicentes: *Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum.* Numer. 31. num. 49. Quibus acceptis Moyſes, & Eleazarus intulerunt ea in tabernaculum teſtimonij. Sed cur duces populi omnem ſuppellectilem obtulerunt, quæ capitis, colli, gutturis, manuum, digitorum, & aurium erat ornamentum? Speciosè Origenes homil.20. in Numeros reſpondet, ideò id factum, quia munera illa ſummo Deo offerebantur. *Iſti ſunt*, inquit, *qui auri plurimùm pugnando ceperunt, & omne aurum, atque omne ornamentum ſiue capitis, ſiue brachiorum, ſiue etiam digitorum, id eſt, quidquid in intellectibus, quidquid in operibus habent Deo offerunt.* Per iſtos duces, & bellatores, qui Deo aureas manubias offerebant, viri Deo dicati præſignabantur. Vt ergo apertè conſtet, qualiter Deo offerri, & conſecrari deberent, non ſolùm annulos, qui ad digitos ornandos; nec tantùm dextralia, quæ ad brachia; aut murenulas, quæ ad aures, videntur ſpectare: ſed inſuper omnem ornatum capitis, & intellectus in Dei cultum conſecrandum fore. Quaſi nihil ſit, vel leuis imaginatio, in viris Deo deuotis, quod ipſi non conſecretur. Nihil, quod ſæcularium rerum cultui videatur deſeruire.

Numer.31. h.49.

Origenes.

Saucius amore ſponſæ vocibus cordis amoris vulnera celebrat ſponſus, & languens, & penè excors ex oculorum vel etiam minimo, & furtiuo aſpectu eius, & ab vno crine ad collum fluctuante inflictum vulnus exponebat Cantic. quarto numero nono dicens: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Sed cur ſponſus tantæ pulchritudinis ſponſæ oblitus, in vno oculo, & in vno crine ſe ſaucium manifeſtat? Speciosam valde, & totam pulchram ſponſam prædicauerat, ibidem numero ſeptimo: *Tota pulchra & amica mea, & macula non eſt in te.* Si ergo tota ſpecioſa eſt: cur ex vno oculorum eius emiſſam ſagittam intima cordis vulneraſſe, & animam ex vno crine pendentem, vel quaſi in eo æreis vinctam compedibus amatoriis verbis prædicat? Si cum primum vidit amaſiam in profundum incidit amorem: cur vel leui vnius oculi aſpectu vulnerari, & non ab vtroque oculo collimante puella pulchris infixum ſagittis excordiatum non ſe dubitat patefacere? Cur non ab ambobus oculis, ſed ab vno tantùm vulnerari dicitur? An quia alter oculus non eſſet pulcher, aut lippitudinis dedecorè afficeretur? Abſit hoc, cùm tota prædicetur pulchra. Cur ergo ab vno oculo, & non ab ambobus vulnus infligitur? Et quare in vno crine vulneratur, ſi in totam cæſariem ſolis radios ſuſpicabatur tranſmiſſos? Tota coma arcus erat, & pharetra. Ergo non ab vno crine ſed ab omnibus vulnerari, & quaſi ſagittis confodi, ſibi videbatur ſponſus. Cur ergo ab vno crine, & non à tota coma vulnerari, & excordiari, dicit? Profectò non ob id ſponſus in vno oculorum, & in vno crine ſponſæ vulneratum ſe prædicat; quia alter oculus pulchrior ſit altero; aut ille crinis maiori gaudeat ſpecioſitate (deformitas enim eſſet, ſi ſponſæ oculi eſſent inæquales in pulchritudine, aut ſi crines omnes non æqualiter amaſij præcordia vulnerarent) ſed quia oculorum munus ita indiſcretum erat, vt nec furtiuo aſpectu ad alia prærer ſponſum tenderent. Duo erant oculi ſponſæ æquali perfectione, & pulchritudine ditati, ſed ita intenti in ſponſum, vt non duo, ſed vnus videretur. Sicut enim contingit ſagittario, qui vt directius ſcopum attingat, vnum claudit oculum: ſic ſponſus pulcherrimas ſponſæ dotes celebrans, ſe vulneratum dicit in vno oculorum eius, quaſi dicat: ſic cor meum tibi feriendum poſuiſti, O dilecta, ſicque in directum ſagittas collineaſti, quaſi altero oculo clauſo omnem aberrandi occaſionem amoueres, vt ſolùm in me conſpiceres, ad omnia alia nec vel minimum viſum diſtrahendo. Non aliter in vno crine vulnerari dicitur, hoc eſt, omnes in tænia illaqueati, videtur vnus ſolius ſponſi obſequio deſtinatus. Sic ſic anima Deo dicata, Dei amaſia obſequium præſtare debet, vt nec furtiuum aſpectum, nec ſubtiliſſimum pilum habere deſideret, quem Deo ſponſo firmiter non deuoueat. Audi Anſelmum ad hunc locum proclamantem. *Vulneraſti, dico, in vno oculorum, id eſt: quia vniuntur in me vnâ conſpiciendo, & inquirendo illi, qui ſunt in te oculi,*

54. Cant.4.n.9.

Ibid.n.7.

Anſelmus.

oculi, & ſimiliter illi, qui ſunt crines tui. Sponſa duos æquali præditos pulchritudine habebat oculos, ſed ita in Deum intentos, vt vnâ conſpicerent, ad nulla alia viſum conuertentes. Similiter & plures habebat crines, ſed in vnum collectos, & religatos; ita vt nullus eſſet, qui Dei obſequio non eſſet deuotus. Quis iam mirabitur, ſponſum ab vno oculo, & ab vno crine ſponſæ vulnerari? Nam ita delectatur Deus, cùm conſpicit, animam eius obſequio mancipatam, omni terrenarum rerum cura immunem, & ſoli ipſi deſeruientem, vt ſe vulneribus plenum, & amoris ſagittis confoſſum prædicare non erubeſcat.

55. Hanc eſſe viam regalem, quæ ducit ad Chriſtum, non tacuit ipſe, cùm per Matthæum c. 7. n. 14. clamitet. *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Sed cur porta illa, quæ ad vitam ducit, peranguſta dicitur, & via, quæ tendit ad eam prædicatur arcta? D. Gregor. in catena S. Thomæ ad hunc locum ſatis aptè dubium abſoluit, cùm ait: *Satis angustum est omnia prætermittere, vnum solum Deum diligere, prospera non ambire, aduersa non timere.* Pulchrè ſanè. Sed videamus, quænam ſit hæc via? Quænam hæc porta? Et quænam hæc vita, ad quam tot anguſtiis petueniendum eſt? Explicuit Ioan. c. 10. n. 9. de Chriſto Domino. *Ego sum ostium.* & cap. 14. n. 6. *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Iam non miror anguſtam eſſe portam, & arctam viam, quæ ducit ad Chriſtum. Nam ſic ſolus Chriſtus diligendus eſt, vt nullius rei cura ſæcularis tam ingenuo amori permittat admiſceri. Ad rem D. Gaudentius tract. 18. *Quoniam verò arcta, & angusta via est, quæ ducit ad vitam; oneratos diuitiarum terrestrium facibus ingredi per illam non capit.* Omni cura terreſtium deſpecta diligendus eſt Chriſtus: meritò ergo arcta eſt via, quæ ducit ad eum, vt animus diligentis, & Deo deuotus non ſit ad alia diſtractus, ſed totus in tanti amoris flamma combuſtus, purgatus ab omni terreno affectu, transformetur in Deum.

Matth. 7. num. 14.

Gregor.

Ioan. 10. num. 9. Ioan. 14. n. 6.

Gaudentius.

56. *In quibus sanctificatus ministret mihi.* Quaſi dicat. Sacerdos, vel animus Deo deuotus ſic debet ſanctificari, & Dei conſecrari obſequio, vt totus ſit Deo, ita vt non ſolùm ſeipſum in Dei ſe tradat obſequium, verùm omnes ſenſus, cogitatus, & opera in diuinam redigat ſeruitutem.

Verſ. IV. Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, Cidarim, & baltheum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. HVc vſque ſacer textus veſtes, & ornatum Aaronis vniuerſim; & confuſè propoſuerat in hoc verſu iam ſpeciatim annumerat, ſed non omnes, nec ſecundùm ordinem, quo induebantur ab eis, ſed ſecundùm excellentiam eorum. Nam ordo induendi talis erat, vt notauit noſter Abulenſ. q. 5. c. 28. Exodi. Primò cùm ſacerdos ad quodlibet accedebat miniſterium, lotis, manibus, & pedibus induebat femoralia, vt conſtat Exod. 29. & 30. ſecundò induebat tunicam lineam byſſinam. Tertiò; ſi erat Pontifex ornabatur tunica hyacinthina habente mala punica, & tintinnabula in extremitate per gyrum. Quartò ſuperhumerali, & Rationali iudicij, & inter hos ornatus nullus ordo erat prioritatis, cùm eſſent catenulis colligati. Sextò baltheo ſe cingebat Pontifex. Septimò redimiebatur Cidari. Octauò ſuper Cidarim Tiara, ſeu mitra Pontificalis imponebatur. Nonò ſuper frontem Pontificis pendebat lamina aurea. Si autem eſſet minor ſacerdos, lotis manibus, & pedibus iuxta magni ſacerdotis exemplum induebat femoralia: deinde ſupra veſtes ſuas communes tunicam ſtrictam lineam byſſinam. Tertiò cingebatur baltheo. Quartò imponebatur capiti Cidaris, vel Mitra linea. Ex quibus apertè conſtat ſacrum textum non ſeruaſſe ordinem prioritatis, ſed excellentiæ, quando in hoc verſu agit de veſtibus. De his ſigillatim infrà nobis tractandum eſt, quare hîc ſuperuacaneum eſſet de illis inſtituere ſermonem, agemus tamen in genere aliqua notatu digna quæſtionibus ſequentibus.

Abulenſ. Ordo inter veſtes. & ornatum Aaronis.

QVÆSTIO VII. Litteralis.

Quibus veſtibus ſummus ſacerdos, & quibus inferiores ſacerdotes induerentur.

2. OPeræ pretium duxi, vt faciliùs quæſtionem diſſoluamus, aſſignare diſcrimen inter Pontificem, & inferiores ſacerdotes veteris Teſtamenti, Leuitas, Nathinæos, Nazaræos, ſcribas, & Phariſæos. Pontifex ergo erat ſummus ſacerdos de familia Aaronis, & tribu Leui: inferiores ſacerdotes ſimiliter de eadem tribu, & familia. Vt conſtat ex noſtro capite vigeſimo octauo Exodi. & ex capite decimo octauo numero ſeptimo Numerorum, vbi ſic Dominus dixit ad Aaronem. *Tu autem, & filij tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur.* Secundùm Abulenſem quæſt. 3. ad præfata verba, & Riberam lib. 3. de ſacerdotibus, & veſtibus ſacerdotalibus cap. 3. quinque erant miniſteria ſacerdotum. Primum immolatio ſacrificiorum, quæ fiebat extra tabernaculum in ipſo atrio tabernaculi, & poſt templi fabricam in atrio ſacerdotum. Secundum erat oblatio panum propoſitionis ſuper menſam quæ ſita erat in exteriori parte tabernaculi ad latus ſeptentrionale, vt patet Exod. 26. num. 34. Tertium

Number. 18. num. 7.

Munera Pontificis, & ſacerdotum.

tium erat compositio lucernarum in candelabro, quod erat in eadem parte tabernaculi ad latus Meridianum contra mensam propositionis. Ibidem numero 35. Quartum oblatio Thymiamatis in altari aureo, quod erat ante Sancta Sanctorum, & fiebat quotidie, manè, & vespere. Exod. 30. num. 7. & 8. Vbi nota cum Ribera loco citato, quod quanuis sacer textus ibidem num. 7. dicat: *Et adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans manè:* Ex quo colligi videtur, hoc solum Pontifici, & non inferioribus licuisse sacerdotibus: hîc per Aaronem etiam minores sacerdotes possunt intelligi, cùm paulò post sacer textus num. 19. dicat: *Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo Thymiama domino, ne fortè moriantur.* Et 1. Paralipom. cap. 6. num. 49. dicitur: *Aaron verò & filij eius adolebant incensum super altare holocausti, & super altare Thymiamatis in omne opus Sancti Sanctorum.* Quintum ministerium erat introire in Sancta Sanctorum ad aspergendum sanguinem hirci. Hoc solum erat proprium Pontificis, reliqua etiam minorum sacerdotum. Intrabat enim summus Pontifex solus, & semel in anno in die expiationis, quæ fiebat decima die mensis septimi, vt habetur Leuit. 16. num. 29. Porro tam Pontifex quàm minores sacerdotes immolabant vitulam rufam extra castra. Numer. 19. & leprosos mundabant. Leuitic. decimo tertio & decimoquarto. Hæc solis sacerdotibus licebant.

Exod. 30. num. 7.

Ibid. n. 19.

1. Paralip. 6. num. 49.

3.

Tota tribus Leui erat Deo consecrata, vt in tabernaculo, & templo ministraret. Constat ex cap. 3. & 4. Numeror. Deinde fuit diuisa in duos ordines; alterum sacerdotalem, in quo tam summus sacerdos, quam minores continentur; & alterum purè Leuiticum. Illum iam diximus maioribus cærimoniis initiari solitum, & sacrificiis peragendis destinari: hunc minoribus consecrari ritibus, & inferioribus tabernaculi, & templi ministeriis exerceri, vt patet ex cap. 18. Numer. & ex Abulensi ibidem & quæst. 10. in cap. 23. lib. 4. Regum in qua refert omnes differentias sacerdotum veteris legis. Primus igitur ordo solùm ad Aaronem, & ad filios eius pertinebat: secundus ad reliquam tribum Leuiticam. Munus Leuitarum exprimitur cap. 8. Numer. num. 24. his verbis. *Hæc est lex Leuitarum: à viginti quinque annis, & suprà ingredientur, vt ministrent in tabernaculo fœderis. Cùm quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non facient.* Lyra hîc dubio occurrit, dicens: Tunc ingrediebantur ad discendum officia, sed trigesimo anno instituebantur ministri, vel repellebantur, vt dictum est suprà. Id est, in cap. 4. Numeror. ita etiam Abulens. in hunc locum. quæst. 3. Ribera lib. 3. de sacerdotibus cap. 1. Barradas lib. 3. cap. 54. Quæ autem fuerint Leuitarum functiones apertè ex cap. 4. Numer. constat. Custodiebant vasa tabernaculi, portabant illud, quando mouebatur, cortinas atrij, velum, quod erat in introitu, & omnia, quæ ad altare pertinebant, funiculos, & vasa ministeriis, tabulas tabernaculi, vestes eius, columnas, ac bases earum, & omnem eius suppellectilem, secundùm ministerium diuersarum familiarum. Illicitum tamen erat illis videre aut tangere vasa, & reliqua, vt habetur Numer. 4. num. 20. Sed inuoluta accipiebant, custodiebant, & portabant. Initiatio Leuitarum refertur. 8. Numer. num. 6. his verbis: *Tolle Leuitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos iuxta hunc ritum Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ, cùmque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint,* &c. Per aquam lustrationis intelligitur illa, cui cineres vaccæ rufæ pro peccatis combustæ infundebantur, & aspergebantur, qui erant immundi, vt mundarentur. Numer. 19. His consecrabantur Leuitæ vt tabernaculo, & sacerdotibus deseruirent, ex quo apertè constat discrimen inter ipsos, & sacerdotes.

Leuitarum munus.

Numer. 8. num. 24.

Numer. 8. num. 6.

Alij erant templi ministri sacerdotibus, & Leuitis inferiores de Gabaonitarum genere iuxta cognomen à Iosue illis impositum cap. 9. num. 23. & 29. Quibus onus erat cædendi ligna, & portandi aquam in ministerium tabernaculi, vt ibi num. 23. dicitur de his: *Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Hi appellabantur Nathinæi à verbo, *natham*, hoc est, *donare*: quasi donati ad prædicta ministeria exercenda in pœnam fallaciæ, quam struxerant. Quare D. Ambros. lib. 3. officiorum cap. 10. dixit: *Mulctauit eos Iosue vilioris obsequio ministerij: clementior sententia, sed diuturnior.* Aliqui putant his Nathinæis, seu donatis, qui in tabernaculo seruiebant, respondere nunc in ordinibus regularium eos, qui donati, seu conuersi appellantur, & temporalibus in religione ministeriis funguntur. Hugo de Sancto Victore lib. de Sacramento altaris cap. 5. D. Isidorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 10. Rabanus lib. 1. de institutione Clericorum cap. 8. & auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem quæ est 13. tom. 9. cap. de 4. gradu Ecclesiæ, putant in Ecclesia, & in nouo testamento ordinem subdiaconatus respondere Nathinæis, qui in templo humiliter seruientes esse dicebantur, ex quorum ordine censent fuisse Nathanaëlem, eo quòd vt constat ex 1. Esdræ cap. 8. Nathinæi erant ministri domus Domini, imo dicuntur dati à Dauide ad ministeria Leuitarum. Idem docuit, Isidorus lib. 8. etymologiarum cap. 12. quod est de Clericis: refertur ad litteram liber ille de diuinis officiis Isidori in Concilio Aquisgranensi. 1. sub Ludouico Imperatore, & idem ex ipso desumpserunt Rabanus loco citato. Magister in 4. dist. 24. *cap. Quintus est.* Et Gratianus canone, *Cleros*, dist. 21. 6. *Hypodiaconis.* & Beda in illud 1. Esdræ c. 2. *Numerus virorum.* Horum autem sententiâ, quod attinet ad comparationem hypodiaconorum cum Nathinæis sequitur Michaël de Medina. lib. 1. de continentia cap. 40. quia in sacro eloquio Nathinæi semper iuncti Leuitis nominantur, quasi ipsis

4. Nathinæi, & eorum munera.

Iosue 9. n. 32.

Ambros.

proximè

proximè in templo miniſtrarent, & oblationes à populo ſuſciperent, ſicut etiam nunc Subdiaconi. Sed Medinæ opinionem difficilem putat quoad dictam comparationem Subdiaconorum cùm Nathinæis Pater Gabriel Vaſquez 3.part. diſput. 236. cap. 3. num 35. Quia vt notauit Lyranus in cap. 1. Eſdræ, Nathinæi erant, qui ſeruiebant ad deferendam aquam, ligna, & alia neceſſaria pro miniſterio Leuitarum. Idem tenet Ioannes Turrecremata in Canonem, *Cleros* 21. diſtinct. §. *ad ſextum*, num. 62. Et hac ratione non potuerunt eſſe miniſtri intra ipſum templum, ſicut erant ianitores, & cantores. Quod multis probat Vaſquez loco citato. Quare miniſterium Nathinæorum erat, quod notat Lyranus, id eſt erant ſerui, & mancipia ſacra ad prædicta opera inferiora.

5. Nazaræi, & eorum miniſterium.

Inter templi miniſtros annumerantur ab Innocentio libro 1. de ſacro Altaris myſterio, capite ſexto, Nazaræi, imò inter minores Sacerdotes eos refert. Sed vt perdoctè notat Ribera loc. cit. c. 4. minimè Nazaræi ad Sacerdotes pertinebant, neque ad Tribum Leui, cùm ex quacumque Tribu eſſe poſſent, ſicut Samſon, qui erat ex Tribu Dam, & fuit Nazaræus Iudic. 13. Nazaræus idem, quod ſeparatus, ſegregatus, coronatus, à verbo, *Nazar*, hoc eſt, *ſeparare*. Vnde nomen, *Nezer*, ſignificat ſeparationem, conſecrationem, & coronam. Horum antiquitas multas annorum centurias ante ingreſſum in terram promiſſionis floruit, vt putauit Oleaſter ductus ex eo, quòd Iacob Geneſ. 49. num. 26. Ioſephum appellauerit Nazaræum. Alij in deſerto cum ipſa lege inſtitutos autumant. Nazaræi igitur ſe totos in diuinum cultum mancipabant. Et hoc erat votum cæteris excellentius, & per anthonomaſiam magnum dicebatur, vt patet Numer. 6. num. 2. *Vir, ſiue mulier cùm fecerit votum, vt ſanctificentur*, &c. Vbi Septuaginta transferunt, *Cùm magnum vouerint votum*. Cuius appellationis rationem reddens Philo Hebræus libro de ſacrificiis ait: *Nazaræus ſeipſum dedicat; ideo magnum hoc votum appellatur. Nihil enim quiſquam poſſidet ſeipſo pretioſius, qua poſſeſſione iunc ceditur*. Sed ſi plura cupias de Nazaræis legito doctiſſimum P. Franciſcum de Mendoza in lib. 1. Regum, cap. 1. num. 11. annotat. 10. circa litteram, ſect. 1. per totam, vt Nazaræorum leges latè, ſed non infructuosè affert. Prima lex erat, vt à vino, & ab omni re cum vino cognationem habente abſtinerent, ex 6. Numeror. à num. 3. Secunda lex, vt ab omni funerea contage procul eſſent: ne tangerent, ne aſpicerent, ne appropinquarent ad mortuos, etiam in primo gradu coniunctiſſimos. Numeror. 6. à num. 6. Tertia lex traditur ibidem, num. 5. Vt Nazaræi intonſi eſſent, & nouacula ſuper capita eorum non tranſiret. An verò hoc de ſola cæſarie, quæ eſt capitis coma, vel etiam de barba intelligendum ſit, in littera non exprimitur. Quarta, & vltima lex eos obligabat ad quædam ſacrificia: ſemel quando contingebat pollui Nazaræum; & iterum quando Nazaræatus abſoluebatur.

Numer. 6. n. 2.

Septuag.

Philo Hebr.

Nazaræorũ leges.

6. Scribæ, & Phariſæi, & eorũ officia.

Scribæ, & Phariſæi non debent inter Sacerdotes annumerari, nec inter miniſtros templi, quoniam ex omni Tribu eſſe poterant. Hi erant ad Scripturam interpretandam, populumque erudiendum inſtituti, Phariſæi dicti ſunt à verbo, *pharas*, per *ſade*, hoc eſt, *diuidere*, quod ſe à reliquis tanquam iuſtos ab iniuſtis ſepararent. Vel à verbo, *pharas*, per *ſamech*, quia gloriarentur clauem ad aperiendas Scripturas habere. Scribæ erant modeſtiores, quod cum ſapientes dicerentur, vt teſtatur Diuus Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 10. tamen ipſi, ſi verum refert eorum quidam, *thalmidim*, hoc eſt, diſcentes potiùs, quam ſcientes dici maluerint. Nihilominùs ipſi euanuerunt in cogitationibus ſuis. Legiſperiti appellantur Scribæ ex officio docendi populum. Qui multa deſideret legat Patrem Franciſcum Ribera loco citato, capite quarto: nobis, prout ad præſens attinet inſtitutum, ſat eſt, horum munera aperuiſſe, vt Pontificis, & Sacerdotum conſtet excellentia.

7. His prænotatis, dicendum primò exiſtimo; quaſdam eſſe veſtes Pontifici, & Sacerdotibus communes. Hæ ſunt quatuor, nempe, femoralia, aut fœminalia, quæ induebant lotis manibus, & pedibus: tunica linea byſſina: deinde baltheus: & tandem cidaris, aut mitra. Hoc manifeſtè conſtat ex hoc cap. 28. num. 40. & ibidem Interlinealis, & Lyra. Docuerat id Ioſephus lib. 3. antiq. cap. 8. Sic etiam tenent Diuus Hieronymus tom. 3. epiſt. 128. ad Fabiolam. Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad decimum. Arnoldus Carnotenſis tract. de vltimis verbis Domini. Abulenſis hîc quæſt. 5. Ribera lib. 3. cap. 9. Chriſtophorus de Caſtro in Sapient. cap. 18. num. 3. & communiter interpretes.

8. Secundò dicendum puto, Aaronem, & in Pontificatu eius ſucceſſores præter præfatas veſtes vſos fuiſſe aliis ſibi propriis in miniſterio altaris. Induebatur ſummus Sacerdos tunica hyacinthina talari habente per gyrum in extrema parte ad pedes mala punica, & tintinnabula: ſupra hanc induebat Ephod, vel ſuper humerale, cui adiunctum, quibuſdam catenulis aureis erat Rationale ſeptimum ornamentum. Octauo loco, licèt ſuper tunicam talarem erat baltheus (an verò ſit à primo diſtinctus ſuo loco dicemus,) Deinde ornabatur cidari, vel tiara. Vltimò è tiara pendebat lamina aurea vittis hyacinthinis ligata, in qua erat ſcriptum Nomen Dei ineffabile, vt totam pulchritudinem Sacerdotis ſummi Dei vocabulum coronaret, & protegeret, vt notauit Hieronymus citatus.

9. Tertiò, Dicendum eſt, nullam fuiſſe Leuitis veſtem ſacram, ad ſui muneris exercendas functiones. Has enim habere ſolis Sacerdotibus fuit conceſſum. Hoc mihi certum videtur. Quia ſi ad miniſterium Leuitarum eſſet aliquis ornatus ſpecialis, & Sacer, ſignaretur ab Scriptura, ſicut veſtes Pontificis, & Sacerdotum deſignantur in hoc cap. 28 & Numer. 8. vbi de Leuitarum agitur initiatione, nec verbum de veſtibus habetur, nec eas indui præcipitur, ſicut ſancita eſt lex de veſtibus Sacerdotum in eorum conſecratione Exod. 29. Ergo ſignum euidens eſt, Leuitas pro ſuo munere exercendo nullas habuiſſe veſtes.

10. Contra hoc assertum opponi potest, quod 1. Reg. 2. num. 18. dicitur: *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.* Et quod 2. Paralip. cap. 5. num. 12. refertur de Leuitis. *Filij, & fratres eorum vestiti byssinis.* Et Iosephus lib. 8. antiquitatum, cap. 3. Refert Salomonem Leuitis ex byssо stolas ducenta millia fabricasse. *Item*, inquit, *stolas Leuitarum hymnos canentium, ex byssо ducenta millia.* Ergo Leuitis aliqua erat specialis vestis ad suum munus exercendum: aliàs frustra tot præparatentur stolæ. Hæc solum specimen difficultatis præseferunt; re tamen penitius examinata, nec vmbra difficultatis remanebit. Nam ad illud, quod dicitur de Samuële respondere licet, vel Samuelem inter summos Sacerdotes annumerandum fore, multorum Patrum testimonio roboratur: aut indutum fuisse illud Ephod lineum, non quia Leuitico ministerio esset consecratum, sed vti etiam laicis erat permissum, quemadmodum de Dauide dicitur 2. Regum 6. num. 14. qui totis viribus saltabat ante Dominum accinctus Ephod lineo; & tamen Dauid nec Sacerdos erat, nec Leuita. Nec præfata verba Paralipom. nos vrgent. Nam licèt ibi, vestiti tunicis byssinis referantur Leuitæ, huiusmodi vestes non erant consecratæ, nec eis fuerunt concessæ, quà Leuitis, sed quia aliquam functionem exercebant in templo, sicut laicis permittebantur, quoquo modo in templo deseruirent, vt perdoctè docet Ribera lib. 3. cap. 5. & 10.

1. Reg. 2. n. 18

2 Paralip. 5. n. 12.

Iosephus.

11. Iosephus libro sexto de bello Iudaico, capite sexto, præter annumeratas vestes Sacerdotis summi, aliam refert, quam ipse ambitiosam vocat. Hanc induebat Pontifex cùm extra tabernaculum moraretur, vt adhuc extra illud inter reliquos esset notus. Quod mihi satis congruum videtur; præsertim cùm litteræ nostri textus non opponatur: & insuper satis credibile sit. Nam in lege Euangelica, Clerici, & Episcopi præter sacras vestes, quibus dum sacrificia offerunt, ornantur, aliis vtuntur honestis, vt à laicis discernantur in habitu, & vestibus. Deinde, quia vt Diuus Hieronymus in citata Epistola ad Fabiolam asserit, Iosepho, qui erat de genere Sacerdotum, & ocularis testis (nam eius ætate adhuc extabat templum, & Titus, & Vespasianus nondum Hierosolymam subuerterant) multum fidendum est. Iosepho consentit Abulensis hic quæstione secunda in principio, forsan ductus authoritate Hieronymi: quamuis Rabbi Salomon, & alij Doctores Hebræi litteram sequentes nouem tantum vestes agnoscant. Sed hoc dissidium facilè sedatur: nam Sacer textus solùm vestimenta sacra refert, Iosephus autem præter hæc vsuale, quod Pontifex extra tabernaculum gestabat, addidit. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad decimum, affirmat tantùm octo Pontificis ornamenta. Sed hoc forsan fuit, quia putaret, Cidarim Sacerdotum, & Pontificis vniformè fuisse in vtrisque, licet in tiara Sacerdotum nec essent vittæ hyacinthinæ, quibus stricta lamina aurea pendebat in fronte Pontificis. Sed horum examen fiet, cùm de singulis agemus speciatim, nunc solùm affero, secundùm diuersam supputationem plures, aut pauciores esse vestes assignandas. Nam si duplex est baltheus, aut non simplex Cidaris, plures vestes inuenientur: sin autem, constans erit sententia Sancti Thomæ. Sed hoc latiùs suis locis dicemus.

QVÆSTIO VIII. Litteralis.

Quo tempore, & quibus in locis fas erat Pontifici, vestibus vti sacris?

12. Descriptio tabernaculi.

FVnctiones Pontificis in ministerio Sacerdotali intra ambitum tabernaculi exercebantur, & post templi consecrationem intra illud. In tabernaculo erat atrium discoopertum, in quo situm erat altare holocaustorum, nempe quædam ara ex lignis sethim constructa iussu Dei sacras Hostias offerendi causâ, quinque cubitis longa, ac totidem lata, hoc est, quadrata superiori, & inferiori ex parte; alta tamen tribus cubitis, quò Sacerdos ministrans pertingere commodè posset. Exod. 27. num. 1. & Exod. 40. num. 28. Intra tabernaculum posita erat ara Thymiamatis, siue incensi ex lignis sethim cubito longa, & lata: duobus cubitis alta; auro omnino obducta, circumornata in coronæ modum, ansis adiunctis aureis, per quas vectes inferrentur cedrini auro obducti, vt constat Exod. 40. numero vigesimo quinto, in Aquilonari parte mensa collocabatur, quæ panes Sanctos propositionis continebat. Exod. 25. à numero vigesimo tertio. In Meridiana erat candelabrum ex auro purissimo habens lucernas septem. Ibidem. Intra aditum tabernaculi erat arca fœderis, & ante illam oppandebatur velum interius; & hic locus dicebatur, *Sancta Sanctorum.* Ante velum locum habebat altare thymiamatis; & hic locus dicebatur, *Sanctuarium*, vt patet Exod. 26. num. 33.

13. His prælibatis, dicendum puto cum nostro Abulensi, quæstione 11. & 13. in cap. 28. Exodi, Summum Pontificem cum semel in anno in die expiationis Sancta Sanctorum ingrediebatur, non esse ornatum vestibus pretiosis, scilicet, superhumerali, rationali, tunica hyacinthina, lamina aurea, & mitra hyacinthina; sed solum femoralibus, tunica linea stricta, cingulo, & cidari linea. Deducitur apertè hæc sententia ex Leuitic. 16. numero quarto. *Tunica linea vestietur, fœminalibus lineis verenda cælabit. Accingetur zona linea: Cidarim lineam imponet capiti. Hac enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur.* Idem docet Lyranus ad caput decimum sextum Leuitici, ad illa verba: *Cùm portauerit.* Et Rabbi Salomon apud ipsum. Pater Franciscus Mendoza in lib. 1. Regum, capite secundo, numero vigesimo octauo in expositione litteræ, numero nono. Ratio, qua isti Doctores ducuntur, est. Quia augustissimus ille ornatus non congruebat lugubri ingressui per pœnitentiam, qualis erat pro expiandis peccatis;

Leuitic. 16. n. 4.

peccatis; poſtea verò ſacrificium peracturus, Pontificium ornatum reſumebat, vt conſtat ex eodem capite decimo ſexto Leuitici, numero vigeſimo quarto, vt illius ſacrificij celebritas oſtenderetur. 14.

Quòd ſi opponas ritum Eccleſiæ, quæ in celebrioribus feſtis pretioſioribus vtitur ornamentis, & cùm Sacerdos ad ſacratiora loca accedit ſacratiori induitur ornatu: ſed cùm Pontifex ingrediebatur *Sancta Sanctorum*, ad ſacratiorem tabernaculi locum accedebat. Ergo Pontificiis veſtibus, quæ ſacratiores erant, tenebatur vti. Occurrit Abulenſis loco citato. Nam vel per celebriorem ſolemnitatem intelligitur illa, quæ alacrior eſt, & maius gaudium ſignificat, & magna animi hilaritate celebratur, & ſic pretioſioribus veſtibus vti debet: vel intelligitur dies feſtus alicuius maximi beneficij gratiam ſignificans; & tunc ſi cauſa ſit mœroris, & triſtitiæ, non eſt celebrandus auguſtiſſimo ornamento. Sic Catholica Eccleſia diem Paraſceue ſumma triſtitia celebrat, cùm Redemptor noſter Dominus Ieſus Chriſtus in ara Crucis ſeipſum pro nobis obtulit ſacrificium, & mortuus eſt, vt nobis vitam conferret, & ianuam Paradiſi aperiret, quæ ob peccatum fuerat occluſa. Auguſtiori ornatu vtitur Eccleſia in feſto natiuitatis Domini, quam in die Paraſceue: & tamen maius beneficium nobis contulit in Cruce, quàm in præſepio. In hoc namque diſponebat noſtram reparationem, in illa redemptionem conſummauit, ob hoc Gregorius Magnus in benedictione cerei Paſchalis dixit: *Nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet.* Ergo in maxima feſtiuitate non vtitur Eccleſia pretioſo ornatu, ſed triſti, & lugubri. Iure ergo in die expiationis, cùm eſſet mœroris, & planctus, quando orabat pro ſuis, & populi peccatis, non vtebatur Pontifex veſtibus pretioſis, ſed depoſitâ Pontificali pompâ afflictionem populi denotabat, vt dicitur Leuitic. 16. numer. 29. & 31. & capite 23. num. 27. *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus: affligetis animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino.* In aliis ſolemnitatibus deſignantibus lætitiam, vt in feſto azimorum propter memoriam magni beneficij eductionis Iſrael è dura Pharaonis ſeruitute; & in celebritate Pentecoſtes in recordationem legis datæ, & in aliis iure optimo Pontifex pretioſo ornabatur amictu: non ſic in die expiationis, in quo corda præparabantur ad pœnitentiam.

Gregor. Leuitic. 23. n. 27.

Opponi poteſt ſecundò: Quòd in die expiationis rogabat Summus Sacerdos pro ſuis, & populi peccatis. Ergo tenebatur proponere nomina Patriarcharum, & filiorum Iſrael. Sed hæc nomina erant in Ephod, & Rationali exarata. Ergo his indutus ingrediebatur *in Sancta Sanctorum.* Reſpondet Abulenſis locis citatis, non ex eo quòd nomina filiorum Iſrael fuerint ſculpta in lapidibus Ephod, & Rationalis ob recordationem, ſequi ſummum Pontificem his indutum ingredi *in Sancta Sanctorum.* Quia etiam duodecim panes menſæ propoſitionis offerebantur coram Domino in memoriam duodecim Tribuum Iſrael, vt patet Leuitic. 24. à num. 5. Et tamen menſa illa non erat intra *Sancta Sanctorum*, ſed in Sanctuario, vt diximus. Ergo ex eo quòd Pontifex nomina filiorum Iſrael geſtaret ſculpta in lapidibus Ephod, & Rationalis, non exinde ſequitur, quòd his indutus teneretur ingredi in die expiationis *in Sancta Sanctorum.* Ornabatur ergo Summus Sacerdos pretioſis veſtibus coram Domino, id eſt coram altari holocauſtorum, & coram altari thymiamatis, non verò quando ingrediebatur propitiatorium, aut Sancta Sanctorum. Nam quamuis tria miniſteria, quæ extra propitiatorium in parte exteriori tabernaculi exercebantur, nempe adolere incenſum in altari thymiamatis, lucernas accendere, & panes propoſitionis, vel auferre, vel proponere pertinerent tam ad Pontificem, quàm ad minores Sacerdotes, vt docet noſter Toſtatus ad caput decimum ſeptimum Deuteronomij; tamen Summus Sacerdos veſtibus pretioſis ornatus has exercebat functiones, vt patet ex noſtro textu num. 35. *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij; vt audiatur ſonitus quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium.* Vbi abſque dubio eſt ſermo de tunica hyacinthina, quæ propria erat Pontificis. 15. Exod. 28. n. 35.

Aduerte, non abs re Abulenſem putaſſe quæſt. 13. in cap. 28. Exodi, Summum Sacerdotem proprias induiſſe veſtes ſacras, non ſolùm intra Sanctuarium, verumetiam quando in altari holocauſtorum, quod erat extra tabernaculum in parte exteriori atrij miniſtrabat. Nam licèt Sacer textus verbis nuper citatis ſolùm dicat, eis vti intra Sanctuarium, ob hoc tamen non negatur, his veſtibus fieri miniſtrationem holocauſtorum: in quo maxima decentia, & honor magnus erga Sacerdotem, & miniſtrationem illam commendabatur. Popularibus namque intra tabernaculum ingredi nefas erat: vnde ſi Sacerdos in altari holocauſtorum pretioſis veſtibus non ornaretur, nec populares admirarentur illum ornatum, nec illam adminiſtrationem magni facerent. Si autem Sacerdos auguſtiſſimo illo ornatu condecoratus altari holocauſtorum deſeruiret, cùm populus intueretur per cortinas reticulatas, miniſterium, & Sacerdotem magni haberent. Ita Abulenſis quæſtione citata, & quæſt. 9. & 10. ad cap. 16. Leuitici. Quando autem Summus Sacerdos miniſtrabat in tabernaculo exteriori, ſiue in Sanctuario incendendo thymiama, & aſpergendo ſanguinem ſuper altare thymiamatis non ornabatur veſtibus pretioſis: vt patet Exod. 30. & clarius Leuitic. 16. Similiter his carebat, quando intrabat ad velandum arcam, altare thymiamatum, & menſam propoſitionis cùm vaſis ſuis, quando mouendum erat tabernaculum; quia tunc ſimul ingrediebatur cum Sacerdotibus minoribus, vt conſtat Numer. cap. 4. & cum veſtibus vulgaribus, quia miniſtratio hæc non erat ſacerdotalis, quamuis ad Sacerdotes ſpectaret, vt inquit Abulenſis quæſt. 13. relata. Sed obiicies ad probandum Pontificem vſum fuiſſe veſtibus ſacris extra tabernaculum: quia Numeror. 10. num. 25. ſic à Domino præſcribitur Moyſi: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo in montem Or. Cúmque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium* 16.

filium eius, Aaron colligitur, &c. Ergo Aaron ascendit in montem cum vestibus sacris. Salianus respondet anno 2583. num. 30. id factum ex diuina ordinatione; aliàs non liceret.

Vers. V. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. AGit Sacer textus in præsenti de materia, ex qua vestes factæ erant conficiendæ. *Accipientque*, &c. Non hæc annumerantur, quia quodlibet ornamentum constaret ex his omnibus; sed quia nullum erat futurum, quod ex aliquo, vel aliquibus non constaret. Pretiosa erat omnis materia, quæ ad ornatum Sacerdotis præparabatur, vt inquit Beda lib. 3. de tabernaculo, cap. 3. *Cuncta fiunt ex auro pretiosisque coloribus: quia nihil vile, ac sordidum in Sacerdotis opere, aut ore debet apparere. Sed cuncta quæ agit; vniuersa, quæ loquitur; omnia, quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conspectu æterni arbitri oportet esse gloriosa.* Primò, *aurum*, annumeratur. Hîc non accipitur pro illo pretiosissimo metallo, nec hyacinthus pro gemma, nec purpura pro illo pisce, qui est ex genere concharum habens in faucibus liquorem tingendis lanis maximè expetitum; sed pro filis ex auro, & aliis colore hyacinthino, & purpureo tinctis, vt insinuat Diuus Hieronymus in epistolam ad Fabiolam, vbi loquens de Ephod Pontificis, ait, fuisse contextum ex quatuor coloribus, id est, ex hyacinthino, byssino, coccineo, & purpureo. Et Abulensis hîc quæst. 2. expresè affirmat, Ephod ex filis auri, & coloris hyainthini, purpurei, & coccinei, simulque byssini fuisse contextum. Idem docuit Ribera lib. 1. de templi fabrica, c. 9. & lib. 3. de vestibus sacerdotalibus, cap. 5. & alij quamplurimi. Hæc sententia maximo nititur fundamento. Nam infrà numero octauo, vbi legit vulgata: *Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta*: Septuaginta vertere: *Erit ex auro, & hyacintho, & purpura, & coccino filato, & bysso retorta.* Et cap. 29. Exod. num. 2 & 3. vbi Sacer textus narrat, vestes Aaronis fuisse perfectas, sicut præceperat Dominus, dicitur: *Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta opere polymitario. Inciditque bracteas aureas, & extenuauit in fila, vt possent torqueri cum priorum colorum subtegmine.* Translatio Chaldaic. in cap. 39. Exodi apud Bibliam Regiam. *Extenderuntque bracteas aureas, & inciderunt fila, vt facerent in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & coccino, & byssо retorta.* Et ratio non contemnenda id suadet. Nam omnia hæc sapientes illi ad Ephod, & Rationalis fabricam assumebant, quæ nisi in fila extensa nullo modo possent deseruire.

Exod. 28. num. 8. Septuaginta. Exod. 39. n. 2. & 3. Translat. Chald.

Hyacinthum. Hîc non accipitur pro gemma, aut pretioso illo lapide, sed pro colore hyacinthino. At quid hyacinthinus, & qualis color? Huius nominis, & flores, & gemmæ sunt, & potest ambigi an ab vtrisque hyacinthinus color sit in vestibus deriuatus? Sed ab vtroque dicendum. Nam gemmæ color à floris colore dictus est; quia priùs, & magis noti flores, quàm gemmæ, cùm hæ vt videantur, & splendeant, artis industria indigeant, illos ipsa natura patefaciat. Volunt plerique hyacinthinum colorem violaceo correspondere, mediumque esse inter purpureum, & cœlestem, & secundùm Arias Montanum Hispanè dici, *Cardeno*. Hoc si ita esset, difficultet hyacinthus differret à purpura, quæ secundùm istos violacei coloris est. Ioannes Hieronymus Sopranis digressione prima de re vestiaria Judæorum, §. 9. putat, rem hanc satis esse incertam, sed probabilissimum esse hyacinthinum colorem esse, quem nunc dicimus *azurro truschino*. Hispanè, *azur turquesado*. Mouetur primò, quòd Patres hunc colorem aëri sereno deputant; in quo cùm serenus est, is qui azurrus est mirè resplendet. Secundò quia disertè Cassiodorus hyacinthinum colorem dixit, esse cæruleum. *Hyacinthinus lapis*, inquit, *est aërei coloris, hoc est cærulei: nam aëris color cæruleus.* Hoc ipsum vult Gregorius cœlestem colorem hyacinthinum appellans, in quo ipso morales expositiones fundat de appetitione rerum cœlestium, quas adumbrari vult colore hyacinthi. Tertiò, quia hoc pacto constat apertè quomodo quatuor isti colores sint inter se distincti, quòd parum liquet, si hyacinthinum violaceum dicamus. Rem adhuc puto incertam, præsertim si ex flore dignoscendus est color. Nam sæpe vidi diuersorum colorum flores, quos hyacinthos appellamus. Sed in re incerta, illud est sentiendum, quod magis accedit veritati, & ad præsens institutum, & ad hos colores distinguendos deseruire potest.

2. Quid color hyacinthinus? Sopranis. Cassiodor.

Et purpuram: Sed quid per purpuram? Color purpureus. Hic color appellatur purpura à pisce, *Purpura* dictus, à quo extrahebatur incisâ vena in faucibus existente. Sed audi Plinium apud Sopranum loco citato §. 7. *Purpura florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis faucibus habent: liquoris hic est minimi in candida vena; vnde pretiosus ille bibitur nigrantis rosæ colore sublucens, reliquum corpus sterile. Vinas capere contendunt; quia cum vita succum eum euomunt. Et maioribus quidem Purpuris, detracta concha auferunt; minores trapetis frangunt; ita demum rorem eum excipientes Tyrij.* Huius tinctura inuentionem, queritur Scaliger transcribi Herculi, (cum Græcorum fuerit propria) cuius canis Purpura demorsa, cum flore huius coloris hero se obtulit spectaculo admirationis hærenti. Sed siue Hercules, siue alius primus inuenerit, certum est in Tyro eam tincturam, vel primùm cæptam, vel cum gloria propagatam. Ioannes Eusebius Nierembergius vir omni eruditione præclarus in sua curiosa Philosophia lib. 1. c. 1. asserit iam non reperiri purpuram, qua regales vestes tingebantur, & cuius

3. Quid purpura? Plin.

liquore olim ſcribebant imperatores in maieſtatis indicium, vt refert hic Author eodem libro, cap. 12.

4. Appellationes purpuræ.

Ex origine purpuræ, quam ex Plinio retulimus, variæ appellationes ab antiquis purpuræ tributæ ſunt. Primo dicta eſt, *conchylium*; vnde, & *conchyliata veſtes*, quia ex piſce concha tecto detracta. Nam licèt teſte Plinio ex aliis conchyliis ſuccus etiam nobilis exprimatur lanæ tingendæ; quia tamen inter omnia præſtantior eſt purpura, antonomaſticè *conchiliata veſtes* hoc genere tincturæ intelliguntur. Secundò dicta fuit *Tyria*, quia in Tyro per eximios artifices, aut cæpta, aut ſemper cum glotia propagata. Tertiò dicta eſt *Sydonia*, quia Tyrus ex Sydonia deducta. Quartò dicta *Phœnicia*, quia Tyrus, & Sydon in regione eius nominis. Quintò appellata, *murex*, quia hic liquor à piſce exttahitur.

5. Purpuræ color. Seneca.

Difficilius eſt aperire, cuius coloris ſit purpura, aut cui colori noſtro correſpondeat. Seneca varias purpuræ differentias adducit, penes diuerſum eius ortum. *Purpura*, inquit, *non in vnum modum exit: intereſt quantum macerata ſit, craſſius medicamentum, aut aquatius traxerit; ſæpius merſa ſit, an excocta, an ſemel tincta.* Conſtat ergo purpuræ varium fuiſſe colorem ex varia ratione tincturæ, & etiam exprimendi liquoris. *Ex tinctura*; alia purpura erat dilutior, ſemel tantùm tincta; alia perfectior ſæpius merſa, aut bis tincta. *Ex liquore*; quia qui purus exibat, ſine dubio præſtabat aliis, qui conchis, & baccinis ſimul infractis, & maceratis exprimebantur. Vitruuius lib. 7. cap. 13. aliam diuerſitatem agnouit purpuræ ex Solis curſu. *Et in Ponto*, inquit, *& Gallia ad Septentrionem atrum ex purpuris legi; inter Septentrionem, & Occidentem lucidum, ad Æquinoctialem Orientem, & Occidentem violaceum; in Meridianis regionibus rubrum.* Conſtat ergo ex his, purpuram non vnius coloris fuiſſe, ſed multiplicis prout rubor in ea variè temperabatur. Præcipuus autem color purpuræ, & qui præ cæteris probabatur antiquis, erat (vt ait Plinius) qualis eſt roſæ cum luce nigrantis, qui rubor eſt ſine ambiguitate purpureus. Senſere etiam Arias Montanus in deſcriptione veſtimentorum ſacerdotalium in principio, quem colorem Cremeſinum appellat, ſiue Carmeſinum, Sopranis digreſſione 1. §. 7. Deinde ſi hic color aliquid nigroris imbiberet, violaceum reddebat: vnde apud antiquos duæ fuerunt purpuræ; rubra, & nigra, & ſub hac violacea continebatur, non quod vtraque non rubra, ſed quod altera cum rubore plurimum nigredinis cum luce tamen habebat. Ambroſius Calepinus verbo, *Purpura*, notat cum aliis quos ſequitur Sopranis, tantam fuiſſe veteribus commendationem purpuræ, vt in eius honorem, quæcumque pulchra appellare volebant, ea purpurea dicerent. Iuxta illud Virgilij 1. Georgic.

Vitruuius.

Virgil.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Vbi purpureos appellat capillos, quos laudare volebat, non quod ruberent, quia is color haud nimium probatur in crinibus, ſed quod idem ſit purpureum, quod pulchrum. Ob hoc ſponſus Cantic. 7. num. 5. commendare cùm vellet capillos ſponſæ, purpuræ illos comparauit, dicens: *Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Cantic. 7. n. 5. Vbi purpureos dixit capillos, non quod rubri, nam is color in coma non admodum probabatur antiquis, vt diximus; Vnde illud eſt Martialis;

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus eſt. Martialis.

Conſtat ergo ex dictis purpureum appellari quidquid pulchrum, ita vt omne quod in ſuo genere venuſtum eſt, ea venuſtate, quæ ipſum decet, etiamſi candidum, & flauum, purpureum dicatur. Hoc ſenſu Albinouanus niuem purpuream dixit

Purpurea ſub niue terra latet. Albinouan.

Id eſt, ſub pulchra niue. Sic etiam Horatius olores purpureos appellauit:

Tempeſtiuius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus. Horatius.
Commeſſabere maximi.

6. Vſus purpuræ.

Examinare reſtat, quorum purpura fuerit propria? Non licet dubitare propriam fuiſſe Regum, & eorum, quos illi extollere, & præ aliis honorare vellent. Sic Balthaſar. cap. 5. Danielis, num. 7. *Quicumque legerit Scripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo.* Dan. 5. n. 7. & Alexander Syriæ Rex ad Ionatham Machabæum ſcribens, ait: *Audiuimus de te, quod vir potens ſis viribus, & aptus es, vt ſis amicus noſter; & nunc conſtituimus te hodie Summum Sacerdotem gentis, & vt amicus voceris Regis (& miſit ei purpuram, & coronam auream.* 1. Machab. 10. n. 20. Erat enim purpura inſigne ſymbolum regiæ amicitiæ. Ob id idem Alexander, cùm veniſſet ad illum Ionathas Ptolemaide commorantem, *Exuit illum veſtimentis eius, & purpura indutum, amicum ſuum vocari iuſſit.* Ibid. n. 61. Ibidem, num. 61. Et Demetrius Simonem item Machabæum, *Fecit amicum ſuum, iubens, vt operiretur purpura, & auro.* Lib. 1. c. 14. n. 36. & 43. Hinc etiam apud Latinos amici Regum *Purpurati* appellantur. Apud Romanos etiam purpura propria Regum fuit, & eorum, qui loco Regum in publicis muneribus ſucceſſerunt, ſic conſules purpura ornabantur, ſimiliter Senatores; ſed illi ſemper, hi cùm in curiam veniebant; ab aliis cùm publico nomine ſacrificabant, vt refert Plinius lib. 9. cap. 39. Poſt Magiſtratus pueris Nobilibus concedebatur purpura apud Romanos, vt ibidem Plinius, vt ex purpuræ rubore admonerentur pudoris ingenui, vt dicit Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 6. Prærer amictus, & indumenta aſſumebatur purpura non ſolùm apud Romanos, ſed etiam apud Hebræos ad ſtragula, aulæa, vela: ſed hoc diſcrimine, quòd apud Romanos ita frequens fuit vſus purpuræ, vt etiam apud omnes tricliniaria fierent ex illa: at Hebræi modeſtiùs vſurpabant. Nam Salomon, & eius ſucceſſores in Regno ſolùm ad proprium ornatum & in cultum templi leguntur vſi. 2. Paralipom. 3. Apud Imperatores tantùm inualuit purpuræ vſus, vt omnes ea ornarentur: quapropter indignati Principes eò nobiliſſimæ tincturæ gloriam decidiſſe, adeo ſibi propriam fecerunt, vt capitale fermè eſſet purpuram cogitare, nedum induere; & eo ipſo noua moliri, & ad Imperium aſpi-

aſpirare crederent, qui purpuram emeret, texeret, haberet. Cuius plura ſuppetunt exempla apud Ammianum Marcellinum. Ob hoc Sidonius lib. 1. epiſt. 5. inter crimina maieſtatis, habitum purpuratorum ambire, eo tempore fuiſſe dicitur.

7. Coccû quid? *Coccumque bis tinctum.* A Dioſcoride Coccum granum tinctorium dicitur. Frutex eſt fullonis, cui adhærent grana, ex quibus generantur vermes rubri inſtar ſanguinis, ab Arabibus, *Carmeri*, appellati: vnde ſecundùm alios hinc dicitur ille color Hiſpanè *Carmeſi*. Arbor ex cuius granis hi vermes generantur, dicitur cuſculium, Hiſpanè, *Coſcota*. Grano huius frúticis abundat Hiſpania teſte Plinio cùm ait: *Coccum dicitur in Galatia prouenieus: eximium circa emeritam Luſitaniæ vrbem.* Et vt Author eſt Strabo lib. 10. etiam in illa parte, quæ Tudertania dicitur. Coccineus color ex illis granis nomen accepit. Sed qualis fuerit hic color, non eſt facilè reſoluere. Supranis loco citato colorem coccineum putat, quem nos carmeſinum, ſeu grani dicimus, qui color exuberantiam quandam, aut ſplendorem ruboris oſtendit, granis, ex quibus fit, perſimilis. Vnde apertè conſtat diſcrimen inter purpureum, & coccineum colorem. Purpureus namque (vt diximus numero 5.) ſimilis eſt roſæ cum luce nigrantis: coccineus rubeus eſt, ſed perlucidus. Quod autem iſti colores ſint diuerſi, conſtat ex pluribus Scripturæ locis; ex eo quod, poſt purpuram, coccum additur. Vt in noſtro textu. Et Exod. 25. & 35. & alibi paſſim. *Bis tinctum.* Quia lana his vermiculis tingebatur hoc pretioſiſſimo colore: ſemel antequam deduceretur in fila; & iterum poſtquam deducta erat. Huc facit teſtimonium Iſaiæ cap. 1. num. 18. dicentis: *Etſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: etſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Plinius. Coccineus color. Iſai. 1. n. 18.

8. Byſſus quid? *Et Byſſum.* Sed quid per byſſum intelligi debeat, dixere varia varij. Suidas verbo *Byſſus* putauit, fuiſſe quoddam genus coloris, vnde byſſina veſtis eſt hoc colore tincta. Alij pretioſiſſimam lanam eſſe volunt; ſunt, qui dicant eſſe lanuginem tenuiſſimam, & delicatiſſimam præſentiæ marinæ. Aretas vult eſſe corticem arboris Indicæ, more lini contuſum, & vt illud ſolet, in fila redactum. Sed probabilius eſt, fuiſſe lini genus pretioſiſſimi, tenuiſſimi, & candidiſſimi, quod vt refert Plinius circa Elim Achaïæ naſcitur; quamuis Iulius Pollux ex India, & Ægypto non dubitet originem trahere. Idque conſtat ex Ezechiele cap. 17. Erat byſſi vſus apud Hebræos ad ornatum publici, & priuati cultus; & ſic in veſtibus Aaronis, & in vſum tabernaculi cortinæ, & tentoria de byſſo retorta fieri præcipiuntur. Vt conſtat Exod. 26. num. 1. & ex noſtro textu. Hoc lini genus magni habitum fuit apud veteres, vtebanturque illo in deliciis, vt dicitur Lucæ 16. num. 19. de illo diuite. *Induebatur purpura & byſſo.* Non deſunt qui putent eſſe lini genus, quod nunc vocamus: *Olanda*, vel Cambray. Sed contradicit Ioannes Euſebius Nierembergius qui loco citato idem de byſſo, ac de purpura dixit nunc non reperiri.

Luc. 16. n. 19.

Hyacinthino ergo, & purpureo; coccineo; & byſſino colore conſtare veſtes ſacras, ſumma ſapientia Deus diſpoſuerat. In quibus quatuor, vt ex Diuo Hieronymo diximus in fronte huius operis, quatuor mundi elementa denotabantur: & ſecundùm alios quatuor anni tempora; ita docuit Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 51. *Colores autem,* inquit, *in vicem temporum quadrifaria diuiſione funduntur; praſinus virenti Vere; venetus nubilæ hyemi; roſeus Æſtati flammeæ; albus pruinoſo Autumno dicatus eſt; vt quaſi per duodecim ſigna digrediens, annus integer ſignaretur. Sic factum, vt naturæ miniſteria ſpectaculorum compoſita imaginatione luderentur.* Ex hac ſignificatione non inutilis relucet mortalitas, nempe annum totum Deo dicandum, & per annum totam vitam mortalium Dei cultui ſacrandam. 9. Caſſiodor.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO XXXVIII.

Rectè viuere, vera vita eſt: Deo non viuere, non eſt vita viuens; ſed vita mortua.

PRetioſa eſt vita, ſi viuere non deſinat: infelix eſt vita, quæ dum viuit, non reſpirat. Non omnes, qui vita fruuntur putandi ſunt viuere: illi ſolum viuunt, qui Deo conſecrant vitam. Ob hoc Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 8. *Neque enim,* inquit, *ad viuendum ſolummodo produxerat hominem, vt non ad rectè viuendum; in reſpectu ſcilicet Dei, legiſque eius.* Quaſi diceret: Viuere ſolùm, viuere eſt; ſed miſera eſt vita, quæ tantùm gaudet reſpiratione. Rectè autem viuere eſt vera vita; malè verò degere, eſt vitam agere cadaueroſam. Multò clariùs hoc me docuit Cæſarius Arelat. homilia 29. *Solemus,* ait, *annos noſtros, & ſpatia temporum, quibus nunc viuimus, ſupputare: non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter ſæculo conſumpſiſti. Illum tantum diem vixiſſe te computa, in quo voluntates proprias abnegaſti, quem ſine vlla regulæ tranſgreſſione duxiſti. Illum diem vixiſſe computa, qui puritatis, & ſanctæ meditationis habuit lucem, quem non conuerſatio tenebroſa mutauit in noctem. Illum, inquam, diem applica ad vitam cuius lucrum venit ad animam tuam.* Pulchra ſanè, & vtilia verba. 10. Tertullian. Cæſ. Arelat.

De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, dixerat Deus Adamo: quia, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Geneſ. 2. numer. 17. Audacter homo contra Dei præceptum comedit, ſed non moritur in ipſo die, ſed poſt multorum annorum ſæcula. Sed cur ſtatim, vel in ipſa tranſgreſſione capitali pœna non mulctatur Adam? Sententia hæc erat: in quocumque die comederis ex eo, morte morieris: cur ſtatim non moritur? Si dixeris ſtatim Adamum deceſſiſſe, cùm præuaricauit, non errabis. Tunc ſententia executioni mandata fuit, cùm admiſit peccatum. Viuebat Adamus, cùm comedit, non Deo, ſed ſibi, 11. Gen. 2. n. 17.

quia

quia Deo non viuebat. Ergo mortuus est ad-
Cæs. Arelat. huc viuens. *Illum diem vixisse computa*, inquit Cæs. loc. cit. *quẽ non malitia, non inuidia, non superbia contaminauit.* Ergo si Adamum contaminuit superbia, in ipso die, quo regulam est transgressus, prorsus mortuus est, cùm adhuc viueret: quia non est vita computanda illa, quæ discedit à vera vita.

12. De illo mense, in quo Dominus populum Israëliticum è dura Ægypti seruitute eduxerat, dicitur Exod. 12. num. 2. *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Iam dubium auribus insonat: Cur Deus anni supputationem ab illo mense, & non à præcedentibus instituit? Diuus Gaudentius rationem pulchram offert tractat. 1. his verbis:
Exod. 12. num. 2.
Gaudent. *Non sunt imputati Israëlitis illi dies, quos consumpserunt in Ægypto: sed quando ingemuerunt ad Dominum conuersi ab operibus duris.* Illuc vsque Israëlitæ deseruierant Ægyptiis in opere vili lateritio, & Deum, ad terrena conuersi, ferè ex memoria deposuerant. Toto illo tempore seruitutis Pharaonis (in quo figurabatur peccatum) obsequiis erant mancipati. Meritò ergo illi dies excluduntur à vitæ supputatione; quia tunc Deus è memoria eorum penitus deciderat, & vitam non Deo, sed peccatis dedicabant. Ergo nulla est vita, quæ Deo non deseruit. Ab exitu Israël de Ægypto renunciarunt Pharaoni, & ad Deum conuersi, Deo viuebant: iure ergo ab illis diebus anni supputatio sumpsit exordium, quia tunc incipiebant viuere, nam tempus præcedens sub Pharaone, hoc est, sub peccati iugo, non est adscribendum veræ vitæ.

13. 1. Reg. 13. num. 1. dicitur de Saüle Israëliticæ gentis primo Rege. *Filius vnius anni erat Saül cùm regnare cæpisset: duobus autem annis regnauit super Israël.* Difficilia sunt hæc verba, & in eorum expositione non parum sudauere interpretes. Rabanus Maurus. Strabo & alij de Isboseth filio Saül ea exponunt. Contra hos militat communis, & receptus Patrum consensus, qui de ipso Saüle hæc verba intelligere contendunt. Ita docent Diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis. Diuus Augustinus libro 7. locutionum in Iudices. Diuus Gregorius, Rupertus Lyranus, Hugo Cardinalis, Abulensis, Caietanus, Carthusianus, & alij ad hæc verba. Adde Theodoretum quæst. 28. Diuum Petrum Damianum lib. 2. epist. epist. 20. Hoc sic posito se offert dubium. Quî vnius anni poterat esse Saül, cùm primùm clauem regiam, & Israëliticum teneret sceptrum; cùm Sacer textus. 1. Reg. 10. num. 23. de eo referat:
1. Reg. 13. num. 1.
1. Reg. 10. num. 23. *Et altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum?* Hanc quæstionem excitauit Diuus Anselmus in cap. 3. Lucæ. *Nunquid*, inquit, *vnum tantummodo ætatis annum habebat, qui ab humero, & sursum altior cunctis erat?* Sed Rupertus ad hunc locum, cap. 10. in fine eam absoluit, dicens: *Non de Isboseth filio Saul, sed de eodem Saüle dictum est. Sic enim erat innocens, quando regnare cæpit, sicut filius vnius anni est, & in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur.*
Anselmus.
Rupertus.
Transl. Chald. Translatio Chaldaïca legit: *Sicut Filius vnius anni, in quo non sunt culpæ, Saül erat quando regnauit.* Abulensis quæst. 1. in cap. 24. lib. 4. Reg. de Saüle sic loquitur: *Ita erat mundus in corde suo, sicut puer vnius anni.* Ex dictis aliud resurgit dubium, videlicet; cur duobus annis, & non amplius tenuisse Saülem imperium Israëlis prædicatur; cùm Apostolus Actorum 13. num. 21. dicat apertè loquens de Israëlitis, & Saüle: *Postulauerunt Regem, & dedit illis Saül filium Cis virum de tribu Benjamin annis quadraginta?* Si ergo per quadraginta annorum curriculum imperauit in Israël; quomodo solùm duorum annorum spatio regnasse dicitur? Quia solùm illi dies ad vitam debent applicari, in quibus lucrum venit ad animam, & quos non contaminauit malitia. Saül duobus illis prioribus annis innocens regnabat: transactis illis, tyrannide populum opprimebat, despiciebat Sacerdotes, in Dauidem inuidia misera tabescebat, & peccatorum maculis erat respersus. Meritò ergo duo priores anni solùm inter regni dies computantur, non reliqui. Vita namque vitiis maculata, quamuis per magna temporum spatia transcurrat, non est vita, sed mors; non dies, sed noctes dici debent: at vita innocens; Deo seruiens & peccatorum onera detestans, vera vita dicenda est. Vide iam cur inter Saülis dies solùm illi priores annumerantur: quia tantùm isti lucem, non tenebras quærebant; *Et in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur*: reliqui verò lucem non tenebras quærebant; *Et in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur*: reliqui verò lucem in tenebras commutabant. Excludantur ergo à supputatione vitæ: quia malè viuere, non est vita.

14. Annotauit Origenes homilia 16. in Iosuë in principio, quòd in sacra Pagina de solis iustis prædicatur longæuam egisse vitam. *Sed ob-*
Origenes. *serua*, inquit, *etiam tu, ô auditor in omni Scriptura sicubi inuenire potest appellationem hanc, senior, & plenus dierum, positam super aliquo pectore.* Sed cur cùm de pluribus peccatoribus legamus longam vitam egisse, de nullo, *plenus dierum*, prædicatur: hoc enim solùm iustis attribuitur? Respondet Adamantius. *Etiam ante nos, quidem obseruantes notarunt in Scripturis, quia Presbyteri, vel Seniores non ex eo appellantur, quod longæuam duxerint vitam, sed pro maturitate sensus, & grauitate vitæ veneranda hac appellatione decorentur.* Quid illustrius? Sed audi ipsum homilia 4. in Psalm. 36. vbi ait: *Cùm plurimi ante Abraham sexcentos, & quingentos, vt minimùm trecentos annos vixissent, de nullo illorum dictum est, quia senior, & plenus dierum fuerit, nisi de Abraham tantummodo. Ex quo intelligendum est, quòd non de ætate corporis, sed de maturitate interioris hominis designatum est.* Quasi dies non sint, nec vita, quæ Dei non mancipatur obsequio.

15. Ieremiæ cap. 2. num. 5. sic Deus ad Prophetam alloquitur. *Priusquam te formarem in vtero*
Ierem. 1. n. 5. *noui te: & antequam exires de vulua sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Tanto beneficio non ingratus, sed humilis Ieremias sic Deo respondet: *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio*
Ibid. n. 7. *loqui: quia puer ego sum.* Cui Deus: *Noli dicere puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & vniuersa, quæcumque mandauero tibi loqueris.* Magna profectò dignatio diuinæ bonitatis! Sic loquitur

quitur cum ſeruo, ſicut amicus cum amico. Sed mirum eſt, quòd cùm Propheta ſe puerum dicat, Deus illi imperet, ne talia verba proferat: *Noli dicere puer ſum.* Magna ni fallor hîc perplexitas inuenitur. Deo repugnat mentiri; eſt enim ſummè verax, & infinitè bonus. Ergo cùm ait: *Noli dicere puer ſum*, verum dicit. Ex alio capite, certum eſt. Prophetam non mentiri. Petulanter enim procederet, ſi coram cordium ſcrutatore, vel leue committeret mendacium. Ergo quando ait Ieremias: *Puer ego ſum*, verum pronunciat. Si vtrumque eſt verum, quomodo negat Deus, quod aſſerit Ieremias? Vtrumque verum eſt, ait Origen. homil. 4. in Pſal. 36. Quia Propheta ſecundùm ætatem iuuenis erat, ſecundùm opera ſenex cùm ergo non ex diebus vita, ſed ex operibus veniat ſupputanda, iuuenis erat,

Origenes. & Preſbyter. *Iuuenis ergo erat*, inquit, *ſecundùm ætatem corporis: ſed quoniam Dominus dederat verba ſua in ore eius, quibus eradicaret, & ſubuerteret, & diſperderet, & rurſum ædificaret, & plantaret, quæ virtus verborum animam eius illuminans, & ſanctificans, non eam ſinebat eſſe puerilem; ideò meritò ad eum dicitur: Noli dicere, quia iuuenis ego ſum.* Non regulatur tempus, aut menſuratur vita ex diebus, ſed ex meritis. Vita namque, quæ in mendaciis, in odiis, in adulteriis, &c. Per varias temporum diſtrahitur ætates, vita apparet, ſed mors eſt, aut vita cadaueroſa. Cùm ergo Propheta ſecundùm ætatem eſſet iuuenis, ex meritis autem ſenex. Ideo vtrumque eſt verum, *Neſcio loqui: quia puer ego ſum*, &, *Noli dicere, puer ſum.* Nam vita, quæ Deo deſeruit, licèt in duratione breuis, ſecundùm operum dignitatem longæua reputatur.

16. Pretioſas veſtes, ornatum pulcherrimum Aaroni, & filiis eius legitimum ſempiternum Deus præparauit, hoc eſt, in perpetuum, vt dicitur in hoc cap. n. vlt. At quomodo in perpetuum Aaron, qui breuem tranſegit vitam, his decorabitur ornamentis? Quia vt inquit Greg. 2. p. Paſtoral. cap. 4. *Veſtimenta etenim Sacerdotis*

Gregor. *quid aliud, quàm recta opera debemus accipere? Propheta atteſtante, qui ait, Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.* Si ergo per veſtes ſacerdotales iuſtitia, & recta opera intelliguntur, vt putauit Gregorius: quamuis Sacerdotum vita breui claudatur ſpatio, meritò legitimum ſempiternum appellatur; quaſi dicat, in perpetuum viuere, qui bonis operibus ſemper vacat. Nam vita his ſolùm menſurari debet, non ex longæua duratione; Vita enim vitiis, & immunditiis inſeruiens, non vita, ſed mors, aut cadaueroſa vita exiſtimatur.

ILLATIO XXXIX.

Otiosè viuere, non eſt vita, ſed mortis ſimulachrum, aut ferè in nihilo eſſe.

17. PRoſequimur antecedentium appendicem. Quam inutilis res ſit otium, nemo eſt, qui dubitet; & quàm periculoſa expreſſit Diuus

Bernard. Bernardus lib. 2. de conſideratione. *Cauendum eſt otium*, inquit, *in otio fugienda otioſitas, mater nugarum, nouerca virtutum.* Et Chryſoſtomus homilia trigeſima ſexta in Matth. *Omnium vi-* Chryſoſt. *tiorum quaſi magiſtra quædam, atque origo eſt otioſitas.* Et talis otioſitas generat morbos, vt hominem ſepeliat ante mortem, vt quidam cecinit.

Quid niſi viui hominis ſepulchrum eſt otium abſque litteris?

Non videtur in natura eſſe, quiſquis nihil agit.

Meritò ergo otioſam vitam morti aſſimilamus.

Deo obediens miſit Moyſes manum in 18.
ſinum ſuum; *Quam cùm miſiſſet in ſinum* (in- Exod. 4. n. 6.
quit Sacer textus Exod. 4. num. 6.) *protulit leproſam inſtar niuis.* Tertullianus lib. de reſurrect. carnis, cap. 28. aliter legit dicens: *Moyſes* Tertull.
manum in ſinum condit, & emortuam profert. Miror lectionem Tertulliani! Quid lepra cum morte? An quia lepra vitam corrodit, & tandem perimit, leproſam manum appellauit mortuam Septimius? Forſan ita. Sed, ni fallor, profundiorem ſenſum habet verſio Tertulliana. Idcirco manus exiſtimatur mortua, quia in ſinum reconditur, vt ibi quieſcens, otio laboraret. Otium enim morbus eſt lethale. Meritò ergo à Tertulliano emortua dicitur manus, quam otioſam vidit in ſinu quieſcentem. Manus ad opus conceditur à natura: ergo dum otio vacat, in ſinu, velut in ſepulchro ſepelitur. Meritò ergo Tertullianus emortuam manum, quam ſacer textus leproſam, appellauit, quia in ſinu reconditur, vt in otio quieſceret. Nam in otio viuere quid aliud eſt, quàm viuentis vrna?

Petulanter milites Chriſtum tenuerant, 19.
quem perfidus aſſecla oſculo prodit: Quid tunc Princeps Apoſtolorum eruditus in lege, promptus affectu, qui ſciebat Phineæ reputatum ad
iuſtitiam, quod ſacrilegos peremiſſet? *Percuſ-* Luc. 22 n. 5.
ſit vnus ex illis ſeruum Principis, & amputauit auriculam eius dexteram. Lucæ 22. num. 5. Quid agis Petre? Si gladium eximis, vt ſerui punias audaciam; cur non caput abſcindis, ſed auriculam? Magis enim petulantiam militis plectetes, ſi eum pugione confodores: cur in auriculam itaſceris? D. Ambroſ. Comment. in Lucam ad cap. 22. Vulnus hoc in otium auriculæ reducit, dicens: *Aut ſi Petrus volens percuſſit au-* Ambroſ.
rem, docuit, quod aurem habere in ſpecie non deberent, quam in miniſterio non habebant. Ac ſi diceret: Petrus aurem abſcidit, quia cùm audiendi munus haberet, obturata erat ad ſalutaria verba percipienda, hoc eſt, otio deſeruiens, audire recuſabat. Perdit ergo miles aurem, quia auditus perdiderat profectũ. Pereat auricula, & non viuat (abſciſſio partis à viuente, abſque dubio mors eſt partis, quæ otio vacans, ab auditione vacare non pigebat. Vides iam otioſitatis laborem mortis mercede compenſari.

Super ſolium excelſum, & eleuatum vidit 20.
Iſaïas Dominum ſedentem, tanta maieſtate micantem, vt ea, quæ ſub ipſo eſſent, replerent templum. Quid inſuper? *Seraphim ſta-* Iſaiæ 6 n. 2.
bant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Iſaiæ ſexto, numero ſecundo. Diuus Bernardus ſermone 4. de verbis Iſaiæ dubium hoc excitauit. Si Seraphim ſtabant, quomodo volabant; aut ſi volabant, quomodo ſtare perhibentur?

Statio

Statio maximè aduerſatur volatui: nam illa quietem, hic motum denotat: motus, & quies mutuò ſe excludunt. Quî ergo fieri poteſt, vt in idem coincidant eadem duratione? Audi Doctorem mellifluũ ſic deuotè nodum diſſoluentem. *Credo autem, ſic in ſtatione immutabilitatem, ſic & in volata alacritatem promitti, ne videlicet inſenſibilis quædam, & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur.* Stant Seraphim, & ſimul extenſis alis volant, non inuolant: hoc eſt alas mouent, volatus exercent, non euolant. Hiſpanè: *Eſtauan quedos, pero batiendo las alas:* Ad quid? *Ne videlicet inſenſibilis quædam, & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur.* Hîc hæreo. Quaſi Seraphini æſtimarentur ſtatua lapidea, ſine ſenſu, ſine vita, ſi cùm immenſi pelagi celſitudini aſſiſtunt, ab operibus vacarent. Nam ita operatio vitæ eſt indeſ, vt quando operibus ſuccedunt otia, non vita ſed mortis, & inſenſibilitatis appareat ſimulachrum.

Bernardus.

21. Pſalm. 36. num. 18. Regius Pſaltes canebat: *Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.* Quid eſt, Deum iuſtorum dies cognoſcere? An peccatorum dies ignorat, qui cordium intima ſumma claritate intuetur? Minimè. Rurſus; vtrorumque non ſunt dies diuerſi. Nam diem appellamus illam durationem temporis Solis fulgentiſſimis radiis illuſtratam, iuſtis, & peccatoribus communem, iuxta illud Mat. 5. n. 45. *Qui Solem ſuum oriri facit, ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Quomodo ergo Dauid Deum dies immaculatorum cognoſcentem accinens; maculatorum dies cognoſcere non decantat? Quid in diebus iuſtorum reperit, vt de illis prædicaret, in conſpectu diuinæ cognitionis ſemper eſſe: Et quid in horis maculatorum inuenit, vt quaſi diuinam notitiam ſubterfugientibus hoc encomium non attribuat? Ita graue viſum fuit hoc dubium Adamantio, vt non dubitaret dicere: *Sed hoc ſecundum litteram neſcio, ſi poſſit conſequenter exponi.* Quapropter ad mores explicatum detorſit. (Scio eximios Theologos teſtimonium relatum de ſcienta approbationis, qua Deus dies immaculatorum agnoſcit, exponere; hac enim ſcientia maculatorum dies nequit cognoſcere, quamuis ſcientia ſua infinita illos cognoſcat. Verùm redeamus ad Origenem homil. 3. in Pſalm. 36. dicentem: *Videamus, ne forte vnuſquiſque propriam ſibi faciat diem. Etſi quando abiicientes mendacium, loquimur veritatem cum proximo noſtro, in veritatis die, & veritatis luce verſamur. Similiter, & cùm retrahimur nos ab iis, qui oderunt fratres, & in tenebris ambulant, & in dilectione fratrum permanemus, dies nobis facimus charitatis.... & iſti ſunt dies, quos noſſe dicitur, quando cognoſcit dies immaculatorum.* Quaſi dies iuſti, & peccatoris, ſi durationem attendas idem eſt: at ſi ſecundùm opera conſideres diuerſiſſimus. Peccator enim diem in noctem commutans, flagitia perpetrans, & diuinæ aduerſans voluntati, nihil efficitur, nam peccatum nihil eſt, & peccantem in nihilum transformat. Sic Auguſtinus explicans illa verba Ioannis 1. *Sine ipſo factum eſt nihil.* ait tract. 1. in Ioannem. *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cùm peccant.* Non hoc dixit Aurelius, vt negaret, Deum ad actionem Phyſicam peccati concurrere: ſed loquitur de formali peccati, in quo malitia conſtituitur, ad quam Deus non concurrit. Eſt ergo peccatum nihil, quia nihil fiunt homines cum peccant. Si ergo nihil efficiunt, (quia peccatum nihil) dum aliquid contra rationem perpetrant, & otio bonorum operum ſtudent. quid mirum ſi dies, in quibus maculati degunt, diuinam cognitionem videantur ſubterfugere? Non quia Deus peccantium dies ignoret; ſed vel quia non cognoſcit ſcientia approbationis; vel quia dies, in quibus contra rationem operatur homo, vacat à virtutibus, & otij pigritate in nihilum conuertitur. Ecce qualiter otioſitatis deſidia non ſolùm mortis ſit ſpectrum, ſed etiam otioſum in nihilum transformet.

Pſal. 36. n. 18.

Matt. 5. n. 45.

Origen.

Ioan. 1. Auguſt.

Non ſic Summus Pontifex Aaron tot ornamentis condecoratus; per quæ (vt docuit Greg. illatione præcedenti, num. 16 relatus) bona Sacerdotis opera deſignantur: non ſic otioſus, ſed bonorum operum fruge abundans deſcribitur; vt ſemper viuidus, nuſquam mortuus, aut in nihilum redactus appareat. 22.

ILLATIO XL.

Regentis manus munerum maculis ne ſordeſcant.

MAgna vi munera pollent: muneribus ſæpe, quæ non armis fortiſſima ſternuntur mœnia; vinciuntur corda, & in donantis rediguntur ſeruitutem: iuſtitia item violatur, iniuſtum amplectitur, & munerum pondere in altum leuantur indigni vacua ſtatera. Abſint dona, & æquum, & iuſtum intemeratum ſeruabitur. Ob hoc Plutarchus Commentario de Iſide, & Oſiride refert, ſimulachra Thebis conſecrata iudicum fuiſſe manibus mutila, & reddit rationem: *Quod abſtinens*, inquit, *& immota ſit iuſtitia.* Caueant ergo iudicantium manus, ne corrumpantur muneribus, ne donis, quod iuſtum eſt, non ſeruetur. Quanta elegantia Nazianzenus inter alias ſententias, ſoluta oratione, quod diſtichis cecinerat, docuit. *Munera faciunt*, inquit, *vt ſapientes quoque viri hallucinentur: atque vt aues laqueo, ſic homines auro capiuntur.* Sed accipe eiuſdem carmina. 23.

Plutarch.

Nazianz.

Vel mente cæcat præditos munus bona
Quod rete auibus eſt, munus hoc mortalibus.

Caueant ergo Præſules (iterum admoneo) ab his munerum laqueis, vt manibus mundis ſeruent iuſtitiam.

Acceperat Abrahamus in ſenectute filium, parentum gaudium populorum ſpem, magnæ gentis originem; dilectum vt vnicum, quòd ſero donatum, & quòd in eo ſterilitatis damna fuerant reſarcita. Quid inde. Diuina voce poſtulatur ad victimam. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum*, &c. Geneſis vigeſimo ſecundo, numero ſecundo, Feſtiuus, & lætus aecerſiuit Iſaac paterna manu 24. Gen. 22. n. 2.

feriendum, & cum duobus pueris vna gradiuntur Sacerdos, & victima: & de Abrahamo
Ibid,n 6. tandem dicitur, ibidem, num.6. *Ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium.* Miror, patrem gentium vtramque manum occupatam habere. Cur in vna gladium, & in altera ignem tenet? Vt innoteſcat omnibus, quod ſi Abraham proprio pepercit filio, id fecit ex Dei obedientia, non allectus muneribus, causâ iugulandi filium aſcendebat ad montem; in eoque ſacrificio pater ſimul erat, & Sacerdos (vt Sanctus Zeno Veronenſ. ſermone ſe-
ZenoVeron. cundo de Abrahamo dixerat: *Nec deeſt ad*
Ibid n.6. *miniſterium gladius, vt pater eſſet pariter, & Sacerdos.*) Quod eſt dicere: Abraham in filij ſacrificio ſacerdotale munus obibat, & Præſulis, vel Rectoris figuram præſeferebat. Vt ergo neminem lateat, iuſtitiæ æquitatem ſumma manuum puritate ſeruaſſe; vtramque manum igne, & gladio occupatam oſtendit, ne de tanto viro, & ſeuero iudice, qui dilecto filio non pepercit, muneribus filium ab ictu gladij liberaſſe ſuſpicari poſſet, vtramque manum iuſtitiæ inſtrumentis occupatam manifeſtat, quaſi ad munera aſpicienda inutilem.

25. Vidit Pathmeus Vates filium hominis inter ſeptem candelabra aurea fulgentem, talari tunica ornatum, aurea Zona ad mammillas præcinctum, &c. Et ait Apocalipſ. 1. numero
Apoc.1.n.16 decimo ſexto. *Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut Sol in virtute ſua.* Omnia, quæ in hac viſione deſcribit Ioannes, omni admiratione ſunt digna: ſed nunc quod meum excitauit ingeniolum, eſt; cur Chriſtus Dominus ſolùm in dextera habet ſtellas, & non in ſiniſtra? Cur illa ſtellarum radiis fulget; iſta verò illis caret? Ni fallor: quia hîc Chriſtus Dominus imaginem iudicis protinus ſententiam prolaturi præſeferebat. Cùm ergo ſola dextera ſit ſcriptura ſententiam, non ineptè tot ſtellarum radiis circumfulget; vt omnibus innoteſcat manum illam non muneribus, ſed cœleſtibus fulgoribus occupari, nihilque habere, quod perturbare poſſit iuſtitiam. Richardus Victorinus apud Viegas ad hunc locum inſinuat co-
Rich.Vict. gitatum, dicens: *In manu, id eſt, in poteſtate Chriſti dicuntur eſſe, vt ipſo cooperante Eccleſias ſibi commiſſas dignè poſſint gubernare.* Comparat Richardus ſtellis Epiſcopos, & Prælatos, qui in manu Chriſti eſſe dicuntur, vt æquanimiter poſſint gubernare Eccleſias. Habeant ergo Prælati in manibus ſtellas, vel manus mundas ſicut ſtellas, quemadmodum manus Chriſti oſtenduntur, vt eorum puritas pateſcat, vtpotè habentium manus à muneribus vacuas, & radiis cœleſtibus ſolùm coruſcantes. Sic iuſtitia non errat, ſic indignis præmia non conferuntur; ſic tandem inſontes non punientur, nec liberabuntur nocentes.

26. Miror magnopere, Deum, qui tanto ſtudio Pontificis, & Sacerdotum præuenit, ſapientes inſtruendo, vt exactè illa conficerent; cúmque à capite Aaronis vſque ad talos non deſit ornatus, manibus nullum præſcripſiſſe. Capiti aſſignauit tiaram; laminam auream fronti; humeris pretioſos lapides impoſuit; pectus fulgentiſſimo Rationali cuſtodiuit; Ephod, ſeu ſuperhumerali tegitur corpus; renes pulcherrimo, & variegato cinguntur baltheo; tandem duplici toga byſſina, & hyacinthina totus ornatur Sacerdos, & apparet venerabilis, cur manus omni ornatu ſunt deſtitutæ? Clemens Alexandrinus difficultatem auxit
lib.5.ſtromatum, cum dixit, *Manus autem, vt* Clem.Alex.
opinor, principium eſt humerus. Si ergo humeri ſunt manuum initia: cur humeri lapidibus onychinis ornantur, manus verò omni carent ornamento? Dices, quia ſat eſt manibus, ornatam, & fulgidam habere originem. Bene, ſed meliùs ad rem noſtram auſculta. Non ornantur manus, ne ſuſpicionis macula onerentur. Humerorum ornatus labori potiùs, quàm cupiditati tribuitur; (lapides enim onychini, etſi honore afficiebant, onerabant Pontificem) manuum ornamentum cupiditati potiùs, quàm ſollicitudini imputaretur. Cùm ergo Deus tot veſtibus, & ornamentis deſideraſſet, illius populi Prælatum iuſtum, & venerabilem apparere, manus Sacerdotis ab ornatu excludit, vt nemo, vel leui dubio eas maculare præſumat, videns à muneribus vacuas. Quàm aptè Gregorius Magnus 2. part. Paſtoralis, cap. 2. dum ait: *Neceſſe eſt, vt eſſe munda ſtudeat manus, quæ di-* Gregor.
luere aliorum ſordes curat: ne tacta quæque deteriùs inquinet, ſi ſordida in ſe mens lutum tenet. Ita enim dedecet, Præſulis manus muneribus corrumpi, vt nec leuem vmbram recipiendi in manibus Pontificis non permiſerit Deus, & ob hoc eas non ornauit.

ILLATIO XLI.

Præſul munera accipiens, principatum amittit: qui illa ſpernit ſanctus eſt, & iuſtus.

QVi clauem tenent Reipublicæ omnibus dominantur, ni manus ad munera extendant: ſin aurem, incidunt in miſeram ſeruitutem. Non pudet, repetere Nazianzeni carmina præcedenti illatione relata. 27.

Vel mente cæcat præditos munus bona.

Quod rete auibus eſt, munus hoc mortalibus. Nazianz.

Auicula ſimplex liberè volabat antequam laqueorum fallaciis deciperetur; at ſemel irretita miſera detinetur captiuitate. Non aliter auro, & muneribus capiuntur Rempublicam dominantes. Qui ſemel dona recipiunt, è ſublimi conſulatus ſolio miſerè incidunt in foueam ſeruitutis, & deſpectus.

Præſulem orbis, etſi de limo terræ, Deus plaſmauit hominem; ab incunabulis regno deſtina- 28.
batur. Id oſtendit diuinus opifex Gen.1. n.26.
cùm dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, &* Gen.1.n.26.
ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Vix homo prodit in lucem, cùm Deus liberaliter rerum omnium contulit principatum, ibidem, num. 29. ſub pacto tamen, quod ab vnius arboris abſtineret eſca. Sed Proh dolor! Malè inſtructus, blanditiis ſponſæ allectus, & eius ſuaſionibus aquieſcens

cens, pomum accepit, comedit, ſibi, & poſteritati venenum propinauit. *Tulit de fructu illius, deditque viro ſuo, qui comedit. Et aperti ſunt oculi amborum: cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos: conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* ibidem, cap. 3. à num. 6. In tantam pauperiem ſunt redacti, qui paulò antea orbi dominabantur, vt ſolum virentia folia haberent, quibus ignominioſam nuditatem operirent: & tandem à Paradiſo voluptatis expulſi, in terram velut expoſiti ſunt proiecti. *Et emiſit eum Dominus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua aſſumptus eſt.* Ibidem 3. num. 23. O infelix homo, in quot mala pomi cupedià deueniſti! Sed cur, bone Deus, tanta pœna plectitur homo, quem formaueras? Cur opus tuum ita deſpicis? Sat ſit ei nuditatis verecundia, quam paſſus eſt. Suſpende, ô Pater piiſſime, & Pater conſolationis, ſeueritatem iudicij, ne cadat homo à culmine principatus! Dedecet enim tantam munificentiam, tam citò auferre, quod libenter dederas: Ne ergo deponas eum à totius orbis gubernaculo! Nimis ſeueram pœnam imponis pro vnius pomi cupiditate. Non ita eſt iudicandum de diuina miſeratione, & iuſtitia; cùm præmia vltra condignum, pœnas citra dignitatē culpæ conferat. Hic namque Deus iuſtum, vt ſemper, profert iudicium. Si enim homo orbis præſul conſtitutus contra Dei legem pomum accepit: quid mirum ſi principatum amittat, & Paradiſi dominatione ſpolietur? D. Chryſoſt. homil. 17. in Geneſ. rem hanc attigit dicens: *Quoniam, inquit Deus, tam negligens fuiſti in obſeruando meo mandato, neque timor te coercuit, neque interminatio calamitatis eſum conſecutura: ſed in tantam malitiam peruenisti, vt neque ab vnico hoc ligno, tibi temperaueris, tametſi tot, & tantis tibi frui liceret: ideo maledicta terra in operibus tuis.* Quaſi diceret Adamo: meritò regni poteſtate, & ſplendore priuaris; quia cùm eſſes omnium Dominus ab vnico ligno, non tuo, non abſtinuiſti, accipiens vetitum pomum. Præſul erat Adam; quare ab alienis debuit abſtinere: ſed quia cupidus ad non ſua manum extendit, regno, & principatu priuatur. Caueant ergo Præſules, ne contra Dei ſtatutum, vel minimum pomum recipiant: quia in cupiditatis pœnam à dominationis culmine præcipites miſerabiliter ruent.

Ibid. cap. 4. à n. 6.

Ibid. 3. n. 23.

Chryſoſt.

29. Aduersùs Principes, & Iudices Iſrael, qui ſubuertebant iuſtitiam, terribili, & magna comminatione inſurgit Michæas cap. 3. n. 9. *Audite hoc, Principes domus Iacob, & Iudices domus Iſraël: qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis: qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate. Principes eius muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Generaliter hic aduerſus Iudices, & Pſeudoprophetas, & contra Sacerdotes, & eos, qui ſibi Dei pollicebantur notitiam, texitur ſermo Dei. Arguuntur, quod propter ſcelera eorum Sió quaſi ager aranda ſit; & Hieruſalem velut aceruus lapidum corruitura; & templum illud, quondam nobile, priùs auro, & argento fulgentiſſimum, in cineres comminuendum. *Propter hoc* (proſequitur Propheta, n. 12.) *cauſa veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem, quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.* Verùm ſi cauſam tantæ ruinæ inueſtigemus (teſte Hieronymo ad hunc locum) ea eſt: *Quòd ſiquis, inquit, de Principibus videbatur iudicare quod erat rectum, vendebat magis ſententiam, & muneribus iudicabat.* Meritò ergo ſceptra Sion in atra commutantur, templi maieſtas collapſa fuit in vltimas ruinas, & Hieruſalem in cumulos verſa ſaxorum. Placet & Eliæ Cretenſis verba afferre, hoc ipſum expendentis in Commentario orationis primæ Nazianzeni. *Nam & Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes mercede reſpondebant, & Prophetæ in pecunia diuinabant. Arbitror autem hic quoque rurſum Pſeudoprophetarum mentionem fieri, non autem eorum omnino, qui ex legis præſcripto ſacrificabant, ac veri Sacerdotes erant, verum quibus hoc in conſuetudine poſitum erat, vt ad huiuſmodi dignitates irrepérent, ac pecunia ſibi gloriam compararent. Neque enim ſanctus Propheta, aut verus Sacerdos, huiuſmodi delictis animam ſuam obſtringit. Execranda quippe res eſt, ac Deo maximè inuiſa, iudicium iniquum, ac munerum acceptio. Nec verò vllo modo à crimine abſunt Prophetæ, aut qui Sacerdotio funguntur, cum mercede ſeſe addicere, in animum inducunt, vt ita demum ſe ad eos, à quibus adeuntur, verba facturos polliceantur, ſi pretium, ac munera ſecum afferant.* Expende quæ ſequuntur: *Ob quæ, quidnam futurum, & euenturum ſit, ex ipſomet Propheta audiamus. Sion, inquit, vt ager arabitur, & celebris illa Hieruſalem tamquam pomorum cuſtodia erit: hoc eſt, peruaſtata, & ſubuerſa.* Vides, quid ſibi iudices, & Prælati acquirant ex iniqua munerum acceptione. Quid, niſi regni ruinam, & principatus in ſeruitutem commutationem, acceptis pecuniis emunt Præſules, & Principes?

Michæas 3. num. 9.

Ibid. n. 12.

Elias Cret.

30. Tandem ſicut munerum corruptione Iudices, & Præſules regna deuaſtant, Magiſtratus amittunt, & quod iniquum eſt, non dubitant perpetrare: è contrario, qui munera ſpernunt, regna conſeruant, dominatum tenent, & iuſtitia florent. Quanta religione Anna illa Elcanæ vxor cùm Samuëlem puerum Deo conſecraſſet, orabat, dicens: *Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.* Caiet. hæc verba exponens ait: *Non eſt ſanctus ſicut Iehouah: hoc eſt non eſt mundus aliquis, ſicut fons eſſendi, quia ipſe ſolus eſt actus purus, mundus ab omni potentialitate: reliqua enim omnia immunditiæ aliquid habent, eo quòd admixtum habent aliquid potentialitatis.* Rurſus illud: *Non eſt fortis ſicut Deus noſter*, Legit Caiet. *Non eſt fortis ſicut Heloë noſter ad fortitudinem poteſtatis manifeſtè ſpectat.* Profundiorem ſenſum habent verba Caietani, quàm putamus: quamobrem examinare ea oportet, vt ex eorum indagine theſis noſtra roboretur. Ecce cauſalem. Quia Deus, qui totius eſſe fons exiſtit; eſt purus actus: ideo inter omnes maxima pollet ſanctitate. Homines autem, imo & ipſi Angeli, quia potentialitatem non reſpuunt, quantauis gaudeant ſanctitate, diuinam nequeunt coæquare. Sed quid intereſt, quòd Deus purus actus ſit, vt exinde Caietanus ſummam Deo tribuat ſanctitatem? Quanto acumine id, ni fallor, intulit.

1. Reg. 2. n. 2.

Caiet.

Nam purus actus, (vt ex Theologia didici,) omnem potentiam recipiendi excludit: ſicut pura potentia (docui in Philoſophia) omnem actum ſpernit. Rectè ergo intulit Caietanus, non eſſe Sanctum ſicut Deum, non eſſe Dominum ſicut Dominum, neque fortem ſicut ipſum, cui vis paſſiua, & recipiendi repugnat potentialitas. Sancti ſunt Angeli, ſed valent recipere accidentia: hominum quamplurimi ſanctitate florent, ſed cum potentia recipiendi. Ergo non ſunt ſancti ſicut Dominus. Deus noſter omnes infinita ſuperat ſanctitate: quia purus actus, quia ad recipiendum impotens: *Quia ipſe ſolus eſt purus actus, mundus ab omni potentialitate.* Deinde Caietanus non ſolùm hîc Deum conſiderat vt Deum, & Dominum, quia mundus eſt ab omni actu recipiendi; ſed ob hoc etiam ipſum vt ſupremum iudicem proponit. Nam, vt dixi, vbi Sacer textus ait: *Non eſt fortis ſicut Deus noſter*, legit Caietanus: *Non eſt fortis ſicut Heloë noſter.* Hæc vox, *Heloë*, iudicem ſignificat. Quod eſt dicere: ſanctitatis in eſſendo, dominandi, & fortitudinis attributa Deo adſcribuntur, quia ab omni receptione mundus eſt. Eſt ergo Deus excelſus Dominus, integerrimus iudex, quia purus actus, & mundus ab omni potentialitate. Cùm ergo homines ſanctitatem, imperium, & fortitudinem habeant, & participent ab illo ſupremo totius eſſe fonte; abſque dubio illi ſanctiores, prudentiores, & fortiores erunt, qui diuinam recipiendi impotentiam imitantes, munera, quorum capaces exiſtunt per naturam, aſpernantur per iuſtitiam.

31. Non manibus (vt diximus præcedenti illatione, n. 26.) Deus elegantiam, aut ornatum aſſignauit, cùm totum ornauit Pontificem: vt exinde manuum eius munditia, & innocentia à muneribus ſuſcipiendis conſtet ſimulque eius Sacerdotium duraturum, vſque dum corrumperetur donis, quod finitum fuit, quando pecuniis comparabatur. Ex hac manuum puritate ſanctitas Sacerdotis apparebat, & regni firmabatur potentia. Solus enim ſanctus, fortis, & Dominus poteſt dici, qui à muneribus, quaſi impotens, abſtinet, in ſublimitate principatus ſedens.

ILLATIO XLII.

Qui patientia ornatur, eſt verus Dominus: impatiens autem à dominandi ſolio deponitur.

32. QVam excellens virtus ſit patientia, ſatis aptè explicuit D. Cypr. ſerm. 3. de bono patientiæ in initio, dum ait: *Eſt enim nobis cum Deo virtus iſta communis: inde patientia incipit, inde claritas eius, & dignitas caput ſumit. Origo, & magnitudo patientiæ Deo Authore procedit.* Quid aliud eſt; cùm Deus, me expectat peccatorum laqueis irretitum, niſi me patienter ſuſtinere, vt tanto inſtructus exemplo, dicam pati, qui tantum Dominum, ſine Magiſtro didici offendere? Ab ipſo Deo proceſſit patientiæ magnitudo, vt exinde manifeſtè conſtet illius excellentia. Ergo cùm Deus non dedignetur patientia ornari, cùm ſit omnium Dominus; abſque dubio patientia dominantis eſt inſigne. Vnde, qui illa condecoratur, dum eam habet, imperio eſt dignus; cùm eam deſerit, principatum amittit.

Cyprian.

Priorem partem huius theſis comprobare licet ex illo impiiſſimo ſcelere, quod abutentes patientia Chriſti perpetrarunt Iudæi, nefariis manibus aureo illius capiti coronam ſpineam imponentes; & in ludibrium, & irriſionem induentes illum veſte purpurea. Marc. 15. n. 17. *Et induunt eũ purpurâ, & imponunt ei, plectentes ſpineam coronam, & cœperunt ſalutare eum: Aue Rex Iudæorum.* D. Ambr. piè, & eleganter, vt aſſolet, rem hanc expendens in c. 23. Luc. ſic ait: *Quod deteſtabili licèt mentis operẽtur affectu, honoratum tamen exitum produnt, cùm pungentes coronant, & illudentes adorant. etſi corde non credunt, quẽ perimunt, confitentur. Illis defuit boni operis affectus; Deo tamen ſuus non defuit honor, qui ſalutatur, vt Rex; coronatur, vt victor; quaſi Deus, & Dominus adoratur.* Abſtruſa ſanè videtur mens Ambroſij. Nam quî fieri poteſt, vt ſalutetur, vt Rex, coronetur, vt victor, & adoretur vt Dominus; ſi illuditur, ſi deſpicitur, ſi irridetur Chriſtus? Rex ſalutatur ſubmiſsè, reuerenter, & vrbanè; victor coronatur gloriosè, Deo religiosè cultus exhibetur. Nullo ex his modis ſalutatio, cultus, & corona tribuebatur Chriſto. Quomodo ergo putat Ambroſius, in ipſa irriſione coronari opprobriis, contumeliis ſalutari, & adorari ſaliuis? Quia tunc Chriſtus, cùm tot iniuriis afficeretur, patienter tacens, ſuſtinebat libenter. En ergo tibi cauſam, propter quam, *Deo ſuus non defuit honor, qui ſalutatur, vt Rex; coronatur, vt victor; quaſi Deus, & Dominus adoratur.* Nam ita patientia eum ab irriſionibus vindicauit; vt ex contumeliis, & probris ei fabricet pretioſam coronam: quia nullo titulo glorioſiori corona redimitur Rex, & ornatur purpura, quàm cùm condecoratur patientia.

33. Marc. 15. n. 17. Ambroſ.

34. Celebrat Apoſtolus ſummis elogiis celſitudinem charitatis. 1. ad Cor. 13. n. 4. dicens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Totus eſt Paulus in commendatione charitatis; & meritò. Sed mihi anſam præbuit inquirendi Pauli ſtylus. Nam charitatẽ commendare incæpit à patientia, & elogia eius finiuit ab eadem virtute. Primum dixit: *Charitas patiens eſt.* Deinde: *omnia ſuffert.* Tandem: *omnia ſuſtinet.* Sed quid patientia cum charitate? Charitas omnium eſt regina virtutum; omnibus imperat; & ſine illa quaſi ſine vita ſunt reliquæ virtutes. Quomodo ergo Apoſtolus, vt charitatem extollat, patiẽtiæ vtitur argumento, & eam velut ſufferentiæ ornamento condecoratã proponit? An quia charitas nequeat ſine patientia conſiſtere? Regina enim eſt patientiæ, ſicut cæterarum virtutum, & ſine patientia forſan non haberet principatum. Nam ſic hæc virtus Principibus debet eſſe ingenita, vt ſi abſit, principatum amittere vereantur. Vt ergo Apoſtolus efficaci probaret argumento, charitatem cæterarum virtutum habere dominatum, totam vim infert ex patientia. Non hoc latuit Tertullianum, qui ſatis ſe explicuit libro de patientia, capite duodecimo: *Nã dilectio*, inquit, *ſummum fidei* Tertull.

1. ad Cor. 13. n. 4.

fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Sancti Spiritus commendat, cuius nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est: ita patientiam sumit. Benefica est: malum patientia non facit. Non æmulatur: id quidem patientiæ proprium est. Non proteruum sapit: modestiam de patientia traxit. Non inflatur, non proteruit: non enim ad patientiam pertinet? Nec sua quærit, suffert sua dum alteri prosit, nec incitatur. Cæterum quid impatientiæ reliquisset? Ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, vtique quia patiens. Expende singula, & inuenies, charitatem ita in se habere imbibitam patientiam, vt vnica virtus existimetur. Quid mirum, quòd charitas cæterarum virtutum sit regina, quæ ex patientia sibi consecrauit diadema?

35. Huius rei non inutilem, nec inuenustam confirmationem inueniemus apud Ioannem, & Marcum. Ille refert cap. 6. num. 15. quòd cùm turba illa, quinque panibus, & duobus piscibus diuinitus satiata, grato animo Christum regem acclamare pensitaret, fugit in solitudinem, purpuram, & coronam spernens. *Iesus autem,* inquit, *cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Non sic regiam maiestatem renunciauit, cùm ab iniquo iudice quæreretur de regno. Habes apud Marcum. c. 15. num. 2. *Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait illi: tu dicis.* Sed cur Dominus coram Pilato se regem confessus est; & cùm populus deuoto animo, & grato affectu in solitudine vix cogitat eum in dignitatem regiam leuare, fugit in abdita montis? Coram præside iniquo regnum fatetur, & à populo oblatum spernit: quia in eremo plausibili turbæ acclamatione offerentis regnum inuitabatur ad purpuram: in prætorio improperiis plenus inenarrabilem patientiam exercebat, tanto silentio, vt ipse miraretur Pilatus. Ob hoc ergo in eremo regnum renunciat, & apud Pilatum admittit; quasi aptior locus sit fruendi maiestate, dum exercetur patientia, quàm cùm laudibus communis demulcet applausus. Adsit iterum Tertullianus eodem lib. de patien. cap. 3. de Christo loquens: *Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Christi patientiæ tribuenda est regni confessio apud Pilatum: nec voluit vsque tunc, acclamari vt rex; quia ibi coronabatur patientiâ.

Ioan. 6. n. 15.

Marc. 15. n. 2.

36. Accipe iam posterioris thematis confirmationem. Vxoris blanditiis consentiens Adam vetitum fructum comederat, & mortifera fame totam damnauit posteritatem. Quid inde? In pœnam flagitij electus est è Paradiso, & miseræ adstrictus seruituti, qui totius orbis felici potiebatur imperio. Genes. 3. num. 23. *Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua assumptus est.* Sed cum homo tam subitò orbis priuatur dominio? Eleganter respondet Zeno Veronensis serm. de patientia. *Denique Adam,* inquit, *in arce cùm esset adhuc paradisi constitutus, beatissimusque beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit: at vbi sinistro consensu inuidi ex lubricitate serpentis est impatientiam mutuatus, sacraque arbori pomum malè dulce debibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus, spinas, & tribulos sibimet comparauit: vltimoque sudore turbatus posteris hæreditatem ingestæ mortis, quæ homicidium mox peperit, dereliquit.* Accipe sensum in apertam thematis comprobationem. Patienter homo illuc vsque arboris sustinuerat interdictum: postea suasoriis sponsæ verbis acquiescens, amittens patientiam, arboris interdictæ pomum malè dulce libauit. Meritò ergo priuatur Paradiso, ex orbis imperio. Nam qui patientiam frangit, indignus efficitur, vt alios gubernantis splendore moderetur.

Gen. 3. n. 23.

Zeno Veron.

37. Nam ob aliam causam (si credimus Tertulliano lib. de patientia cap. 5. infelix ille Angelus priuatur principatu cœlestium spirituum: & qui matutino fulgebat splendore, obscuratur tenebrarum caligine. Audi Isaiam c. 14. n. 12. eum interrogantem. *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Quæ verba expendens Tertullianus loco citato, impatientiæ Angeli miserum hunc lapsum attribuit. *Quid primum,* inquit, *fuerit ille Angelus perditionis, malus, an impatiens, contemno quærere? Palam cùm sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam; deinde inter se conspirasse, & individuas in vno patris sinu adoleuisse.* Impatientia vulneratus, Angelus ille, qui inter cœlestes phalanges primus fuerat constitutus, impatienter tulit, solium suum infra astra collocari. Hinc eius est auspicata malitia, qua præceps ad infernum corruens, ibi misera infelicitate igneo carcere detinetur inuitus. Meritò ergo, qui impatienter tulit altissimi celsitudinem, ob suam superbiam impatientem, impatientiæ visceribus conceptam, & & eius vberibus enutritam, astrorum amisit principatum, & in tenebrarum mutatus est principem. Sic enim plectitur impatiens.

Isaiæ. 14. n. 12.

Tertullian.

38. Ex auro filato fabricatur harum vestium textura. Non abs re per aurum hîc patientiam, qua ornari debet sacerdos, possumus intelligere. Nam sapientiæ 3. num. 6. per aurum patientes intelliguntur. *Tanquam aurum in fornace probauit illos.* Vbi Interlinealis explicat. *Sicut aurum in fornace non vritur, sed probatur, ita martyres non deficiunt; sed ad gratiam præparantur.* Quare non omisit sacer textus n. 5. *Et inuenit illos dignos sc.* Id est, prosequitur Interlinealis: *Participatione beatitudinis suæ.* Vide qualiter per patientiam martyribus fabricetur corona beatitudinis regnaturis cum Christo in sempiternum. Qui namque patienter sustinet calumnias, probra, castas, & tot tormentorum genera, quæ dira tyrannis adinuenit, ad coronam præparatur, & ad purpuram tingendam sanguine patienter effuso: sicut patientiam amittens, non solum regnum, seipsum

Sap. 3. n. 6.

Interlin.

perdit. Iure ergo ad ornatum Pontificis aurum assignatur, in signum patientiæ, quæ verum eius principatum annunciet, firmet, & confirmet.

Illatio XLIII.

Patientiæ creditor amor: & amoris patientia: mutua adstringuntur obligatione.

39. NEscio, an amoris patientia, vel an patientiæ debitor sit amor? Vtrimque dubia est solutio. Nam amantis feruidus affectus absque dubio debet rigori patiendi. Ardenter enim amare, & anxietates, & pænas omittere, tepidi est indicium amoris, imo suspensio ab amore potest reputari. Amare autem, & pro dilecto libenter pœnas amplecti, ardentissimi amoris est argumentum. Ergo amor absque dubio debitor existit anxietatis patiendi. Ex aduerso patiendi molestia debet amori. Quia pati pœnam absque amoris solatio, licèt in te patiatur tormentum, tamen impatienter admittitur: at si consortium adsit amoris, ipsæ pœnæ affectui lenocinantur, & quod videbatur tormentum, amplectitur deliciatum specie. Ergo pati ipsum magna obligatione adstringitur amori. Quid ergo dicendum sit, haud facile est. Sed dicamus tantam esse inter amantem, & patientem affinitatem, vt mutuò sese correspondeant. Debet ergo & amor patientiæ, & patientia amori.

40. Amore erga nos ardebat Iesus, & vt patiendi desiderio præberet lenocinium, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum sub panis, & vini specie liberali manu largitus est: hoc tamen ingenio, vt caro à sanguine separata repræsentetur, crucis cruentum sacrificium in incruento Eucharistiæ præsignans. Angelicus Doctor S. Thom. 3. p. quæst. 81. art. 1. disertis verbis docet, Christum Dominum, cùm Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, corpus suum, & sanguinem sumpsisse, posteaque discipulis tradidisse sumendum. S. Thom. *Christus ea, quæ aliis obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit: Vnde & ipse prius baptizari voluit, quàm aliis baptismum imponeret, secundùm illud actorum 1. cœpit Iesus facere, & docere. Vnde & primò ipse corpus suum, & sanguinem sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit.* Sed cur Dominus corpus, & sanguinem sumpsit? Præter rationem adductam à S. Thoma, alia superest non contemnenda, & præsenti instituto maximè deseruiens. Voluit ergo Christus corpus suum, & sanguinem sumere, vt patiendi desiderium expleret. Amor, & patiendi rigor certabant. Amor gloriabatur de sublimitate, & magnitudine; siquidem ipse Deum humano operimento tegit, ita vt qui temporibus dabat æternitatem, humanam vitam mutuaretur ex tempore. Insuper amor totũ Deum præstiterat in conuiuium. Patiendi desiderium pro salute hominum superari videbatur ab amore. Quid tunc Christus, vt mutua esset victoria inter amorem, & patiendi desiderium? Corpus suum, & sanguinem sumpsit in Sacramento, vt sic quod amor obtulerat velut duplicatum offerret in cruce. Idem corpus, idem sanguis erat: sed patiendi desiderium velut duplicauit: In cruce cruore purpureum; in Eucharistia cum cruore incruentum. Ecce ingenium patientis, & simul amantis. Sanguinem bibit, & corpus sumpsit, vt totum, quod amor ardenter obtulit, patienter offerret duplicatum quodammodo. Nam amor patiendi desiderio debebat corpus, & sanguinem oblatum in cruce: & debitum soluit in Eucharistia, cùm in illa idem corpus, & eundem sanguinem tradat; imo cùm corpus, & sanguinem, prout latent in Eucharistia, ipse recepisset Christus, dedit amor desiderio patiendi, tantum quantum obtulit in cruce. Ergo & desiderium patiendi debet amori, & amor desiderio patiendi. Illud, quia ab Eucharistia recepit corpus & sanguinem Christi, vt offerret in cruce: iste quia desiderium patiendi fecit, vt offerret in cruce corpus, & sanguinem, quæ latent in Sacramento. O felix certamen in quo vincit amor patiendi desiderium, & ab hoc desiderio vincitur amor.

41. Hoc mutuum debitum, quod intercedit inter patiendi anxietatem, & ardorem amandi explicuit Isaias cap. 6. num. 2. agens de Seraphinis, qui in Dei solio volabant stantes. Isaiæ. 6. n. 2. *Seraphim*, inquit, *stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Sed cur, cùm isti Seraphini, vnusquisque senis ornetur alis, non volant alis supremis, nec infimis, sed illis tantùm, quæ à lateribus dimanabant? Quatuor alæ, in quolibet, otiositati deseruiunt, & tantùm duæ ministerium suum implent (nec parum est, quod ex sex duæ non omittant suam functionem) Alæ ad volandum institutæ sunt ex sua natura, non ad velandam pulchritudinem faciei, aut pedum breuitatem occultandam: cur ergo non omnibus volant Seraphini, sed tantùm illis, quæ in medio sitæ fuerant, à pectore nascebantur, vel pectori erant proximiores: *Pectus* (teste Clemente Alexandrino lib. 5. stromatum) *est habitaculum cordis, & animæ.* Clemens Alexand. Volabant ergo Seraphini solùm alis pectori vicinioribus, vt ostenderent, quòd alæ laborabant, quæ amoris solio sunt viciniores. Quod est dicere: quia ardentissimo amore flagrant Seraphini, in corde constituto, alis cordi propioribus solùm volant. Nam cùm cor voluntatis sit centrum, ad cordis alas spectabat, & non ad alas capitis, & pedum, volandi suscipere laborem. Sed rem hanc altiùs expendere licet, & fulcire robore non vulgari. Dico ergo, has duas alas, quæ à cordis intimis telis procedebant, teneri ad continuò volandum; quia erant amoris alæ, & in tali exercicio figurabatur ex ipsis, & Seraphinis crucis quoddam simulachrum, quod patiendi erat signum manifestum, vt notauit D. Hieronymus tom. 9. serm. de Natiuit. Domini 30. vbi in vniuersum de omni volatili dicit. Hieron. *Aues quoque ipsæ quando in sublimiora tolluntur, & pendent per aërem, extensis alis imitantur crucem.* Sed quid interest Seraphinis, ex alis crucem formare, quæ à corde originem ducunt, vt dicamus illis volare, vt formam habeant crucifixorum?

fixorum ? Multum illis refert. Nam ; *Seraphim*, vt communi doctorum comprobatur calculo, ardentem amorem præſeferunt. Vt ergo Seraphini ſuo muneri ſatisfaciant, formam affectant patiendi, figuram oſtendentes crucis: *Extenſis alis imitantur crucem.* Nam ſi ſolùm amarent, & pœnas non paterentur, remiſſum affectum denotarent. Vt ergo à ſuſpicione tantæ calumniæ ſint immunes; crucis formam repræſentant ; patiuntur ſaltem in imagine, quò omnibus ſit compertum, amoris flammam laborum accendi procellis. Similiterque cordialibus alis crucem figurant, vt patiendi ſeueritas ſit delectabilis ſuauitate amandi. Ecce quomodo & patiendi rigor debet amori, & amoris creditor eſt rigor patiendi.

42. Pro huius thematis confirmatione magnum textum inuenies apud Matthæum cap. 27. num. 46. Ibi proponitur Chriſtus pendens in cruce manibus, pedibuſque confoſſis, barbaro ſpinarum diademate redimitus, quæ eius tempora fædauerunt lancinantes, ſic ad Patrem vltimum ferè verbum emittens : *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me ?* Omitto horum verborum expoſitiones Patrum, pro opportunitate traditurus. Duo tamen libet, inquirere forſan à præſenti inſtituto non aliena. Sit primum : cur Dominus, qui ardenti animo tormentorum horum flagrabat deſiderio, cùm humanæ ſalutis adeſt opportunitas, tunc diuina ope ſe deſtitutum oſtendit ? O bone Deus Derelictum te manifeſtas, è cruce pendens, & ad Patrem defers querelas ? Nonne quia crux differebatur triſtitiam in horto diſcipulis manifeſtaſti, dicens : *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem ?* Quod Tertullianus lib. de fuga in perſecutione cap. 8. ſatis explicuit cùm dixit : *Profeſſus quidem, & ipſe eſt : animam anxiam vſque ad mortem*, hoc eſt, prolixa afficiebatur anxietudine, vſque dum pro hominibus pateretur. Quomodo ergo cùm penderes è patibulo, in quo ſalus hominum erat conſummanda; derelictum à Patre te manifeſtas, cùm tunc poſſeſſione gauderes tui ardentiſſimi deſiderij? D. Bernardus ſerm. de Verbis Iſaiæ 2. mihi obtulit quædam verba, ex quibus non ſiniſtrè, quod intendo, confirmabo. *Quaſi quædam enim*, inquit, *derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta neceſſitate virtutis exhibitio.* Accipe ſenſum. Cognouit Chriſtus proximum iam eſſe vltimum animi deliquium, & præfinitum patiendi tempus adimpleri. Ecce cauſam quærelæ. Impatienter enim ferebat amor, diem præſcribere tormentis, quia putabat, fore tepori vertendum, ſi ab anxietate ceſſaret patiendi. Ideo ergo de Patre queritur, & ſe derelictum pronunciat, vbi in tanta neceſſitate non fuit exhibitio virtutis ; vt vita non finiretur, & patiendi amplius tribueretur occaſio.

Matth. 27. num. 46.

Matth. 26. num. 38. Tertullian.

Bernard.

43. Sed antequam diſcedamus hinc, poſterius dubium, quod promiſimus, examinare oportet. Tale eſt: cur Chriſtus non ſemel, ſed bis clamat ad Patrem : *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me ?* Sat eſſet, ſemel Deum appellare : cur bis Deum ſuum vocat ? Non deeſt, qui putet, geminata illa repetitione: *Deus meus, Deus meus*, Patris, & verbi ſignificari perſonas (Nec eſt mirandum, Chriſtum vt hominem de ſeipſo, vt Deo, & de Patre conqueri) ſicut trina Dei repetitione quæ in Pſalmo 66. num. 7. habetur : *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*, vt ibidem explicuit Genebrardus tres diuinæ hypoſtaſes deſignant : *Trina repetitio*, inquit, *nominis Dei non caret myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis.* Itaque (ſic me docet Epiſcopus Pacenſis Academia 21. num. 3. in Iudith) hîc Chriſtus in quantùm homo ad Patrem, & ad ſeipſum, vt verbum deferebat querelas pro tanta derelictione. Hînc tanti Doctoris luce inſtructus inquiram : cur non conqueritur de Spiritu Sancto ? Si Pater namque & verbum Chriſtum vt hominem derelinquunt, etiam Spiritus Sanctus (Actiones enim ad extra tribus perſonis ſunt communes) Quare non ad paracletum querelæ vocem emiſit ? Quia Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis, & ex ſua caracteriſtica proprietate procedit amor, in quo Pater, & Filius mutuo amore ſe diligunt, vt docuit Angelus Thomas. 1. part. quæſt. 37. art. 2. in corp. *Pater*, inquit, *& Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.* Quia ergo Spiritus Sanctus eſt ille amor æternus, æquum erat, vt de eo non quereretur Chriſtus, quando patiebatur in cruce. Nam de amore conqueri tunc, quia opportunitatem ei obtulit patiendi, iniuriæ verteretur amori, Conqueratur ergo de Patre, & de ſeipſo vt Deo, cùm vt homo crucis pendebat è ligno ; non tamen queratur de Spiritu Sancto : nam de amore querelam emittere, cum patiendo erat obnoxius, iniuria reputaretur amoris. Sic anxietudo patiendi, & ardor amandi mutuo correſpondent ; vt tormentorum prolixitas amoris ardore fiat ſuauis & patiendi acerbitas alleuietur amoris incendio. Vide qualiter amor debeat patientiæ : & patientia ſit debitor amoris.

Pſal. 66. n. 7.

Genebrar. Zerdà.

S. Thom.

Aurum aſſumitur ad ornatum Pontificis. Per hoc metallum, vt ſuperiori prædiximus illatione, inutiliter patientia præſulis denotatur. Inſuper per aurum amorem intelligit ſanctes Pagninus in ſua Iſagoge cap. 27. dum ait : *Auri nomine charitas intimatur.* Mirum eſt ſanè, per aurum modò denotari patientiam; modò charitatem. Quid enim habet charitas cum patientia, vt vnius metalli ſignificetur natura ? Profecto nihil aliud puto, quàm quòd charitas, & amor abſque patiendi rigore friget, & patientia abſque charitate facilè in impatientiam commutatur. Adſint ergo ſimul in auro ſacerdotali, vt patientia debeat charitati, pati libenter ; & charitas patientiæ ardenter diligere.

44.

S. Pagnin.

ILLATIO XLIV.

Vera ſapientia eſt, quæ in conſortio diuinæ charitatis reperitur.

QVid prodeſt homini ſcientiarum penetrare ſecreta, ſi diuini amoris careat incendio ? Factus eſt velut cimbalum tinniens formans ſonum, & ſpiritum non habens. Non enim miniſterium ſuum implet, qui bene intelligit, ſi ab amore Dei animum ſuſpendat: imo non bene intelligit, nec verè ſapiens eſt, qui

45.

qui inter intellectum, & amorem ponit diuortium. Vna namque ſapientia intellectus ſimul, & voluntatis indiget iuuamine.

46. Peccauit miſerè primus parens, & eiecit eum
Gen. 3. n. 24. Deus è Paradiſo: *Et collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Geneſ. 3. num. 24. ſat erat Cherubim ſine gladio, vt Paradiſum cuſtodiret: Virtus enim Angelica longè ſuperat humanam fortitudinem. Ad quid ergo Paradiſi ianitor gladium in manu tenet? Si vt homini terrorem incutiat, & ianuam referet Paradiſi, ſufficientiſſimè Cherubim aditum impediret propria virtute gladium vibrans: cur ergo non ſolùm enſe, ſed enſe flammeo Deus Cherubinum armauit? Philo Hebræus lib. de Cherubim, per flammeum enſem intelligit Dei doctrinam, per Cherubim plenitudine ſcientiæ ornatum, doctorem diuinis myſteriis bene inſtructum, & inter omnes ſapientem, & ad alios docendos
Philo. Hebr. aptum: *Sermonis flammeus gladius* (inquit Philo) *Veleciſſimus enim, & calidus ſermo eſt.* Oportuit ergo, vt gladius Cherubini, non ſolùm gladius eſſet, ſed & flammeus: quia cùm per illum Dei ſermo ſignificetur, non ſolùm debet ſplendorem emittere, verùm & ardorem fulgurare. Quaſi diceret: enſis Doctoris, hoc eſt, eius ſapientia non tantùm gladius luce micans ſplendenti, id eſt ſapientia; verùm & flammeus eſſe oportet, hoc eſt, charitate accenſus, vt apud Deum, & flammei gladij, & veræ ſapientiæ condecoretur honore. Habeat ergo Cherubicus gladius, qui ſapientis eſt ſcientia lucem ſimul & ardorem; notitiam, & charitatem, quibus vera ſapientia comprobatur. Hic enim eſt gladius ſapientum; & ideo Cherubino, qui ſcientiæ eſt plenitudo, tribuitur.

47. Iſaias cap. 14. num. 12. ſic interrogat An-
Iſaiæ. 14. num. 12. gelum illum infelicem: *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Prophetæ dubio reſpondet D. Bernardus ſerm. 3. de verbis
Bernard. Iſaiæ dicens: *Vt quid ergo tu, qui manè oriebaris Lucifer, & veritate non ſtetiſti, niſi quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens vel lucens interpretatur. Tu verò habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non habuiſti. Bonum tibi erat ſi ignifer magis eſſes quàm Lucifer.* Ille Angelus ſuperbè infelix, & infeliciter arrogans primas ferebat inter omnes Angelos, & ciues cœleſtes, vt
Tertull. docent Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 10.
Chryſoſt. longè à principio. Chryſoſtom. tom. 1. homil. de Adam, & Eua non parum à principio. Et
Hieron. homil. de caſu primi hominis. Hieronymus. In illud, Iob. 40. *Ipſe eſt initium viarum Domini.*
Gregor. Gregor. 4. lib. Moral. cap. 13. alias 12. & lib. 9. cap. 2. Auctor lib. 1. de mirabilibus ſcripturæ
Auguſt. apud Auguſtinum cap. 2. Iſidorus lib. 1. de
Iſidorus. ſummo bono cap. 12. num. 3. Bernard. ſerm. 1.
Bernard. de aduentu. S. Thomas 1. p. quæſt. 63. art. 7. &
S. Thom. communiter Doctores. Eminentiſſimus, & ſapientiſſimus erat omnium Angelorum, & inter Seraphinos primam ſedem tenebat. Cecidit ergo (vt notat Bernardus) quia Seraphini contempſit functiones, & de ſua ſapientia gloriabatur abſque amoris exercitio. *Seraphim* incendium ſignificat: quid ergo intererat huic Angelo, ſuprema potiti intelligentia, ſi cùm eſſet Seraphinus, in lateribus Aquilonis, quæ plaga frigidiſſima eſt, voluit ſedem ſuam collocare, & ab ardore recedere? Miſerè ergo corruit, quia inter ſcientiam, & ardorem excogitauit diuortium. Scientia namque amoris expers abſque dubio ducit in præcipitium.

48. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo,*
Lucæ 12. n. 49. *niſi vt accendatur?* Dicebat Ieſus diſcipulis ſuis Lucæ 12. num. 49. Ecce dubium: ſi Chriſtus ad nos deſcendit, vt pace feliciter potiremur, vt Angelus paſtoribus annunciauit: *Et*
Lucæ 2. n. 14 *in terra pax hominibus.* Lucæ 2. num. 14. quî fieri poteſt, vt terram flammis ardere deſideret? Quid terribilius incendio? Ibi omnium eſt confuſio: ibi omnium conturbatio. Quomodo ergo, qui pacem largitur terræ, eam accendere cupit? Pacem deſiderat Chriſtus, ſed cum igne: hoc eſt, quietem animæ, ſed cum ardore dilectionis. Sed audi Bernardum ſerm. 3. de
Bernard. verbis Iſaiæ dicentem: *Ignem veni mittere in terram. Dicas fortaſſis in igne, vt fernor ei quodammodo ſubſtantialior videatur: ipſum potiùs audiamus, quid magis in igne commendet. Ignem ait veni mittere in terram, & quod volo niſi vt ardeat? Cognouiſti certe quid velit.* Ignem ardentem cupit Chriſtus, non ignem, qui fulgorem tantum emittat: quod eſt dicere, pacem deſiderat inrer ſcientiam, & ardorem. Ignis quando accenditur, lucet, & ardet: hoc erat Chriſti deſiderium, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi, vt accendatur?* vel vt ait Bernardus: *niſi vt ardeat?* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: nolo luces, quæ ſolùm mittant ſplendorem; hoc enim eſſet inutile: ſed luces deſidero, quæ ardentes luceant, & lucentes ardeant. Lux ab igne procedens non ſolùm micat, ſed etiam ardet: ſic ſapientis ſapientia ſit, ſplendeat, ſimul & ardeat. Tandem dicito: ideo Chriſtum, qui pacem terris tribuebat, ignis incendium deſideraſſe: quia cùm ipſe ſapientia genita ſit, voluit aduentum ſuum annunciare non ſine ardoris conſortio, ne ab hominibus iudicetur ſapiens ſine ardoris incendio. Quia ſcientia ſine ardore in Dei ſchola, ſtultitia potiùs dicenda eſt, quàm ſapientia.

49. Eccleſiaſtici 27. num. 12. Spiritus Sanctus
Eccleſiaſt. 27. n. 12. aſſignat diſcrimen inter ſapientem, & ſtultum; illum ſoli comparat, hunc lunæ aſſimilat. *Homo ſanctus*, inquit, *in ſapientia manet ſicut ſol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Admirabilis ſanè comparatio & noſtrum thema maximè corroborans. Sed examinare placet, in quo ſapiens ſoli, & ſtultus lunæ aſſimilentur? Profectò quia ſanctus fulget in doctrina, & ardet in amore, hoc eſt intelligit, & amat. Ergo iure optimo ſolis gerit ſimilitudinem, qui non ſolùm fulget, ſed etiam calefacit, & ardet. Luna micat, fulgorem emittit, ſed non calefacit: hæc eſt ſtultorum proprietas. Multi ſunt magnis doctrinis eruditi, & quoad nos ſapientes, tamen apud Deum ſunt ſtulti, quia lucent, & algent. Non pudet me toties patronum affetre D. Bernardum magnum Doctorem, & charitate ardentiſſimum, qui ſerm. 3. citato rem noſtram mirificè confirmauit his verbis: *Luna*
Bernard. *vt aiunt, habet abſque fernore ſplendorem, ſed & ipſum mutuatur à ſole, ideoque tam frequenter,*

imo

imo & semper mutatur, nec vnquam in eodem statu permanet. Sic profectò stultus, vt luna mutatur, sapiens permanet vt sol. Ille inquam stultus, qui in decore suo perdidit sapientiam, id est, qui refriguit in splendore. Quid illustrius? Sunt plures Doctores magno ingenio pollentes, & scientiis omnibus variè instructi, sed in Dei amore hyeme ipsa frigidiores: hi lucent propter scientiam, sed algent ob amoris defectum, sed stulti prorsus sunt, eorumque sapientia stultitia dicitur, & accommodatissimè lunæ comparatur, quæ lucem, & splendorem emittit, sed feruore orbatum. Sunt & alij sapientes, qui sicut sol micant ardore simul, & luce. Hi profectò vera potiuntur sapientia: hi tanquam sol nunquam mutantur, semper permanent. Sic verus Doctor lucet, & ardet, intelligit, & diligit.

50. Per aurum (vt vidimus præmissa illatione ex sanctes Pagnino) charitatis ardor figuratur: si verò consulamus Gregorium. 2. p. Pastoralis cap. 3. inueniemus, per aurum intelligere sapientiæ ornatum, quo decorari debet sacerdos: Gregor. *In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget: vt in eo intellectus sapientia principaliter emicet.* Et quàm aptè per aurum scientiæ splendor, & charitatis flamma significatur; vt colligamus exinde parum prodesse Doctori, habere splendorem scientiæ, si feruore careat charitatis. In vtroque vera consistit sapientia: sine amore pro stultitia habetur.

ILLATIO XLV.

Generosus amor ægrè fert amati, vel minima diuidi distantia.

51. DIfficulter, qui mutuo amore se diligunt, distantia corporum separantur: nec sequestratione corporum affectuum catena rumpitur: tamen si discernantur amantes, velut amentes manent attoniti. Ob hoc Ennodius Ennodius. lib. 3. Epist. 14. dixit: *Quidquid charitate iunctum est, quidquid sanguinis catena sociatur, hoc distractum vix respirat per interualla regionum.* Impatiens est amor, si generosus sit, vt dilecti ferat absentiam: minorque comprobatur si corporum sustineat separationem: nam perfectus ita dilecti gaudet consortio, vt absque illo vix possit respirare.

52. Non leue thematis argumentum inferre licet ex illo animi deliquio, quo sponsa sodales suas conuocabat, inter suspiria has tristes Cant. 2. n. 5. emittens voces: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. num. 5. Flores expetit sponsa: an vt eorum pulchritudine, & varietate deliciata inducias tribuat amori? Absit hoc. Iniuriæ enim verteretur sponsæ, si à tanti dilecti amore vix suspenderet animum Cur ergo floribus desiderat fulciri. Profectò, quia languebat amore, flores expetit; non se viuam, sed mortuam iudicans: quasi dicens; amoris tela cor meum transfixerunt; ornate ergo me floribus velut in tumulo collocatam. Fortasse alluxit consuetudini, quæ olim viguit apud antiquos (& nunc est apud Hispanos in multis prouinciis) exornandi floribus corpora defunctorum, vt cecinit Prudentius.

Nos tecta fouebimus ossa Prudentius.
Violis, & fronde sequenti
Titulum, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Eandem consuetudinem refert D. Hieronymus Epist. 26. ad Pamachium dicens: *Cæteri mariti* Hieron. *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos.* Emortuam ergo se prædicat sponsa, floresque expetit, tanquam in tumulo iacens. Si autem cur iam se orbatam vita existimat, inquiramus? D. Bernardus serm. 51. in Cant. in absentiam sponsi totam causam reducit. *Post ista omnia*, inquit, *sponso* Bernard. *more suo secedente, illa languere amore se perhibet, id est, præ amore: Quæ enim gratiorem fuerat experta præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit substractio nempe rei, quam amas, augmentatio desiderij est: & quod ardentius desideras, cares agrius.* Abierat sponsus, & ægrè ferens sponsa sui amasij absentiam, se vocat emortuam, & tanquam iacens in ferculo, flores expetit, veluti in sepulchro condenda, denotans secessus rigorem. Amabat sponsa: *Et* Chrysol. *amor* (inquit Chrysologus serm. 147.) *quod amat, non potest non videre.* Imo si aspectus abest, si absentia mediat, iam iam amantis vltimus instat, & vrget dies.

Parum erga sponsam beneuolentiam declarauit sponsus, cùm semel atque iterum eius celebrans pulchritudinem totam appellauit formosam, & sui amoris patefecit incendium, Cant. 4. num. 1. dicens: *Quàm pulchra es amica* Cant. 4. n. 1. *mea, quàm pulchra es.* Et ibidem num. 7. *Tota* Ibid. n. 7. *pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Gúmque intueretur sponsæ abalienationem, vocibus, suspiriis, & anxietudine plenis eam vocitat, ibidem num. 8. *Veni de Libano, veni,* Ibid. n. 8. *veni coronaberis.* Disquiramus nunc an sponsus tunc sponsæ potiretur consortio? Vel an magna distantia eorum corpora, non animas, diuideret? Si rem attentè consideremus non longè erat ab sponsa, nam cum illa loquitur, cùm dicit: *tota pulchra es amica mea.* Ergo non erat absens. Ergo superfluè eius optabat præsentiam. Nam vana esset spes illius, quod possidetur. Cur toties repetit: *Veni, veni, veni de Libano?* Quanta mellifluitate occurrit Bernardus sermon. 29. *Vehementis affectus*, ait, *ar-* Bernard. *gumentum est, quod tertiò vocat.* Ardenter amans, & prudenter timens sponsus vocat sponsam; non quia longè distaret, sed quia aliquantulùm abesset. Propiùs erat illi; at illa quasi se retrahebat, & discedebat ab eo. Hoc ægrè ferens sponsus, non semel, sed iterum, atque iterum, vt accederet, rogabat vehementi affectu, vel paruam distantiam impatienter sustinens.

54. Ioan. 19. num. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, &* Ioan. 19. *aqua* D. Chrysostom. homil. ad Neophytos num. 34. post medium in 5. tom. inuertit ordinem: priùs aquam manasse existimat, deinde sanguinem. *Mortuo enim*, ait, *Iesu, & adhuc in cruce pen-* Chrysost. *denti, approximauit miles, latus lancea percussit, & exinde aqua fluxit, & sanguinis.* Vt mihi videtur sententia Chrysostomi textui non aduersatur. Nam Euangelium quid factum fuerit narrat, parum curans de prioritate, aut simul-

tate

tate fluxionis. Verùm quidquid sit de hoc, inuestigare libet duo inter alia, quæ arcanè continet hoc lateris vulnus. Primum, quod inquisitione dignum se offert, est: cur Deus, qui pro sua dignatione permisit, à populo Hebræorum tot flagitia committi in filij sui passione; non fuit passus, vt Christus vulnus hoc susciperet in latere, vsque dum in Paternas manus tradens spiritum spirauit? Si lancea adhuc viuens transfigeretur, dirissimo illo vulnere mereretur: iam verò emortuo, & consummata humani generis redemptione, quid illo meruit? Ergo congruentius esset, Christum percuti lancea, dum viueret, quàm illa transfodi post mortem. Cur non sic, sed post exhalatum spiritum lancea percutitur? Multa multi dixere. Sed accipe rationem ad nostrum institutum non contemnendam. Ideo factum puto: quia exinde aqua erat profluxura, quæ hominum cætum denotabat; iuxta illud Apoc. 17. n. 15. *Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedit: populi sunt, & gentes, & linguæ.* Cùm ergo aquæ illæ intra pectoris Christi claustrum continerentur inclusæ, per quas homines designantur; non permisit lateris percussionem adhuc viuens, ne aperto latere defluerent aquæ, in quibus conuentus hominum designabatur, veritus adhuc in typo ab hominibus separari. Tanto enim ardore erga nos flagrabat, vt vel typicam, & obumbratam fugeret absentiam. Post mortem anima eius ad inferos descendit, & in visceribus terræ habitauit: tunc summo consilio permittitur mucrone diro lanceæ latus aperiri, vt aquæ ex latere fluentis riuuli terram irrigantes, simulque illi se commiscentes, hominum typum deportarent ad terram, in qua anima Christi morabatur, ne vel ad breue tempus abesset ab hominibus, quos in finem dilexerat.

Apoc. 17. n. 15.

55. Succedat iam aliud dubium ex Chrysostomi sententia ortum, videlicet: cur priùs aqua, quàm sanguis ex Christi latere fluxit? Multa idem homil. citata. Sed accipe mentem nostram. Ideo quia cum aqua homines denotaret, congruum erat, vt priùs ad terram perueniret, & Christi perfrueretur societate. Nam tanti Christus habuit hominum potiri præsentia, ne aliquid derogaretur eius amori; vt videatur sanguini anteponere aquam, ex eo quòd hominum significet conuentum. O admirabilis diuini amoris excessus: quanta gratitudine esset compensandus.

56. Sed placet adhuc huius rei non omittere venustam confirmationem. Egressus est Dominus in montem oliuarum, vt ad Patrem preces emitteret; secuti sunt eum discipuli, quos non solùm, vt tentationem euincant, sed ne vel in illam intrent hortatur ad preces Lucæ 22. n. 40. *Et cum peruenisset ad locum dixit illis: orate, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis* & paucis interiectis n. 44. prosequitur Euangelista; *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Expende, quod Lucas quando refert, Christum Dominum à discipulis separari, adhuc vt Patri preces emitteret, & colloquio confortaretur Angelico, tunc, *auelli*, dicit, quod est quasi violenter, & inuitus extrahi à societate discipulorum. *Quod auellitur nisi quod inhæret, quod infixum, & innexum est?* Dicebat Tertullianus de carne Christi c. 20. sed cur Christus, si tunc Patrem alloquitur, quia à discipulis separatur, auelli dicitur? Quod discipulorum consortium cum Patris societate? Rursus; si confortatur ab Angelo: cur factus in agonia prolixiùs orat, & sudore sanguineo madefit? Quia amanti violentia infertur, si inter ipsum, & rem dilectam adsit diuortium, vel quantùm iactus est lapidis. Drogo Hostiensis, lib. 1. de Dominicæ passionis Sacramento rem altiùs expendit coniungens hanc auulsionem cum agonia, & sudore sanguineo, cùm ait: *Auulsus es à nobis quantum iactus est lapidis, & agonizas prolixiùs, ita vt guttæ sanguinis tui decurrant in terram.* Quod est dicere: quia Christus nos ardenter amabat; cùm à nobis discedit, vel quantùm iactus est lapidis, auellitur, hoc est, violenter separatur, & ob hoc agonizat prolixiùs.

Lucæ 22. num. 40.

Ibid. n. 44.

Tertullian.

Drogo Host.

57. Patrato illo miraculo, quo Christus Dominus quinque panibus, & duobus piscibus tantam turbam mirificè vsque ad saturitatem aluerat in deserto: *Statim* (inquit Matthæus c. 14. n. 22.) *compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* D. Hieronymus in catena S. Thomæ ad hunc locum, nitens illo verbo, *compulit*, expendit, violenter discipulos in nauiculam ascendisse: *Sermone ostenditur inuitos eos à Domino recessisse* Sed miror, discipulos, qui toto animo Christi obedientiæ vacabant, inuitos in nauiculam ascendisse! An quia vim passi sunt, inobedientiæ nota inurentur? Absit hoc à tanto discipulorum obsequio, qui prompto animo Christo Domino obtemperabant. Audi iterum Bethleemiticum Cardinalem, si nodi desideras solutionem. *Sermone ostenditur inuitos eos à Domino recessisse, dum amore præceptoris, ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari.* Non inobedientiæ, sed discipulorum amori erga suum magistrum vertendum est, quod violenter in nauiculam ascendissent. Violentia namque amori infertur, si vel ad punctum temporis à re dilecta separatur. Cùm ergo tranantes fretum (licèt donec dimitteret turbas) Christi priuarentur consortio, violentiam passi sunt, ægrè ferentes à Christi Domini separari contubernio. Tepidè aliàs discipuli eum diligerent, si vltrò vela ventis darent à Domini societate disiuncti. Erant edocti in schola amoris, qui à dilecto, vel ad breuissimum punctum temporis, separari non sustinet.

Matth. 14. num. 22.

Hieron.

58. Non semel expendi, aurum non ad vnicum tantùm ornamentum magni Sacerdotis assumi, imo ad omnium Pontificalium vestium fabricam assignari. Assumitur, vt Ephod, vel superhumerale conficiatur: in Rationalis textura includitur: lapidum vtriusque inclusoria ex auro fiebant: catenulæ illæ, quibus inseparabiliter superhumerale, & Rationale sibi inuicem cohærebant ex auro erant purissimo: vncinis, & annulis, vt connecterentur catenæ, aurum ministrabat materiam: tunica illa hyacinthina in fimbria per gyrum aureis tintinnabulis, & malis punicis intermixtis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto ornabatur: baltheus non aliis filis erat contextus: & tandem lamina illa,

illa, quæ super Tiaram pendebat, ex auro purissimo conficiebatur: nullus tandem erat ornatus Pontificis distinctus à communi veste Sacerdotum inferiorum, cui aurum non deseruiret, vt apertè constat ex toto nostro c. 28. Sed quid habet aurum speciale, vt in omnibus reperiatur ornamentis? Puto ideo esse, quia per illud (vt vidimus illatione 44.) charitatis, & amoris incendium significatur. Meritò ergo aurum omnibus assignatur ornamentis, vt amoris præsentiam comprobaret. Nam sicut aurum in omnibus reperitur, sic amor nescit à dilectis separari: ita vt si aliquo modo diuortium interueniat, vis inferatur amori.

Illatio XLVI.

Illustre amoris stemma, liberali comprobatur largitate.

59. NOn laborat auaritia, qui amoris ardet incendio: amare nescit, qui retrahit à largiendo manus: esto amoris assecla, & munera dispensabis. Amoris miraculum est, auarum transmutare in liberalem: imo amoris perillustre stemma donorum largitate comprobatur.

60. Exod. 34. num. 29. Descendebat Moyses de vertice Sinai fulgentibus radiis micans: *Et ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Mirum sanè est, Moysis faciem apparere fulgentem ex consortio Dei, cùm id non de Adamo, qui Dei manibus fuit plasmatus; non de Noemo totius humani generis conseruatore; non de Abrahamo, cui magnarum gentium fuerat promissa posteritas. His omnibus ante Moysem, & post illum aliis Deus apparuerat frequenter, & tamen ex Dei consortio eorum vultus non fulserunt: quare ergo solus Moyses tanto gaudet priuilegio. Noster Abulensis quæstione 25. in cap. 34. Exod. in specialem amorem, quo Deus præ cæteris Moysem prosequebatur, totam causam reducit. Abulens. *Deus voluit dare Moysi istam lucem in facie* (ait Tostatus) *in signum specialis amoris, quia Deus diligebat specialiter Moysem super omnes, qui præcesserant eum; ideo dedit ei, quoddam priuilegium, quod nulli vnquam contulerat. Patet hoc: quia dictum fuit supra præcedenti capite: inuenisti gratiam coram Domino, & te ipsum noui ex nomine.* Specialis amor, quo Deus Moysem prosequebatur, faciem eius reddidit micantem. Dilectus fuit à Deo primus parens Adamus: dilectus Noëmus: item & Abraham, sed non sicut Moyses, quem Deus super omnes, qui præcesserant, dilexit. Ideo ergo præ cæteris facies eius lucis ornatur pulchritudine, qui præ aliis erat dilectus. Nam quò intensior fuerit amoris ardor, tantò excellentius erit beneficium, ex cuius præstantia non incongruè colligitur amoris excellentia.

61. Cant. 1. n. 3. Philo Carpat. Cantic. 1. num. 3. Sic sponsa ad sponsum: *Oleum effusum nomen tuum.* Alij legere: *Oleum exinanitum nomen tuum.* Philo Carpathius ibidem satis aptè per hoc nomen ardentissimum amorem intelligit: *Hoc est nomen illud effusum*, inquit, *summa charitas, ardentissimus amor creatoris ad creaturam.* Sed cur hoc nomen est amoris insigne? Quia hoc nomen effusum, & exinanitum fuit pro nobis: nam tanta exinanitio liberalitate absque amoris incendio neutiquam cogitari poterat. *Mortalis venerat* (Prosequitur Philo) *vt nos redderet immortales; passus est aliquando qui semper est impassibilis, ne nos semper pateremur; descendit ad ima, vt nos tolleret ad suprema, exinanitus est Dominus, vt excellentissimè dominaretur, & seruus.* Vides quam aptè sponsi nomine summa charitas, & amor ardentissimus creatoris ad creaturam per effusionem beneficiorum vsque ad exinanitionem exprimatur? Quasi intentissimus huius amoris ardor largitate munerum comprobetur.

62. Pfal. 129. n. 7. D. Petrus Damianus serm. 1. de exaltatione crucis expendit illa verba Psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud Deum redemptio.* Vbi postquam dixisset, crucem Domini quadrifaria ratione quatuor mundi climata comprehendere; Iesumque in medio eius adstantem quadrifaria sui corporis parte distentum, expansis manibus, omnibus ad se ex omni parte venientibus amplissimum misericordiæ sinum ostendere, rationem exhibet, ob quam vnda sanguinis de corpore eius per quinque fontes effluxerit. *Largiter vnda sanguinis,* Petr. Dam. inquit, *de corpore Christi per quinque partes emanauit. Sufficeret ad redemptionem orbis, vel vna pretiosissimi sanguinis gutta; sed data est copia, vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat.* Amore accensus in crucem ascendit Christus: & quamuis minima guttula diuini sanguinis ad orbis sufficeret redemptionem, videbatur amori, quo nos ardenter amabat, remissius agere, si beneficij superabundanti redundatione non probaretur intensior. Nam sicut largiter benefacere, est singulare amoris stemma; maiora conferre beneficia, maioris amoris erit indicium: *Vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat.*

63. Matth. 27. num. 51. In morte Christi Domini multa admiratione digna euenerunt, & inter alia refert Matthæus, tertam innatæ soliditatis obtitam, magno, & formidabili motu fuisse agitatam: *Et terra mota est*, &c. huius terræ fragoris multas assignauere causas Patres, & interpretes sacri: Vide S. Thomam in sua aurea catena ad hunc locum. Aliam minus vulgarem huius motionis accipe. Puto ergo (vt alias omittam, quas veneror, & ad diuersas theses vsurpabo) ideo in Christi passione terram tremuisse, vt patientis Domini erga homines, ostenderetur liberalitas, & ex hac eius colligeremus amorem. Emanauerat largiter per quinque fontes sanguinis vnda; & forsan aliqua eius portio impulsa à grauitate nativa in infima parte pectoris seruabatur, vnde exire non poterat, ni exhauriretur artificiosè. Vt ergo nihil sanguinis in corpore Christi remaneret, qui pro hominum non effunderetur salute, inusitato fragore terra concutitur, vt illo etiam crux moueretur, & sanguis ille detentus pectoris motione agitatus, per vulnus lateris foras prosiliret: quo artificio totum sanguinem pretiosissimum

dedit pro nobis Christus. Quia cum amore languens ascendisset in crucem; si totum pro hominibus sanguinem non offerret, conquereretur amor, videns aliquam sanguinis portiunculam pro humana salute non oblatam, & effusam. Vt ergo Dominus amori satisfaceret largiter, omnino sanguinem fudit, prouidens, quòd terra terribili motu concitaretur; vt sic Sacrosancto corpore concitato, sanguis in abditis pectoris detentus, per lateris ianuam foras erumpat, simulque se ostendat erga homines liberalem, siquidem pro eis permansit exanguis, & ex eius largitate amoris comprobetur incendium: *Vt virtus diligentis in beneficij redundatione clarescat.*

64. Ex latere Christi emortui sæuo mucrone lanceæ percusso fluxerũt sanguis,& aqua. Ioan. 19. num. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis,& aqua.* O bone Deus! si in cruce amoris ostentas incendium: cur ex latere non solùm sanguis,sed cum aqua exiuit; ex manibus autem solùm sanguis perfluxit? Te iam mortuo, lateris vulnus infligitur: antequam spiritum emisisses pedibus manibusque confossis affigeris cruci: quare ex illo aqua simul, & sanguis, & ex his sanguis solus sine aqua dimanauit? Profectò, quia stigma lateris, vtpotè cordi vicinius, videbatur charior amoris filia, quam manuum,& pedum vulnera: *Est enim pectus habitaculum cordis, & animæ*, teste Clemente Alexand. lib. 5. strommatum. Ibi amor nascitur, & nutritur: vnde non ineptè vulnus amoris proprium appellabimus. Iure ergo optimo ex eo sanguis simul & aqua manauit, quamuis per manuum, & pedum vulnera solus perfluxerit sanguis; quia illud magis propriè erat vulnus amoris, & per amoris stigma voluit Christus ampliùs conferre, quàm per pedum, & manuum vulnera; vt ex liberalissima sanguinis, & aquæ largitione ardentissimus eius amor erga humanum genus mirabiliter innotesceret.

65. Aurum ornabat Pontificem, non semel tantum, sed pluries; non vni ornatui, sed omnibus deseruiebat, vt præcedenti illatione numero quinquagesimo octauo, probauimus inductione. Sed cur aurum per omnes Pontificales vestes splendidè transcendebat? Quia per illud amoris exprimebatur imago. Cùm ergo amor ex munificentia clarescat, æquum fuit, vt non semel tantùm, sed pluries deseruiret ornatui Pontificis, vt exinde constet amoris excellentia, qui munerum reperita largitate ardens, & generosus commendatur.

Ioan. 19. num. 34. — Clem. Alex.

ILLATIO XLVII.

Vbi diuinus fauor præstat exordium, semper incrementis ad culmen ascenditur.

66. APud homines vnius beneficij collatio inducit aliorum negationem. Ita nimis parca est humana conditio, vt exhauriatur vnius muneris largitione. E contrà Deus sic liberali manu diuitias suas effundit, vt primus fauor secundi sit fideiussor. Quam ad rem Ennodius lib. 5. Epistol. 16. *Nesciunt,* inquit, *in foribus hærere, quæ cælo auctore tribuuntur: semper incrementis ad culmen ascenditur, vbi supernus fauor præstat exordium.* Si à Deo primum accipias fauorem, pignus habes secundi, tertij, multorum. Accipito semel, & confidenter spera; vel minimo beneficio multa fore successura.

Ennodius.

67. Ioann. 3. numero 5. dixit Iesus Nicodemo disquirenti: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod hîc de Baptismate loqueretur Christus, nulli dubium est. Sed inquirere oportet: cur aqua ad tantum Sacramentum assumitur,& ad viuificandas animas destinatur? Quid spiritualis vita cum aqua habet, vt tantum præstet effectum? Profectò, si natiuam aquæ spectemus naturam, nullam habet proportionem (virtute enim Dei ad causandam vitam spiritualem eleuatur in baptismo) sed cur tantæ functionis ornatur excellentia? Ni fallor quia in exordio rerum aqua viuentia produxit. Genes. 1. num. 20. *Dixit etiam Deus. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli.* Adest patronus Tertullianus lib. de baptismo cap. 3. dicens: *Ordinato dehinc per elementa mundo, cùm incolæ darentur, primis aquis præceptum est, animas proferre. Primùs liquor quod viueret, edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare nouerunt.* Quod est dicere: Quia Deus in principio aquis contulerat virtutem, & efficaciam, ad producendas animas multis deinde transactis sæculis ad meliorem vitam producendam eas eleuauit. Nec mirum hoc est reputandum, si liberalem Dei expendamus conditionem Nam cùm aquæ animare cæperint in exordio virtute à Deo concessa, pignus habuerunt ad meliorem vitam præstandam in baptismo.

Ioann. 3. num. 5. — Genes. 1. n. 20. — Tertullian.

68. Ad Iordanis vndas in specie columbæ descendit Spiritus Sanctus, dum Christus baptizaretur. Matth. 3. num. 16. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Inquirere liceat: cur Spiritus Sanctus descenderit super aquas? Quod primò se offert, est, vt Christum manifestaret, dum ablueretur in vnda; & à Baptista secerneret, vt annotauit Chrysostomus homil. 16. in Ioannem: *Cùm alter*, inquit, *baptizaret, alter baptizaretur, ne quis de Ioanne id verbum dictum arbitraretur, venit Spiritus Sanctus, qui huiusmodi amouet dubitationem.* In quo magna Ioannis excellentia relucet; siquidem descendit Spiritus Sanctus super Christum, vt discrimen inter ipsum, & Baptistam agnoscatur. Aliter respondet Tertullianus lib. de Baptismo cap. 8. *Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora libens à Patre descendit, super baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquieuit.* Expende hæc vltima: *tanquam pristinam sedem recognoscens, conquieuit.* Descenderat olim Spiritus Sanctus super aquas, vt refertur Genes. 1. num. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* En ergo causam, ob quam iterum in Iordane ad illas descenderit: *Tanquam pristinam sedem recognoscens.* Quod est

Matth. 3. num. 16. — Chrysost. — Tertullian. — Gen. 1. n. 2.

eſt dicere : quia Spiritus Sanctus , ſemel aquas honorauit , ambulans ſuper eas ; ideo ſuper eaſdem in Iordane deſcendit, vt honorem repereret. Neſcit enim Dominus negare incrementa , cui dedit initium.

69. Verùm non ſolùm Dominus gloriatur in magnorum donorum proſecutione , ſed etiam vel ex minimis donis ad maiora proſequitur.

Gen.27.n.28 *Det tibi Deus* (inquit Iſaac filium ſuum Iacobum benedicens Geneſ.27. num.28.) *de rore cœli , & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Sed cur non dixit: det tibi Deus de pluria cœli , ſed de rore ? Aptior enim eſt pluuia quam ros ad fœcundandam terram,& ad fructuum perceptionem. Ergo vberiori Iacobum cumularet benedictione Iſaac , ſi diceret: det tibi Deus de pluuia cœli, quàm dicens,det tibi Deus de rore cœli abundantiam frumenti, & vini. Cur ergo pluuiam omittit, & roris facit mentionem ? Quia altè diuinam agnoſcebat largitatem. Dicit enim Iſaac : det tibi Deus rorem ; quia ſi ſemel rorem præſtiterit, abſque dubio pluuiam vberiorem miniſtrabit. Nam vbi diuinus fauor præſtat initium , etiamſi à minutiſſimo rore incipiat , magna proculdubio eſt largiturus.

70. Non ignorabat cœleſtis illa ſponſa dilecti ſui munificam conditionem , cùm Cantic. 2.

Cant.2.n.3. num.3. Læta dicebat : *Sub vmbra illius , quem deſiderabam ſedi.* Neſcio , an hoc remiſſiori affectui ſponſæ vertendum ſit ? ſiquidem ardentius eſſet deſiderium , ſi honeſtos ſponſi amplexus deſideraret, quàm eius vmbram concupiſcens. Cur vmbram deſideraſti , O pulcherrima inter filias Hieruſalem , ſi non ignoras , totum tibi eſſe dilectum ? Aut cur ſub vmbra illius quieuiſſe gaudes ; ſi ſupra dilecti cor recumbere poteras cum delitiis ? Cordatè ſanè ſe gerit ſponſa : nam cùm delitiarum ſponſi flagraret deſiderio , ſibi perſuaſa eſt, totum ſponſum delitiis plenum obtentura , eo quòd illius vmbram eſſet conſecuta. Nam ſponſus , qui ſemel ei vmbram conceſſit , non poſſet negare ſeipſum. Quanto acumine Origenes homil.2. in Cantic. expreſſit hunc

Origenes. cogitatum : *Fac igitur*, inquit , *vt poſſis capere vmbram eius , & cùm vmbra fueris dignus effectus , veniat ad te , vt ita dicam , corpus eius, ex quo vmbra naſcitur.* Hoc eſt dicere : ita Deus alacriter beneficia confert , vt ex primo inuitetur ad ſecundum , ad plura. Nam qui vel vmbram eius acceperit , perſuaſum ſibi habere poteſt , totum corpus accepturum.

71. Crudelis adhuc in Lazarum infelix ille dines , imo diuitiarum captiuus , ſeruus opum, & ipſis cenſibus compeditus dum viueret ; & poſt mortem adhuc dives non cenſu , ſed crimine , non ſubſtantia, ſed reatu, dum flammis torqueretur,ſic clamabat ad Abraham Lucæ 16.

Lucæ 16. num.24. num.24. *Et ipſe clamans dixit : Pater Abraham miſerere mei : & mitte Lazarum , vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* O miſerum! Auare micam negaſti , guttulam aquæ pauperi non dediſti;auarè etiam guttam peris ad linguæ refrigerium. Pete aquam , non guttulam ; nam nec riuus ſat erit ad extinguendam tantam ſitim. Cur guttam petis ? Acutè ſanè D. Ambroſius lib.6. in Lucam c.9. Petiit guttam , vt habeat aquam.Hîc namque per Abraham Chriſtus Dominus intelligitur. Petere ergo à Chriſto ſolam guttam aquæ , fuit , totam petere aquam, quæ ſufficeret ad ſitim extinguendam. Nam ſi ſemel Chriſtus guttam conferret , perſuaſum ſibi habuit dives,totam aquam conceſſurum, quæ leuare illum poſſet à cruciatu. Sic enim Deus ex paruis ad maiora procedit beneficia, vt conceſſione minimi lege ſuæ liberalitatis adſtringatur, ad maiora conferenda. *Chriſti munera* (inquit Mediolanenſis antiſtes) *parua videntur , ſed magna ſunt.* Parum videtur petere auarus, ſed pluſquam videtur, petit. Quia ſemel à Chriſto aquæ guttula conceſſa , conſtringitur ad conceſſionem tantæ aquæ , quæ ſitim valeat expellere. Parum eſſet aquæ conferre guttam , ſed diuinæ largitionis conditione attenta , magnum eſſet beneficium ; nam collatio illius abſque dubio eſſet pignus , vt totam conferret aquam. Ambroſ.

Aurum non ſolùm Ephod , ſed reliquis de- 72.
ſeruiebat Pontificis ornamentis.Quid eſt,quòd aurum non vni dumtaxat, ſed omni ſeruiebat ornatui ? Quia per aurum , inquit D. Gregor. lib.34. Moral.c.8. diuinæ naturæ claritas deſignatur : *Auri enim nomine*, inquit, *ipſa intima diuinitatis claritas deſignatur , ſicut in Canticorum Canticis ſponſi ſpecies deſcribitur : Caput eius aurum optimum. Quia verò caput Chriſti Deus, nil vero eſt in metallis auro fulgentius , ſponſi caput aurum dicitur : quia eius humanitas ex diuinitatis ſuæ nobis claritate principatur.* Cùm ergo aurum ad Ephod pulchritudinem eſſet aſſignatum , in quo diuinæ claritatis tribuebatur ſpecimen , & diuinæ munificentiæ præbebatur figura , non abs re aurum ſuperhumerali conceſſum, reliquo non negatur ornatui;vt exinde cognoſcamus , Deum ita in benefaciendo gaudere , vt primo beneficio collato , non in eo ſiſtere,ſed ad aliorum largitionem procedere. Gregor.

ILLATIO XLVIII.

Qui amoris incendium occultare intentat, difficillimam aſſumit pronunciam.

ARdet in pectore amoris incendium , & 73.
flammarum ſcintillas foras emittit.Aptiſſimo exemplo hoc explicuit Nazianzenus in carmine lugubri de ſuæ animæ calamitatibus numero 13.

At velut arentem ſtipulam cùm tectus in imò Nazianz.
Deuorat igniculum, protinus ipſe micat :
Flãma quidem primò tenuis,mox tollitur ingens:
Sic mihi cùm viſus vreret oſſa decor ,
Protinus exeruit ſeſe, cunctiſque refulſit ,
Vt qui cælari non potis eſſet amor.

Difficile ſanè eſt,amoris flammam cælare : nam licèt ardeat in pectore, cunctis refulget, & quo magis occultari contenditur , eò amplius clareſcit. Vehementis namque amoris eſt proprietas ſui ipſius eſſe præconem.

Noratu dignum iudico , Spiritum Sanctum in exordio rerum primum apparuiſſe,quàm Patrem,& filium. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Geneſ.1.n.2. Nam licèt ibidem num.1. 74. Geneſ.1.n.2.

Deum cœlum, & terram creaſſe inferatur, nullius diuinæ perſonæ ſpecialiter fit mentio; licèt trium ſaltem implicitè ſub *Dei* nomine ſignatarum fiat recordatio, eiſque indiuisè orbis tribuatur conditio. Solus ergo Spiritus Sanctus exprimitur proprio nomine, non Pater, nec Filius. Sed quid eſt; quòd Spiritus Sanctus priùs manifeſtatur? Pater, Verbum, & Spiritus coæterni ſibi ſunt, & coæquales: quare ergo ſolus Spiritus Sanctus ſuper aquas apparet, non autem Verbum, aut Pater? Imo ſi rem attentiùs examinemus vix ſacer textus Spiritum Sanctum ſuper aquas ferri protulerat, cùm notâter ſcripſit: Ibid.n.3. *Dixitque Deus: fiat lux, & facta eſt lux:* Vt clariùs appareat Spiritus Sancti præſentia. O ſancte Spiritus animarum conſolator, ad quid præ aliis perſonis apparere dignaris? Fallor, ſi id non fuit, quia Spiritus Sanctus ex ſua caracteriſtica proprietate vt amor procedit à Patre, & Filio. Tale enim eſt ingenium amoris, *Vt qui celari non potis eſſet amor.* Quia ergo Spiritus Sanctus eſt amor, ad eum ſpectabat prima inter diuinas perſonas apparitio vt flamma illa inacceſſibilis, qua Pater, & Filius mutuo ſe diligunt amore, amoris iura ſeruaret, ſe manifeſtando creaturis. Pater haud difficulter ſe occultat (vix certam de Patre, & abſque controuerſia habemus apparitionem) Filius quanuis firmiter credamus in carne noſtra apparuiſſe, tamen vſque ad annum trigeſimum non dignatus eſt diuulgari: at Spiritus Sanctus, qui vt amor procedit Patris, & Filij, quaſi pati non ſuſtinens tantum ardorem abſcondi, vix adfuerunt creaturæ cùm primus apparuit in mundi exordio, & pluries deinde, vt in Iordane, & in die Pentecoſtes.

75. De eodem Spiritu Sancto dicitur Sapientiæ 1. Sap.1.n.7. n.7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Facilè intelligo, quia credo firmiter, replere Spiritum Sanctum omnia; eſt enim immenſus ſicut Pater, & Filius: at ſcientiam vocis habere, diligens petit ſcrutinium. Quid enim eſt ſcientia vocis, vt diuino adſcribatur ſpiritui? Lyra ad hunc locum per eam intelligit notitiam cuiuſlibet dicti publici, vel occulti. Gillibertus ſerm. 29. in Cant. apud opera D. Bernardi, de amoris vocibus, quibus ardorem ſuum manifeſtat, exGillibertus. ponit apertè: *Amor mutus non eſt*, inquit, *vſum habet vocis. De Spiritu ſcriptum eſt hoc, & bene noſtis, quanta ſit affinitas (ſi non potiùs identitas) charitatis ad Spiritum. Illa continet omnia, quia plenitudo legis eſt charitas. Spiritus loquitur myſteria, & amatoria planè loquitur.... ſonus eius ſenſus amoris eſt, & deſiderij vota inſtar habent vocis.* Spiritus Sanctus (vt diximus) amor eſt: ideo ſcientiam vocis habet, & contrariam reſpuit, nempe ſcientiam ſilentij. Scientiam vocis dicerem canendi ſcientiam: qui canit, occultari nequit: ſic amor, qui ſcientiam vocis habet, neſcit abſcondi, vociferatur ſemper, mutus non eſt.

76. Hunc effectum præſtitit diuinus amor, cùm Act.2.n.4. diſcipulos illuſtrauit. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui.* Actorum 2. n.4. Sed cur Apoſtoli hoc ipſo, quo repleti ſunt Spiritu Sancto loqui cæperunt, imo *& variis linguis?* Richardus de S. Laurentio lib.1. de laudibus B. Mariæ. Sic ait: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Richard. à S.Laurent. *Ecce plenitudo interior. Et cæperunt loqui: ecce redundatio exterior.* Quod eſt dicere: loquuntur Apoſtoli; quia acceperunt Spiritum Sanctum. Quomodo ergo amor abſque vocibus Apoſtolorum corda repleret? Propter hoc D. Gregorius hom. 30. in Euang. dixit, Spiritum Sanctum igneis linguis deſcendiſſe, vt connexionem inter amorem, & loquelam oſtenderet. *Certè in lin-* Gregor. *guis igneis* (inquit Gregorius) *apparuit Spiritus: quia omnes quos repleuerit, ardentes pariter, & loquentes facit.* Ardentes, hoc eſt, amantes reddiderat diſcipulos. Quid ergo mirum, quod loquantur variis linguis? Mirabilius potiùs eſſet, ſi tacerent, amando. Quia vbi amor eſt, ibi locutio comes.

77. Iſaiæ. 6. num. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciẽ* Iſaiæ 6.n.2. *eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Sed cur mediis alis volabant Seraphim? D. Bernardus ſerm. 4. de Verbis Iſaiæ hanc exhibet rationem: *Quod ſi de ipſis quoque Seraphim* Bernard. *licet accipere, ſic pinge ea, vt operto capite, & pedibus ſolùm appareat corpus medium.* Sed cur medium corpus apparet? aut quare alis, quæ lateribus correſpondent, volatus exercent? Quia hæ cordi ſunt proximiores, in quo amoris reſidet imperium, vt ex Clemente Alexandrino lib. 5. ſtromat. citato. illatione 43. *Pectus eſt*, inquit, Clemens *habitaculum cordis, & animæ.* Extenſis alis, quæ à Alexand. lateribus oriebantur, corpus mediũ, cor, & amoris ſedes apparebat. Alis his velut velis deliteſceret amor coopertus, ni eis volarent Seraphini. Cùm ergo pectoris alæ amoris manciparentur obſequio, ipſi lenocinantes ſe expandunt, pectus, & cor detegentes, in quo reſidebat amoris incendium, vt omnibus ſit compertus. Alæ, quæ capiti, & pedibus reſpondebant; non ſeruiebant amori: Quid mirum ſi velandi munus habeant? At quæ è pectore procedebãt, cùm eſſent miniſtræ amoris, non in velando, ſed in detegẽdo ſe occupãt, ingenio amoris adulãtes, qui occultati neſcit, & ſui manifeſtatione maximè gloriatur.

Omnibus ornamentis præſtat aurum pulchritudinem, & in omnibus micat ſpeciosè. Quia 77. cùm aurum (vt diximus illatione 43. num. 44.) amoris habeat ſpecimen: ſatis aptè relucet in omnibus ornamentis, vt exinde conſtet, quàm difficile ſit amoris flammam obtegere.

ILLATIO XLIX.

Nulla eſt difficultas, vbi ſpei adeſt lenocinium.

PVlchrè S. Zeno Veronæ antiſtes hominum 79. animos erigit ad ſpem, cùm ſerm. de fide, Zeno Veron. ſpe, & charitate ſic alloquitur. *Tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt. Quid facit ad litteratorem puer, ſi litterarum non ſperat fructum? Quid ratem profundo gurgiti nauta committit, ſi ei nunquam lucrum, nunquam portus deſideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis iniurias, ſed ſeipſum contemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Quid agricola ſemina ſpargit, ſi ſudoris ſui præmium non colligit meſſem? Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit venturum?* Omnia hæc difficilia planè ſunt: at ſi ſpei adſit lenocinium, quàm facilè hominum ingenium

nium tot vincit difficultates. Absit spes, & totus torpebit hominum conatus: adsit illa, & nihil laboriosum, nihil adinuenies difficile.

80. Psal. 90. n. 10. Regius vates magna spe animum erigebat clamans ad Deum: *Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.* D. Bernardus serm. 9. super Psalmum, *Qui habitat*, exponens præfata verba sic ait. *Tu es Domine spes mea. Forte amplius aliquid sonat, & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Conuenientius siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quàm in quo speramus.* Acutè sanè, & deuotè Bernardus. Sed examinemus connexionem Dauidici sermonis. Quid sibi vult Psalmographus, cùm ex eo quòd in Deo speret, seu (vt verbis vtar Bernardi) ipsum Deum sibi spem constituat, infert, altissimum esse Dei asylum? *Quoniam tu es Domine spes mea; altissimum posuisti refugium tuum?* Liceret potiùs dicere: Quoniam in loco eminentissimo tuum asylum constituisti, spes mea marcescit; non è contrà; quoniam tu es spes mea longè à me distat refugium tuum. Cur ergo altissimum putat refugium, quia Deum sibi proposuerat spem? Si non solùm in Deo, sed ipsum Deum sperat Dauid, & refugium est ipse Deus: cur longè dissitum proponitur refugium, & inaccessibile præparatur asylum? Quia cor regis diuinæ spei fouebatur blanditiis: & vbi spei adest lenocinium, difficile, & abditum refugium, quasi in planiori loco collocatum facile putatur obtentu. En tibi: cur Dauid ex spe distantiam infert refugij: indicans, parum obesse spei abditum refugij situm. Libenter enim sperans per abstrusam, & inaccessibilem viam graditur; omnia reputat facilia; & asylum altissimum tutissimum habet, vt explicat Genebrardus ad hunc locum: *Si in Deo*, inquit, *spem, & fiduciam tuam conijcias, habes refugium altissimum, & tutissimum.* Altissimum est Dei refugium, attamen si spem in Deo collocamus, tutissimum est asylum: seuerè animum erigimus, si spes nostra Dominus: facillimo negotio difficultates superamus diuina pietate nixi.

Psal. 90. n. 10. Bernard. Genebrar.

81. In fine vitæ, & in limine mortis Iacob sic fatur filium suum Ioseph Genes. 48. n. 21. *En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum.* Sui tristis nuncius Iacob vicinam mortem filio prænunciat Ioseph, sed cum leuamine reductionis ad terram Canaam. Ad quod solatium in tanti patris orbitate infixum in animo filiorum dolorem linire posset, prænuntio redeundi in terram Canaam? Ioseph totius Ægypti clauem tenebat; nutui suæ voluntatis obediebant regni primates, & Dinastæ; post Pharaonem erat primus in regno: Insuper fratres Ioseph, vt ei iucundum exhiberetur obsequium, ab omnibus etiam potentioribus Ægyptiis honore, & reuerentia afficiebantur: deinde terra Ægypti, teste Plinio, nulla est benignior, nullus ager feracior. Ergo nullum solatium in prædictione translationis ad terram Canaam afflictos filiorum animos erigere valeret, cùm tanto parenti conspiciuntur orbati. Quomodo ergo Iacob, vt filiorum abstergat lachrymas, & luctum, prædicit, eos in terram patrum suorum redituros? Quid terra Cananæorum, si Ægypto comparetur, in qua Ioseph potens antistat, & eius fratres omnibus veneratione sunt. D. Chrysost. Homil. 62. in Gen. ratione affert his verbis loquens de Iacob. *Prædicit ei* (id est Iosepho) *& suam mortem, & quod redituri sunt ex aliena terra in Canaam, in terram patrum suorum: & bonam eis spem auget, ita vt expectatione alleuientur. Nam spes bona huius vitæ labores semper minuit.* Præuidit Iacob eius nepotes in multa fore perpessuros in Ægypto sub duro Pharaonis imperio; tum in operis lateritij constructione; tum in tyrannica pressura seruitutis. Vt ergo in tantis laboribus constitutis eis magnum afferret leuamen, in terram Cananæorum reditionem prædicit, vt spe illius profectionis armati libenter tyranni regis cruciatus tolerarent. Itaque prædictio illa non fuit in solatium orbitatis paternæ, sed exhortatio ad sustinendos labores, imo leuamen in ipsorum tolerantia ex expectatione redeundi ex terra aliena in patrium solum proueniebat.

Genes. 48. n. 21. Chrysost.

82. 2. Ad Cor. 1. n. 8. Paulus referens laborũ acerbitatem, quam in Asia perpessus fuerat in Euangelicæ veritatis plantatione sic ait: *Non enim volumus ignorare vos, fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, ita vt taderet nos, etiam viuere.* Sed non succubuit Apostolus in tãta animi oppressione. Sed cur Apostolus in tanta pressura non succubuit? Respondet Gregor. lib. 8. Moral. c. 7. tædium, & solatium Pauli exponens: *Quia vltra modum*, inquit, *grauati sumus supra virtutem: ita vt taderet nos viuere. Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat, ipse denunciat, dicens: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Finem itaque operis quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vilè æstimat, quod penè deficiens, laborat.* Ecce Paulum, qui in tantis constitutus laboribus penè defecit, ita vt eum taderet viuere, futuræ gloriæ spe ita animum erexisse, vt quidquid laboriosum fuerit passus tanquam nihil æstimaret, dum profectum remunerationis contideret.

2. Ad Cor. 1. n. 8. Gregor.

83. Idem ad Philip. 3. n. 8. loquens de suis laboribus, & detrimentis ait: *Arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* D. Bernard. serm. 9. super Psal. *Qui habitat*, loquens pro Paulo loquitur: *Propter te omnia detrimenta feci, & vt stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea.* Abiectissimum, & viliissimum totius orbis se putat Paulus, vt Christum lucrifaciat. Quid mirum, si Christo nititur tanquam spe vera? Nam vt rectè Chrysostomus serm. 12. in Epist. ad Philip. *Spes in tribulatione labores sentire non permittit.*

Ad Philip. 3. num. 8. Bernard. Chrysost.

84. Non solùm ex aureis, sed ex hyacinthinis filis Pontificalium vestium textura ex Dei decreto præparabatur, vt regendi onus suaue redderetur cœlestium bonorum spe. Per hyacinthum, vt docet Origenes homil. 9. in Exod. cœlestium bonorum designatur spes: *Hyacintho*, inquit, *spes regni cœlorum conferri potest.* Summus sacerdos filis hyacinthinis spei supernarum rerum specimen ferebat figuratum, vt difficilia quæque in suo munere occurrentia facillimo deuinceret negotio. Nam vbi tanti præmij spes adest, omnes difficultates euanescunt: nihil etiam perdifficile, summa cum hilaritate non amplectitur.

Origenes.

ILLATIO L.

Vilescunt temporalia si æternis comparentur.

85. Tert. illian. TEmporalia bona fallacia sunt: *Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri*, ait Tertullianus cap. 13. de corona militis: æterna verò certa, & infallibilia. Hinc absque dubio istorum excellentia, & illorum apparet vilitas. Sed ne quod temporaneum est, ardenti cupiamus amore; æterna agnoscere oportet, vt vilipendamus tẽporalia; imo si hæc attentè consideremus, omnia præ illis pro nihilo putabimus. Quis enim tam inops mentis sit, vt magnificiat, quæ subito casu in nihilum rediguntur? Et qui tam immemor sui erit, vt in sempiternum duratura, contemnat? Amemus ergo æterna despiciamus temporalia; indagemus discrimen inter vtraque, vt æternorum pretium, & temporalium vilitas innotescat.

86. Imminente diluuio ingressus est Noë cum filiis suis, & animalium caterua in arcam, vt à procellarum liberarentur iniuriis. Diluuio iam sedato aperuit Noëmus arcæ fenestram, & misit coruum, & columbam. Hæc cùm non inuenisset vbi requiescceret per eius, iterum rediuit ad arcam. Post septem dies dimisit columbam, quæ ad vesperam venit portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo. Et quanuis intellexit Noë, quòd aquæ iam cessassent super terram; tertiò emisit columbam, quæ non est reuersa ad
Gen. 8. n 13. eum. Quid tunc Patriarcha? *Aperiens Noë* (inquit sacer textus Gen. 8. n. 13.) *tectum arcæ, aspexit, viditque, quòd exsicata esset superficies terræ.* Sed cur Noë, cùm posset, aspicere per fenestram, an terra ab aquarum inundatione esset iam libera, vt exactiori hoc indagaret scrutinio, non per fenestram, sed per arcæ tectum examinauit? Aptior, & commodior esset fenestræ apertio, vt inspiceret, quàm sublatio tecti. Cur ergo fenestræ non fidit, sed tecto? S. Bruno ad hunc locum apud Tilmanum exhibet rationem his verbis:
Bruno. *Quia quantò virtutum gradibus altius quilibet ascenderit, tanto magis mundi huius aquas, aduersitatesque despiciens, spem sibi prosperitatis in futurum promittit.* Terræ siccitatem inuestigabat Noë, & eius qualitatem cupiens agnoscere, aptiori vtitur scrutinio inspiciens per tectum. Nam licèt per fenestram aliquo modo id consequi valeret, non ita aptè, sicut per tectum. Noë enim proximiùs erat cœlo quàm fenestra: vt ergo indicaret Noë abiectionem terrenarum rerum, & supernarum maiestatem, & qualiter ex harum cognitione illæ vilescunt; propiùs ad cœlum accedit, tectum arcæ discooperiẽs, illinc sperans, terræ siccitatem, & vanitatem exactiori, & perfectiori visu conspecturum. Priùs voluit cœli pulchritudinem aspicere, vt inde terræ cognosceret deformitatem. Nam qui cœlestia attentis inspicit oculis, terram despicit, & illorum excellentiam terrenorum vilitate cognita facilè discernit.

87. Mirum sanè fuit, Iacobum, qui tot diebus apud Labanum in Mesopotamia commoratus fuerat, ibique tot ex Lia liberos procreauerat; vbi primùm ex Rachele Ioseph filium accepit, à socero suo summis postulat precibus, vt voto redeundi in patriam libenter acquiescat.
Gen. 30. n. 25. *Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: dimitte me, vt reuertar in patriam meam, & ad terram meam.* Gen. 30. n. 25. Quid est, quod Iacob tot à Lia liberis susceptis, quasi patriæ oblitus non curat de reditu in patriam domum; & cùm primum Rachel peperit Ioseph, statim soceri expectat consensum ad reuertendum in terram Canaam? Stephanus Cantuariensis ad hunc locum apud Tilmanum sic rem hanc exponit.
Stephanus Cantua. *Quandiu Lia fecunda fuit, Iacob non suspirat ad patriam, sed quàm citò de Rachele generat filium, tam citò suspirat ad reditum. Ita & vir iustus dum actiuè laboribus exercetur, ad cœlestem patriam non anhelat. Sed quàm citò se contulit ad contemplationis requiem, & fruitur contemplatione diuina; tunc totis mentis affectibus ad superna suspirat. Inde Gregorius: dum considerantur cœlestia, vilescunt terrena.* Quasi diceret: Per Liam vita actiua, terrenarum rerum negotiis occupata designatur: per Rachelem supernarum rerum intelligitur contemplatio. Dum illa est fœcunda, & hæc sterilis, sæcularibus curis implicatur animus; at cùm vix in mente cœlestium bonorum surgit contemplatio, ad patriam cor emittit suspiria, paruifaciens terrenarum rerum curam.

88. Cant. 2. n. 6. malè saucia sponsa amoris iaculo honestos sponsi amplexus desiderabat, cùm tenerè dicebat: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Infelix, aut deformis videtur Læua sponsi, siquidem sub capite sponsæ quasi pudore correpta, se abscondit. Quid est in Læua, vt præ pudore tenebras petat? Philo Carpath. hæc verba exponens, mentem meam acuit, vt ad nostrum institutum diuersarum manuum positionem accommodarem.
Cant. 2. n. 6. *Per sinistram*, inquit, *præsentem vitam (vt arbitror) significat: per dexteram verò futuram, quæ propria iustorum est.* Ideo ergo Læua sub capite latet, qua si pudore suffulta præ excellentia dexteræ. Et meritò. Nam cùm per sinistram terrenarum rerum cura significetur, quæ præsentis vitæ est negotium; & per dexteram contemplatio cœlestium intelligatur, quæ iustorum est ingenium; quasi pudore correpta latet sinistra, & apparere non audet coram dextera. Sic enim in conspectu bonorum cœlestium vilescunt terrena, vt vel sinistram sponsi manum, quia terrenorum est imago, pudeat, non abscondi, cum dextera, quæ cœlestium specimen præse fert, sponsæ, hoc est, iustorum inseruit amplexibus.
Philo Carpath.

89. Cùm Moyses iam morti esset vicinus tribus Israël benedictionibus cumulauit. Sic Nephtali tribum benedixit. Deuter. 33. n. 23. *Et Nephtali dixit: Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini.* Sed cur Moyses hanc Tribum benedicens, cùm abundãtiam prædiceret, statim plenitudinem cœlestium benedictionum addidit? Vbi est abundantia est satietas; vbi satietas, nihil concupiscit animus: Si ergo Nephtali perfruetur abundantia, cur de benedictionibus Domini sit mentio? D. Ambros. lib. 3. epist. epistola 10. in fine sic respondet.
Deuter. 33. num. 23. Ambros. *Nephtalim satietas accipientiũ Nephtalim, abundantia significatur latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abundantia vbi satietas. Vbi autem fames cupiditatem, ibi inexplebilis appetentia,*

ibi

ibi vtique paupertas. Sed quia vix vlla rei pecuniariæ, vel mundi huius cupiditas satietatem habet; ideo addidit: & replebitur benedictione. Promiserat Moysi huic Tribui bonorum magnam abundantiam, sed temporalium, quæ nullatenus desideria valent implere: & ideo Domini addidit benedictiones, hoc est, cœlestium bonorum possessionem, denotans bona illa nullam afferre satietatem, etsi possideantur abundantes; ista verò vtpotè vera nostra desideria implere.

90. Dei lege, & decreto color hyacinthinus Pontificali deseruiebat ornatui, vt summus Arnol. Carn. Sacerdos terrenarum rerum oblitus, *Totum se cœlestem exhibeat, moresque supernos, & diuinam exprimat formam, Solique Creatori, mente infixa, indiuidua conuersatione adhæreat. Hoc totum complectens tunica hyacinthini coloris insinuat.* Verba sunt Arnoldi Carnotens. tract. de vltimis verbis Domini. Et paulò inferiùs: *Et ipsi florum colores in hyacintho, vt dictum est, cœleste desiderium.* Sed quare Pontifex cœlesti desiderio induitur? Vt semper superna præ oculis habens, terrena despiciat. Nam qui cœlestia, vt oportet, meditatur, illa absque dubio parui habere non dubitabit. Talia enim sunt bona semper duratura, vt in eorum conspectu terrena vilescant.

Illatio LI.

Laboriosa vita æquare videtur ipsam gloriam.

91. Laborum ignorat dignitatem, qui ægrè, & impatienter succumbit aduersis: maximeque labores æstimaret, si agnosceret, cuius gerunt vices. Nihil sibi perdere videtur, qui fugit calamitates, vel cùm impatienter sustinet vitam laboriosam, quam patitur. Fallitur profectò. Nam si sciret calamitatum valorem, nullam patiendi prætermitteret opportunitatem. Agnosce ergo laborum excellentiam. Audeo, dicere, labores tanta pollere dignitate, vt videantur æquipollere beatitudini.

92. Exod. 33. numero 18. Sic ad Deum Moysi confidenti animo alloquitur: *Ostende mihi gloriam tuam.* Cui Deus respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Ibidem, numero 19. Exod. 33. n. 18. & seq. & numero 20. *Non poteris videre faciem meam* Et tandem numero 23. *Et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Quid ais, ô bone Deus! si seruo Moysi omne bonum manifestare promittis: Quî fieri poterit, vt faciem tuam abscondas? Omne bonum conspicere, est ipsum Deum intueri. Ergo si Moysi Deus omne bonum patenter ostendit, absque dubio faciem non abscondit. Quomodo ergo negat faciem, qui omne bonum promittit? Aut negat, quod concedit; aut concedit, quod negat; aut quod concedit abscondit. Rursus si Deus spondet omne bonum; cur postea dicit: *Posteriora mea videbis?* Quid enim Dei posteriora cum summo bono, quod promittitur? Quid gloria, quæ spondetur, cum posterioribus Dei? Summum illud bonum est ipse Deus: in hoc summa felicitas, & æterna beatitas consistit obiectiuè, & in tanti boni visione felicitas formalis. Ergo videtur Deus non stare promissis, si bonum aliquod negat, aut si faciem abscondit fulgentissimam, & luce inaccessibili ornatam. Hoc quis audeat cogitare? Cùm ergo Deus sit fidelissimus: cur omne bonum cum posterioribus commutat, & faciem negans, concedit posteriora? Et dubium augetur, si Septuaginta interpretum amplectamur versionem. Nam pro illis verbis: *Videbis posteriora:* legerunt: *Et tunc videbis, quæ post me.* Ergo cùm antea omne bonum promisisset Deus; postea videtur concedere aliquid à se distinctum. Quid ergo est hoc, quod promittit Deus post se ita excellens, vt nec frangat Deus prioris promissionis fidem, nec Moysi præbeat occasionem deferendi ad Deum querimonias? Glossa Interlinealis ad hunc locum per posteriora Dei præsentiam in carne intelligit. Sed aptius ad nostrum institutum Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. per posteriora Dei, Sacrosanctam Christi humanitatem instar solis fulgentem intelligit, quam intuitus fuit Moyses in montis supercilio coram tribus dilectis, & selectis Discipulis. Audi Tertullianum. *Cùm enim desideraſſet conſpectum Domini Moyses, dicens: Si ergo inueni gratiam coram te, manifesta te mihi, vt cognoscenter videam te, eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod Prophæta sciebat.... Et rursus Moyses mihi gloriam tuam. Et Dominus similiter de futuro. Ego præcedam in gloria mea. Et reliqua. Et in nouissimo, & tunc videbis posteriora mea. Non lumbos, nec suras, sed quam desiderauerat gloriam in posterioribus temporibus reuelandam.* Lege Tertullianum, & ex contextu constabit apertè, Deum in Thaboris vertice adimpleuisse promissum. Sed quid terga Dei, vel humanitas assumpta habet, propter quod summo bono videatur æquiualere, ita vt hoc spondens Deus, sibi videatur adimplere promissa, eam ostendens in monte? Humanitas Christi Domini, licèt infinitè sancta per vnionem ad verbum, non beat, nec inter illa, quæ ad beatitatem essentialem pertinent, annumeratur. Quomodo ergo pro summo bono promisso subrogatur humanitas in vertice montis conspicienda? Quid humanitas assumpta cum gloria? Si me propria non fefellit cogitatio, aliquid in humanitate Christi Domini relucet, quod æquinocari potest cum gloria. Non aliud, nisi quod hæc humanitas tot cruciatus, & iniurias perpessura esset. Cùm enim Moyses illam in montis supercilio tot radiis fulgentem fuisset intuitus: tunc inter tantæ gloriæ maiestatem, conspexerat eam micantem non absque opprobriorum recordatione: *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat* Luc. 9. n. 31. *in Hierusalem*, ait Lucas 9. numero 31. inquit Chrysostomus homilia 57. *Non enim tacebant, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Hierusalem, de cruce videlicet, & passione.* Vbi apertè laborum pressuram æquinocauit cum gloria. En iam tibi, qualiter Deus Moysi præstitit, quod promiserat. Nam intuenti Christi humanitatem, vel solùm in effigie, tot contumeliis affectam, tot verberibus laceratam, quasi videbatur æquiualere illius summi boni intuitioni, Tanta enim

Septuag. Tertullian. Chrysost.

maiestas in calamitatibus splendet ; vt quando Deus summum illud bonum promittit, in quo consistit nostra felicitas, stare non dubitet promissis, si humanitatem eius cruciatibus afflictam ante oculos proponat, indicans calamitates illas ferè ipsam gloriam exæquare.

93. Pſal.127.n.2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Psalm.127. num.2. præcinebat Dauid. Hoc est dicere: Beatus es, quia manducabis labores manuum tuarum. Sanctus Zeno Veronens.sermone in Psal.127. notauit acutè : quî fieri posset, vt labores manuum comedamus ? Nam si rem attentiùs consideremus, nemo in hac vita labores fructuum manducat ; sed è contrà fructibus alitur laborum. Cur ergo Dauid timentibus Deum labores manuum suarum manducaturos annunciat? Fructuum prouentus ex laboribus ; non labores ex segete proueniunt : quomodo ergo, vt Deum timentes beatitatem consequantur, priùs labores fructuum sunt comesturi ? Aptissimè Zeno Veron. Beatus Zenonodum dissoluit, dicens : *Horum laborum fructus in æternitate est, sed labor hic æternorum fructuum ante comedendus est : eo quòd in vita hac corporali anima nostra alenda est per cibum horum laborum, obtinens panem viuum, panem cœlestem ab eo qui dixit : Ego sum Panis viuus de Cœlo.* Quod est dicere: In hac vita, qui persecutionem patitur, qui contumeliis afficitur, rebus aduersis alitur (si patienter toleret) labores manducat, sed æternorum fructuum colligit vberrimam segetem. Non quia tunc beatitudine fruatur ; sed ob vitam, quam degit laboriosam. Innuens in hoc, tantam inter labores,& gloriam esse affinitatem,vt si gloria est fructus laborum, & fructu alimur in patria, laboribus nutrimur in via. Quasi idem sit, & laboribus vesci in via, ac beatitate in patria perfundi.

94. Numer.16. num.41. *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysem & Aaron dicens : Vos interfecistis populum Domini : cùmque oriretur seditio, & tumultus cresceret : Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, apparuit gloria Domini.* Numeror. 16. numero 41. Origenes Origen. homilia 9. in Numeros hæc notauit : *Non legimus antea, quia obtexerat nubes tabernaculum, & apparuerat maiestas Domini, & receperit intra nubem Moysem, & Aaron, nisi tunc, cùm insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit.* Inquirere placet ; cur tunc gloria Dei illis appareat? Audi eundem Originem,ibidem. *Quamuis magni sint vitæ merito Moyses, & Aaron, quamuis animi virtutibus polleant, apparere tamen eis Dei gloria non potuisset, nisi in persecutio[illegible] tribulationibus, in periculis, atque in [illegible] pene morte iam positis.* Quod est dicere: Apparuit gloria Dei Moysi, & Aaron in tribulationibus, & periculis constitutis, & non antea, quamuis tot virtutum ornatu fulgerent; tum vt denotaretur, quod labores pati, perinde est, ac gloriæ perfrui felicitate : tum etiam; quia cùm essent in tanto dispendio, pene iam à dominio depositi, & in ipsa pene morte ; & omnia hæc patienter tolerarent,descendit gloria Domini ad tabernaculum velut affecta zelotypia,ne ipsos tot calamitatibus plenos,cùm essent intra tabernaculum, veneraretur populus sicut ipsam gloriam.

Vt præuisione calamitatum aliquid detraheret Christus, prædicit Discipulis incommoda, quæ pro eius nomine erant perpessuri, & prosequitur, dicens : *Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me.* Ioan.16.num.4. Vt mihi videtur potiori titulo, debuit prædicere futuras calamitates, quando cum illis degebat, & conuersabatur, vt tanti consortij leuamine eas alacriùs, & fortiùs expectarent,quàm cùm iam erat proximus, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem. O bone Deus ! Nimis seuerè videris agere cum Discipulis, siquidem instante iam tuo discessu (teste Augustino tractat.94.in Ioan.) labores, & mortem eis annuncias. Te præsente vix pœnarum affligeret prænuncius eorum animos;te vero discedente, ita ægrè ferent tuam absentiam, vt pœnæ prædictæ, præuisa mors, & calamitates paruipendendæ sint præ discessu tanti magistri. Si ergo tantopere tuus discessus eos erat vexaturus : cur prædictionem laborum, persecutionum prænuncium, & mortis comminationem, ad tui transitus horam reseruasti ? Audi Augustinum loco citato : *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram, & ego vos consolabar mea corporali præsentia exhibita humanis sensibus vestris, quam paruuli capere poteratis.* Sed adhuc instò proponi dubij efficacitate. Si præsentia Domini consolabantur Discipuli,& vt ex Augustino vidimus,ideo futuras non prædixit calamitates, quia tanta præsentia habebant leuamen:cur cùm iam Domini instat discessus, eas annunciat ? Diuus Thomas ad præfata verba Ioan.lect.1.§.vltimo sic respondet : *Sed quod recessurus sum à vobis totum pondus tribulationis remanebit vobis.* Vbi videtur Angelicus exprimere damna, quæ ex Dei absentia prouenirunt.Forsan hæc est mens Sancti Thomæ : sed alio modo, & vt mihi videtur : sine violentia eius verba explano. Dico ergo, Christum Dominum tunc, cùm discessurus erat,Discipulos præmonuisse,& prædixisse calamitates, quas pro eius confessione erant perpessuri, quia in laboribus, quasi sui eis præbebat vicarium. Quasi diceret : Venit hora, vt transeam ex hoc mundo ad Patrem, sed vos estote parati, quia venit tempus, vt omnis, qui vos interfecerit, arbitretur, obsequuium præstare Deo. Hæc vobis prædico, vt ab omni scandalo sitis immunes, & mei abscessus acerbitas in vobis non excitet, vel minimum animi deliquium. Nam quantumuis discedam, calamitates, & pressuræ, quas passuri estis, vicem meam gerent, & mei erunt vicariæ, quæ vobis in tanta absentia præbebunt solatium. O magna dignitas laborum ! Quis calamitates ambitiosè non desideret, in quibus Deus tantam subrogauit maiestatem ?

95. Ioan.16.n.4. Auguſt. S.Thom.

Post aurum, & hyacinthum, purpuram addit Deus ad ornatum Pontificis : *Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram.* Sed cur hyacintho additur purpura ? Sanctes Pagninus in Isagoge lib.6.cap.13. sic ait : *Quid per purpuram* 96. Sãctes Pagn.

puram nisi cruor, aut tolerantia passionum amore regni perpetui exhibita? Significat ergo adiunctio purpuræ ad hyacinthum, tolerantiam laborum ita ad cœlum, per hyacinthum significatum, adiungi, vt eorum manifestetur excellentia. Nam ita in laborum pressura maiestas splendet, vt non solùm, qui eos patienter tolerat, cœlo, & gloriæ videatur coniungi, sed etiam cum ipsa gloria, & Dei præsentia æquiuocari.

ILLATIO LII.

Patienter iniurias sustinere, est Christiane sumere vindictam de offensore.

97. MAgnanimi viri est, non cedere iniuriis offensorum, sed alacri, & constanti animo eas tolerare nullâ factâ curâ de vindicta: impatientis autem, ne dicam, vilis, vltorem se præbere, vel de minima iniuria, aut imaginaria. Christianus miles nec magnificientiæ deficit, cùm nihil curat de vltione; nec seruit impatientiæ cùm vindictæ est solicitus patienter patiendo. Paradoxon videbitur. Sed Christianum accipe artificium. Nam qui patienter sustinet iniurias, ipsa calamitatum tolerantia ferit inimicum, eius illudit sagittas, & Christiano ingenio retorquet contra offensorem. Sanctus Paulinus epist. 2. parum post medium viam nostro discursui aperuit his verbis. *Vicem iniuriæ reddere humana vltio est; at inimicum etiam diligere, vindicta cœlestis est.* Pulchrè sanè: quia Christiano modo vindicat iniurias, qui earum quasi immemor offendenti indulget. Quam aptè rem hanc attigit Tertullianus lib. de patientia, cap. 8. Accipe etsi longa eius pretiosa verba. *Omnis iniuria, inquit, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum, & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera, & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum, qui emisit reciproco impetu sæuiet.* Nota quæ sequuntur: *Nempe idcirco quis te lædit, vt doleas. quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui: tunc tu non modò illæsus ibis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus.* Idem docuit Origenes lib. 3. in Iob in principio: *Quemadmodum, inquit, qui ad petram sagittauerit, petræ quidem nihil facit, omnes verò sagittas in seipsum conuertit: ita nequissimus diabolus, cùm inuiolabilem petram Iob, atque incontaminatum sagittaret adamantem, semetipsum vulnerauit, ac deiecit, Iob verò nihil fecit.* Sustinendo vicit Iob, & iniurias à dæmone illatas vindicauit.

Paulinus.

Origenes.

98. Exod. 3. num. 2. *Moysi pascenti oues soceri sui, Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur.* Philo Hebræus lib. de vita Moysis ante medium eleganter hanc visionem describit: *Rubus erat frutex spinosus, & inualidus. Is semine ignem admouente subito incensus est: correptusque totus à radice vsque ad cacumen flamma in morem fontis scatente manebat integer, & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis, diuinum simulachrum luce fulgens clarissima, vt suspicari posset Dei esse imaginem.* Mirabile sanè est, quomodo rubus iste ab igne non consumitur, si à radice vsque ad cacumen igneo inflammatur profluuio? Et non minùs mirandum, ignem ardere absque combustibili materia. Quis, quæso, ignem accendit, fouet, & vt in se comburatur, incitat. Non rubus, quia iste non comburitur: aliam non habet approximatam materiam, in quam actiuitatem suam exerceat, & natiua illa, & ardenti siti conuertat in propriam substantiam. Profectò nemo ignem accendit nisi rubus, inquit Philo. *Ecce flamma suaptè natura vrens vt lignum vritur: lignum verò cremabile vrit euidenter ignis in modum.* Sed quî fieri potest, vt rubus ignem accendat, si ille non comburitur? Idcirco respondet hic auctor, quia rubus in vicinio ignis non comburitur, igni, vt comburatur præber occasionem. Conabatur ignis rubum lædere, imo & consumere combustione: at rubus conatum ignis sustinens patienter, huius elementi conatum conrta ignem retorquebat. Quid inde? Solus ignis comburitur ex rubi tolerantia: hoc est: Quia rubus velut contemnit ignis iniurias, ignis, qui rubum lædere contendebat, vritur propria combustione. Altè Philo citatus. *Significabat enim,* prosequitur, *ardens rubus oppressos iniuria; vrens verò ignis oppressores. Quod autem non exurebatur materia, protendebat, non perituros, qui affligebantur inimicorũ violentia, sed conatum eorum fore irritum. Illos verò euasuros incolumes.* Quid illustrius? Rubus patienter sustinens ignis impetum, retundit & in eum retorquens manet illæsus, & ignis comburitur. Non aliter contingit oppressis iniuria, & oppressoribus. Nam qui opprobriis afficitur, dum patienter tolerat iniurias, quasi repercussæ in eum, qui eas irrogauerat, Christiano ingenio, & artificio iustam vindicta in sumit de aduersariis.

Exod. 3. n. 2.

Philo Hebr.

99. Inuidia Caïni fecit, vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo; & ipsa Caïn iunioris erexit in mortem, vt esse solum, liuor zeli faceret, quem primum fecerat lex naturæ. *Cùmque essent in agro,* (inquit sacer textus Genes. 4. num. 9.) *consurrexit Caïn aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Philo Hebræus libro *quod deterior potiori insidiari soleat,* sic legit: *& insurrexit Caïn, & occidit seipsum.* Minùs attentè videtur Philo rem hanc considerasse. Nam de Caïn non legimus, seipsum occidisse. Lamech occidit Caïn vt constat Genes. 4. numero 23. Ergo Caïn non interfecit seipsum, sed Abelem. Cur ergo asserit Philo vir alias doctus, & non parum in lectione Scripturæ versatus, Caïn seipsum occidisse? Satis aptè. Quia cùm Caïn occidisset Abelem, & hic patienter sustinuerit fratricidium; Caïn parricidali timore perterritus non semel, sed pluries mortem petebat; sicque fratrem interimens, seipsum interficere putauit. *Insurrexit Caïn,* inquit Philo, *& occidit*

Genes. 4. n. 9 Tertull.

Philo Hebr.

occidit ſeipſum, non alterum. Et meritò quidem. Anima enim, quæ ex ſeipſa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti eſt mortua. Itaque Abel, quod vix credas, interemptus viuit. Exemptus enim ex inſipientis mente viuit in Deo vitam feliciſſimam. Atteſtatur nobis diuinum oraculum, quod vociferari eum, ait diſertè, & clamore prodere, quæ à malo ſocio paſſus eſt. Alioquin ſi non amplius erat, quomodo loqui poterat. Caïn abſque dubio interfecit Abelem, ſed nece fratris ſeipſum interemit, non fratrem. Id eſt; quia Caïn infectus zeli liuore fratrem occidit, ſibi vitam ademit. Caïn offendebat: Abel erat offenſus, ſed patienter ſuſtinebat mortem. Meritò ergo ille viuens eſt interfectus, & hic interemptus viuit. Chriſtiane, vt ita dicam (meliùs religiosè) tolerantia iniuriæ ſumpſit vltionem de parricida. Nam ſi ille offendit, & hic offenditur patienter ſuſtinens iniuriam; ipſa patientia vindex eſt iniuriæ, & mors paſſa contra inferentem eam inſurgens parricidam è medio tollit.

100. Docebat Chriſtus veritatis Magiſter iniuriarum indulgentiam, & opprobriorum contemptum, & ait Matth. 5. num. 39. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Sit ſatis, Domine, ſemel iniuriam pati, ſimul & remittere: cur præparare maxillam, vt percutiatur ſecundò, aut conſulis, aut præcipis? Sic abutendum eſt patientia eius, qui ſemel paſſus ignominiam, patienterque remittit, vt inſoleſcat offenſor? Non eſt ita, inquit Tertullianus lib. de patientia, cap. 8. Sed vt percutiens meritas ſuæ audaciæ pœnas perſoluat, & offenſus ſecundam iniuriam patienter ſuſtinens, primæ Chriſtianum ſe præbeat vltorem. *Verberanti te, inquit, in faciem*, ait Septimius, *etiam alteram genam obuerte. Fatigetur improbitas patientia tua .... Plus improbum cædis ſuſtinendo.* Percuſſa ſemel maxilla præbere alteram, eſt punire audaciam offendentis, non præbere licentiam offenſioni: eſt piè, & religiosè vltionem ſumere de iniuria. Nam ſi plus improbum cædimus ſuſtinendo, patienter tolerando iniuriam, chriſtianè vindicamus offenſam.

Mat. 5. n. 39.

Tertull.

101. Fugerat Dauid à facie Abſalon; cúmque veniſſet vſque Bahurim, ecce Semei de domo Saül maledicebat Dauid, & mittebat lapides contra eum, & contra vniuerſos ſeruos Regis. Tunc Abiſai indignatus contra audaciam Semei, à Rege poſtulat facultatem ad puniendum eum capitis abſciſſione. Cui reſpondet Dauid: *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid.* 2. Regum, 16. numero 10. Placet nunc cum Dauide loqui. Cur, ô Rex, ſuſtines temerariam audaciam Semei? Æquum erat, vt iniuriam regiæ dignitati illatam vindicares, ne alius ſimili temeritate auderet contra te ſimilia intentare. Cur ergo prohibes validiſſimo Abiſai, punire tantam audaciam? Crimen contra regiam maieſtatem impunitum relinquere, totius regni detrimentum eſt. Ergo tenebatur Dauid contra Semei temeritatem ſuæ poteſtatis exercere rigorem. Reſpondet Ambroſius lib. 1. officiorum, cap 6. Multò maiori pœna mulctauit Dauid audaciam Semei remittens tantam iniuriam, vel eam parui pendens, quàm ſi rigoroſiſſimè puniret: quia ſic intentum Semei offendendi Dauid prorſus fruſtrabatur. Audi Ambroſium: *Cùm ei conuiciaretur Semei filius Gemini, tacebat Dauid: & quamuis ſeptus armatis, non retorquebat conuicium, non vltionem quærebat, eò vſque vt dicente ſibi Saruiæ filio, quòd vindicare eum vellet, non permiſerit. Ibat ergo tanquam mutus, & humiliatus, ibat tacens, nec mouebatur, cùm vir appellaretur ſanguinis, qui erat conſcius propriæ manſuetudinis. Non ergo mouebatur conuiciis, cui abundabat bonorum operum conſcientia.* Poterat Dauid, licet fugitiuus, ſeptus tamen armatis viris, Semei audaciam punire: at noluit, ſed patienter ſuſtinere, iudicans hoc modo magis tantam temeritatem plecti. Audias obſecro, Baſilij Seleucienſis verba concione vltima de Lazari exſuſcitatione infelicitatem offendentium plorantis. *Plorandi inquam*, ait, *nunc tempus eſt. Sed vos, qui iniuriam paſſi eſtis, me adiuuate. Qui fortunis veſtris iniuſtè exuti eſtis, opem ferte: Lugete, & vnà mecum lachrymas fundite. At non tam vos ipſos lugeatis, & deploretis quàm illos: nec enim vos tanta iniuria affecerunt, quanta ſeipſos clade perdiderunt. Vos enim propter iniuſtitiam, quam accepiſtis, cœleſte regnum poſſeſſuri eſtis; illi autem propter iniquum quæſtum gehennam. Propter quod longè ſatius eſt, iniuriam pati, quàm inferre.* Quid aptius pro noſtra theſi confirmanda?

2. Reg. 16. num. 10.

Ambroſ.

Baſil. Seleuc.

102. Purpura aſſumitur ad ſacrum ornatum Pontificis, in qua, vt præcedenti diximus illatione, laborum, & iniuriarum præfigurabatur tolerantia: vt diſcat Pontifex iniurias remittere. Nam qui opprobria remittit, illis honoratur. Porrò ſi inter homines contumeliis affectus parui habetur, dum de illis non ſumit vindictam (ſic eos fallit mundus) tamen apud Deum iniurias remittens magno honore afficitur, ſiquidem Filius Dei ſit, & gloriæ ſuæ hæres: & ne deſit religioſa vindicta, præcipit nobis earum patientiam. Sic enim Chriſtiano artificio de oppreſſoribus vlciſcimur.

ILLATIO LIII.

Infecti ſanguinis eſt indicium, iniuriarum ſumere vindictam.

103. SAtius eſt bene conqueri poſſe, quàm malè vindicari. Sic Diuus Cyprianus epiſt. 65. ad Rogatianum Epiſcopum, reſpondens litteris, in quibus illum certiorem fecerat de iniuriis à quodam Diacono ei illatis: *Et tu quidem honorificè circa nos, & pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles, de eo nobis conqueri, cùm pro Epiſcopatus vigore, & cathedræ authoritate haberes poteſtatem, quàm poſſes de illo ſtatim vindicari.* Et quid mirum hoc conſuleret Chriſtianus Præſul, cum Seneca lib. 2. de ira docuit. *Magni animi eſt, iniurias deſpicere: vltionis contumelioſiſſimum genus eſt.* Quapropter infecti ſanguinis indicium erit, iniuriatum ſumere vindictam.

Cyprian.

Seneca.

104. Iniuriosè tractauerat Saül Gabaonitas contra iuſiurandum, quod eis præſtiterat Ioſuë, proprio, & ſucceſſorum nomine, vt conſtat

Ioſuë

Iosuè 9. Multos occiderat, propter quod ira Domini descendit super Israël 2. Reg. cap. 21. cùm iam Dauid regni teneret clauem, vt summum placaret numen, vocatis Gabaonitis dixit ad eos: quid faciam vobis, & quod erit vestrum piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? Cui responderunt Gabaonitæ contra filios Israël non incendimus ira, sed contra domum Saül, qui nos oppressit inique. Quamobrem: *Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino.* Ibidem, numero 6. Animaduertere non desinam, sacrum textum ibidem, num. 2. notanter dixisse, cùm de Gabaonitis faceret mentionem: *Porrò Gabaonitæ non erant de filiis Israël, sed reliquiæ Amorrhæorum.* Quasi diceret: Erant vilissimi in populo: Hispanè, *Los malnacidos del pueblo*, quia infecti sanguinis originem trahebant. Quid ergo mirum si tantam curam de vlciscendis iniuriis affectarent? Non longè abest Lyra ab isto cogitatu dum ibidem ait: *Si Gabaonitæ fuissent de filiis Israël, fuissent magis misericordes & indolsissent factum Saülis contra eos.* Quod est dicere: Si Gabaonitæ fuissent claris parentibus orti, aut si ex Abrahami genere duxissent originem, penitus deposuissent iniuriarum memoriam. Erant Amorrhæi, & nulla patentum laude commendati. Quid multa? Idcircò totis viribus de vindicta erant soliciti: quia vilissimus sanguis eos ad iram prouocabat.

2. Reg. 21. num. 6.

Ibid. n. 2.

Lyra.

105. Liuoris zelo infectus Cain apud se de nece fratris agebat, & vt liberiùs intentum parricidiale exequeretur, captiosè innocētem fratrem educit in agrum, cui natura tanti sceleris præfagia meritò germina denegauerat (teste Diuo Ambrosio.) Non enim ibi florum varietas iucundum reddebat aspectum; non viridis herba terræ tegebat caluitiem, quia ibi sæuus frater contra germanum insurgens mortis firmabat imperium. Denique Cain fratrem interfecit Abelem. Cúmque Deus parricidam interrogasset de fratre, & perfidus friuolam afferret excusationem, sanguinis innocentis clamore manifestè conuincitur de parricidiali piaculo. *Sanguis*, inquit Deus, *fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Genes. 4. num. 10. Notanter, vt assolet Ambrosius lib. 2. de Abel. cap. 8. dixit: *Bene vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germani etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti.* Hæreo his vltimis verbis Ambrosij: *Vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti.* Non miror Abelem tacere, quia hoc innocentia, & gratia eius, etiam in ipsa morte seruabat, (videretur enim patricida, si vel fratrem iniquum accusaret.) Quod notatu dignum existimo, est, quod dicat Ambrosius, sanguinem Abelis effusum accusare fratrem, non verò illum, qui intra venarum carcerem fuit detentus. An sanguis inclusus in venis, non erat Abelis cruor? Erat profectò. Cur ergo detentus non clamat, & solùm accusat effusus? Quia ille propriè, & putè erat sanguis Abelis nunquam non illustris, & nobilis coram Deo: sanguis autem effusus cùm terræ esset admixtus, iam amiserat puritatem, & venarum splendorem, & quamuis erat Abelis, admixtus tamen erat: Hispanè, *Era sangre mestiza, no limpia, tenia mescla.* Quid ergo mirum, si sanguis iam terræ perfusus clamet, cum sanguis tacet venarum? Hic enim silet, & iniuriæ venit in obliuionem, quia nobilis, quia illustris; ille autem iniuriæ vltionem contendit, quia admixtus, quia impurus. Admirabili emphasi verbis Ambrosij, totus concluditur cogitatus: *Vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti*; indicans vindictam sumere de iniuriis esse argumentum euidens infecti sanguinis.

Genes. 4. num. 10.

Ambros.

In horto Gethsemani Christus ad Patrem preces fundebat: *Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. numero 43. & 44. Quid est, quod Christus Dominus orans ad Patrem tanto afficiatur angore, vt sudore sanguineo madefactus eburneum corpus pulchris ornaret pyropis? Diuus Hieronymus libro 2. contra Pelagianos orationis tribuit feruori. Diuus Prosper lib. sententiar sentent. 68. & in catena S. Thomæ ad cap. 22. Lucæ, hunc sudorem non tantùm in facie, sed in toto corpore fuisse non dubitat: in quo contra Ecclesiam persecutiones ostendebantur. *Orans etiam sudore sanguineo significabat de corpore suo toto, quod est Ecclesia manatura martyria.* Diuus Bernardus sermone 3. de passione Dominica, sanguineum, & non aqueum sudorem astruit in Christo, ostendens peccatorum maculas nonnisi Christi sanguine detergendas fore. Alij propter Iudæ proditoris infelicem exitum, & iacturam, ita grauiter dolet Dominus de amissione Sacerdotis. Sed Rupertus lib. 12. de victoria Verbi, cap. 21. Sudore sanguineo Christum perfusum asserit, vt Hebræorum populo obiiceret tanti criminis malitiam, ipsamque apud Patrem deferre, vt tantam vlciscereturaudaciam. *Quid ergo est*, inquit doctissimus Abbas) *nisi vehemens perfidiæ accusatio, nisi terribilis damnatio populi parricidæ?* Et Paschasius in illud ad Hebræos 12. numero 24. *Et sanguinis aspersionem*: ait: *Perseuerat autem hæc increpatio Iudæorum vsque in hodiernum diem, & sanguis Domini, qui clamat de terra contra eos cum sanguine Abel in terram effusus, non cessat adhuc clamare, nec auferetur ab eis.* Et licet Augustinus, Ambrosius, Eucherius, Isidorus apud Lypomanum, vt refert Thena ab Hebræos 12. maximum assignent discrimen inter clamorem sanguinis Domini, & voces cruoris Abelis: nam ille in mente horum Patrum misericordiam, iste petat vindictam. Sic enim explicant verba illa Pauli ad Hebræos 12. num. 24. *Accessistis ad Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, multò melius loquentem, quàm Abel*; tamen Rupertus, & Paschasius, vt vidimus, vindictæ clamorem Christo non dubitant, adscribere. Sequamur nunc horum Authorum expositionem, nihil benignitati Christi derogantes, & sudoris eius sanguinei ad rem nostram confitmandam non vulgarem, nec inutilem afferemus rationem. Mens nostra hæc est. Iccircò Christus Dominus illum sudorem emisit, quia præuidit, suum sanguinem semper contra Iudæos clamaturum ad Patrem, & vindictam iustam de iniquo faci

106.

Luc. 22. n. 44.

D. Hieron.

Prosper.

Rupertus.

Paschasius.

Ad Hebr. 12. num. 24.

facinore petitutum; quaſi proprium ſanguinem deſpiciens (loquimur pro noſtro modulo) non quia verè contempſerit (infinitum enim pretium continebat,) ſed videtur illum deſpicere, vt nos ab affectu vindictæ reuocaret, quia vltorem ſe præbebat iniuriarum, illum emittens in terram, vt ſub eius abſcondatur ſuperficie: *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Ita namque infecti ſanguinis vindicta eſt index, vt vel ipſe Dominus pretioſiſſimum ſuum cruorem, quaſi à ſe abiiciat, quia vindicem de inimicis ſe præbebat.

107. In colore purpureo ornatui Pontificis deſeruiente regia maieſtas, & ſanguinis fulgebat ſplendor; ſimulque (vt illatione præcedenti notabamus num. 102.) tolerantia iniuriarum coruſcabat, vt exinde pateat nobilitas ſanguinis: & è contrà ex vindicta vilitas, & obſcuritas. Nam, vt dixit Auguſtinus ſermone 16. de verbis Domini: *Glorioſum eſt iniurias obliuiſci:* & Seneca citatus docuit, *vltionis contumelioſiſſimum genus eſt.* Videant nunc homines, qui vt vindictam ſumant de inimicis, & mare tranant, & tot peragrant Prouincias, quàm frandulenter vindictæ falſo alliciuntur Lenocinio, putantes, ſic iniuriarum poſſe detergere maculas. Falluntur certè: nam ſic honorem potiùs à claris parentibus deriuatum obtenebrant, quàm illuſtrant. Nam vindicta non clari, ſed ignobilis ſanguinis eſt index.

Auguſt. Seneca.

ILLATIO LIV.

Præbere ſe vindicem iniuriarum, eſt apertè oſtendere Deitatis non eſſe participem.

QVanti momenti ſit iniuriarum oblitio, & remiſſio opprobriorum, ſatis explicuit

108. Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 3. ſiquidem ex peccatorum remiſſione diuinam oſtendit omnipotentiam. Per hoc, inquit Angelicus Doctor, *oſtenditur, Deum ſummam habere poteſtatem, quod liberè peccata dimittit.* Et Eccleſia

S. Thom. alma Mater, Dominica 10. poſt Pentecoſtem canit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Ex indul-

Eccleſia. gentia ergo iniuriarum omnibus ſplendet diuina omnipotentia. Ergo diuinæ omnipotentiæ quaſi ſunt participes, qui iniuriarum obliuiſcuntur, & offenſoribus parcunt. Ergo à contrario licebit inferre: à diuina omnipotentia erunt alieni, & Dei minimè participes cenſeti debent, qui totis viribus vindicari ſtudent.

109. Mito ordine, & diſpoſitione ſuaui Deus creauit elementa, ſingula natiuis qualitatibus corroborans, vt propriaq; elicerent actiones, & primæuam conſeruarent ſubſtantiam. Terræ, dicunt Philoſophi, ſiccitatem in ſummo præbuit, & prope in ſummo frigiditatem; aquæ frigiditatem in ſummo, & humiditatem prope in ſummo; aëri humiditatem in ſummo, & calorem prope in ſummo largitus eſt; ignem tandem ſummè calidum, & prope ſummè condidit ſiccum. His accidentibus elementa in proprias operationes prorumpunt, & his denique mutuo impetuntur bello, & continuo luctamine. Quanta actiuitate ignis impetit aquam, & modò victus, modò victor alternante victoria nunquam deſiſtit à bello. Quàm vindex frigidum agit contra calidum, ab ipſoque repatitur. Et ſic de alijs. O bone Deus, & infinitè ſapiens! Cur tu, qui ſumma pace frueris, & illa delectaris; elementa in primo orbis exordio ſibi infeſta producis? Qui pacem ita diligit, bellis perpetuis commouet elementa? ſatius eſſet, ſi elementa mutua concordia vniuerſi ſtuderent conſeruationi, quàm continuo luctamine ſeſe inuicem deſtruendo: quare ergo Deus mutuam actionem, & repaſſionem elementis imperciuit? Quia præuidit hominum audaciam, & malitiam, quibus modò terram, modò aquam, tandem ignem, ſibi Deos in terris turbulentiſſimi erroris opinione fictu-ram. Vt ergo Deus tantum confutaret errorem, mutuam inter elementa pugnam inſeruit, vt exinde homines noſcerent, carere Deitatis excellentia, quæ continuo bello iniuriam illatam conabantur vlciſci. Ita Deo vindictæ furor ſemper diſplicuit, vt à diuinitatis conſortio alienus ſit iniuriarum vindex.

Exod. 3. num. 2. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſis ante medium elegantер deſcribens huius viſionis miraculum ait: *E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli viſibili ſimilis, diuinum ſimulachrum luce fulgens clariſſima, vt ſuſpicari poſſet Dei eſſe imaginem.* Sed inquiro: Vnde conſtet apertè Deum in flamma ignis apparuiſſe? Dices ex ſacro textu id aſſerente. Fateor, eſtò ſint, qui affirment, non Deum, ſed Angelum eius vicem gerentem apparuiſſe in rubo. Mihi autem pro comperto habeo Deum ipſum in flamma ignis apparuiſſe, ex eo quòd inter rubum, & ignem nullum inimicitiæ fuerit diſſidium. Ardebat rubus, ſed non comburebatur; exurebatur ignis: ſed abſque læſione rubi: nec ignis contra rubum, nec rubus contra ignem aliquid moliebatur, ſed ſumma pace, & ſocietate concordi inter ſe cohærebant. Ergo euidenter infertur ex rubo, & igne dignum diuinæ maieſtatis præparari ſolium. Fauet Auguſtinus de mirabilibus ſcripturæ, cap. 16. in 3. tomo. *Seruabatur*, inquit, *in vtroque natura, igne ſcilicet, & arbore conſideratis, dum & ignis naturaliter de arbore ardet, & arbor ardens igne naturaliter conſumitur. Certè in illo rubo non ille ignis arboris inimicus videbatur.* Ceſſauerat proiſus inter ignem, & rubum mutua illa pugna, & innata vltionis anxietudo. Ergo abſque dubio Deus ipſe in medio inſidet rubi. Ergo à contrario, ſi inter rubum, & ignem innatum illud perſeueraſſet bellum, nullatenus Deus inter rubi flammas appareret.

110. Exod. 3. n. 2. Philo Hebr. Auguſt.

Ægrè ferebat Hebræorum populus tamdiu Moyſem in monte cum Deo commorari, quamobrem ſacrilegè, & ſeditiosè contra Aaronem congregatus, ab eo poſtulat Deos, qui tantæ multitudinis teneant ducatum. Tunc Aaron acceptis muliebribus ſupellectilibus, *Formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Exod. 32. num. 4. Diuus Ambroſius annotat in

111. Exod 32. n. 4

cap.

cap. 32. Exod. ad Romulum inquirit, cur vitulus, & non aliud animal ex auro in ignem proiecto conflatus eſt? Et reſpondet. *Quia omnis perfidia ſimilis immanitatis, atque inſipientiæ beſtialis ſit.* Permiſit Deus, vt vitulus potiùs, quàm aliud animal domeſticum, & manſuetum conflaretur ex auro: quia vitulus vltionis eſt ſimulachrum, & exinde falſam eius confutaret Deitatem. Vix namque vitulus pungitur, cum feroci animo, & ira beſtiali appetit vltionem. Vt ergo populus reſipiſceret, & errorem retractaret, apparuit idolum in ſpecie vituli ferociſſimi, & ad vindictam proni, vt ex eius propenſione inferret, longè eſſe remotum à Deitate, qui immaniſſimè, & beſtialiter de iniuriis ſumit vltionem.

Ambroſ.

112. Pſalm. 96. n. 3. Deut. 4. n. 24. Pſalmographus Dei Maieſtatem oſtendens. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Deuteronomij 4. numero 24. de Deo dicitur: *Dominus tuus ignis conſumens eſt.* Non poſſum non inquirere, ſi Deus ignis conſumens eſt, & ante Deum præcedit ignis, cuinam horum ignium adeſſe Deum credemus? Duo ſunt ignes: alter præcedit; ſuccedit alter: cui horum exhibendus eſt cultus diuinitatis? Perplexus eſſet animus conſpicientis. Nam ſi ignis ignem ſubſequitur, & in vno ex his tegebatur Diuinitas, haud facile eſſet, inter vtrumque diſcernere, aut in quonam ex his eſſet diuina Maieſtas. Sed ſi horum ignium effectus attento inſpiciamus animo, haud difficulter dignoſcetur, an in citeriori, vel vlteriori Deus reſideat. De igne, qui ante Deum præcedit, prædicatur; vindictam ſumere de inimicis: *Et inflammabit in circuitu inimicos eius.* De altero, qui ſuccedit, hoc non dicitur. Ecce in quonam Deus ſolium collocauerit. In illo ſcilicet, qui inimicos comburere non contendit. Pulchrè Bernardus ſerm. 57. in Cantic. hoc diſcrimen agnouit dum ait: *Differunt autem, quod is, qui præmittitur ignis, ardorem habet, ſed non amorem.* Ignis eſt Deus, & ante ipſum ignis præcedit: ſed ille illuminat, dum peccata noſtra conſumit, non incendit, non comburit. Quod eſt dicere: benefacit, non vlciſcitur. Ignis, verò, qui ante Deum præcedit, tametſi radios emittat, & illuminet, hoc facit, vt comburat, & vlciſcatur. Clariùs Diuus Chryſoſtomus homilia de tribus pueris. *Ecce Dominus non in auro, ſed in flammis oſtenditur. Sed quibus flammis? Quæ illuminant, non quæ incendunt.* Ignis duplicem habet effectum: illuminare, ſcilicet, & comburere. Obinde Dominus Daniel. 3. num. 92. in flammis apparuit, quia flammæ illæ illuminabant, non comburebant pueros. Sic in noſtro caſu. Ignis, in quo diuina reſidebat maieſtas, ſplendorem emittebat, & non cremabat, hoc eſt, non vlciſcebatur. At ignis, qui ante ipſum præcedebat, ardorem vindictæ habebat, ſed non amorem benefaciendi. Ob hoc etiam putarem in die Pentecoſtes ignitarum linguarum ſpecie Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos deſcendiſſe: quia ignis ille non comburebat, ſed illuminabat ardenter. Et quid mirum Deum in tali igne collocaſſe ſolium, qui vindictæ eſt immemor, ac ſi impetum illum innatum ſuum contrarium deſtruendi non haberet?

Bernardus.

Chryſoſt.

Per purpuram, qua Pontifex ornabatur, non ineptè iniuriarum remiſſionem vſurpauimus præcedenti num. 10. In purpura etiam regia Maieſtat ſplendet. Deus, vt diximus, ſuam omnipotentiam parcendo, & miſerando maximè manifeſtat. Ornatur ergo Pontifex purpura, vt remittat iniurias, & ex earum indulgentia ſe diuinæ Maieſtatis oſtendat participem. Nam ſicut qui remittit opprobria, ſe præbet ſolium diuinitatis; ſic iniuriarum vindex à conſortio illius maximè diſtat. 113.

ILLATIO LV.

Prælatus, & Rector, tantæ vitæ claritate ſplendeat, vt coram hominibus eius luceat ſanctitas: Vix imaginem admittat peccati; & quodammodo appareat inculpabilis.

114. AR*s artium eſt regimen animarum*, teſte Gregorio lib. 1. Paſtoral. cap. 1. Sed tota huius artis Philoſophia vita nititur regentis. Quapropter Agapitus Diaconus numero 66. tom. 2. Bibl. vet. Patr. hoc diſcrimen agnouit inter priuati, & publici hominis vitam. *Priuati vitium*, inquit, *eſſe aſſero, patrare praua, ſupplicioque digna; Principis verò culpam non facere, quæ honeſta ſunt, ſalutemque pariunt: neque enim malorum abſtinentia iuſtificat potentem, ſed bonorum editio coronat eundem: ne igitur malitiâ dumtaxat abſtinere, cogitet, ſed iuſtitiam etiam capeſcere, contendat.* Quaſi dicat: non ſat eſt Principi mala non agere; ſed inſuper ſtudeat bonis etiam operibus inſudare. Quapropter vita Principis ita virtutum gemmis debet ornari, vt coram omnibus prætiosè, & ſpeciosè ſplendeat; omnis culpæ maculam, imò ſpecimen reiiciat; & ſi poteſt fieri, inculpabilis ſit. Confirmemus ſingula.

Gregor.

Agapitus.

115. Deſcenderat de monte Moyſes diuina luce ſplendens in facie, ita vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam; & adhuc in noſtri corporis obſcuro, toto fulgeret lumine Deitatis. *Cùmque deſcenderet Moyſes de monte Sinaï, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Dei.* Sed inquiro: cur Deus tanta liberalitate faciem Moyſis micantibus radiis reddidit coruſcantem, vt vix eam conſpicere auderent filij Iſraël oppreſſi tanto lumine? Profectò; quia cuncto populo erat dominaturus, oportuit, vt diuina fulgeret claritate. Audi Chryſologum ſermone 166. *Meritò hic talis legem ſancire meruit, qui totum, quidquid in homine lex vrgere poterat, peramiſit.* Ita ex diuino colloquio Moyſes ab humanis defæcatus extitit, & diuino obſequio ſe tradidit; vt meruiſſet legem ſancire, & populo imperare. Sed adhuc maiori examine eget propoſita difficultas. Cur in priori de eodem monte deſcenſu, facies eius non coruſcauit (vt conſtat Exodi trigeſimo ſecundo,) ſicut in poſteriori. Idcirco, quia in priori deſcenſu legem Dei non erat promul-

Exod. 34. n. 28.

Chryſol.

gaturus, ſicut in poſteriori, facies eius lucis radios non emiſit. Nam licèt cùm primùm deſcenderet, tabulas legis ſcriptas haberet, tamen ſacrilego vituli irritatus cultu, eas confregit; at in ſecundo aduentu patenter Dei præcepta oſtendit, & promulgauit. Quia ergo cùm ſecundò deſcendit, legem ſanciebat, & populò erat imperaturus; non immeritò tanta ornatur claritate radiorum, vt ex ea ſanctitas præfulgeat imperantis, in quem Diuinitatis lumen erat tranſlatum, ſimulque ſit ſecuta obedientia præcepti. Patronum habes noſtrum Abulenſem in caput trigeſimũ quartum Exodi, quæſtione vigeſima quinta. *Item dabat Deus iſtum fulgorem*, inquit, *ad honorem legis, vt lex illa valde honorata crederetur, cuius miniſter radios fulgoris de facie emittebat.* Ex quo noſtri aſſumpti euidenter colligitur firmamentum. Nam ſi ex ſanctitate, & luce imperantis, lex ipſa valde honoratur. Ergo ex proprio munere tenetur imperans, tanta fulgere claritate virtutum, vt legem maximo honore valeat afficere.

Abulenſ.

116. Nec ſolùm ſanctitate, & claritate vitæ, debet Præſul fulgere, vt imperare poſſit, & ſubditos ad legis obſeruantiam alliciat; ſed ita morum ſplendore coruſcare, vt neque ſpecimen in ſe peccati admittat. Matth. 27. n. 31. de Chriſto Rege refertur: *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Sed cur, ſi in Prætorio purpurea tunica induitur Chriſtus, & Rex Iudæorum irriſoriè ſalutatur; cùm ad crucifigendum ducitur, exuitur chlamyde regia? Si ideo crucis damnatur ſupplicio, quia Regem ſe prædicat Iudæorum; appareat indutus purpura coram omnium conſpectu, vt neminem lateat cauſa iudicij: vel ſi ob irriſionem purpura ornatur, magis abſque dubio illuderetur, ſi in lucem prodiret tunica regia veſtitus. Quare ergo, qui tot iniuriis permittitur, tot afficitur probris, non permiſit, chlamide illa in publicum prodire? Certè quia erat Regis inſigne. Ducebatur ad crucem, quæ vſque tunc ſceleratorum erat ſupplicium. Ne ergo qui Regis ornabatur inſigni, vel in imagine dignus appareat tanto ſupplicio, exuitur purpura, vt regiæ Maieſtatis decor maneat illæſus. Ob hoc pulchrè dicebat Ambroſius ad cap. 23. Lucæ: *Denique ſecundum Marcum, milites exuerunt eum purpura: quod nec vacat myſterio. Chriſtus enim aſcenſurus crucem regalia veſtimenta depoſuit; vt ſcias quaſi hominem paſſum, non quaſi Deum.* Id eſt, non quaſi Regem. Quia ſi in quantùm homo fuit Rex, ex eo fuit, quia eius humanitas Deitate erat delibuta, & velut vnguento lætitiæ ſanctificata. Æquum enim erat ſummum Imperatorem (licèt in ſe innocentiſſimus eſſet, & omnis culpæ prorſus incapax) nec effigiem habere peccati regiis ornatum veſtimentis. Nam qui aliis imperat, & præeſt, nec ſpecimen criminis debet præſeferre. Sic itaque Dominus, qui omnium erat incapax delictorum, quia tanquam reus erat affigendus cruci, libenter deponit veſtem purpuream, ne appareat criminoſus, quem Præſulem oſtendebat ornatus.

Matth. 27. n. 31.

Ambroſ.

Hinc, ni fallor, poſſumus intelligere; cur Chriſtus in cruce pendens, & cum iamiam in manus paternas commendaret ſpiritum, inclinato capite ſpirauerit: Ioan. 19. numero trigeſimo primo: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum:* ac ſi regiam recuſaret Maieſtatem. Nam cùm in cruce tituli eſſet inſcriptio: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Matth. 27. numero 38. Et paulò antea in Prætorio ſpinea redimiretur corona: *Et plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius.* Ibidem, numero 29. Quam vel in ipſa cruce ſeruabat: Et cùm tandem penderet è cruce, quæ Solis criminoſis deputabatur ſupplicium: caput inclinare geſtiuit, vt ipſum dimoueret ab inſcriptione, qua Rex Iudæorum prædicabatur, ſimulque capitis motu coronam proiiceret, ne regiis inſignibus ornatus, & perſonam publicam agens, ſceletatorum afficeretur ſupplicio, & particeps culpæ videretur, qui ab omni delicto erat immunis, & agnus ſine macula. 117.

Ioan. 19. n. 31.

Matth. 27. n. 38.

Ibid. n. 29.

De Aod, vel Aiod iudice gentis Iſraëliticæ refertur. Iudic. 3. num. 15. ſiniſtra caruiſſe manu: *Qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Quis vſquam vidit hominem roboratum duplici dextera? Hoc tanquam monſtrum abhorret natura, quæ alteram dexteram, ſiniſtram alteram omnibus prouidit, vtramque dexteram nulli. Quî ergo fieri poterit, vt Aiod vtraque manu pro dextera vteretur, ſiquidem quælibet diuerſas habet functiones? Origenes homilia tertia, in librum Iudicum nodum ſoluit his verbis: *Ecce qualis eſt iſte, qui ſuſcitatur ad ſaluandum Iſraël: nihil habet in ſe ſiniſtrum, ſed vtramque manum dexteram habet. Hoc eſt enim quod dicitur ambidexter. Dignus verò populi Princeps, & Eccleſiæ Iudex, quòd nihil agat ſiniſtrum.* Per ſiniſtram frequenter in ſcriptura peccata, & peccatores deſignantur, vt conſtat Matth. 25. numero 41. & 42. *Tunc dicet eis, qui à ſiniſtris erunt, diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Per dexteram, iuſti, & amici Dei intelliguntur, vt ibidem, numero trigeſimo quarto: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: venite benedicti Patris mei.* Ambidexter ergo proponitur Aiod, non quia læua careret, ſed quia in omnibus rectus, & iuſtus, nihil ſiniſtrum habens, hoc eſt, nullius criminis labe maculatus, vtpote à Deo præſcriptus ad regimen Iſraël. Nec tacuit hoc Hieronymus in Pſalm. 90. ad illa verba: *Cadent à latere tuo*, &c. Vbi cùm plura de dextera, & ſiniſtra manu commemoraſſet, & iuſtis omne negaret ſiniſtrum, ſic concludit; *Denique ille Aod, qui inſcribitur in libro Iudicum, propterea duas dexteras habere dicitur, quia iuſtus erat.* Iuſtus ergo debet in omnibus eſſe, qui alios iudicaturus eſt: non quia ſit impeccabilis, ſed quia tanta debet ornari ſanctitate, vt omnibus ambidexter appareat, ac ſi impeccabilis exiſteret. 118.

Iudic. 3. n. 15

Origenes.

Matth. 25. n. 41. & 42.

Ibid. n. 34.

Hieron.

Triduana luce, inquit Deus Geneſ. 1. n. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum:* Quatriduana autem pelagus lucis in Solem, Lunam, & Stellas diſlectum, & diſtributum tanquam in riuulos 119.

Geneſ. 1. n. 12.

rem

ibid.n.16. temperatè fudit, ibidem, num. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: luminare minus, vt præeſſet nocti: & Stellas:* In quinta luce piſces, & volatilia: in ſexta animantia produxit. Diuus Athanaſius quæſt. 85. in Geneſ. inquirit: *Quare plantas quidem ante luminaria creauit Deus, animalia verò poſt?* Sic reſpondet. *Propterea quòd plantæ ſunt inanimatæ, & non habent oculos, ſuntque ante luminaria creatæ.* Sed quid intererat, quòd plantæ inanimatæ eſſent, & oculis carerent, vt ante Solem, & Lunam crearentur? Dicerem, animalia potiùs, vtpotè oculis prædita ante luminaria creari debuiſſe tanquam Solis radios expectantia. Quomodo Athanaſius, ideo plantas ante luminaria creatas aſſerit, quia oculis carent, & poſt illa animalia in lucem prodita, quia oculis ornabantur? Satis profundè. Quarta die lucem illam ſparſam concreuit Deus, & contraxit ad globum, in quo Sol creatus ſplendet. Sententia eſt enim Magiſtri Bedæ, ſancti Thomæ, Bonauenturæ, Hugonis, Lyrani, Abulenſis, Catherini, & multorum recentiorum, qui Dionyſium de diuinis nominibus, prima parte, capite quarto ſequuntur, die quarta Deum non Solem, Lunam, & Stellas quoad ſubſtantiam creaſſe, ſed quoad formarum qualitates, & influendi virtutes. Prima die Sol fuit productus nomine lucis, ſed laxis ſplendoris habenis, abſque methodo, & temperantia clarebat: poſt quartum diem regulari motu, & alta virtute influebat in hæc corpora, & dierum fruebatur imperio. Ideo ergo plantæ, quæ oculis carent, & inſenſibiles ſunt ante luminaria fuerunt creatæ, ne lucem illam, quæ poſtea in globum contracta diei erat Præſul futura, inordinato motu, & abſque methodo vagari conſpicerent. Nam ſic Præſulem dedecet quælibet imperfectio; vt ex eo quòd Sol dierum erat habiturus principatum, & tribus diebus irregulari motu inceſſurus erat, noluit Deus animantia producere, vſque dum accordi motu incederet: ne in Præſule dierum, vel motum inordinatum conſpicerent.

120. In veſte Pontificis auro, & hyacintho adhibetur purpura, & huius rei rationem reddens Diuus Gregorius ſic ait: ſecunda parte Paſtoralis, capite ſecundo: *Auro quoque & hyacintho purpura permiſcetur: vt videlicet Sacerdotale cor, cum ſumma, quæ prædicat, ſperat. in ſemetipſo ſuggeſtiones vitiorum reprimat: eiſque velut ex regia poteſtate contradicat: quatenus nobilitatem ſemper intimæ regenerationis aſpiciat: & cœleſtis Regni ſibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate ſpiritus per Petrum dicitur. Vos autem genus electum: regale Sacerdotium.* Tenetur Rex, & Præſul vitiorum ſuggeſtiones ita reprimere, vt omnibus vitæ claritate appareat conſpicuus, ſicut decet eum, qui purpura ornatur, & infulis cingitur Sacerdotij.

Athanaſius.

Gregor.

ILLATIO LVI.

In Sacerdotis purpura crux Chriſti præſignabatur, vt in ea regale Sacerdotium oſtenderetur.

QVanti Chriſtus Dominus fecerit crucem, non tacuit Iſaïas, cum Prophetiæ oculis eum recenter natum præuidiſſet. ait capite nono: numero ſexto: *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Seu vt legerunt Septuaginta: *Cuius principatus ſuper humerum eius.* Diuus Hieronymus ad hunc locum præfata verba de cruce, quam Chriſtus portauit, non dubitat intelligere. *Nunc dicit factum illius principatum ſuper humerum eius*, inquit Hieronymus, *quia crucem ſuam ipſe portauit.* Cui communiter Patres, & Interpretes aſſentiuntur. Sed non poſſum non mirari, Chriſtum recenter natum, & tenerrimum præuideri à Propheta iam crucis onus portantem! Ad quid Domine ab incunabulis crucem portas, cùm adhuc longa tibi reſtet via, vt illi affigaris? Non dubito illa verba; *Paruulus natus eſt nobis*, cohærere cum illis, *& factus eſt principatus ſuper humerum eius*: non quia cùm primùm fuiſſet natus baiulaſſet crucem, ſed quia illam erat perpeſſurus, & quantùm in ſe erat ab illo inſtanti eam portaret. Tanto crucis flagrabat deſiderio. Verùm alto conſilio, iam crucem portans proponitur à Propheta, vt regia Maieſtate ornatus prænunciaretur. Cupiebat Propheta regnum Chriſti prænunciare, quod feliciter conſecutus fuit, ex eo quòd Chriſtum proponeret crucifixum. Audi Drogonem Hoſtienſem de Sacramento dominicæ paſſionis dicentem: *Qui erubeſcit crucem tuam, erubeſcit gloriam tuam; mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Crux gloria tua eſt, crux imperium tuum eſt; ecce imperium tuum ſuper humerum tuum; portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam; portat te, portantem autem te, tu portas ſuper humerum tuum, quia imperium tuum ſuper humerum tuum.* Ecce qualiter ex crucis ignominia, Chriſti ſplendebat maieſtas, cùm vix natus, & in præſepio iacens crucem affectat, vt ſuum regnum & principatum innoteſcat apud omnes.

121. Iſaiæ 9.n.6.

Septuaginta.

Hieron.

Drog. Hoſt.

122. Luc.23.n.43.

Felix ille latro ſic ad Chriſtum clamabat è cruce ſimul in cruce pendentem: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Luc. 23. numero 43. Diuus Auguſtinus ſermone 130. de tempore inſolitam, & ſubitam latronis petitionem expendens, ſic ait: *Dicito mihi latro regnum petens, quid in eo vides, ex quo petis?* Aduerte, ô latro, illum, quem auxiliarem vocas, opprobrium hominum, & plebis abiectionem reputari. Quare ergo regnum ab eo petis? Nam etſi ſanguinis purpura à planta pedis vſque ad capitis verticem eum conſpicis indutum; afflictum potiùs, quàm Regem, & iniuriatum, quàm illuſtrem debes attendere. Ex quo ergo regnum eius intuliſti? Perbellè reſpondet Auguſtinus: *Crux ipſa regni inſigne eſt, & propter eam Regem appello, quia*

D.Auguſt.

video crucifixum. Crux ipſa radios emittebat, in quibus Chriſti regnum caracteribus lucis legebatur apertè. Sed rurſus examinare libet: cur non petit latro, vt à cruce ipſum Chriſtus deponat, vel à tormentorum angoribus liberet, ſed ſolùm, vt memoriam eius in regno ſuo conſeruet? Si tot, ô latro, cruciatus pateris pendens in cruce; cur regnum petis, & non tormentorum leuamen? Cordatè ſatis petit, ait Drogo Hoſtienſis loco citato:
Drog. Hoſt. *Non vult de cruce deponi, ſed in regno Chriſti reponi.* Quaſi dicat: Quid aliud eſt, latronem à Domino regnum petere, quàm nouum in regno ſitum deſiderare. Non petebat nouum regnum, ſed reponi in regno Chriſti. Nam ſi peteret, vt è cruce deponeretur, inconſequenter regnum expoſtulaſſet, cùm in ea tanti regni ſolium, & maieſtas conſiſtat.

123. Ioan. 19. num. 31. Chriſtus Dominus in cruce pendens: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Multa dixere multi de hac capitis humiliatione, quæ ſuis locis dedimus, & dabimus. Nunc ad rem præſentem, ideo id feciſſe credimus, vt oſtenderet, crucem ſufficere ad tantæ maieſtatis oſtenſionem. Quod ſic explico. Erat in cruce titulus, qui Chriſtum Regem
Matth. 27. num. 38. prædicabat: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Matt. 27. n. 38. Inclinauit ergo caput, vt motu illo coronam proiiceret, & Regis titulum recuſaret; quaſi dicens, vt Regis fruar ſplendore, ſufficit mihi crux, & ſuperfluit corona, & Regis publica inſcriptio.

124. Matth. 27. num. 31. Purpurea veſte indutus illuditur Chriſtus apud Pilatum. Matt. 27. n. 31. *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent.* Sed cur Chriſtus cum ad crucifigendum ducitur, exuitur purpura, & propriis induitur veſtimentis? Quando in præſidis domo flagellatur Ieſus, & colaphis cæditur, & ſputis conſpuitur, induitur regali purpura: cùm autem ad crucifigendum ducitur, ea exuitur: quia crucẽ deferens ſuperfluit purpura, & ornamentum regale. Ita namque ex crucis illuſtri iniuria Chriſti deducitur principatus, vt vix huius ſacri ligni radiet inſigne, cùm manifeſtè demonſtrat eius glorioſum imperiũ. D. Bern. ſerm. 1. in die Paſchæ apertè totum conceptum confirmauit, expendens verba illa, quæ Chriſto inſultantes
Matth 27. num. 42. Bernard. proferebant Iudæi: *Si rex Iſraël eſt deſcendat de cruce* Matth. 27. n. 42. *O ſtulti* (inquit Bernard.) *Imò quia Rex Iſraël eſt, titulum regni non deſerat, virgam imperij non deponat, cuius imperium ſuper humerum eius.* Quia nullo meliori titulo Chriſtus ſuum commendabat imperium, quàm cùm pendebat è cruce.

125. Poſt paſſionis iniurias, & reſurrectionis gloriam, cùm iamiam ad thronum ſuæ Maieſtatis eſſet Chriſtus aſcenſurus, potentiam ſuam
Matth. 28. num. 18. oſtentat, dicens diſcipulis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Matth. 28. n. 18. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus oratione in exaltatione crucis inquirit: cur Chriſtus vſque tunc tantam potentiã ſilentio preſſerit, tacueritque tantam gloriam, & poteſtatem, quæ maximè illum commendaret? Quia nondum crucis patibulo fuerat affixus (reſpondet Germanus) in quo mortem debellans, & ſuos captiuos redimens, inuicti Regis obtinuit imperium. Audi ipſum. *Rex in thronum regalem crucis conſcendit, vt Princeps mundi extra ſuum imperium eiiciatur, & vt tyrannus pedibus ſubiiciatur, vt non amplius mundi Princeps appelletur, Chriſto iam crucifixo, qui ait: Data eſt mihi omnis poteſtas,* &c. Germanus. Vſque dum Chriſtus crucem aſcendit potentiæ gloriam noluit manifeſtare; at poſt crucis paſſionem, cœli, & terræ clauem tenere, non erubeſcit oſtendere, indicans, crucem eſſe tanti ſolium imperij.

126. Cogitante turba illa quinque ſatiata panibus, & duobus piſcibus, de Chriſti diademate aufugit in montem: *Ieſus ergo cùm cognouiſſet,* Ioan. 6. n. 15. *quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Ioan. 6. num. 15. Non ſic aufugit Ieſus, in horto, cum eſſet, ſed expectauit milites, qui ad eum venerãt comprehendendum, dicens: *quem quæritis?* Ioan. 18. n. 4. Sed cur Chriſtus fugit, cùm à turba in deſerto grato animo præpara- Ioan. 18. n. 4 batur diadema; cùm autem milites à falſo inſtigati diſcipulo, vt animam eius perdant, ſedulò quærunt, non ſolùm non aufugit, ſed ſe propriis manifeſtat verbis? Reſpondet D. Greg. lib. 1. Paſtor. c. 3. *Rex fieri noluit: ad crucis verò* Gregor. *patibulum ſponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit: pœnam probroſæ mortis appetit.* Quod eſt dicere: Ideo Chriſtus in horto non fugit, quia apprehendebatur ad crucem, è qua erat regnaturus: in deſerto regnum præparabatur, tamen ſine crucis imperio. Meritò ergo in deſerto recuſauit coronam abſque crucis gemma oblatam, & in horto vltro ſe tradidit in manus inimicorum, ſciens in cruce mirificè regnaturum. Nolnit ergo regnare abſque crucis glorioſa ignominia, in qua ſolium maieſtatis, & celſitudinis thronum collocauit.

127. Venerabilis Beda lib. 3. de tabernaculo, cap. 4. per *Purpuram* Pontificali deſeruiens ornamento Chriſti crucem intelligit, dum ait: *Quamuis purpureo colore poſſit ipſa effuſio ſanguinis pro Chriſto, vel diuerſarum tolerantia preſſurarum intelligi. Ipſa enim eſt crux, quam ſequentes Dominum quotidie ferre iubentur.* At cur crucis figura ornatui Pontificis ſeruiebat? Profectò vt maieſtatis regiæ ſplendore fulgeret Pontifex, & oſtenderetur regale Sacerdotium. Quia cùm Chriſti crux principatus ſit inſigne, & eius imperij non dubia comprobatio: meritò vt ſummus Sacerdos, qui Chriſti erat figura, ſuam oſtenderet poteſtatem, crucis honoratur inſigni, vt de eius authoritate nemo auſus ſit dubitare. Beda.

ILLATIO LVII.

Vel remotum crucis lineamentum, victoriam reportat de inimicis.

128. NOn ſolùm crux imperij Chriſti eſt inſigne, verumetiam populi Chriſtiani præſidium munitiſſimum. Vel ſolo crucis ſigno terror incutitur inimicis, & victoria de illis reportatur. Tertullianus in Apologia aduersùs Gentes, cap. 16. Hanc victricem crucis virtutem oſtendens, ſic ait, ipſas Gentes alloquens:

Dixi

Tertullian. *Diximus originem Deorum veſtrorum à plaſtis de cruce induci. Sed & victorias adoratis, cùm in trophæis cruces inteſtina ſint trophæorum. Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna curat, ſigna omnibus Diis præponit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt. Sypara illa vexillorum, & Cantabrorum ſtolæ* Pamelius. *crucium ſunt.* Pamelius ibi illud, *Victorias adoratis*, Sic exponit. *Trophæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur.* Quod & numiſmate quodam antiquo Romanorum confirmat, in quo crucifixi erat effigies ſculpta. Vides ergo qualiter Romani ignoranter cùm victorias celebrabant, crucis effigies proponebant in trophæis; quaſi non poſſent victorias ſine cruce decantare.

129. Nunciata fuerat Abrahamo conſobrini Loth captiuitas ex bello inito cum ſodomitis, Gomorræis, & aliis regibus proueniens. *Quod* Geneſ. 14. à n. 14. *cùm audiſſet Abraham, captum videlicet Loth fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo, & perſecutus eſt eos vſque Dam: & diuiſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba, & Phœnicem, quæ eſt ad lævam Damaſci. Reduxitque omnem ſubſtantiam illius, mulieres quoque, & populum.* Geneſis 14. à numero 14. Miror ſanè Abrahamum virum prudentem, & bene prouidum ſolis trecentis, decem & octo viris quatuor inuaſiſſe Reges, victoria parta fortiores, militum numero, & armis potentiſſimos, & in re militari ſtrenuos! Et quod maiori admiratione dignum exiſtimo, eſt, illos ſuperaſſe, in fugam conieciſſe, & tandem ab eis reportaſſe victoriam captâ magnâ prædâ, ſimulque Loth, & omnem eius ſupellectilem in priſtinam libertatem reſtituiſſe. At ſi Paſchaſium audimus in Præfatione in libro de Spiritu Paſchaſius. Sancto, omnis ceſſabit admiratio. *Ideo*, inquit, *Sacrum numerum diximus, quod trecenti mera ſupputatione Græca, ſignum crucis: decem & octo verò Ieſu adorandum nomen oſtendunt. In hoc ergo numero, atque myſterio, in quo & ſanctus Abraham de innumeris gentibus triumphauit.* Ergo prudenter, & confidenter ſe geſſit Abraham cùm viriliter in hoſtes irruit. Nam licèt trecenti vernaculi præ multitudine inimicorum parua videretur cohors; tamen quia in iſto numero crucis obumbrabatur vexillum ſecundùm Græcam ſupputationem (Græci namque hunc numerum Littera *Thau* T, oſtendunt, quæ crucis habet ſimilitudinem) prudenti fiducia hoſtes inuaſit, & felici exitu eorum acies profligauit. Nam vbi ſacroſanctæ Crucis, vel remota adeſt effigies abſque dubio ab hoſtibus reportabitur victoria.

130. Hac doctrina non malè inſtructus Gedeon, nec progenitoris Abrahami oblitus victoriæ, trecentis viris Madianitas ſuperauit, vt refertur Iudicum ſexto, numero ſeptimo. Iudic. 6. n. 7. *Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lamberunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* Sed cur in trecentis viris? Myſterium aperuit Auguſtinus Auguſt. ſermone centeſimo octauo de tempore dicens: *Gedeon, fratres chariſſimi, typum geſſit Domini Saluatoris. Et quia trecenti ſecundum Græcum computum crucem faciunt, ita nunc Gedeon in trecentis viris Iudæorum populum de crudeliſſimis gentibus eripuit, quomodo poſtea Chriſtus totum genus humanum de poteſtate diaboli liberauit.* Et paulò antea clariùs id expreſſerat. *Elegit*, inquit, *trecentos viros ad prælium, vt oſtenderet, non in numero multitudinis, ſed in Sacramento crucis mundum ab incurſu grauium hoſtium liberandum. Trecenti enim in Græca Thau, T, ſimilitudinem crucis oſtendunt.* Gedeon Chriſti Domini typum gerebat, qui trecentis viris profligauit Madianitas, in quorum numero ſanctæ Crucis deſignabatur imago, vt oſtenderet non aliter Chriſtum Dominum ſuos debellaturum inimicos. Tanta in hoc ſacroſancto ligno micat fortitudo, vt vel ipſe Chriſtus ad diabolum ſuperandum, & homines redimendos, hoc ſigno videatur indigus.

Pugnabat contra Amalech Dux ille populi Iſrael Ioſue, & cùm iam ex vtraque parte prælium committeretur, alternante victoria, modò vincebat Ioſuë, modò ſuperabat Amalech: at hæc belli viciſſitudo ex diuerſa manuum Moyſis poſitione dependebat, teſtante ſacro eloquio Exodi decimo ſeptimo, numero vndecimo: *Cùmque leuaret* Exod. 17. *Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paulum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Communiter hic Patres, & interpretes crucis ligno, cuius formam Moyſes extenſis manibus præferebat, victoriæ triumphum adſcribunt. Sic Tertullianus libro tertio contra Marcionem, capite decimo octauo. Ambroſius ſermone ſexageſimo quinto, & alij, quamplurimi. Sed ille libro contra Iudæos, capite decimo profundius rem hanc non dedignatur examinare. *Iam verò Moyſes*, inquit, *quid* Tertullian. *vtique tunc tantùm cùm Ieſus aduerſus Amalech præliabatur extenſis manibus orabat reſidens: quando in rebus tam attonitis magis vtique genibus poſitis, & manibus cadentibus pectus, & facie humi volutata orationem commendare voluiſſet?* Quid enim eſt, quod Ioſuë, vt ſuperet inimicos crucis firmatur præſidio? Non miror, cruci, vel in effigie remota, quam extenſis brachiis Moyſes delineabat in monte, victoriæ triumphum attribui. Sed aliud poſtulat inquiſitio Tertulliani. Cur ergo Moyſes reſidens, & non percutiens pectus, genibus flexis, nec facie humi volutata preces effudit, vt belli felix exitus eſſet? Reſpondet Tertullianus ibidem. Tertull. *Niſi quia illic vbi nomen Ieſu dimicabat, dimicaturi quandoque aduerſus diabolum, crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quam Ieſus victoriam eſſet relaturus.* Quod eſt dicere: Quando Ioſuë contra Amalecitas præliabatur, Chriſti Domini contra diabolum præſignabatur bellum. Ioſuë namque noſtri Ieſu, & Saluatoris erat effigies. Quid ergo mirum, ſi tunc crucis non defuerit figura? Ex quo conſtat apertè, quòd ſicut quondam Ioſuë crucis indiguit vmbraculo, vt viriliter hoſtes profligaret; ſic in Domini pu-

131.

gna crucis lignum neceſſarium erat, per quod victoriam de inimicis reportaret. Ecce quomodo vel ipſe Chriſtus crucis vtitur adiutorio, vt ſuperet inimicos, & glorioſo triumphi afficiatur honore.

131. 1.Reg.17. num.40. Adoleſcens Dauid contra Philiſthæum terrorem, & opprobrium Iſraël ſingulare promittit certamen, non in clypeo, & lancea, ſed in funda, & baculo paſtorali. *Et tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem: & fundam manu tulit: & proceſſit aduerſus Philiſthæum.* Tunc Goliath arrogans, & ſuperbus deſpexit Dauidem: at adoleſcens non ſtupet gigantis ferocitate, ſed ſuperbiæ, & arrogantiæ eius illudens, feſtinanter miſit manum in peram ſuam: *Tulit vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte: & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Ibidem, numero 49. Quid eſt, quòd Dauid non expauit coram Philiſthæo armato; & baculo, & funda, non clypeo, & lancea ad certamen progreditur, & tandem lapide proſternit ſuperbum, & arrogantem? Ni fallor, quia Dauid cùm lapidem miſit, & fundam circumduxit, crucis formauit figuram. Ex cruce ergo Dauidis victoria, & Philiſthæi deiectio dimanauit. Galfridus apud Tilmanum ad hunc locum attigit cogitatum dicens: *Etſi limpidiſſimum lapidem vis videre: mihi, inquit, abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc iam lapide Goliath in fronte percutitur, dum ad crucis prædicationem conuerſus proſternitur inimicus. Nam & ipſa, quæ circumuoluitur funda Euangelij nobis innuit prædicationem.* Expende illa verba: *Hoc iam lapide Goliath in fronte percutitur.* At quando cruce percuſſus fuit Philiſthæus? Tunc ſcilicet, quando fundam circumducens Dauid, illum percuſſit in fronte, cruce feriit: quia licèt lapide fuerit percuſſus, lapis ille cruce mittebatur ſignatus. Nam cùm fundam circumuoluereret, perfectam in aëre delineauit crucem. Meritò ergo ſolo ictu lapidis victus proſternitur Gigas, vt Dauidis victoria adſcribatur cruci. Accipe nunc ad rem, & ad mores applicationem. Per Dauid Chriſtus Dominus intelligitur; per Goliath diabolus figuratur; per Philiſthæos peccata. Docemur ergo Chriſtum Dominum cruci affixum diabolum profligaſſe, peccata ſubmerſiſſe, & per crucem præclaram reportaſſe victoriam; & nos, crucem Domini ſi amplectamur, diabolum eſſe victuros. Propter hoc etiam, purpura, quæ crucis (vt ex Beda præcedenti illatione diximus num.127.) ferebat imaginem, Pontificis inſeruiit ornatui: vt ſummus Sacerdos victoriam reportet de inimicis, vitia proſternens, & peccata iugulans.

1.Reg.17. n.40.

Ibid.n.49.

Galfridus.

Illatio LVIII.

Pretioſum crucis lignum eſt felix, & diuinum vitæ auſpicium.

133. IN hoc Eccleſiæ viridario arbor meliorem vitam ferens, quàm illam, quam tribuebat arbor in Paradiſo Edem plantata, ſpecioſiſſimè fulget. Id explicuit Drogo Hoſtienſis libro de Sacramento Dominicæ paſſionis vbi ait: *Quis ergo amplius crucem timeat? In cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipſa eſt arbor vitæ, quæ eſt in medio Paradiſi.* Ex cruce omnes vitam accipimus ſpiritualem; in ea redempti ſumus, & per eam velut per viam regiam ad vitam ſine fine duraturam ducimur. Nemini dubium eſt, vitæ lignum in medio Paradiſi ſitum crucis noſtræ fuiſſe lineamentum. Hoc communi Patrum comprobatur calculo, & meritò, cùm Chriſtus in cruce pendens liberali largitate omnibus vitam impertiuerit. Eſt ergo Chriſti crux vitæ præſagium, & deſtructionis mortis feliciſſimum auſpicium. Rufinus (vt refert eruditiſſimus Pater Ioannes Euſebius Nierembergius de origine ſcripturæ lib.4.cap.16.) ait, apud Ægyptios crucem fuiſſe litteram hieroglyphicam vitæ indicem. Apud Latinos quoque, & Græcos damnandis à iudice præfigebatur Θ *Thita*; liberandis T *Thau*, vt conſtat ex Aſconio, Rufino, Socrate, & Sozomeno apud eundem Euſebium, qui addit ex Patre Salmeron in caput vigeſimum quartum Matthæi numero trigeſimo, Beatos omnes in cœleſti patria pro frontibus inſigniendos cruce, quaſi teſſerà Chriſti Domini, qua teſtentur ipſius Chriſti cruci affixi merito ſalutem ſe conſecutos, & in cœlis regnare.

Drog Hoſt.

Rufinus. Euſeb. Nier.

134. Hoc ipſum ex ſacra Pagina non erit operoſum confirmare. Adſit Elias quando Sareptanæ viduæ filium reuocauit ad vitam. *Expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ: & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit*, tertio Regum, decimo ſeptimo, à numero vigeſimo primo. Caietanus ad hunc locum notanter aduertit: *Hic eſt primus mortuus, qui ab initio mundi reſuſcitatus eſt.* Non vacat myſterio, quòd cùm primùm vita de morte triumphauit, hoc ritu Elias puerum excitaret à mortuis. Quid enim relucet in expanſione Eliæ, vt ex ipſa vitæ contra mortem triumphus inciperet? Proculdubio; quia cùm Propheta manus expandens menſus eſt ſuper puerum, apertam crucis effigiem delineabat, & Chriſti Domini in cruce pendentis præferebat figuram. Id explicuit Gillibertus apud Tilmanum ad præſentem locum agens de hoc puero, cui Elias vitam reſtituit, & de illo, quem excitauit Eliſeus. *Ille* (id eſt Elias) *expandit ſe ſuper mortuum: iſte*, id eſt Eliſæus, *incuruauit. Vnus in vtroque Chriſtus.* Meritò ergo expanſione Eliæ puer reuocatur ad vitam, vt exinde conſtet, vel crucis lineamento vitam reſtitui. Nam etſi mors peccati ſynthoma tyrannico imperio ſubiugauerat vitam; vbi primus de morte erat oſtendendus triumphus, iure optimo crucis condecoratur vexillo, vt ſacratiſſimi ligni vitalis virtus eſſet conſpicua. Nam vbi crucis, vel vmbra parua relucet, liuore mortis proſtrato, vitæ triumphabit alacritas.

3 Reg.17.à n.21.

Caietan.

135. Pro huius thematis maiori confirmatione famoſa eſt illa viſio Ezechielis, & omnium Eccle

clesiarum Christi lectione celebrata. (vt ibidem ait Hieronymus) Educitur Propheta à Domino in campum spatiosum repletum humanis ossibus propter temporis vetustatem aridis, siccisque vehementer, & nihil in se humoris habentibus. Tunc interrogatur à Domino Propheta; an existimasset, ossa illa posse viuere? Respondit: Domine Deus tu nosti, qui plenam habes scientiam futurorum. Dixitque iterum Dominus ad eum: Vaticinare super ossa hæc, & dices ad ea: ossa arida audite Verbum Domini. Tunc ossa cum aliis ossibus neruorum vinculis colligantur, deinde implentur carnibus, & desuper ob pulchritudinem extendirur cutis, quæ nudarum carnium cooperiat fæditatem: Iacebant humana corpora sine vita, quapropter Propheta iterum vaticinatur dicens: *Hæc dicit Dominus Deus: à quatuor ventis veni Spiritus: & insufla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et prophetaui, sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea Spiritus, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.* Quid est quòd Propheta, vt corpora illa reuiuiscant, vocat Spiritum à quatuor ventis, id est, à quatuor mundi plagis? Nunquid Deus vnico vento non poterat cadauera illa suscitare? Poterat certè. Cur ergo à quatuor ventis, vel à quatuor mundi plagis venire Spiritum desiderat? Sacramentum crucis, ni fallor, latet in hoc vaticinio. Nam si mundi plagas attentè consideremus, crucem non possumus non inuenire. Ab Oriente in Occasum ducitur quædam linea: ab Aquilone ad Austrum protenditur alia: hæ duæ lineæ cùm protrahuntur, in medio copulantur, & sic formant perfectam crucis effigiem. Id explicuit apertè Hieronymus in Comment. ad cap. 15. Marci, his verbis: *Species crucis, quid est, nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulget; Arcton dextra tenet; Auster in læua consistit; Occidens sub plantis firmatur.* Ex his iam haud difficile erit, quæsitum soluere. Idcirco Deus, vt ossibus vitam restitueret, à quatuor ventis, vel à quatuor mundi plagis Spiritum insufflare iubet, vt quadruplici illa insufflatione, perfecta crux formaretur, & per crucem ad vitam reuocarentur cadauera. Ex quo manifestè constat, crucis effigiem non solùm vitæ fuisse præsagium, sed verum, & Sacrosanctum instrumentum.

Ezech. 37. num. 9.

Hieron.

136. Iuxta ciuitatem Naïm erat Iesus, cùm defunctus adolescens filius vnius cuiusdam viduæ, ac proinde viduitatis eius delectissimum solatium efferebatur ad sepeliendum. Vix Christus matrem lachrymantem conspexit, cùm misericordia motus adolescentis vitæ solatur spe. Tunc accedens tetigit loculum, vel feretrum, & ait: *Adolescens, tibi dico. Surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri suæ.* Lucæ 7. num. 15. D. Ambros. lib. 5. in Lucam tanti miraculi reddens rationem in hæc verba prorumpit. *Spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Iesus id tetigit, proficere cæpit ad vitam: vt esset indicio salutem populo per crucis patibulum referendam.* Vsque dum Christus ferculum suo sacrauit contactu, resurrectionis defuncti spem non dederat matri; at postquam id tetigit Iesus, proficere cæpit ad vitam. Sed cur nunc, & non antea? Quia post Christi contactum lignum ferculi crucis induerat effigiem, & vbi sacrati ligni adest forma, non dubia spes resurgendi creditur: *Quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Iesus id tetigit, proficere cæpit ad vitam*, &c.

Lucæ 7. n. 15

Ambros.

137. Matth. 27. num. 52. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Christo in cruce pendenti aperiuntur sepulchra, ita Hieronymus, & Beda apud Maldonatum ad hunc locum, licèt hi Patres asserant, hos sanctos non nisi post resurrectionem Christi resurrexisse, quod valde consonum est rationi, quia Christus est *primogenitus mortuorum* Apocal. 1. num. 5. *Et primitiæ dormientium.* 1. Corinth. 15. num. 23. Sed cur sepulchra aperiuntur Christo adhuc in cruce pendenti, si vitam non erant consecuturi isti sancti vsque ad Christi resurrectionem? Profectò vt à cruce haberent iam vitæ fælix auspicium, cùm reserata essent marmora. Ita Arnoldus Carnotensis tract. de septem vltimis verbis Domini. *Petræ quoque* inquit, *scissæ sunt, & sepulchra reserata; quia hæc consummatio, & lapideis cordibus aperit spiritualem intellectum; & ad eos, qui mortui erant in peccato, vitalem reuocat spiritum.* Non solùm vitæ corporalis crux Domini fælix fuit auspicium, vt his Sanctis in Domino quiescentibus; sed etiam illis, qui mortui erant per peccatum, vitalem reuocat spiritum. Ob hoc purpura ornabatur sacerdos, in qua Christi vexillum suo sanguine purpuratum præsignabatur, vt propriæ vitæ esset securus, & quam Christus Dominus consummatis meritis daturus erat in cruce, quando sacerdotis munus exercens in ara crucis simul fuit sacerdos, & oblatio.

Matth. 27. n. 52.

Apoc. 1. n. 5.

1. Cor. 15. n. 23.

Arnol. Carn.

ILLATIO LIX.

In crucis ignominia ostendit Christus suæ gloriæ celsitudinem.

138. ILustris est ignominia crucis, & præclarum est huius sacrati ligni opprobrium, siquidem ex illo Christus omnibus ostendit suæ gloriæ celsitudinem. Dicebat ipse Ioann. 12. num. 23. *Venit hora, vt clarificetur filius hominis.* Vbi Cardinalis Hugo sic ait: *Vt clarificetur, id est, vt patiatur, & crucifigatur. Crucem enim gloriam appellat.* Tanti passionem, & crucem fecit Dominus, vt licèt conspuendus, flagellandus, crucifigendus esset, horarium tormentorum vocat spatium, & claritatis appellat præconem, quia in cruce omnia fuerant consummanda, quæ ad nostram reparationem spectarent.

Ioan. 12. n. 23. Hugo Card.

139. Iamiam ferè Dominus in passionis versabatur angustiis, cùm dicebat discipulis: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam?* Ioan. 12. num. 27. Et conuersus ad Patrem suum dicit ibidem: *Pater salufica me ex hac hora.* Magnum est inter sacros interpretes dissidium circa horum verborum intelligentiam. Nam cùm Christus dixisset discipulis, passionis suæ tempus

Ioan. 12. n. 27.

iam instare, eosque hortatus fuisset, vt tanti magistri exemplo non recusarent tormenta, videbatur res ipsa postulare, vt qui alios ad oppetendam mortem hortabatur, nullam mortis ostenderet formidinem, sed veluti egregius, vt erat, dux interrito, & erecto animo ante omnes ad mortem graderetur. Quomodo ergo nunc tantum ostendit timorem vel ad
Auguſt. solam mortis memoriam? D. Augustin. tract. 52. in Ioan. respondet, Christum Dominum non sua, sed nostra persona timuisse, id est, infirmitatem, & timorem à nobis in se, firmitatem verò, & fortitudinem à se in nos transtulisse, timuisseque, ne mortem nos timeremus.
Theodorus Hera. Theodorus Heracleotes asserit, non timuisse mortem, sed turbatum fuisse, aut propter Iudæorum incredulitatem, aut propter discipulorum alienationem, quam præuidebat. Cyrillus Alexandrin. dixit, hæc locutum fuisse Christum, vt ostenderet se verum hominem esse. Idem sentit Athanasius in catena Græca ad hunc locum. Chrysost. Theodorus Mopsuestiensis. Leontius, & Theophylactus apud Maldonatum, ideo turbari Christum autumant, ne dicerent discipuli, quos ad oppetendam mortem hortatus fuerat, facilè illi esse, vt pote doloris experti, alios ad mortem hortari. Vt ergo huiusmodi cogitatio ab eorum cordibus relegaretur, hominum cæterorum more ostendit se mortem exhorrescere, sed vt Patri obediens comprobaretur, non recusare; vt eodem modo etiamsi mortem maximè perhorrescant, cùm Dei gloria postulauerit, forti, & strenuo animo oppetant. *Et quid dicam?* inquit Maldonatus. *Vox est hominis præ animi perturbatione consilij inopis, non quòd Christus inops consilij fuerit, sed quòd ea ratione tristitiæ, turbationisque magnitudinem ostendere voluerit.* Sequentia Verba: *Pater saluifica me ex hac hora:* putant Leontius, & Theophylactus legenda esse per interrogationem ac si diceret Christus: *Quid dicam? An vt me liberes ab hac hora?* Minimè. Quod sequentia verba satis explicant: *Sed propterea veni in hanc horam.* Sed cur si vel sola mortis mentione tantam animi patitur turbationem, non vult Christus mortem recusare? Cur non postulat à Patre, vt eum à morte liberet? Quia si mortem non pateretur, cùm hanc secundùm diuinæ voluntatis decretum in cruce erat perpessurus; ne se gloria crucis defraudaret, mortem appetit, non recusat. Erat enim in crucis honoribus fruendis (vt ita dicam) nimis ambitiosus, quia gloria eius est crux: *Crux gloria tua est,* dixit Drogo Hostiensis de Sacramento Dominicæ passionis. Ergo libenter se in omnes cruciatus daret, vitamque profunderet, vt crucis gloria frueretur.

140. Matth. 26. num. 38. sic Christus discipulis eum in horto comitantibus ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* O bone Iesu? Nunquid, non descendisti in hunc mundum, vt morte tua nos liberares captiuos tyrannico diaboli iugo miserè detentos? Ita sanè. Si ergo tua te vicit clementia, vt pro nobis crudelem patereris mortem: cur tristitia afficeris, cùm iam eam proximam intueris? Tristitia hæc (inquit Tertullianus lib. de patientia cap. 8.) potius est moriendi desiderium, quàm recusandi mortem: *Professus quidem est ipse* (loquitur de Christo Domino) *animam anxiam vsque ad mortem.* Quod est dicere; anxius Christus est, vsque dum in cruce pendens emittat spiritum: tunc, tunc desiderium suum adimpleuit, & cessauit anxietudo, cùm animam posuit pro hominum salute. Sed cur tanta moriendi afficitur anxietate? Quia tunc vt migraret è vita crucifigendus erat. Anxietas ergo moriendi, & tristitia, quia mors differebatur, ex crucis dimanabat desiderio, vt tanti ligni consequeretur gloriam. Fauet huic cogitatui Cardinalis Hugo in cap. 28. Matth. explicans illa Christi verba num. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste,* dicens: *Non orat, vt non veniat, sed vt transeat.* Quasi diceret: non recusat Christus mortem, imo eam desiderat, sed vult vt transeat, vt prædicetur glorioſus, quia crucifixus. Huius desiderij ita ardebat incendio, vt ausus fuerit dicere Tertullianus lib. de patientia cap. 3. contumeliosum sibi esse Christum, & martyrio affici in vtero Virginis, quia gloria crucis differebatur. *Nasci se Deus in vtero patitur, & expectat, natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est.* Quid ais Affricane doctissime? Deus in vtero virginis patitur, & natus sustinet adolescere, & adultus non gestit agnosci, qui contumeliosus sibi est? Cur hæc profers? Quia in vtero Virginis pati crucem non poterat, quanuis in illo velut in talamo suo requieuerit, patitur, crucem expectans: insuper propter eandem rationem contumeliosus sibi est, quia gloria crucis videbatur orbatus: at in cruce pendens, ibi glorioſus existit.

Tertull. Matth. 26. n. 39. Hugo Card. Tertullian.

Sed thema nostrum altiùs libet confirmare. 141.
Cùm Christus mente deuolueret suæ passionis cruciatus, turbationémque animi exponeret, sic ad Patrem alloquitur: *Pater clarifica nomen tuum.* Ioan. 12. num. 28. Tunc audire meruit de cœlo: *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Quæ verba, vt ibidem notat Maldonatus cum communi Doctorum expositione, de Christo Domino intelligenda sunt: quasi dicat æternus Pater: *Clarificaui te, & iterum clarificabo te.* Non est facile aperire, de qua clarificatione præterita, vel de qua futura præsens sermo sit. Communiter Patres Latini primam clarificationē de æterna intelligunt generatione, qua filius procedit splendor, & imago Patris: secundam de claritate, qua Christus in ligno crucis pendens clarificandus erat. Ita expressè Rupertus lib. 10. qui postquam de æterna egerat clarificatione, de secunda sic ait: *Et iterum clarificabo, inquit, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium corporis Ecclesiæ primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliari in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ cœlis sint.* Sed adhuc restat difficultas: quia cùm (vt diximus) prima clarificatio æternam generationem; secunda gloriam, & nominis exaltationem per crucem obtētam significet; videtur secunda clarificatio coæquare primam. Nam vox illa, *iterum,* hoc videtur sonare. Hoc autem quis audebit dicere? Verùm quantumuis clarificatio illa æternæ generationis clarificationem crucis

Ioan 12. n. 28. Maldonat. Rupertus.

superet

superet infinitè ; nescio an post illam superfit alia, quæ huius pretiosi ligni claritatem valeat superare. Nam etsi Christus infinita gloria præfulserit æternæ generationis, cùm in cruce pendebat huius infinitæ gloriæ lumen ostendit, siquidem ab omnibus creaturis Deus fuit prædicatus. Meritò ergo crucis splendor claritatis æternæ successor proponitur, indicans post illam, istum splendere. Expressè hoc innuit Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 13. exponens verba præfata Ioannis 12.num. 23. *Venit hora, vt clarificetur filius hominis*, & disquirens, quî fieri posset, vt Christus glorificetur, cùm iam glorificatus esset ante mundi

Cyrillus Hierosolim. constitutionem. Sic respondet. *Non quòd prius non haberet gloriam ; glorificatus enim erat gloria ante mundi constitutionem : sed glorificabatur tanquam Deus semper. Nunc verò glorificatus est, patientiæ ferens coronam.* Quasi diceret ; ante mundi exordium glorificatus fuit Christus, sed gloria Deitatis : nunc autem alia gloria illustratur, nempe gloria patiendi in cruce. Ecce qualiter ex mente Cyrilli post illam gloriam inaccessibilem, & æternam nulla alia supereſt maior, quàm gloria sacri patibuli.

142. Ob insignem illam confessionem, qua B. Petrus Christum Dominum æterni Patris æternum filium fuerat confessus, summis laudibus extollitur à Christo, & efficitur Ecclesiæ caput, & fundamentum : sed cùm paulò post audiret Christum dicentem se multa pati oportere, & Petrus opprobria & mortem tanto Domino indigna iudicaret dicens, *absit à te Domine ; non erit tibi hoc*, aspera verba meruit audire.

Matth. 16. n. 22. & 23. Matth. 16. num. 22. & 23. *Vade post me Sathana : scandalum es mihi : quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Basilius Seleucien-

Basil. Seleucus. sis orat. 31. in illud, *Ecce ascendimus Hierosolimam*, sic ad Christum loquitur. *Verùm quæ hæc asperitas verborum, Domine ? Quæ hæc formidanda in Petrum increpatio ? Modò audinit, beatus es Simon Bar-Iona, & nunc Sathanam vocas Apostolum ? en Iudas venditionem molitur, eadem facit, contrà te cum Iudæis compositionem transigit : non tamen increpatur ? Vidisti, ô Domine, cum militibus, & armis, & fustibus inuadentem, nec dixisti ; vade post me Sathana.* Acutè argumentatur Basilius. Adderem ego : ad Petrum, Domine, vade post me Sathana : ad Iudam proditorem, *Amice ad*

Matth. 26. n. 50. *quid venisti ?* Matth. 26. num. 50. Cur Iudam amicum, Petrum Sathanam, & aduersarium vocas ? Nec mireris, obsecro, cùm Petrus à cruce, contenderet, reuocare magistrum, Iudas autem proderet ad crucifigendum. Nam tanti Christus fecit gloriam crucis, vt vel proditorem vocaret amicum, quia pendendi in patibulo præbebat ei opportunitatem.

143. Matth. 2. n. 13. Chrysol. Matth. 2. n. 13. Sic Angelus ad Ioseph : *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Petrus Chrysologus serm. 150. admiratione plenus ait. *Si pietatis esse diximus, quòd natus est Christus, Christus quòd fugisse legitur, quid dicemus ?* Et paucis interiectis prosequitur. *Si rerum refugium fugit, auxilium latescit omnium, si formidat fortitudo cunctorum, si se vniuersorum defensio non defensat, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, formido culpatur ? & ista, fratres, esto facta sint, quare litteris mandantur, quare referuntur in libris, quare recitantur sæculis, quare quotidianis lectionibus innotescunt, quare omnes panduntur in gentes ? Nunquid, vt diuinum timorem lingua, locus, ætas, tempus vniuersa cognoscant ?* Aurea sanè verba. Deuotiùs se gessisset Euangelista, si Christi fugam taceret, referret constantiam : si virtutes loqueretur, sileret timores : fortia aperiret, infirma reticeret : aduersa deleret, prædicaret victorias, quo & hostium frangere ausus posset, & sociorum excitare virtutem. Quare ergo fugam futuris commendat sæculis, & scribit ad sempiternam memoriam ? Respondet Chrysologus. *Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pauoris.* Sed quodnam Sacramentum in fuga Christi obumbratur ? Fallor, si hîc crucis non fulget mysterium. Si Christus namque in Ægyptum non aufugisset, in illo grege lactentium infantium forsan adhuc tenerrimus mactaretur, & mors eius casui, non voluntati, infirmitati, non virtuti, necessitati, non potestati tribueretur : & sic innocentiæ fuisset præmium, maiestatis non fuisset gloria, nec triumphus crucis. Fugit ergo Iesus non pauore perterritus, sed crucis honoris vel ambitiosus (vt ita dicam) vt pendens in illa, & sibi gloriam, & nobis afferret remedium. E contrà diabolus auxiliarem crucem nobis contendebat auferre, vt nobis remedium, & Christo gloriam adimeret. Audi Chrysologum. *Ideo*, inquit, *mouebat Iudæos* (id est diabolus) *instigabat Herodem, vt Christi suspectam sibi præueniret infantiam : Vt futurâ virtutis eius anticiparet insignia : vt peremptorium sibi nobis victoriosissimum vexillum crucis callidus machinator auferret.* Meritò ergo aufugit Christus, vt diaboli illuderet conatus. Nam etsi primo aspectu Christi fuga videatur ex humanæ fragilitatis conditione prouenire, potiùs fuit fortitudinis indicium, quàm timoris, imo fuit crucis gloria perfruendi cupiditas. Tanta enim in cruce splendet maiestas, vt propter eam Christus fugere non dedignetur. Quid ergo mirum, si Pontifex ornetur purpura, in qua (vt diximus) crucis præsignabatur vexillum, Christi maiestas, & gloria, vt tanto honore non careat summus sacerdos, qui æterni sacerdotis præferebat imaginem ?

ILLATIO LX.

Crucis splendor etiam resurrectionis Christi illustrat gloriam.

144. MIrificè extollit crucis excellentiam Cyrillus Hierosolim. Cate. 13. dum ait : *Gloriatio sanè Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio : gloriatio gloriationum est crux.* Si ergo gloriarum gloria est hoc Sacrosanctum vexillum, non immeritò ex hac gloriatione Christi resurgentis inferretur gloriatio. Ita asseruit D. Athanasius de incarnatione Verbi, expendens, cur ignominiosam crucis mortem elegerit sibi Christus, & non aliam honestiorem ? Huic quæsito respondet ; vt trophæum resurrectionis dependeret à Cruce. *Genus illud moriendi*, inquit, *quod illi pro sua opinione, vt ignominiosam mortem intulere, ea conuersa est in tro-*

Cyril. Hierosolim.

Athanasius.

phæum

phæum deuictæ mortis. Expende hoc vltimum: *ea conuersa est in trophæum deuictæ mortis.* Quando vnum conuertitur in aliud, illud quod producitur per conuulsionem ex illo fit quod conuertitur. Cùm ergo ex mente Athanasij crucis ignominia conuersa sit resurrectionis trophæum; ex cruce absque dubio dependit gloria resurrectionis.

145. Valde mane piæ illæ mulieres venerunt ad monumentum, in quo corpus Iesu iacuerat sepultum; vident sepulchri lapidem reuolutum, quare sine obice in illud introierunt, ibique iuuenem stola candida conspicientes obstupuerunt. Tunc Angelus ait illis: *Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc: Ecce locus vbi posuerunt eum.* Marci 16. n. 6. Cyrillus Hierosolimi. Cat. 13. citata sic hunc alloquitur Angelũ: *Non potuisti dicere, ô Angele, scio, quem quæritis meum Dominum?* Poterat sanè: sed voluit, addere, *Crucifixum*: vt resurrectioni indubitata fides adhiberetur. Descenderat Angelus, vt mulieres certiores faceret de Christi glorioſa resurrectione: Vt ergo tantæ gloriæ maiestas haud difficilè crederetur, quem nunc Angelus prædicat glorioſum, proponit antea crucifixum, quò non solum resurrexisse credatur, sed ex cruce clarescat gloria resurrectionis. Audi Cyrillum: *Sed confidenter dicit; scio quòd crucifixum. Corona enim est crux, & non ignominia.* Confidenter Angelus de cruce mentionem facit, cùm Christum resurrexisse prædicat; quia crux Christi corona est. Ergo cum crux sit corona, & Christus in resurrectione triumpharet, crux proculdubio tunc magis enituit, quàm resurrectio. Nam triumphalis corona in triumphi apparatu omnia illustrat; & commendat. Si ergo crux coronabat Christum triũphatorem, ipsum triumphum absque dubio illustrauit.

Marci 16. n. 6.

Cyril. Hierosolim.

146. Celebris est quæstio inter Doctores; cur Christus Dominus cùm propria virtute sese reuocauit ad vitam, clauorum, & lanceæ vulnera conseruauit, & ea inter gloriæ resurgentis radios manifestare dignatur? Chrysostomus in catena S. Thomæ ad cap. 20. Ioannis fuit auctor dubij. *Dignum autem est quærere*, inquit, *qualiter corpus incorruptibile typos habebat clauorum?* Accepisti dubium; audi responsum ab eodem: *sed ne tumultueris, condescensionis enim erat, vt discerent quoniam ipse erat, qui crucifixus fuerat.* Quod est dicere: vt nullum resurrectionis Christi superesset dubium, clauorum, & lanceæ stigmatibus conseruatis se restituit ad vitam, vt exinde gloriam resurrectionis dignoscamus. Nam tantam ex crucis ignominia gloriam obtinuit, vt rediuiuus gloriæ patibuli resurrectionis triumphum cumulauerit, vt ex illa quodammodo iste fulgeret. Sed placet adhuc dubio Chrysostomi aliud adiicere. Cur Christus clauorum, & lanceæ vulneribus, non verberum, aut spinarum plagis insignitus surrexit è tumulo? Ni fallor, quia extra crucem flagellis cæsus, & sentibus redimitus fuerat, eorum plagas penitus abrasit, quasi ad rediuiui triumphum minimè conducentes. Si enim in cruce eas suscepisset, absque dubio non essent deletæ, vt gloriam resurrectionis condecorarent. Ideo ergo abrasæ fuerunt, quia in prætorio, non in cruce susceptæ: vt exinde constet, crucis vexillum illustriorem fecisse triumphum resurrectionis.

Chrysost.

147. Lucæ 24. num. 25. & 26. reprehendens Christus incredulitatem illorum discipulorum, qui propter iniurias crucis dubitabant de resurrectione magistri, sic ait. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* In his verbis duo mihi se offerunt examinanda. Considero primò: Christum mitissimum acriter increpasse discipulos propter eorum incredulitatem. Et quamuis incredulitas sufficiens causa sit ad excitandam diuinam iracundiam: puto hanc incredulitatem reprehendere, quia ex crucis ignominiis sumebant argumentum discipuli ad confirmandum dubium de resurrectione. Meritò ergo Christus irascitur contra eos, & stultitiæ nota eos inurit; cùm potius ex cruce inferre deberent gloriam resurrectionis, quod satis ex contextu verborum liquet apertè. Nam cùm eos notaret stultitiæ, ad hominem (vt dicunt Dialectici) argumentatur dicens: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Secundum, quod examinandum restat, maiorem præsefert difficultatem. Nam quî potest intelligi, Christum pressuras, & opprobia crucis patiens, in gloriam suam intrasse? Hoc enim denotant verba præfata: *Nonne hæc oportuit pati Christum*, &c. Si diceret Christus per probra, & ignominias crucis meruisse gloriam, & exaltationem nominis, facile esset creditu, & intellectu; at oportuisse pati, & ita in gloriam, videtur difficile. Nunquid Domine patiens in gloriam intrasti? Vel gloria resurrectionis secum compatitur pressurarum molestias? Minimè. Quare ergo dicis, oportuisse te pati, & ita intrare in gloriam tuam? Quia tanti Christus, in cruce pati, æstimauit, vt ignominias, & opprobria crucis reputauerit gloriam. Verum est, cum gloria resurrectionis opprobria crucis non posse componi (Quis enim cum statu impassibili, qualem Christus post resurrectionem habuit, passibilitatem admittet?) at quia crucis iniuriæ resurrectioni dederunt splendorem; meritò denotat quasi patiens intrauisse in gloriam, vt excellentia crucis commendetur, quæ vel ipsam gloriam resurgentis valuit illustrare. Cùm ergo gloria Christi resurgentis à cruce mendicet splendorem, non absre in Pontificis purpura crucis delineatur vexillum (vt ex Beda notauimus illatione 56.) quo Dei sacerdos in omnibus appareat fulgentissimus.

Lucæ 24. n. 25. & 26.

ILLATIO LXI.

Pro omnibus est effusus Christi Domini sanguis pretiosissimus.

148. NEc Christo voluntas, nec eius pretiosissimo sanguini defuit valor, vt pro omnibus satisfaceret, & pro omnibus funderetur: nam voluntas fuit prompta, & valor sanguinis infinitus. Id expressit Augustinus tract. 92. in

Auguſt. in Ioan. circa medium. *Chriſti enim ſanguis*, inquit, *ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere, quo fuſus eſt.*

149. Mortuo Ioſeph, & vniuerſis fratribus eius;
Exod.1.n.6. *Filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt: ac roborati nimis repleuerunt terram.* Exod. 1. num. 6. Origenes homil.1. in
Origenes. Exodum aduertit acutè. *Donec viueret Ioſeph non refertur, quòd multiplicati fuerint filij Iſraël, nec aliquid omnino in his de augmentis, & numeroſitate memoratur.* Sed cur, poſt mortem Ioſeph, & nondum viueret, ſimilia referuntur? Idem Adamantius hoc ad myſterium ſanguinis, & mortis Chriſti tranſtulit his verbis. *Antequam moreretur noſter Ioſeph, ille qui diſtractus eſt triginta argenteis ab vno ex fratribus ſuis Iuda, valde pauci erant filij Iſraël. Cùm verò pro omnibus guſtauit mortem, per quam deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, multiplicatus eſt fidelium populus, & diffuſi ſunt filij Iſraël, & multiplicauit eos terra, & creuerunt nimis valde. Niſi enim (ſicut ipſe dixit) cecidiſſet granum frumenti in terram, & mortuum fuiſſet, non vtique fructum hunc plurimum totius orbis terræ Eccleſia attuliſſet.* Ex fructu ergo, quem Eccleſia ſanguine Chriſti rigata continuò fert in toto terrarum orbe, vniuerſalis effuſio ſanguinis Chriſti mirificè comprobatur.

150. De Moyſe legimus (Exod. 17. num. 11.) manus ſuas leuaſſe in cœlum, dum Ioſuë prælium iniret contra Amalech: *Cúmque leuaret*
Exod.17. n.11. *Moyſes manus, vincebat Iſraël.* De Chriſto Do-
Pſal.87. n.10. mino dicitur Pſal.87. num.10. *Tota die expandi ad te manus meas*, &c. id eſt, vt ibidem ex-
Hieron. plicat Hieronymus, *Extenſus in cruce.* Sed cur de Moyſe leuaſſe manus ſcribitur, de Chriſto verò non ſolùm leuaſſe, ſed extendiſſe narratur? Origenes homil.11. in Exodum dubium
Origen. excitauit, & ſoluit. *Moyſes quidem eleuat manus, non extendit: Ieſus autem, qui vniuerſum orbem terræ exaltauit in cruce complexurus erat brachiis ſuis, dicit, extendi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Diſcrimen in eo, eſt, quòd Moyſes pro ſolis Iſraëlitis preces mittebat ad Deum; quare ſat erat manus leuare: at Chriſtus Dominus pro omnibus patiebatur in cruce. Ergo non immeritò non ſolùm manus leuauit, ſed extendit, vt vniuerſas gentes ſuis brachiis complecteretur, & pro omnibus ſacratiſſimum ſanguinem ſuum effunderet.

151. Diuus Auguſtinus ſermon.130. de tempore inquirit; cur Chriſtus, qui ſimul erat ſacerdos, & ſacrificium, vt nos reconciliaret cum Deo (teſte Paulo ad Hebræos 9.) voluit ſacrificium offerre non in templo, nec in platæis, ſed extra ciuitatem, & in communi conſpectu?
Auguſt. Reſpondet Aurelius: *Ideo non ſub tegmine, neque in templo Iudæorum, vt non ſubtraherent ſacrificium ſalutare Iudæi. Neque exiſtimes pro illa tantùm gente hanc hoſtiam offerri.* Si Chriſtum in templo pro nobis ſeipſum offerret in ſacrificium, forſan putarent Iudæi pro ipſis ſolis oblatum, non pro gentibus. Vt ergo vniuerſalem profectum, quem humano generi conferebat, oſtenderet, non in templo, non in platæis, non in vicis, ſed extra ciuitatem, imo in medio terræ, operatus eſt ſalutem, vt nemo à fructu ſui ſanguinis excluderetur. Quod expreſſit idem Auguſtinus: *Propterea*, inquit, *extra ciuitatem, & extra muros, vt intelligas, quoniam communis eſt hoſtia pro humano genere oblata.*

Mirabile eſt, quod ait D. Epiphanius lib.1. 152.
tom.3. hæreſi 46. cui ſubſcribunt plures Doctores, videlicet Chriſtum ibi crucifixum, vbi protoparens Adam fuerat humatus. *Quapro-* Epiphan.
pter, inquit, *etiam mirari licet de eo, qui nouit, velut etiam in libris reperimus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Golgotha crucifixum eſſe, & non alibi, quàm vbi corpus Adam iacebat.* Supponamus aſſertum, & indagemus myſterium. Cur ſupra corpus Adami crucifigitur Chriſtus? Non id tacuit Epiphanius: *In quo* (videlicet Cranio, vel Caluariæ loco, quia in illo primi hominis Caluaria inuenta eſt, vt notat idem Conſtantienſis antiſtes) *Crucifixus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per aquam, & ſanguinem, qui fluxit ab ipſo per compunctum ipſius latus, in ænigmate ſalutem noſtram oſtendit, ab initio maſſæ primi Patris reliquias reſpergere, auſpicatus: quo etiam nobis oſtenderet reſperſionem ſanguinis ipſius, ad mundationem noſtræ inquinationis, & animæ pœnitentis, & in exemplum rigationis, ac purificationis ſordium peccatorũ noſtrorum factam eſſe: effuſam videlicet aquam ſuperiacentem ſub loco, & ſepultum, in ſpem ipſius, & noſtram, qui ex ipſo geniti ſumus.* Emphatica ſunt verba Epiphanij, & ni fallor non abſque acumine rem noſtram indicant. Ideo ait, ibi crucifixum fuiſſe Chriſtum, vbi noſter primus parens fuerat humatus, vt per aquam, & ſanguinem, qui fluxit è latere Domini, primi parentis reſpergerentur reliquiæ, & ſic in ænigmate ſalutem noſtram oſtenderet. Sed quî fieri poterat, vt ex oſſium Adami reſperſione, ſordium peccatorum noſtrorum fieret purificatio? Si omnium hominum reliquiæ ibi eſſent ſepultæ, non mirarer: at ex ſola primi parentis oſſium rigatione, non videtur omnium peccatorum ſordes per Chriſti ſanguinem expiari. Proculdubio tanti myſterij ænigma luce clarius diſſoluitur. Nam tanto ſanguine aſperſis reliquiis humani generis etiam coccinea lauantur delicta. Sic meam mentem aperio. Adami oſſa, vtpote primi parentis, & humani generis fontis, ſi ſemel Chriſti pretioſo ſanguine aſpergantur, pomi noxialis liberantur damno: & ſicut in eo omnes maledictionem incurrimus, quando ficus lacte ſe, & nos omnes denigrauit; ſic ablutio capitis noſtræ ablutionis erat auſpicium. Ergo non inconſultò nec abſque myſterio, ſupra primi parentis reliquias crucifigitur Chriſtus, vt per lateris fontem ſanguis decurrens perueniat ad terram, & illo madentia protoparentis oſſa mundentur, ſimulque noſtra abluantur delicta. *Effuſam videlicet aquam ſuperiacentem ſub loco, & ſepultum, in ſpem ipſius, & noſtram, qui ex ipſo geniti ſumus.* Ecce iam ſolutum ænigma. Rigatur corpus Adami ſanguine Chriſti, vt ex hoc prodeſſe omnibus, oſtendatur.

Vix à cruce, & ab hoc monte abſcedere 153.
poſſum: vtinam ſaperem, & intelligerem, &

crucem

crucem Domini portarem! Inter duos latrones innocentissimum agnum Christum Dominum refert Ioannes cap. 19. num. 18. Crucifixum. *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Iesum.* O bone Iesu! Quousque populus iste tua abutetur patientia? Cur inter iniquos pateris computari, qui summa sanctitas es, & innocentia? Arnoldus Carnotens. tract. de septem verbis in cruce ad illa verba: *Pater ignosce*, respondet acutè satis, & deuotè: *Christus expansis manibus, eleuataque læua, & dextera inter latrones se medium exhibebat, volebat intelligi, commune esse illud beneficium, & non solùm bonis, sed & impiis, quod agebatur proficere.* Quid illustrius? Ecce qualiter Christi sanguis pro omnibus, tam pro bonis, quàm pro impiis sit effusus.

Ioan. 19. n. 18.

Arnoldus Carnoten.

154. Supra crucem Domini infixus titulus eminebat scriptus Græcè, Hebraicè, & Latinè, vt testatur Lucas cap. 23. num. 38. *Erat autem, & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum.* Sed cur variis linguis hic titulus erat scriptus? Vt ostenderetur, Christum pro omnibus sanguinem fundere, cùm linguis omnium prædicatur saluator. Expressit hoc idem Arnoldus loco citato dicens: *Crucem autem* (loquitur de Christo Domino) *superhumerale sacrificium oblaturus pro populo humeris imposuit: & plaga sanguinis loco Rationalis; non solùm intra se duodecim filiorum Israël nomina concluserunt, sed & totius generis humani opus illud complexum est naturam, sicut & infixus capiti titulus continebat scriptus Græcè, Hebraicè, & Latinè.* Proponit Arnoldus Christum Dominum summum sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech ornatum superhumerali crucis, & Rationali sui sanguinis non solùm continentem in se duodecim tribus, sicut Rationale Aaronis, sed vniuersum genus hominum; quod denotabat inscriptio illa crucis linguis Latinis, Græcis, & Hebraïcis: vt constet apertè non solùm sanguinem pro vno populo sed pro vniuersis hominibus effusum.

Lucæ 23. n. 38.

Arnoldus Carnot.

155. Triginta argenteis, quibus Christus appretiatus fuerat, proiectis à Iuda in templo emerunt principes sacerdotum agrum ad humanda cadauera peregrinorum. Matth. 27. num. 7. *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Augustinus serm. 128. de tempore, miratur, non tam Iudam pecuniam restituisse, quàm Pharisæos non reclusisse in loculos, sed ex ea agrum comparasse, in quo peregrinorum cadauera collocentur. Vbinam est, Iuda, tuæ cupiditatis insatiabilis sitis? Pecuniam proiicis, pro qua sæculorum pretium tradidisti? Et vos, ô Pharisæi, cur peregrinorum curam agitis, qui peregrinum Deum interfeciſtis? Nodum extricat Augustinus. *Quod quidem*, inquit, *diuina prouidentia Dei factum puto, vt pretium saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret: non sacrilegis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulchrum. Vti iam exinde Christus, & viuos sanguinis passione redimat, & mortuos pretiosa possessione suscipiat.* Quod est dicere: tanta in Christi sanguine erat efficacia, vt non solùm bonis, sed etiam malis; non solùm viuis, sed etiam defunctis profuisse testatur, cùm ex sanguinis pretio emitur ager in peregrinorum sepulturam.

Matth. 27. n. 7.

Augustin.

Quatuor colores, scilicet, byssinus, hyacinthinus, purpureus, & coccineus, deputantur ad vestes sacerdotales contexendas. Sed cur ex his coloribus tantus ornatus præparatur? Byssus terræ deputatur: nam ex terra gignitur. Purpura mari: quia ex eius cochleolis tingitur. Hyacinthus aëri; propter coloris similitudinem. Coccus igni, & ætheri. Non enim vacat mysterio, quòd huiusmodi vestibus quatuor elementa repræsentantibus induatur Pontifex. Quia cùm Christum Dominum præseferret, oportuit, vt denotaret vniuersitatem rerum, quo indicaretur, Christum summum sacerdotem pro omnibus se obtulisse, & sanguinem suum pretiosissimum fudisse in ara crucis. Hoc innuit Hieronymus epistol. 128. ad Fabiolam cùm dixit: *Quia iustum est, vt Pontifex creatoris non solùm pro Israël, sed & pro vniuerso mundo roget, siquidem ex terra, aqua, aëre, & igne mundus iste consistit, & hæc elementa sunt omnium.* 156.

Hieron.

ILLATIO LXII.

Amor erga Deum, quasi inseparabilem socium amorem erga proximum comitatur.

MEntitur, qui dicit, Deum diligere, cùm proximum odio prosequitur detestabili. Nam quî fieri potest, vt quis diligat prototypum, si typum abominatur? Mendacium committit in amore erga Deum, qui amoris est expers erga proximum. Sunt isti affectus indiuidui Socij; semperque vnus comitatur alterum. Id explicuit Ioan. epist. 1. cap. 4. n. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit: mendax est. Qui enim non diligit, quem videt: Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum.* S. Zeno Veronensis sermon. de fide, spe, & charitate. Expendens cur Deus hominem condiderit ad imaginem, & similitudinem suam, sic ait. *Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam fecit, vt contemplatione imaginis pateremur reuerentiam veritatis in ea, quæ res conditione demissa est, vt si quid mali, vel boni cupiam fecerimus, Deo fecisse videamur; propter quod non immeritò Ioannes peculiaris arcanorum Domini consultor constanter edicit. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, non potest diligere. Decertemus igitur, fratres, inter nos mutui amoris æmulatione gloriosa: imaginemque Dei dignissimè venerando, declaremus, quid ipsi veritati debeamus, scientes quoniam si quis imaginem læserit, in exitium suæ animæ incitat veritatem.* Amorem fingit erga Deum, qui odio prosequitur fratrem: nam odisse imaginem, alienum est à veritatis amore. Conditur ergo homo diuinæ substantiæ imago;

157.

1. Ioan. c. 4. n. 20.

Zeno Veron.

imago; vt quando quis diuini amoris flamma videatur accensus, imaginem quoque prosequatur amore. Ita indiuisè amor erga proximum amorem erga Deum comitatur, vt sicut honor imaginis à prototypi non separatur honore, sic nec erga Deum amor à dilectione proximi separetur, nec è contra proximi dilectio à Dei amore diuidatur.

158. Ioan. 14. num. 30. dixit Iesus discipulis suis: *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem. Et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. Surgite, eamus hinc.* Loquitur hîc Christus de certamine, quod erat initurus cum dæmone principe huius mundi, & quomodo in se nullum habet peccatum, ac proinde sua morte eum debellaturus, nam pœnalitates Christi arma sunt contra diabolum. Sed nota, Christum ostendere, se diligere Patrem, quia mandatum eius obseruat. At videamus, quænam sit connexio inter dilectionem Christi erga Patrem & mandati eius obseruationem? Caietanus hæc expendens, ait: *Magna est mundi vtilitas nosse, quod Iesus diligit Patrem.* Sed quæ vtilitas mundi potest esse in eo, quòd Christus diligat Patrem? Quia ex amore erga Patrem, amor, quo Christus nos diligebat, manifestè colligitur. Quî enim posset Christus erga Patrem amorem ostendere nostro prætermisso? Quod satis innuit illis verbis: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Mandatum hoc erat patiendi, & moriendi pro hominum salute. Ecce amor erga nos. Meritò ergo amorem erga Patrem comprobat ex nostra dilectione; quasi dicens; diligo Patrem, & homines amore prosequor, quia mandatum suum moriendi adimpleo. Rectè ergo intulit Caietanus nostram vtilitatem ex amore, quo Christus Patrem suum diligebat: quia ista dilectio Christi ergo Patrem infert amorem erga nos, velut inseparabilem socium.

Ioan. 14. n. 30.

Caietan.

159. Cant. 1. num. 11. Sic cœlestis sponsus fatur dilectæ: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Aurea monilia promittit sponsus amasiæ cum variis notis argenti, vt notauit Philo Carpathiorum antistes. Sed cur si aurea argenteis guttulis notantur? Est ne argentum auro metallorum principe splendidius, aut pretiosius? Minimè. Ergo guttulæ argenteæ aurea monilia potiùs deuenustabunt, quàm pulchriora reddent. Cur ergo auro argentum superadiicitur? Aptissimè. Nam per aurum dilectio erga Deum; per argentum erga proximum amor denotatur. Pulchrum ornatum præstarent aurea monilia, sed pulchriorem si aurum denotetur argento: ac si dicas: si amori erga Deum addatur charitas erga proximum pulcherrimus apparebit ornatus. Vel si placet, dicito: cùm erga Deum amor dilectionis erga proximum semper sit fidelissimus comes; meritò auro illum designanti argentum hanc ostendens superimponitur, vt vtriusque inseparabile vinculum ostendatur. *His ornamentis* (prosequitur idem Philo) *opus est sponsæ, vt dilecta sit, & chara sponso suo Christo Iesu, cui neque amor proximi sine amore sui, neque sine amore proximi satis placere potest. Vtrumque igitur sancta anima rectè amet, oportet; vt supradicta ornamenta digna sit accipere.* Non bene diligit, qui Deum amore, proximum autem odio prosequitur. Nam sancta anima non solùm auro, sed argento ornatur: hoc est, Dei, & proximi ardere debet amore.

Cant. 1. n. 11.

Philo Carpath.

160. Cùm quidam scriba à Christo Domino inquireret; quodnam in lege esset primum mandatum; sic ei respondet Iesus. Marci 12. a num. 29. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum mandatum simile est illi diliges proximum tuum tanquam te ipsum.* Dubitare libet: cur si scriba de primo sciscitatur mandato; Christus non tantùm de primo, sed de secundo eum certiorem facit? Scriba solùm de primo quærit, non de secundo: quare ergo Christus de vtroque respondet? An quia vtrumque requiritur ad dubij solutionem? Ita sanè. Audi Victorem Antiochenum ad hunc locum. *De vno itaque, hoc est, de primo tantum interrogatus, alterum circa quod primum incolume consistere non valet, reticendum non putauit. Neque enim vera est illa dilectio, quæ proximi dilectionem consociatam non habet.* De primo mandato inquirit scriba; at Christus etiam secundum ostendit, vt pateat, nec primum diuelli à secundo, nec hoc ab illo seiungi. Nam sicut nec primum dici potest, cui non succedit secundum, nec secundum, cui primum non antecessit: sic nec vera erga Deum dici potest dilectio, cui erga proximum amor non adiungitur, nec è contrà verus erga proximum erit affectus, si erga Deum non associetur amori. Ita strictè vterque vincitur amor, vt mutua societate coniunctus alter ab alterutro non debeat separari.

Marci 12. n. 29.

Victor. Anti.

161. Ex cocco bis tincto, hoc est, ex filis coccineis bis tinctis Pontificis texebatur ornatus. At cur coccum bis tinctum exigitur? Arnoldus Carnoten. tract. de sexto, & septimo verbo Domini in cruce nodum soluit his verbis. *In cocco bis tincto inflammatum in dilectione Dei, & proximi piæ mentis ostendit affectum.* Idem dixerat Gregor. Magnus. libro 2. in Ezechiel. homil. 16. *Quid namque per coccum nisi charitas designatur, quæ semper flamma amoris accenditur? Sed coccus bis tingitur, non solùm amore Dei, sed etiam proximi nostra charitas inflammatur.* Quasi prima cocci tinctio non sufficeret, secunda additur, vt amoris erga Deum, & proximum ostendatur sodalitas indiuisa.

Arnold. Car.

Gregor.

ILLATIO LXIII.

Præsul nimis rigidus subditorum animos exulcerat: nimis benignus dissoluit. Sit, & seuerus, & lenis.

162. PRæsentis thematis auctor est D. Gregorius 2. p. Pastoralis cap. 6. *Curandum quippe est,* inquit, *vt rectorem subditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque in hac solicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam,*

Gregor.

ſicut in libris Moralibus diximus, diſciplina, vel miſericordia multùm deſtruitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed erga ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Erga quoſdam debet rector non ſolùm leniter ſe gerere, imo & honores affluenter diſpenſare: erga alios ius poteſtatis aperire, & contra peccata Dei honoris zelo acriter pugnare. Debet ergo, nec nimia ſeueritate ſubditorum animos exulcerare, nec lenitate corrumpendi mores occaſionem præbere. Sit ergo & ſeuerus, & lenis, prout opportunitas poſtulauerit.

163. Mittitur à Deo Moyſes ad Pharaonem, & ad filios Iſraël; & cùm legationem timeret paſtor, vt eius animus ſedaretur, iubet ei Deus, virgam, quam tenebat in manu in terram proiicere. *Proiecit eam Moyſes, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſaque eſt in virgam.* Exod. 4. n. 3. Quid eſt; quod virga modò conuertitur in ſerpentem; modò ex ſerpente in virgam tranſmutatur? Fallor, ſi in hoc perfecti præſulis munus non deſcribitur. *Quid per virgam niſi Dei correctio?* Inquit Bruno apud Tilmanum ad hunc locum. Eſt ergo ſerpens, quæ priùs virga, vt præſulem admoneat, & virgæ, & draconis imitetur officia. Virgæ, vt ſuſtentet, vt ſoletur; draconis, vt mordeat, vt caſtiget. *Quia qui incorrigibiles exiſtunt* (proſequitur Bruno) *tandem diuinæ vltionis iram, & indignationem ſuper ſe ſæuientem ſentiunt. Vnde reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Sic igitur diuina correctio aliis eſt virga, aliis draco; alios miſericorditer caſtigat, alios inſatiabiliter percutit.* Non aliter præſules ſe gerant erga ſubditos: ſuauiter erga bonos, acriter in malos.

Exod. 4. n. 3.

Bruno.

164. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, clamabat Iſaias cap. 11. n. 1. Cur hæc virga dum egredi dicitur, virgæ nomen conſeruat, & cùm aſcendit floris retinet nomen? Dubium hoc ſoluit Origenes hom. 9. in Numeros. Per hanc virgam Chriſtum regem regum intelligit his verbis: *In quo nec hoc ipſum videtur otioſum, quod exire dicitur virga, & flos aſcendere. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga, qui autem proficit ad iuſtitiam aſcendit in florem.* Profectò ſingularis eſt explicatio Adamantij. Chriſtus idem ipſe eſt; ſed aliis virga, aliis flos oſtenditur pro qualitate meritorum. Sceleſtos in virga ferrea regit, vt à peccatis auertat: timoratos, & bonos ſuauiſſimi, & fragrantiſſimi floris pulchritudine allicit ad virtutem. Erat enim peritiſſimus gubernator: quid mirum ſi virgæ, & floris; rigoris, & lenitatis ſpecimen præſeferat?

Iſaiæ 11. n. 1.

Origenes.

165. Triumphali pompa, quali nullus antea excipitur in Hieroſolymis Ieſus: ab omnibus ſalutatur, vt rex; acclamatur, vt princeps. Quid inde? Veſpertina luce pergit in Bethaniam ſacro diſcipulorum comitatus collegio: cúmque ſequenti die ab ea exiret, magna premebatur inedia. Tunc ſic Marcus c. 11. n. 13. *Cúmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inueniret in ea. Et cùm veniſſet ad eam, nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei: iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Amplius rem hanc explicuit Matthæus cap. 21. num. 19. *Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et arefacta eſt continuò ficulnea.* Quid enim mali fecerat ficulnea, vt tanta pœna plecteretur? Si quia tunc orbata erat ficubus vſque ad ariditatem mulctatur: nondum ficorum aduenerat opportunitas. Cur ergo, mitiſſime Ieſu, arefacta eſt ficulnea? Victor Antiochenus ad præfata verba Marci pulchram huic quæſito exhibuit reſponſionem. *Propter diſcipulos*, inquit, *hoc fecit. Poſteaquam enim vbique beneficia præſtiterat, nullum autem puniuerat, conſentaneum erat, vt aliquod quandoque punientis virtutis ſpecimen ederet.* Accipe horum verborum emphaſim explicatam. Cùm Chriſtus Dominus (vt præcedentibus capitibus refert Marcus) tot miranda patrauerit; cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituens; dæmonia è corporibus pellens; ſanitatem reddens infirmis; ad vitam reuocans mortuos; paucis panibus, & piſciculis quinque hominum millia vſque ad ſaturitatem cibans, & alia innumera beneficia conferens, quæ erga homines beneficum, & mitem prædicabant; ſibi viſum fuit, poſt triumphalem ingreſſum, poſt regis acclamationem punire ficulneam, vt non ſolùm beneficus, & manſuetus appareret, ſed etiam punientis virtutis ſpecimen declararet. Dedecet enim regem, ſemper clementia, nunquam vti iuſtitia. Cupiens ergo Chriſtus inſtruere præſules, & rectores, & regalis officij oſtendere perfectionem; qui antea mitem, beneficum, & liberalem ſe oſtenderat, poſtea punitoris functionem non dedignatur, vt in omnibus præfecturæ ſatisfaciat officio, lenitati rigorem adiungens, & manſuetudini ſeueritatem aſſocians.

Matth. 21. n. 19.

Vict. Antio

166. Fila coccinea bis tincta ad ſacerdotis, Dei iuſſu, præparantur ornatum: *Coccumque bis tinctum.* Vel vt legit Origenes homil. 13. in Exodum: *Coccum duplicatum.* Ad quid ergo bis tingitur coccus, aut duplicatur, quod de aliis filis huic ornatui ſeruientibus non legitur? Reſpondet Origenes ibidem: *Color iſte (vt diximus) ignis indicat elementum. Ignis autem duplicem habet virtutem, vnam qua illuminat; aliam, qua incendit.* Inter omnia elementa ignis tenet principatum, & ſuperiorem occupat locum: quamobrem duplici pollet virtute; illuminandi vna, incendendi altera: in quo, ni fallor, perfecti præſulis obumbratur officium. Illuminat præfectus ſubditos, cùm eos cumulat beneficiis. (Lux enim inter maxima naturæ dona meritò annumeratur) incendit dum punit, combutit, dum caſtigat. Duplicatum ergo ad ornatum Pontificis præparabatur coccum, eum admonens, vt erga bonos leniter, in criminoſos ſe gerat acriter. Totum hoc Bedæ fulcitur teſtimonio lib. 3. de Tabernac. cap. 4. vbi ſic loquitur de cocco bis tincto. *Fortaſſe bis tinctus fieri, præceptum eſt, quod ignis duplicem habere vim ſoleat, vrendi, ſcilicet, & lucendi; cuius naturam imitari præſulem in verbo nimirum doctrinæ ſalutaris oportet, vt & lucem videlicet deſiderantibus aperire, & ru*

Origen.

Beda.

& rubiginem peccatorum in contemptoribus curet increpando comburere. Hoc est exacti præsulis munus : hæc excellentissimi antistitis cura non contemnenda.

ILLATIO LXIV.

Angelicam transcendit naturam, qui gemma ornatur virginitatis.

167. PErlongum esset Patrum recensere testimonia, quæ nostram thesim confirmant, dilucidiora adducam, vt huius virtutis eluceſcat splendor. Chrysologus serm. 143. eam expressis verbis asseruit. *Semper est Angelis*, inquit, *cognata virginitas : in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis. Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere, maius est, quàm habere : esse Angelum, felicitatis est ; virginem esse virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura.* D. Ambros. lib. 1. de virginibus inquit : *in cœlo patria est castitatis : hîc aduena ; ibi incola.* Et rursus : *Castitas enim Angelos facit, qui eam seruauit Angelus est, qui perdidit diabolus.* Diuus Hieronymus epist. 22. cap. 9. Virginitatem his verbis extollit : *Statim vt filius Dei ingressus est super terram nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos, & in terris.*

Chrysol.

Ambros.

Hieron.

168. Saducæis interrogantibus, cuius in resurrectione mulier illa fuisset, quæ septem viris in matrimonium fuerat coniuncta, respondit Iesus. Matth. 22. num. 30. *In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Miratur Chrysostomus relatus à S. Thoma in caten. ad hunc locum. *Notandum verò*, inquit, *quòd cùm de ieiuniis, & eleemosynis, cæterisque virtutibus spiritualibus locutus fuit, nunquam Angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de absolutione à coitu loqueretur.* Meritò hoc aduertit Chrysostomus : sed audi rationem quam subinfert. *Quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, præcipuè tamen actus libidinis ; sic omnes virtutes sunt res Angelicæ, præcipuè tamen castitas, per quam vincitur natura virtutibus.* In resurrectione ergo futuri sumus sicut Angeli in cœlo, quia castitatis luce fulgebimus, carnis illecebris iam orbati. Ob hoc Diuus Cyprianus de disciplina, & habitu virginum, eas exhortans, vt virginitatis lilium seruarent immarcesibile, dicebat : *Cùm castæ perseueratis, & virgines, Angelis Dei estis æquales.* Tertullianus lib. 1. ad vxorem c. 4. non solùm virgines in cœlo Angelis similes esse, sed adhuc in terra degentes inter angelicas turmas annumerati : *In terris non nubendo de familia Angelica deputantur.* Sed D. Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum cap. 21. idem docuit : *In resurrectione mortuorum, non nubent, nec nubentur, sed similes erunt Angelis. Quod alij postea in cœlis futuri sunt, hoc virgines in terra esse cæperunt.* Magna profectò huius virtutis excellentia, siquidem terrenos homines transformat in Angelos, & cœlestis curiæ inter ciues adscribit.

Matth. 22. 30.

Chrysost.

Cyprian.

Tertullian.

Hieron.

Genes. 1. n. 27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam.* Sed quod est, hominem ad imaginem, & similitudinem Dei fuisse creatum ? Quidam respondent, similitudinem hanc consistere in eo, quòd homo intellectu, & voluntate præditus existat. Alij, quia in gratia, & amicitia Dei, quæ diuinæ naturæ est participatio. Sixtus Papa III. in 5. tom. Bibl. vet. Patr. lib. de castitate parum à principio, cùm dixisset virginitatem extollens, virtutem Deo dignam esse, pro virginitate pugnans sic ait : *Parum ergo bonum putas hominem sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiam in corporis integritate seruare, & tantæ maiestatis simile aliquid habere perpetuum : Dicit enim scriptura : & fecit Dominus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Non immeritò : incorruptum enim eum fecerat, qui propria postmodum est voluntate corruptus.* Ex mente ergo huius Pontificis, ideo homo ad imaginem Dei factus est, quia virgo, & incorruptus fuit creatus : Vt exinde colligas, virginitatis candorem non tantùm nos Angelis coæquare, sed similes Deo reddere.

169.

Sixtus Papa.

S. Zeno Veronens. sermon. de continentia sic de beata Virgine loquitur. *Cæterùm illa fuit virgo post connubium, virgo post conceptum, virgo post filium. Denique si esset aliquid virginitate melius, Dei filius hoc magis potuerat suæ matri præstare, cui præstitit, vt diuinæ virginitatis honore polleret.* Per maternitatem beata Maria similis Deo extitit, id etiam obtinuit per virginitatem : nec maior excellentia potuit Mariæ conferri à Deo, si maternitatem excipias, quàm virginitas, qua Deo assimilatur. Huius excellentiæ cupidum æternum, & incommutabile Verbum ex virgine matre nasci dignatus est ; ne eius in mundum ingressui hæc excellentia deficeret. Innuit hoc Cyrillus Alexandr. lib. 8. contra Iulianum cùm dixit loquens de Dei, & Virginis filio : *Oportebat enim talem eius fieri partum secundum carnem, inquam, & ex muliere, vt haberet diuinum quiddam ingressus eius in mundum, & ostensio.* Dixerat paulò antea, Verbum accepisse corpus ex sancta Virgine nouo, & mirabili modo, & vltra naturæ leges ; vt haberet (prosequitur) diuinum quiddam ingressus eius in mundum. Sed ; Quò pergis, Cyrille, an incommutabile verbum si ex corrupta nasceretur, vt potuit, ingressus eius in mundum non esset diuinus ? Esset vtique. Cur ergo autumas ex virgine sancta nouo, & mirabili modo corpus assumpsisse, vt quid diuinum haberet eius ingressus in mundum ? Quia quantumuis Dei Verbum in se sit diuinum ; ex eo quòd ex matre nascatur virgine aliquid habere videtur diuinum. Ita similis est Deo virginitas, vt ex virgine carnem assumere, quid diuinum existimetur.

170.

Zeno Veron.

Cyril. Alex.

Byssinus color exigitur, Dei imperio, ad ornatum Aaronis : *& byssum* : per quem teste Berengosio cap. 5. in 2. tom. Bib. vet. Patr. loquente de Ioseph, virginitatis, & castimoniæ intelligitur lilium. *Per byssum*, inquit, *caro virginea significatur.* Ad quid ergo byssus additur ad sacerdotis ornatum ? Vt sacerdos, qui dignitate, & ministerio angelicam transcendit naturam ; in

171.

Berengosius

vita, in moribus, & in habitu, caſtè, & ſobriè viuens (& ſi fieri poſſet, virginitatis florem conſeruans) ſtatum angelicum æmuletur: tantóque glorioſiùs ornabitur caſtitate, quantò poſſidetur feliciùs: Ideoque pretioſior eſt in hominibus, quàm in Angelis; quod labore, & meritis acquiritur, pluris æſtimari debet, quàm quod fruitur per naturam.

ILLATIO LXV.

Virginitas nos vindicat à mortalitatis, & corruptionis iniuria.

172. SVſpecta mendacij eſt apud aliquos narratio, quæ de Phœnice à plurimis prædicatur: dubitarem, & ego forſan, ni tot Sanctorum Patrum teſtimoniis ad noſtræ Catholicæ fidei Præcipua myſteria comprobanda, fulcitam viderem. Phœnicis exemplo, qui ſemetipſum lubenter funerans renouat natali ſine decedens atque ſuccedens. Terullianus lib. de reſurrect. carn. c. 13. Zeno Veronenſ. ſerm. de Reſurrectione. Cyrillus Hieroſolim. Cat. 18. de Reſurrect. D. Ambroſ. lib. 5. c. 23. Hexamer. & lib. de fide Reſurrectionis. D. Epiphan. in Ancoratu. & in Phyſiolog. cap. 11. Ruffinus in ſymbolo in 3. tom. operum D. Cypriani, vt reſurrectionem carnis confirment, & demonſtrent. Conſentiunt Nazianz. in carminibus de præceptis ad virgines. Lactantius. Cyprianus in expoſitione Symboli. Beda lib. 2. de expoſitione in Iob. Ex prophanis antiquis affirmant Plinius lib. 10. c. 2. Ouidius lib. 5. Metamorpho. Oppianus in Excutico, & alicubi. Euripides Lucretius in ſectis, & interpres Pindari: Ex nuperis quàmplurimi, qui omnes vno ore pronunciant Phœnicem vnum in Ægypto, vel Arabia huic vicina, quingentorum annorum vitam agentem. Longiùs protraherer ſi horum auctorum elegantiſſima afferrem verba; placet tamen S. Zenonis in medium producere. *Phœnix*, inquit, *auis illa pretioſa, reſurrectionis euidenter nos edocet iura: quæ nobilitatem generis ſui non à parentibus accipit, non liberis tradit: Ipſa ſibi eſt vterque ſexus, ipſa omnis affectus, ipſa genus, ipſa finis, ipſa principium: non ex coitu naſcitur, non inuita, non imprudens moritur; ſed cùm maturi lethi tempus aduenerit, à ſemetipſa inuitatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur: ſepulchrum nidus, illi fauillæ nutrices; denique poſt monumentum feſto exultat in tumulo, non vmbra, ſed veritas, non imago, ſed Phœnix, non alia, ſed quanuis melior alia, tamen prior ipſa.* Quid pulchrius? Duo præcipuè narrantur de Phœnice: Vita ſingularis ſine alterius conſortio; & monſtruoſa poſteritas de fauilla, & cinere. Mirum, ſi verum, credibile tamen tantorum virorum teſtimoniis comprobatum. In hoc alite plura latent myſteria, ob quorum adumbrationem Deus omnipotens ſummo conſilio, & prouidentia illum produxit. Examinemus ergo, quod ad noſtri thematis confirmationem conducit. Quid enim eſt, quòd in mediis flammis moriens Phœnix æternam vitam, ſui quaſi ſuperſtes adipiſcatur ſecurus? Verè moritur ſuis ſepultus cineribus: quomodo ergo temporis tam celeri curſu reſurgit è tumulo? Adumbrauit Zeno huius nodi ſolutionem, dicens: *Non ex coitu naſcitur.* Sed expreſſiùs Ambroſ. in Pſalm. 118. dum ait: *Phœnix coitus corporeos ignorat, libidinis neſcit illecebras, ſed de ſuo ſurgit rogo ſibi auis ſuperſtes.* Phœnix, quæ ſingulariter viuit, neſcit libidinem, coitum ignorat, & quaſi colit virginitatem. Ecce cur ſibi eſt ſuccedens, & ex morte vitam nanciſcitur. Virginitas namque vel in ipſa morte vitæ eſt auſpicium, ad vitam reuocat, & mortalitatis iniurias vindicat. Ob hoc D. Petrus Damianus ſerm. de aſſumptione, ſic de beata loquitur Virgine: *Caro virginis ex Adam ſumpta maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuerſa eſt.* Quaſi ex virginitate velut Phœnix, tamen ſine cinerum damno, in lucis æternæ candorem fuerit conuerſa. Nec mireris, nos beatam Virginem Phœnici comparare; cum D. Cyprianus in expoſitione Symboli, Phœnicis exemplo immaculatum Mariæ partum, & intemeratam virginitatem comprobauerit. *Quid mirum*, inquit, *videtur, ſi virgo conciperet, cum Orientis auem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine coniuge naſci, vel renaſci conſtet, vt ſemper vna ſit, & ſemper ſibi ipſa, vel naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat.* Phœnix ergo eſt Maria, quæ ſine viro genuit Deum integra permanens, & illi beata. Quid ergo mirum, ſi in lucis æternæ conuertatur candorem, ſi iniurias mortis ignoret, etiam dum moritur, & ad immortalitatis thronum aſſumatur, dum reſurgit.

Tertull. Zeno. Cyrillus Hieroſolim. Ambroſ. Epiphan. Ruffinus. Nazianz. Lactantius. Cyprian. Beda. Plinius. Ouidius. Oppianus. Euripides. Zeno Veron. Ambroſ. Petr. Dam. Cyprian.

173. Primæua vitæ auſpicia aquarum reſonauerunt in gurgite, cum in rerum primordio aquis ſic Deus imperauit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Geneſ. 1. n. 20. Notatu dignum eſt, vitæ vocem in aquis reſonaſſe priuſquam in terra. Inter vndas primordia vitæ diſtinguimus, & reſpirantium audimus incunabula: Illuc vſque cœli opificium, terræ fabricam, & eius picturatam varietate florum, & arborum amænitate pulchritudinem ſupremus fecerat opifex; viuentium tamen nec minima fuerat recordatio, & vitæ nomen ignotum erat, & inauditum; vſque dum venit ad aquas, ex quibus animalia ducunt originem. Piſces enim præ cæteris animantibus vitæ functionibus ſunt ditati. Nec vacat myſterio. Ideo ergo puto, in piſcibus vitam exordium ſumpſiſſe, quia piſces (teſte Ariſtotele lib. 2. de hiſt. animal. c. 13.) coitum ignorant. *Piſcium*, inquit, *nulli ceruix, nulli manus, aut pedes, nulli teſtes, nulli mammæ. Sed mamma cæteris quoque negata eſt omnibus, quæ animal nequeant generare.* Et D. Ambroſ. lib. 5. Examer. cap. 3. ſic de piſcibus loquitur. *Neſciunt igitur aliemgena piſces, aut adulterina contagia.* Vnde ſecundùm mentem Ambroſij ſaltem caſtimoniam quaſi coniugalem ſeruant. Vide ergo, qualiter piſces, qui neſciunt coitum, virginitatis florem obumbrant: Vide etiam quare ab eis vitalis ſpiritus ſumpſit exordium; quia in ipſis continentiæ figurabatur ſublimitas. Nullibi enim ſecurius vitæ reperitur auſpicium, quàm vbi lilium virginitatis ſuauiſſimum mittit odorem.

Gen. 1. n. 20. Ambroſ. Ambroſ.

Ioan.

174. Ioan. 21. num. 23. de seipso subobscurè loquens testatur, loquelam versari inter discipulos à mortis censu dilectum discipulum esse immunem. *Exiit*, inquit, *sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur.* Sed quonam fundamento in talem suspicionem deuenerunt discipuli? Absque illo minùs æquè veritatis præcones rem illuc vsque inauditam prædicassent: credendum ergo est, maximo niti fundamento. Vnde ergo Ioannem à communi mortis debito absolutum putarunt? Profectò non aliunde, quàm ex virginitatis decore. Non quia Ioannes nunquam vitam cum morte esset commutaturus (mortuus enim fuit) sed quia cum virginitatis flore candescceret, mori illi non erat discessus, sed velut dormitio. Id expressit D. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, dicens: *Ex hoc ostenditur virginitatem non mori, sed manere cum Christo, & dormitionem eius transitum esse, non mortem.* Qui virginitate ornatur, cùm ex hac vita discedit mori videtur (moritur vtique) sed mors illa dormitio potiùs est dicenda, quàm mors. Ita namque virginitati vita coniungitur, & tam celeri cursu in via mortis virgo percurrit, vt somniare mortem potiùs, quàm ebibere putetur. Meritò ergo Ioannes à communi censu existimatur exemptus, cum virginitatis fulgeret ingenuitate.

Ioan. 21. n. 23.

Hieron.

175. In extremo vitæ Spiritu constitutus sic Christus ad matrem virginem alloquitur: *Mulier, ecce filius tuus.* Ioann. 19. num. 26. Non possum non mirari, Christum Dominum ad dilectissimam matrem tam tepidum misisse verbum. O Domine: matrem veneraris, & mulierem appellas? Cur matrem renuis appellare, quam filiali colis honore? Cessabit admiratio, si rem hanc expendamus penitiùs. iam-iam Christus fermè vitam cum morte commutabat: & ille, qui simul Deus est, & homo, moriebatur vt homo, qui vt Deus, est vita, & cui mori repugnat: Naturæ humanæ, quam de virgine assumpserat, debitum exoluebat. Mulierem ergo vocat, & matrem non appellat, quia cùm in Maria matris dignitas vix sine virginitatis honore percipi valeat: si matrem vocaret, virginitatis non taceret honorem. Cùm ergo virginis filium discedere è vita videatur difficile, non appellat matrem, vt taceat virginem: vt exinde innotescat, quòd si morti est obnoxius, non est vt virginis filius, sed vt mulieris, & quà humanam habet naturam. Nam ex illo respectu, quo Mariam vt virginem respiciebat, quasi mortis esset incapax, mori non poterat. Appellat ergo mulierem, quam matrem reueretur; ne virginitatis maternæ clypeo protectus mortem euaderet. Ita namque virginitati peremnis vita debetur, vt vel ipsa mors timeat accedere, quò puritatis lilium mittit odorem. Virginitatis ergo florem mulieris cælat vocabulo, quasi permittens morti falcis lethalem sectionem.

Ioan. 19. n. 26.

ILLATIO LXVI.

Quanta virtute pulcherrimum virginitatis lilium diuinum alliciat affectum.

176. PRæsentis thematis arduitatem præsensit Ambrosius, cùm virginitatem odoratus lib. de virginibus in hæc verba prorumpit. *Quis autem humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod supra vsum naturæ sit? E cœlo accersiuit, quod imitaretur in terris.* Si ergo in tantæ virtutis maiestate vox silet, visus caligat, timet intellectus: quomodo diuini affectus ardorem erga hanc virturem tentamus exponere? Sed difficultas rei ipsa difficultate superatur. Nam virginitatis sublimitas, Dei erga eam manifestat affectum. Quî fieri potest, vt Deum non alliciat, quæ supra naturæ leges conseruatur intacta?

Ambros.

177. De limo terræ formauit hominem supremus opifex, vitæ tamen expertem licèt mirabili partium structura concinnatum. Vidit opificium; *Et insprauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Genes. 2. num. 7. Glossa interlinealis hîc, per hoc spiraculum vitæ corporis vitam intelligit: *Totum quidem corpus animauit.* Glossa Moralis id exponit de vita gratiæ: *Factus est homo*, inquit, *in animam viuentem, scilicet vita gratiæ, quæ perfectio est naturalis vitæ.* O quantus est Deus in animando limo! Sed quid in illo vidit, vt vtramque vitam vno tribueret anhelitu in faciem eius inspirans? Ingeniosissimè Tertullianus de carne Christi cap. 17. causam ostendit, dicens: *Virgo erat adhuc terra nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam.* Vilis, & tenuis erat limus ille, sed ex terra virginea nondum aratro perstricta, nec vomere lacerata. En tibi causam, ob quam in eum supremus Dominus vitam inspirauit. Vel dicito, quasi virginitatis allectum odore emisisse spiritum, reddidisseque hominem in animam viuam, & Deitatis participē, & velut vitâ Dei viuentem.

Gen. 2. n. 7.

Gloss. Interl.

Gloss. Moral.

Tertullian.

178. Non alia de causa super aquarum vndas superferebatur Spiritus Sanctus in exordio rerum, vt decantatur Genes. 1. n. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Sed quid in salo, vt ex eo Spiritus Domini vehiculum constitueret? & cur super vndas, & non super alia elementa? Quia (vt præcedenti illatione n. 173. ex Philosopho notabamus) ex aquis pisces sine maris, & fœminæ congressu abundè pullulant. Meritò ergo super aquas Spiritus Domini refertur circumferri, sub quibus viuentia concubitum ignorantes quasi virginitatem colunt. Sic Cassiodorus lib. 8. variar. epist. 6. *Currit aqua virgo sub delectatione purissima*, & Aristophanes in Cereal. *Pulchra & virginea fluenta.* Vel vmbra namque virginei pudoris allicitur Spiritus Sanctus.

Gen. 1. n. 2.

179. Supra montem Sion viderat Ioannes agnum stantem, & cum eo centum, & quadraginta quatuor millia diuinas laudes canentia. Mirabile hoc: sed mirabilius, quod se-

Apocal. 14. n. 3.

quitur: *Et nemo poterat*, inquit, *dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; Virgines enim ſunt.* Apocal. decimo quarto numero tertio. Non miror iſta centum quadraginta quatuor millia diuinas laudes intonare. Quod meum ingeniolum malè torſit, eſt; cur iſtis ſolis diuina cantilena tribuitur, & quod magis eſt, Chriſti redemptio? Inſuper adhuc vrget difficultas; quia totum hoc ſolis virginibus adaptatur, ſiquidem dicitur: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt.* Nunquid Virgines tantùm redemptæ ſunt à Domino, cùm non ſit, qui ſe abſcondat à cruore eius? Aut qui virginitatem colunt tantùm digni ſunt diuinas laudes decantare? Quid de Apoſtolis, qui poſt connubia ſecuti ſunt Chriſtum? Quid de martyribus, qui matrimonio adhuc perſiſtente pro Chriſto ſanguinem fuderunt? Quid de Doctoribus? An hi excludendi ſunt à redemptione? Abſit, cùm copioſa ſit apud Chriſtum redemptio, & omnes comprehendat. Quomodo ergo inter redemptos ſanguine agni ſolùm annumerantur virgines? Reſpondet Bruno apud Tilmanum ad cap. 2. Geneſ. expendens mutuum amorem inter vxorem, & virum, & natiuam virorum propenſionem, vt mulieribus velut coſtis adhærere cupiant, ſic

Bruno. ait: *Cuius amoris appetitum, qui diuinitus in ſe adiuti vincere queunt; quaſi contra propriam naturam dimicando vicerunt, & meritò cæteris præferuntur.* Quod eſt dicere: non excludit Ioannes à pretio diuinæ redemptionis eos, qui ſacro ſe dedicarunt connubio, cùm ſolùm inter emptos è terra annumerat virgines. Quis enim coniuges ita damnabit, vt non redemptos audeat aſſerere? Sed de ſolis virgenibus ita loquitur, non quia ſolùm ſint redempti, ſed quia cæteris ſint Prælati: quia carnis illecebras diuinitus adiuti ſuperarunt. Voluit ergo oſtendere Pathmeus vates, quando ſolùm inter redemptos virgines ſupputauit, non alios excludendos fore à redemptione; ſed tanti Deum facere virginitatem, vt ſolùm virginum videatur recordari, cùm innumeræ redemptorum multitudinis manifeſtat chorum. Sic enim virgines diligit Deus: ſic virginitatis complacet in flore, vt pro ipſis ſolùm ſanguinem videatur fudiſſe, non quia cæteri excludantur à tanto beneficio.

180. Et quid mirum, virginitatis lilium redemptorum caracterem demonſtrare; cùm redemptionis myſterium virginitati debeamus? Mittitur Gabriel ad virginem ſalutandam, quæ cùm de maternitatis gloria certior fieret, virginitatis non amittendæ anxia, quærit ab

Lucæ 1. n. 34. Angelo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Lucæ primo numero trigeſimo quarto. Chryſoſtom. homil. quadrageſimo nono ſuper Geneſ. ſic pro Gabriele reſpondet:

Chryſoſt. *Atqui propter hoc ipſum fiet, quoniam virum non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum non fuiſſes habita digna, vt huic myſterio ſeruires.* Idem docuit Heſychius Hieroſolimit. Explicans illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus ſuper ue-*

niet in te, &c. vbi ſic ait: *Hoc eſt; ſi cognoſceres virum, non pareres Deum, cui viſum eſt ex te propter te citra corruptionem ſerui formam ſumere: nunquam fieres inſtrumentum incarnationis eius, qui omnia produxit. Verùm quia munda es à concubitu nuptiali; quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni ſorde liberum conſeruaſti: & Pater hoſpitatur apud te, & Spiritus Sanctus obumbrat, & aſſumpta carne vnigenitus ex te naſcitur.* Quid clarius? Ecce qualiter propter Mariæ puritatem immarceſſibilem, & virgineum eius candorem, ex ipſa naſcitur Verbum. Igitur Mariæ Virginitati Sacroſanctum incarnationis debemus arcanum. Quid ergo mirum, ſi pro ſolis virginibus (vt numero præcedenti notabamus) redemptio facta videatur? Heſychius Hieroſo.

Sed adhuc rem hanc altiùs contemplari 181.
libet. Dico tandem; Virginitati candorem ita diuinum allicere affectum; vt vitam, & cor Dei auferat noti inuitè. Accinit hoc cœleſtis ſponſus malè ſaucius ab vno crine ſponſæ. Cantic. 4. numero 9. *Vulneraſti*, inquit, Cant. 4. n. 9. *ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Ex Hebræo legitur: *Abſtuliſti cor meum, ſoror mea ſponſa, abſtuliſti cor meum vna torque colli tui.* Septuaginta legere: *Cor abſtuliſti nobis, ſoror mea ſponſa, cor abſtuliſti nobis vno ex oculis tuis, in vno ornamento ceruicum tuarum.* Sacer textus vulneratum prædicat ſponſum in vno crine ſponſæ: Hebraïca tranſlatio, & ſeptuaginta interpretum verſio non ſolùm ſaucium, ſed excordatum, & velut ſine vita præ nimio, & ardentiſſimo amore, exponunt. Sed cur ſponſus tanto ardet amore, vt ab vno crine ſponſæ excordatum ſe prædicet? Aut quid iſto crine vidit, quod ei vitam, & cor auferre poſſet? Ni fallor, totum hoc virgineo ſponſæ candori tribuendum eſt. Apud antiquos in honeſtis fœminis prohibitum erat, ligatos habere capillos. Ouidius ſe excuſat, licentiosè ſcripſiſſe, quia non ad pudicas fœminas, ſed inhoneſtas ſcribebat. Hebræ. Septuaginta.

Scripſimus hæc illis, quarum non vitta pudicos Ouidius.
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Fœminarum autem honeſtarum inſigne erat, crinibus non ſolutis, ſed in tenia carceratis ornari. Igitur ſponſus ideo ab vno crine ſponſæ non ſolùm vulneratum, ſed excordatum ſe prædicat; quia ſponſæ crines non ſoluti pendebant, ſed velut incarcerati in tenia, vt mos erat apud virgines, & honeſtas fœminas. Hoc forſan denotauit Hebraica tranſlatio dum legit: *Abſtuliſti cor meum vna torque colli tui.* Et ſeptuaginta cùm legere: *In vno ornamento ceruicum tuarum.* Quod eſt dicere: Ita capilli ſponſæ in tenia erant religati, vt pulchrum & honeſtum formarent ornatum, quali virgines, & honeſtæ fœminæ vti ſolent. Vulnerari ergo ab vno crine, perinde eſt, ac virginitate, & pudicitia ſponſæ.

Verſ. VI. Facient autem ſuperhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere polymito.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. IN præcedentibus egerat ſacer textus de materia, ex quibus ſacræ veſtes erant conficiendæ: nunc eandem repetit, cum de textura ſuperhumeralis ſermonem inſtituit. *Facient autem*: id eſt: Sapientes illi, nempe Beſeleel, & Ooliab à Deo ad tantum opus inſtructi. *Superhumerale.* Non ſeruat ſacer hiſtoriographus in annumerandis veſtibus ordinem, quo ipſas induebat Sacerdos, vt diximus verſu 4. num. 1. incipit à ſuperhumerali, quia erat opus ſpecioſiſſimum arte ſumma confectum includens in ſe Rationale, ſeu Pectorale. Dicitur Hebraïcè, *Ephod:* & deriuatur ab *Aphad*, quod eſt cingere, vt notarunt Oleaſter ad hunc locum, & Arias Montanus in deſcriptione veſtimentorum Aaronis; hic putat rectiùs ab ambiendo ſic dictum: quia ambiebat humeros, tergum, & pectus: vnde Latinus noſter Interpres ſuperhumerale tranſtulit. Alij antiqui *ſcapulare* dixerunt. Hos fortaſſis ſecutus fuit Sixtus Senenſis libr. 3. tractat. de Aaronis ornatu cum ait: Ephod, vel ſuperhumerale eſſe elegans palliolum abſque manicis in modum monaſtici ſcapularij ſine cuculla habens humeralia duo, hoc eſt, conſtans duabus partibus æqualibus, quarum vna tergus, altera pectus ad vmbilicum vſque tegit, in qua circa medium pectus lacuna quædam vacua relinquitur ad Rationalis ſuſceptionem. Hæc Senenſis.

Oleaſter. Arias Mont. Sixt. Senenſ.

2. Materia huius ornatus erat aurum, hyacinthus, purpura, coccuſque bis tinctus, & byſſus retorta. Aurum erat extenſum in bracteas (Hiſpanè: *O juclas de oro*) intextum his coloribus *opere polymito*, vel Phrygionico, vel vt ait tranſlatio Sanctes Pagnini ex Hebræo, *opere cogitantis*, id eſt, ingenioſi artificis, vel variegatoris; vt ſolent tapita, inquit Emmanuel Sa. Vel opere plumario. Audi Diuum Hieronymum epiſtola 128. ad Fabiolam ſic loquentem de filis, quibus ſuper humerale erat contextum: *Auri lamina, id eſt, bracteæ mira tenuitate tenduntur, ex quibus ſecta fila torquentur cum ſub tegmine trium colorum hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum ſtamine byſſino, & efficitur palliolum mira pulchritudinis, perſtringens fulgore oculos in modum caracallarum, ſed abſque cucullis. Contra pectus nihil contextum eſt, & locus futuro Pectorali relictus.* Philo Hebræus libro 2. de Monarchia in medio conſtanter tenet, ſuperhumerale fuiſſe ad modum thoracis, his verbis *Huic* (id eſt, tunicæ hyacinthinæ) *ſuperinduitur textum pectorale thoracis ſpecie quo cœlum ſubindicatur.* Vbi Ephod vocat Pectorale, quia hoc in illo includebatur, & inſeparabile erat ab eo. Quare ſic proſequitur: *Nam duo ſmaragdi pretioſiſſimi eminent in ſummis humeris.* Quæ apertè de Ephod ſunt intelligenda: quia Rationale non tegebat humeros, ſed pectus Sacerdotis: tum etiam quia ſmaragdi, vel lapides onychini ſupra Ephod fulgebant in humeris ſummi Pontificis.

Sanct Pagn. Sa. Hieronym. Philo Hebr.

QVÆSTIO IX. Litteralis.

An ſuperhumerale, vel Ephod vacuitatem quandam haberet contra pectus Pontificis, in qua inſereretur Rationale.

IAcobus Salianus vir omni eruditione clariſſimus in ſuis annalibus anno mundi 2544. Moyſis 81. num. 327. Vacuitatem, vel lacunam, quam adſtruit Sixtus Senenſis citatus numero præcedenti, acriter impugnat his verbis: Verùm hanc inanitatem non diffitebor, mihi non parum eſſe ſuſpectam. Primùm, quia ſcripturæ non eſt. Deinde, quia vnius Ioſephi eſt. Nam Philo tam in libris de vita Moyſis, quàm de Monarchia, in quibus de Rationali agit, nullum planè de iſta lacuna verbum fecit: nullum Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam, cùm hoc argumentum ex profeſſo tractaret, nullum Septuaginta, aut Chaldæus Paraphraſtes: nullum quod ſciam alius quiſquam de Scriptoribus antiquis. Quæ ſi à diuino præcepto, atque authoritate grauium Scriptorum conſentientium, quæ vtraque Ioſepho deſunt, diſceſſerimus, quid cauſæ, aut rationis idoneæ afferri poteſt, vt tam pretioſa veſtis præter decorem, & ſine vtilitate perforaretur ad pectus, vt deinde gemmato operculo clauderetur? Quid in hac feneſtra commodi; quid in clauſa detrimenti? Hæc Salianus. 3. Salianus.

Verùm hæc ſententia verbis Hieronymi nuperculè citatis apertè reiicitur: Nam de ſuperhumerali loquens, ſic concludit: *Contra pectus nihil contextum eſt, & locus futuro Rationali relictus.* Quæ verba apertè indicant hanc vacuitatem. Nam ſi illa non eſſet, maxima deformitas ex defectu artificioſiſſimæ texturæ appareret in pectore Sacerdotis, antequam adaptaretur Rationale. Rurſus, quomodo locus futuro Rationali eſſet relictus, ſi iſta vacuitas ibi non eſſet? Ex mente ergo Hieronymi, ſatis deducitur Senenſis ſententia. Deinde quia teſte eodem Hieronymo, in his magna fides exhibenda eſt Ioſepho, & eius vnicum teſtimonium firmiſſimum eſt fundamentum. Docuit etiam Gloſſa Interlinealis ad hunc locum. Noſter Toſtatus quæſtione 12. in cap. 28. Exodi. Nec vrget; quòd in ſacro eloquio de hac lacuna nulla fiat mentio, vt ſuſpecta ſit. Nam multa in ſcriptura non exprimuntur, vel quia non eſt neceſſarium; vel vt Interpretum exerceantur ingenia. Ob hoc, *Vrim, & Thummim* 4. Hieron. Ioſephus. Gloſſ. Interl. Abulenſ. Sixt. Senenſ.

significatum non exprimitur in scriptura, & alia innumera. Argumentum enim negatiuum minùs efficax semper visum est Interpretibus scripturæ. Tandem Senensis sententia roboratur ex eo, quòd admissa hac vacuitate Rationale firmiùs adaptaretur pectori Sacerdotis. Nam vt infrà dicemus, vittis hyacinthinis ligabatur quatuor annulis superhumeralis positis in totidem angulis eiusdem; vnde inseparabile erat Rationale à Pectorali. Sed res hæc minoris momenti est, quàm aliæ, quæ nos vocant.

QVÆSTIO X.
Litteralis.

Quidnam in præsenti intelligendum sit per Ephod.

5. Mirum est, quàm variè circa Ephod senserint Authores. Augustinus quæst. 46. ex veteri Testamento refert, aliquos putasse fuisse quoddam armariolum, quo Sacerdotes vtebantur ad inquirenda oracula: idque deduxisse ex illo 1.Regum, cap. 2. num. 28. vbi dicitur: *Et portaret Ephod coram me*: vbi non dicitur, induent Ephod. Ergo signum est, non fuisse genus aliquod vestimenti. Aliis (vt refert Hieronymus epistola 130. ad Marcellam) visum fuit, esse thuribulum: quamuis pro hac opinione nullum iaciat fundamentum. Aliis erat simulachrum (vt narrat idem Hieronymus loco nuper citato, & Augustinus quæstione 41. in Iudices,) idque ex duplici scripturæ loco coniiciebant. Alter extat 8. Iudicum, num. 27. Vbi dicitur Gedeonem partâ victoriâ contra Madiam ex mille septingentis auri siclis absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madiam vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum fecisse Ephod. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Ergo illud Ephod erat simulachrum, aut idolum. Consecutio patet. Primò: quia in vnam vestem tanta summa auri expendi non poterat. Secundò: quia dicitur Gedeon statuisse illud Ephod quasi ex solido auto rigidum, ita vt positum stare posset. Tertiò: quia dicitur omnem Israël fornicatum fuisse, seu idololatrasse in eo tanquam in simulachro, cui detulerunt cultum, & honorem idololatriæ. Alter locus est ex eodem lib. Iudicum, cap. 17. numero 4. & 5. vbi dicitur Micham ex auro, quod à sua matre acceperat, feciisse Ephod opere conflatorio; cùm dicatur illa pecunia tradita argentario, vt faceret sculptile. *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis sculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. Qui ædiculam quoque in ea Deo separauit, & fecit Ephod; & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola.*

6. Omnes præfatæ sententiæ facilè reiiciuntur. Et in primis illa, quæ asserebat Ephod esse armarioli genus, fictitia est. Nam quamuis in locis relatis, Ephod dicatur portari à Sacerdotibus: ob hoc tamen non probatur à vestis, & ornatus ratione esse alienum. Nam hoc etiam vestibus maximè conuenit, & præcipuè inter Hispanos dici solet: *Trahe vn rico vestido.* Deinde quia Ephod expressè appellatur vestis, 1.Regum, 22. numero 18. cùm Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes iussu Saülis: *Et trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Deinde secunda sententia de thuribulo, sicut sine fundamento inducitur, ita sine vllo argumento reiicienda est: Restat nunc testimoniis scripturæ satisfacere. Ad primum desumptum ex 8. cap. Iudicum, respondeo cum Augustino citato. Magistro historiæ Serario, quæst. 15. & Patre Francisco de Mendoza in lib. 1. Regum, cap. 2. num. 18. in expositione litteræ, num. 5. Ibi non referti Gedeonem totam illam summam consumpsisse in vno Ephod conficiendo: aut si totam expendit pro Ephod posse intelligi omnem ornatum sacerdotalem, & sacrorum Rituum apparatum, sumendo partem præcipuam pro toto. Quasi Gedeon in gratiarum actionem pro victoria diuinitus accepta totam tabernaculi suppellectilem conficiendam curasset. Ad illud verò, quòd dicitur Ephod positum fuisse, vt staret, quasi auro solido sic obrigescceret, respondet Mendoza citatus, nihil probare. Quia statuere, aut probare, vt est in Hebræo non solùm dicitur de rebus solidis, & rigidis, sed etiam de flexibilibus. Vt Iudicum 6. num. 37. dicitur de vellere, quod Gedeon posuit in area: *Ponam hoc vellus lanæ in area.* Deinde illud, quod dicitur, totum populum idololatrasse in Ephod, non conuincit illud esse simulachrum, sed esse vestimentum, cui insanus populus, qui alia viliora pro Deo venerabatur, tribuit cultum, & honorem, vt notat Augustinus. Ad vltimum ex cap. 17. Iudic. deductum, facilè respondet Hieronymus vbi suprà: quia vt sacer textus expressè dicit, maximum erat discrimen inter Ephod, & sculptile; siquidem ait: *Et fecit Ephod, & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola.*

7. Ex his apertè constat, superhumerale, seu Ephod vestem speciosissimam fuisse ad gloriam, & decorem Pontificis, arte summa confictam ex bracteis aureis, & filis hyacinthinis, purpureis, coccinis, & byssо retorta admirabili modo contextis, vt suprà diximus in expositione litteræ.

QVÆSTIO XI.
Litteralis.

Vtrùm Ephod esset genus ornamenti pro solis Pontificibus consecratum?

8. Vidimus iam in præcedentibus, Ephod esse indumenti genus. Nunc restat examinare, an fuerit solis Pontificibus dedicatum? Prima

August. — 1.Reg.2. n.28. — D.Hieron. — Iudic.8.n.27 — Iudic. 17. n.4.&.5. — 1.Reg.22. n.18. — D.August. Magist. hist. Mendoza. — Iudic.6.37.

Prima dubitandi ratio deſumitur ex 1. Regum, 2. numero 18. vbi de Samuële dicitur: *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini: puer accinctus Ephod lineo.* Sed Samuel non fuit ſummus Sacerdos. Ergo Ephod non fuit ſolis Pontificibus dedicatum. Minor fulcitur præclariſſimorum Interpretum teſtimoniis: & quod maioris ponderis eſt, firmo ſacræ Paginæ videtur niti fundamento. Agamus nunc Patrum telis, & Interpretum: nam poſtea ſacro clypeo dimicandum erit.

1. Reg. 2. n. 18.

9. Adeſt Clemens Alexandr. lib. 1. ſtromatum, num. 11. qui docet, Samuëlem mortuum fuiſſe, cùm Abimelech infulis ornabatur Pontificis. Ergo Samuel Pontificio caruit ſplendore. Aliàs contra diuinam ſanctionem duo ſimul eſſent Pontifices. Accedit Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum ante medium vbi ait: *Noſcendum, quòd Samuel Leuita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit.* Id ipſum tenuit Auguſtin. (ſi ipſe eſt Author quæſtionum veteris Teſtamenti,) nam quæſtione 4. aſſerit, eſſe ignorantiam, imò errorem eorum opinionem, qui putant, Samuelem fuiſſe Sacerdotem. Probat etiam ex Pſal. 98. n. 6. vbi dicitur: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius: Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Vbi Dauid expreſsè ſeparauit Sacerdotalem dignitatem à Leuitica; & illam Moyſi, & Aaroni tribuit, iſtam verò adſcripſit Samueli. Deinde quia Elcana pater Samuelis non fuit Sacerdos, ſed adſcendebat in templum ſtatutis diebus ad offerendum per Sacerdotes. Tum etiam, quia habebat duas vxores, quod non erat licitum Sacerdotibus, quamuis aliis hominibus fas eſſet. Ergo Samuel eius filius non gaudebat honore ſacerdotali. Inſuper quia Sacerdos ex Sacerdote oriebatur. Id ipſum ſentit Ioſephus lib. 5. antiquit. aliàs in principio, lib. 6. qui Elcanam patrem Samuelis Leuitam fuiſſe teſtatur, ac proinde & ipſum Samuelem.

Clem. Alex.

Hieron. Auguſt.

Pſal. 98. n. 6.

10. Efficax ratio id ipſum confirmat. Nam omnes Sacerdotes de familia Aaronis ducebant originem, & extra illam nemini fas erat fungi Sacerdotio. Vt patet Exod. 29. à numero 4. Leuitic. 8. à num. 2. Numerorum 3. num. 10. & Numeror. 18. num. 1. & 7. & 1. Paralipom. 23. num. 13. & 2. Paralipom. 26. num. 18. & ad Hebræos 5. num. 4. & cap. 7. num. 13. & 14. Sed Samuel non erat de familia Aaron: quia 1. Paralipom. 6. num. 33. vbi annumerantur primogenitores Samuelis vſque ad Leui nunquam Aaronis fit mentio. Samuel enim deſcendebat à Leui & eius filio Caath non per huius primogenitum Amram patrem Aaronis, ſed per ſecundogenitum Iſaar patrem Core. Ergo Samuel non fuit Sacerdos, cùm ab Aarone non duxerit Originem. Sic tenent ſanctus Thomas in cap. 7. epiſt. ad Hebræos, lect. 3. Arboreus lib. 17. Theoſophiæ, cap. 4. & communiter Interpretes in librum Regum, Rabanus, Beda, Dionyſius, Hugo Cardinalis, Lyra, Abulenſis, Caietanus, & Interpretes etiam in Pſalm. 98. Cantapetrenſis lib. 1. Hypothyp. cap. 13. Genebr. lib. 1. Chronolog. anno mundi 2901. Sabellicus, & alij.

S. Thom. Arboreus. Rabano. Beda. Dionyſ. Hugo Card. Lyra. Abulenſ. Caietan. Cantapetr. Genebrard.

11. Contrariæ ſententiæ, nimirum Samuelem Pontificia fulciſſe dignitate, non deſunt quamplurimi, & non vulgares, nec ignobiles patroni. Ita ſentit Diuus Ignatius Martyr, Epiſcopus Antiochenus, epiſtola 6. ad Magneſianos, Diuus Cyprianus in epiſt. ad Rogatianum, Diuus Chryſoſtomus homilia de Anna, Diuus Hieronymus expreſsè in epiſtola 1. ad Corinthios, cap. 1. ſub initium, Auguſtinus lib. 17. de ciuitate, cap. 4. & Pſalm. 98. & in lib. 2. Retract. cap 43. docet Samuelem fuiſſe de filiis Aaron, qui omnes erant Sacerdotes, & retractat ſe, quod lib. 17. de ciuitate, cap. 5. oppoſitum aſſeruit. Et eodem lib. Retractat. cap. 55. Diuus Ambroſius ſermone 18. in Pſalm. 118. Diuus Bernardus in ſuis ſententiis ait: *Tres in Sacerdotio aſſumuntur: Moyſes, & Aaron, & Samuel.* Seuerus Sulpit. lib. 1. ſacræ hiſtoriæ, tom. 7 Bibl. 2. editionis. Beda in lib. 2. Regum, cap. 5. Diuus Proſper Aquitanus de promiſſionibus, & prædictionibus, p. 2. cap. 24. Vualfridus de rebus Eccleſiaſticis, cap. 12. Diuus Gregorius Nazianzenus oratione 40. Cyrillus Alexandr. in collectaneis ex lib. 1. Regum, Diuus Iſidorus lib. 1. Regum, cap. 1. Diuus Anſelmus in 1. ad Timoth. 3. num. 3. Nicephorus lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 4. & alij quamplurimi.

Ignatius. Cyprian. Chryſoſt. Hieron. Auguſt. Ambroſ. Bernard. Sauer. Sulp. Beda. Proſper. Vualfridus. Nazianz. Cyrill. Alex. Iſidorus. Anſelmus. Niceph.

12. Ratione non infirma fulciri poteſt hæc ſententia. Quia in veteri Lege ſoli Sacerdoti fas erat offerre ſacrificia. Sed Samuel illa obtulit. Ergo Sacerdotij dignitate fuit ornatus. Maior patet. Nam diuina lex ſanciebat, vt Aaron, & filij eius initiarentur obeundo Sacerdotio, vt patet Exodi 29. Leuit. 8. à n. 2. Numer. 3. n. 10. Et hoc vltimo loco capitali pœna damnatur ille, qui, cùm non ſit Sacerdos ſacerdotale munus vſurpauerit. Vnde Core, qui non erat Sacerdos, & ſacrificare tentauerat, repentina morte luit ſuam temeritatem. Numer. 16. num. 31. Saül quoque Regnum amiſit, quia cùm Sacerdotis dignitate non gauderet, Sacerdotio ſe ingeſſit. 1. Regum, 13. à num. 9. Ozias quia voluit adolere incenſum, quod ad Sacerdotes pertinebat lepra percuſſus non ſolùm à templo, ſed etiam ab vrbe coactus eſt exulare. 2. Paralipom. 26. à num. 16. Ergo munus ſacrificandi ſolius Sacerdotis erat proprium. Minorem, ſcilicet, Samuelem ſacrificium obtuliſſe ſic probo ex 1. Reg. 1. n. 9. vbi apertè dicitur, ſacrificium obtuliſſe: ergo fuit Sacerdos.

13. Confirmatur vlterius: quia Samuel ſucceſſit Heli, vt docet Auguſtinus lib. 17. de ciuitate, cap. 5. Sed Heli habuit poteſtatem Pontificiam, & iudiciariam. Ergo vtramque habuit Samuel: præſertim cùm non appareat ad quem dignitas Pontificia tranſlata ſit. Non ad filios Heli, quia nullus parenti ſuperuixit: & quamuis ex nepotibus ſuperſtes fuit Achitob, tamen cùm Heli exhalauit ſpiritum, non habebat parem ætatem ſummo Sacerdotio. Deinde, quia Samuel geſtabat Ephod, quæ erat veſtis ſacerdotalis ſecundùm Theodoretum, & Procopium: & à Nazianzeno orat. 40. *Stola ſacerdotalis* appellatur. Tandem roboratur: quia 1. Regum, cap. 2. n. 35. ait Deus: *Suſcitabo Sacerdotem fidelem.* Quod Hieron. & Auguſt. ad litteram de Samuele intelligunt, & ſpiritualiter de Chriſto Domino. Hæ ſunt facies, quæ pro vtraque parte militant pro Samuelis Sacerdotio.

1. Reg. 2. n. 35.

14. Nihilominùs tamen diſſidium hoc haud difficulter ſedari poteſt, ſi dicamus, Samuelem non fuiſſe Sacerdotem de familia Aaronis, fuiſſe tamen ex diuino priuilegio. Nam Deus ſicut Aaronem ſummo ornauit Sacerdotio, poterat etiam Samuelem. In hoc nulla repugnantia apparet, & id ſuadet efficax ratio. Quia quando Samuel ſacrificium obtulit, nulla fuit mulctatus reprehenſione. Ergo nullam commiſit culpam. Signum ergo eſt, ex diuina diſpenſatione ſacrificaſſe tanquam Sacerdotem: quamuis fuerit extraneus à familia Aaronis.

15. Ex præiactis manifeſtè colligitur, Ephod, quod dicitur geſtaſſe Samuelem fuiſſe Sacerdotale. In ſententia verò, quæ negat Samueli Sacerdotium, dicendum eſt, illud Ephod non eſſe ſacerdotale, ſed aliud minoribus Sacerdotibus, & Leuitis, imò & laïcis commune. Sacerdotes minores vſos fuiſſe Ephod, conſtat ex 1. Regum, 22. num. 18. vbi de Doeg Idumæo dicitur: *Et trucidauit octoginta & quinque viros veſtitos Ephod lineo.* De Leuitis patet, quia Samuel, vt dicitur. 1. Regum, 2. num. 18. *Erat accinctus Ephod lineo.* De laïcis tandem, quia ſaltem quando in diuino obſequio aliquo modo occupabantur, accingebantur Ephod, vt 2. Regum, 6. num. 14. narratur de Dauid, qui ſaltauit coram Arca Domini, *Accinctus Ephod lineo.* Magnum diſcrimen verſabatur inter vtrumque Ephod. Nam Pontificale erat polymitum ex auro, hyacintho, purpura, cocco, & byſſo mira varietate contextum, vt patet ex noſtro verſu 6. Aliud Ephod erat ſimplex, candidum, ac lineum. Ita Auguſtinus quæſt. 46. ex veteri Teſtam. & quæſt. 41. in Iudices. Diuus Hieronymus epiſtola 128. ad Fabiolam, & 130. ad Marcellam, Arnoldus Carnotenſ. tract. de vltimis Chriſti verbis, Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 21. Magiſter hiſtoriæ in Exod. c. 64. Angel. Lyra, Abulenſis, & alij ad hunc locum. Azor. lib. 6. inſtit. cap. 42. Quamuis de Ephod Samuelis non deſint, qui affirment fuiſſe Pontificale, eo quòd ille fuerit Sacerdos dignitate, & officio ex priuilegio Dei. Ita ſentit Theodoretus ad 1. Reg. c. 2. quæſt. 8. Procopius eius aſſecla. Putarem ego, Ephod lineum, quo laïci accingebantur ſaltem in formæ diſtinctum eſſe ab Ephod, quo minores Sacerdotes erant accincti. Hoc mihi videtur, rationi maximè fuiſſe conſonum: ne eodem habitu, & ornatu miniſtrarent Sacerdotes, & laïci.

1. Reg. 22. n. 18.
1. Reg. 2. num. 18.
2. Reg. 6. n. 14.
D. Auguſt.
D. Hieron.
Arnold. Rupertus. Magiſter. Angelom. Lyra. Abulenſ.
Theodoret. Procop.

QVÆSTIO XII.
Litteralis.

An Ephod, vel ſuperhumerale manicas habuerit?

16. Ioſephus lib. 3. antiquit. cap. 9. affirmatiuam partem tuetur. Ioſepho aſſentiuntur Ribera de veſtibus ſacerdotalibus: & Barradas lib. 3. cap. 44. in 2. tomo.

17. D. Hieronymus nuſquam manicarum meminit, dum agit de Ephod. Abulenſis expreſsè negat, quem ſequuntur Sixtus Senenſis, & alij quamplurimi. Confirmant hoc: quia vulgares antiquæ ſummi Sacerdotis picturæ ſine manicis oſtenduntur. Ergo ſignum eſt Ephod illis caruiſſe. Et confirmatur, quia Ephod erat ornatus, quo accinctus ſummus Sacerdos offerebat ſacrificia. Sed ſi Epod manicas haberet, non ita eſſet expeditus Sacerdos ad hæc munera, ac ſine illis. Ergo illis caruit.

Ioſephus. Ribera. Barradas.
Hieron. Abulenſ. Sixt. Senenſ.

QVÆSTIO XIII.
Litteralis.

Cui ex noſtris ſacris ornamentis correſpondebat Ephod?

18. ALbinus Flaccus Alcuinus de diuinis Officiis, cap. *De ſingulis veſtibus*, in 1. tom. Auctuar. Bibl. vet. Patr. poſt deſcriptionem ſuperhumeralis veteris Teſtamenti, ſic ait: *Habent etiam nunc miniſtri Eccleſiæ Chriſti ſuperhumerale, quod amictum vocamus, quando ad altare miniſtrant.* Idem docuit Author Gemmæ animæ in eodem tom. cap. 201. *Hinc*, inquit, *humerale, quod in lege Ephod, apud nos amictum dicitur, ſibi imponit, & illo caput, & collum, & humeros (vnde & humerale dicitur) cooperit, & in pectore copulatum duabus vittis ad mammillas cingit per humerale, quod capiti imponitur.* Aſſentiuntur Guillielmus Durandus lib. 3. cap. 19. num. 5. Gabr. in expoſitione Canonis Miſſæ, lect. 12. in principio.

Albin. Flacc.
Gemma animæ.

Verſ. VII. Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant.

19. DEſequitur ſacer textus deſcriptionem Ephod, aut ſuperhumeralis, de cuius forma præcedenti verſu actum eſt. Huius ornamenti oras coniungi Dominus præcipiebat in vtroque latere ſummitatum, ita artificiosè, & politè colligatas, vt non duæ, ſed vna viderentur. Quî autèm id fieret, quæſtione ſequenti examinamus.

QVÆSTIO XIV.
Litteralis.

Vtrùm duæ illæ oræ ſuperhumeralis, quæ in vtroque latere ſummitatum colligabantur, iunctæ fuerint in humeris; vel in inferiori parte, hoc eſt, in lateribus, quæ balteo cingebantur?

20. MIra eſt Gloſſantium varietas in exponenda hac ſuperhumeralis adaptatione. Oleaſter in præſenti aſſerit, duas partes ſuperhumeralis, ſcilicet anteriorem, & poſteriorem coniungi

Oleaſter.

iungi in humeris. Quod putat hic Author exprimi in ſacro textu, dum dicitur: *Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum.* Summitas partem ſuperiorem ſignificat. Sic ſummitatem montis cacumen eius appellamus. Ergo in humeris Pontificis oræ iſtæ coniungebantur.

21. Deinde Oleaſtri ſententia fulciri poteſt, quia in hoc capite vigeſimo octauo, numero duodecimo, cùm ſacer textus ageret de lapidibus illis onychinis, quo Pontifex ſuper vtrumque humerum portabat per vtrumque latus ſuperhumeralis humeros intelligit, vt ex ipſo patet: *Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis memoriale filiis Iſraël.* Vbi, vt conſtat apertè per *vtrumque latus* humeri intelliguntur. Nec id tacuerunt Septuaginta. Nam vbi editio Vulgata legit: *In vtroque latere:* Septuaginta legere: *Superhumeros ſuperhumeralis.* Ergo in parte ſuperiori eius iſtæ oræ colligabantur. Accedit, quòd docuerat Caietanus ibidem, nempe huiuſmodi oras, vel extremitates habuiſſe ſuperhumerale tam in humeris, quàm in lateribus. Quia vbi ſacer textus ait: *Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant:* Iuxta Hebræum legitur: *Duæ oræ in humero iunctæ erunt ſibi ad duas extremitates:* Et Paraphraſis Chaldaïca legit: *Duo humeruli coniuncti erunt ei, in duobus lateribus eius coniungentur.* Ergo in humeris Pontificis oræ illæ erant colligatæ.

Septuag. Caietan. Hebræ. Paraphr. Chaldaïc.

22. Noſter Abulenſis hîc quæſtione nona, aliter de his oris opinatur; nempe ſuperhumeralis in parte ſuperiori oras non coniungi, nec Pontificem habuiſſe oras in humeris, quæ colligari poſſent, ſed talem nexum orarum fieri in parte inferiori ſuperhumeralis iuxta zonam, vel balteum. Pendebat enim Ephod ex vtraque parte à tergo ſcilicet, & à fronte: in anteriori parte duæ pendebant oræ; totidemque in poſteriori: illæ iſtis coniungebantur condylis per foramina, quæ erant in qualibet extremitate vtriuſque lateris dextri, ſcilicet, & ſiniſtri. Hoc modo aptiſſimè Pontifex induebat Ephod, & exuebat illud. Ergo ſuperfluè oræ deſiderarentur in humeris. Nec Oleaſtri argumentum id conuincit. Nam, vt optimè Toſtatus, per ſummitates non partes ſupremæ, ſed extremitates denotantur. Quod verum exiſtimo, & manifeſtè ex tranſlatione ex Hebræo Sanctes Pagnini deducitur: quia vbi Vulgata legit, *Summitates*: tranſtulit Pagninus, *Extremitates*, vt vidimus. Ad illud pro ſententia Caietani adductum ex Paraphraſi Chaldaïca facilè reſpondetur; per illos duos humerulos anteriorem, & poſteriorem, partem ſuperhumeralis intelligi, ſumpta denominatione à ſuperhumerali, vel Ephod, quod integrabant. Quamobrem mihi placet Abulenſis ſententia, nempe oras, vel extremitates illas anteriores cum poſterioribus in vtroque latere dextro, & ſiniſtro condylis colligatas extitiſſe iuxta zonam, vel balteum Pontificis.

Abulenſ.

Verſ. VIII. Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.

EXPOSITIO LITTERÆ.

23. On tacet ſacer textus ſuperhumeralis ſpecioſiſſimum artificium. *Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas.* Verba hæc duplicem poſſunt habere ſenſum. Vel indicant, totum Ephod fuiſſe contextum opere polymito, & variegato. Hoc enim ſonat illud; *Cuncta operis varietas.* Vel de Solis extremitatibus intelligendum eſt: quaſi diceret; cuncta extremitatum varietas erit ex auro, *&c.* Vtroque modo id exponit Abulenſis hîc quæſtione nona. Nam ex eiſdem filis, ex quibus erat contextum ſuperhumerale, oræ, aut extremitates texebantur. Diſcrimen tamen erat, quod in oris nulla erat imago facta, ſed ſolùm textura; at in ſuperhumerali erant aliquæ figuræ, non animalium, aut corporum cœleſtium, ne Hebræi, qui proni erant ad idololatriam, occaſionem ſumerent illius; ſed vel florum, vel aliarum rerum, ita vt ſuperhumerale ſpecioſum, & aſpectu delectabile appareret. Hoc artificium, vt explicat Arias Montanus in deſcriptione ſanctorum veſtimentorum, erat varietas quædam ingenio, aut arte inuenta, vt Maurica, ſeu Arabica, vel Phrygionica, vt cogitare ſolent acu Pictores: & ideo in Hebræo dictum eſt, *Opus cogitantis*, quod noſtra Vulgata appellat, *Opus polymitum.*

Abulenſ. Arias Mont.

24. Hac textura circumſcribebatur ſuperhumerale, tum propter eius ornatum, tum etiam propter veſtis firmitatem, vt nunc Hiſpani vtuntur in veſtibus: *Ponen vn galon de oro alcanto, con que ſe guarneze el veſtido, y queda firme la orilla.* Non aliter ornabatur Ephod per circuitum. Quamuis Oleaſter ſequutus Hebræam tranſlationem per texturam balteum intelligat. Nam vbi Vulgata habet: *Ipſa quoque textura*, &c. Ex Hebræo legitur: *Et baltheus ſuperhumeralis.* Sed meo iudicio hîc non de balteo, quo Pontifex cingebatur, ſed de illis oris, & toto ſuperhumerali ſermo proponitur. Forſan balteus legitur pro oris, quia ſicut balteo cingitur, ſic oris totum circumſcribitur ſuperhumerale. Ex officio enim cingendi non immeritò oræ illæ baltei nomine inſigniuntur. Nam de balteo hîc abs re ageretur, cùm de illo infrà numero trigeſimo nono, agat ſacer textus: quare Oleaſter immaturè de eo præfata verba exponit.

Oleaſter.

EX

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO LXVII.

Tanta est laborantium dignitas, vt vel ipse Deus cum eis æquiuocari non respuat.

25. LAborantium dignitas, & excellentia necunde satis valet exprimi. Beatitudinem æmulatur; & si in hac ærumnosa vita felicitas completa reperiri posset, in ipsis ærumnis, & laboribus inuenienda foret. Hinc est, quòd Deus, qui in seipso Beatus extitit, quasi zelans laborantium dignitatem, non solùm naturam passibilem assumpsit, in qua tempestatem procellosam laborum sustineret, sed velut tantæ excellentiæ ambitiosus cum laborantibus æquiuocari desiderat.

26. Prædicit Christus multa, quæ dicturus est; cùm omnes iudicandi ante eius tremendum tribunal surrecturi sumus, & inter alia sic electis locuturum pronunciat, Matth. 25. n. 35.

Mat. 25. n. 35 *Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me.* Audient electi, & Domini verba non callentes (vt notat Maldonatus ibidem) scisciabuntur à Domino; quando te vidimus esurientem? Quod est dicere: nos nunquam te pauimus, nec famis, aut sitis subleuauimus miseriam. Quomodo ergo tibi à nobis cibum, & potum ministratum recordaris? Id expressit

Ibid. n. 40. Christus, num. 40. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Hîc communi plausu Interpretes per frattes minimos Domini pauperes intelligunt. Verùm hæc communis expositio mihi non leue excitauit dubium. Cur, scilicet, Christus Dominus sitiisse, & esuriisse affirmat, cùm pauperes sitim, & famem patiuntur? Si Christus in dextera Patris residens impassibilitatis gaudet honore; quomodo famis, sitis, nuditatis, aut infirmitatis potest affici molestiis? Ante gloriam resurgentis poterat sanè nostræ naturæ sustinere passiones: at postquam vitam hominum resurgendo reparauit, immunis est prorsus ab huiusmodi affectibus. Quare ergo famem, & sitim sustinuisse dicitur, qui à passibilitate erat alienus? Ni fallor, ideo pauperum esuriem, & afflictorum sitim propriam appellat, dicens: *Esuriui, & sitiui*, vt erga afflictos, & pauperes suam ostenderet charitatem, & laborandi anxietudinem declararet, simulque quanti laborantium dignitatem faceret, exponeret. Voluit ergo cùm iam laborum esset incapax, & resurrectionis gloria, & beatitatis dotibus ornatus, suorum passiones, & ærumnas sibi adscribere, veluti saucius zelo patientium. Tanti namque facit laborantium gloriam, vt cum illis pati, cùm glorioſus est, non respuat ostendere, vel cum illis æquiuocari, vt in illis patiatur, quod in se non poterat. Speciosè Chrysologus ser-

Chrysol. mone 14. rem attigit. *Dixisse sufficerat, dedistis mihi potum: sed præmittit; esuriui, sitiui: quia parum fuisset amor pauperis, quòd pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset: & certè verus amor nonnisi passionibus probatur. Verus amor est, fecisse suas angustiati angustias.* Dicitur Christus pauperum angustias sustinere, non quia reuera eas patiatur; sed vt erga afflictos suum amorem ostendat. Pati dicitur desiderio, & in illis pati, vt cum illis æquiuocetur, qui à sua gloria pati impediebatur.

27. Vidit Ioannes turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & linguis coagmentatam, stantem ante thronum Dei in conspectu Agni stolis albis ornatam, &c. Post hæc vnus de senioribus interrogauit Ioannem, dicens: *Hi, qui amicti* Apoc. 7. n. 13 *sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* & 14. Apocalypsis 7. numero 13. Cui respondit dilectus Euangelista: *Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: hi sunt, qui veneruut de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Ibidem, numero 14. In primis, non est mihi difficile, sanguinem Agni etsi purpureum dealbare posse: quia cùm hoc de Christi cruore intelligatur, non dubito, animas nostras dealbasse suo sanguine pretiosissimo nobis promerendo auxilia gratiæ, & gloriam. Quod meum occupauit ingeniolum est: quomodo hi, qui venerunt de magna tribulatione (hoc est, *Exeuntes de mundo per martyrium*, vt explicuit Lyra ibidem) lauare poterant stolas suas in sanguine Agni? Lyra. Nam si isti perpessi sunt martyrium, proprio sanguine eas lauerunt, cùm in confessione veræ fidei illum effuderunt viriliter. Ergo non in sanguine Agni, qui effusus non fuit, quando isti subierunt martyrium. Quare ergo Ioannes refert, stolas istas in cruore Agni dealbatas, cùm proprio sanguine interfectorum fuerint aspersæ? An quia vtrumque sanguinem interfectorum, & Agni inter se confundat? Vel an quia Agnus, qui est Christus Dominus suorum Martyrum sanguinem proprium reputet? Certè tanti Agnus suorum passiones videtur æstimare, vt effusionem sanguinis eorum reputet velut proprij cruoris effusionem. Non tacuit hoc Lyranus loco citato: *Ideo me-* Lyran. *ritò dicitur sanguis Agni, quia est sanguis membrorum ipsius, in quibus dicit, se persecutionem pati, Actorum 9. Saule, Saule, quid me persequeris?* Patitur Christus cùm eius membra persecutionem patiuntur: quia ita ardenter nos diligit, vt nobiscum pati, affectet. Sanguis eius effunditur, cùm fidelium sanguine irrigatur Ecclesia; non quia eius sanguis propriè effundatur, sed quia nostrum sanguinem proprium reputat. Patitur ergo non in se, sed in suis, martyrij gloriam desiderans. Nam tanta est patiendi pro Christo dignitas, vt inter eius sanguinem, & Martyrum admittat æquinocum, sanguinem proprium appellans, qui ex venis fluxit Iustorum.

28. Primogenitus mortuorum, dicitur Chri- Apoc. 1. n. 5. stus. Apocalyps. 1. numero 5. *Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Diuus Ambrosius ad hunc locum diligenter inquirit: *Quomodo Christus primogenitus mortuorum dicitur, cùm ipse in fine temporum sit natus, aduentumque eius innumerabilis multitudo hominum præcesserit?* Priùs occisus fuit Abel, & primus Ambros.

mo

moriẽdi ſoluit vectigal. Tot ſæculis mors Adami, Noëmi ſeceſſus; Abrahami ſepulchrum, & innumerabilium tranſitus præceſſere. Quomodo ergo Chriſtus eſt mortuorum primogenitus? Duplicato reſponſo ſoluit dubium Mediolanenſis Antiſtes. En tibi primum: *Sed primogenitus propriè mortuorum ponitur: ſicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate, ſed honore, & dignitate cæteros antecellunt.* En etiam ſecundum ad rem noſtram: *Primogenitus ergo mortuorum Chriſtus eſt; quia ipſe eſt primus, & caput omnium Electorum ſuorum.* Altius rem explicuit Ambroſius. Sed audi eius, ni fallor, mentem. Verum eſt, Abelem iniuſtam mortem ſubiiſſe, cum manu parricidali Caïn inſurrexit contra eum, antequam Chriſtus tanquam verus Sacerdos vitam pro nobis in ara Crucis obtulit Patri. Verum eſt etiam Prophetarum plures violenter ex hac vita migraſſe ante Chriſti aduentum: Tamen quia Chriſtus Electorum ſuorum caput erat, dicitur primogenitus mortuorum, non quia ante omnes fuerit mortuus, ſed quia cùm ſui torquerentur cruciatibus vſque dum vitam, & ſpiritum exhalarent, in illis membris tanquam caput compatiebatur, commori ſimul cum illis dicitur. Nam etſi ante eius aduentum eſſet impaſſibilis, cum ſuis pati affectabat, quandam æquiuocationem patiendi ſuſtinens; ne hac gloria, & excellentia careret.

29. Audiuit Herodes Chriſti miracula, & ait: Marc.6.n.16. *Quem ego decollaui Ioannem, hic ſurrexit à mortuis.* Marc.6.num.16. O rex tyranne, quantùm diſtas à veritate, qui ne veritatem audires, eius vocem decollaſti! Sed videamus nunc: quid habet Ioannes cum Chriſto, vt impiiſſimus Rex auditis Chriſti mirandis Ioannem à mortuis ſurrexiſſe putaret? Si vocis cum verbo attendit ſimilitudinem; conſideret etiam infinitum eſſe diſcrimen. Nam illa, etſi Verbi infiniti vox, finitis clauditur terminis: hoc verò infinitæ perfectionis continet theſaurum. Cur ergo Herodes Ioannem confundit cum Chriſto, vocem cum verbo, Stellam cum Sole. Peracutè reſpondit Chryſol. Chryſolog. ſerm. 172. *Verum dicit: nam ſicut in Chriſto ſui reſurgunt, ita in ſuis ipſe patitur Chriſtus: & ſicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat iniuriam.* Quod eſt dicere: Ioannes iniuſtè mortem propter pudicitiæ tutelam eſt perpeſſus: liliumque illud Carmeli candidum proprio cruore in roſam purpuream conuerſum martyrij ſemitas præconibus Euangelicis aperiebat: Cùm enim Chriſtus, ſuorum labores maximi æſtimans, in ſuis pati non dedignetur, patiebatur in Ioanne. Ergo verum dixit Herodes: *Quem ego decollaui Ioannem hic ſurrexit à mortuis.* Non quia Chriſtum cum Ioanne liceat confundere; ſed quia patientis Ioannis gloriam zelans illius æquiuocum admittit. Tanto honore labores ſunt apud Deum, vt qui patienter, & tranquillo animo propter ipſum illos perpetitur, quaſi alter homo cum illo compati non recuſet

30. Inter ſummi Pontificis ornamenta primum annumeratur Ephod, vel ſuperhumerale: *Facient autem ſuperhumerale*, &c. Et tamen ſi ordinem, quo eis induebatur ſummus Sacerdos inſpiciamus, femoralia primum locum obtinebant. Nam, vt ait Abulenſis hîc, q.5, Sacerdos lotis manibus priùs induebat femoralia. Abulenſ. Quare hîc ſacer textus à ſuperhumerali ſacrarum veſtium incipit narrationem; præſertim cùm Ephod quarto, vel quinto loco inducereturBeda lib.3.de tabern c.4. ideo factum putat, quia per ſuperhumerale Iuſtorum labores deſignantur. *Quoniam*, inquit, *in humeris onera portare ſolemus, quid per ſuperhumerale Pontificis, niſi labores bonorum operum, quæ iugiter coram Domino ferre debet, oſtenduntur?* Ex eo ſolùm, quòd Ephod laborantium, & afflictorum præſeferebat effigiem, omnibus in narratione anteponitur ornamentis. Quid mirum, cùm tanta ſit eorum excellentia, vt vel Deus ipſe illâ deſideret? Beda.

ILLATIO LXVIII.

Fulgeat priùs operibus diuini Verbi annunciator, quam in verba prorumpat.

DOctoris munus, & diuini Verbi præconis officium verbis, & exemplo comprobatur. 31. De his Matth.5.num.19. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Mat.5.n.19. Vbi Chromatius Aquileienſis: *Hunc magnum futurum Dominus oſtendit in Regno Cœlorum. Quapropter non ſolùm verbis operandum eſt, ſed & factis: nec vt doceas tantùm, ſed vt, quod docueris, facias.* Chromatius. De hoc ſatis ſuperque egimus ſuprà illatione 28. Nunc autem non ſolùm exigimus ſimultatem vocis, & operis in diuini Verbi præcone, aut quòd exemplo confirmet, quæ verbis annunciat; ſed vt bona eius opera antecedant doctrinam.

Clamate fortiter, & inſtar tubæ exaltate vocem, peccata redarguere, & ſcelera Iſraël, 32. Deus præcepit Iſaïæ: dicens: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Iſa.58.n.1. Iſaïæ 58. num.1. Sed cur Deus non præcepit Prophetæ, vt tanquam leo rugiret, aut tonitrui formidabili ſtrepitu populum concuteret; ſed tanquam tuba clamare imperatur? Quid tuba cum populi reprehenſione, vt voce tubæ, reprehendi populum, Deus deſideret. Forſan alluſio fit ad illam tubam extremi diei, cuius ſonitu omnes reſurgemus; vt tremendi iudicij memoria populus vacaret à vitiis. Vel ſi mauis, dicito; quia per tubam hoſtium inuaſio denotabatur, vt timore hoſtilitatis concurſus populus corriperetur. Sit ita. Sed ad rem noſtram confirmandam non inutilis in hoc latet cogitatus. Nam cùm tubicen canit tuba, priùs eam manibus applicat labiis; vnde manuum functioni ſuccedit oris flatus, quibus adiutus mittit clangorem. Ecce ob quod Prophetæ præcipitur, quaſi tubam clamare; hoc eſt, exercere munus tubicinis, qui priùs miniſterio manuum vtitur, quàm oris, id eſt, operum, quàm vocis: in quo diuini Verbi præconis officium ſati oſtenditur, qui velut tubicen veritatis priùs manibus, hoc eſt operibus; deinde afflatu, id eſt, voce, & ſermone proficiat, vt diuinum Verbum audientium in cordibus inſeratur.

33. Propter hoc Apoſtolus 2. ad Timotheum, 4. numero quinto: Sic illum exhortabatur: 2.ad Timot. 4.n.5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ.* Sed quid Paulus ſuo Timotheo annunciat, cùm eum præparat ad opus Euangeliſtæ? An præmonet vt Euangelium ſcribat, quo glorioſum Euangeliſtæ nomen acquirat? Neutiquam. Opus enim Euangeliſtæ (teſte Diuo Anſelmo ad hunc locum) Euangelici præconis munus ſignificat. Anſelmus. *Opus fac Euangeliſtæ*, inquit, *id eſt, Euangelici Prædicatoris. Opus enim Euangeliſtæ eſt, bene viuere, & bene dicere: moribus, & verbis ſubditos inſtruere.* Expende: Anſelmum ad munus Prædicatoris perfectam vitam priùs exigere, & deinde ſanam doctrinam: *Opus enim Euangeliſtæ eſt, bene viuere, & bene docere.* Quia ad munus Euangeliſtæ ſubeundum operum ſplendor doctrinæ lucem debet antecedere. Doce myſteria; reuela arcana; abdita, & ſalutaria legis annuncia; ſi moribus non fulgeas heroïcis, non adimpleuiſti opus Euangeliſtæ. Bene viue, vt bene doceas: fulge operibus ſanctis, vt ſanctam poſſis prædicare doctrinam, & Euangeliſtæ conſequaris functionem.

34. Pugnaturus Gedeon contra Madiam erat omnis populus cum eo. Deus autem, qui nullius vim infert voluntati, ſpontaneos cupiebat bellatores: quamobrem Gedeoni imperat, vt voce clara loquatur ad populum, & admoneat, vt reuertantur formidoloſi. Quibus auditis receſſerunt viginti duo millia virorum, perſeuerantibus tantùm decem millibus. Tunc Deus iterum ad Gedeonem: adhuc multus populus eſt; duc eos ad aquas, & ibi probabo illos, & oſtendam tibi, qui fuerint apti ad bellum, qui verò reuerſuri ſunt. Cúmque populus ad aquas deſcendiſſet, iterum dixit Dominus ad Gedeon: qui lingua lamberint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Et inquit ſacer textus Iudicum ſeptimo, numero ſexto: Iudic.7.n.6. *Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proiiciente lamberant aquas, trecenti viri. Et ait Dominus ad Gedeon, in trecentis viris, qui lamberunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madiam.* Hinc non leue dubium reſurgit: cur Deus ad debellandos Madianitas iudicauit ineptos, qui ad vndas poſtrati ſitis extinxere anxietatem? Et quid in illis trecentis, qui manu ad os aquam admouebant, inſpexit, vt ad congreſſum tanquam aptiores eligeret? Origenes homilia nona, in Iudices ob id factum putat, quia priùs manuum miniſterio, quàm oris functione fuerunt vſi. Origenes. *Sed & quod dicit, eos manu, vel lingua aquam lambere, non abſque Sacramenti quadam ſignificantia hoc mihi videtur ſcriptum: ſcilicet, quod manu, & lingua operari debent milites Chriſti, hoc eſt opere, & verbo: quia qui docet, & facit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* Quod eſt dicere: illi, qui miniſtrante manu, velut in vaſe aquam ori propinabant, Doctorum, & Diuini Verbi præconum præſignabant officium, in quibus priùs operum efficacia, quàm oris exercitium ſplendebat. Meritò ergo iſti ad debellandos Madianitas, hoc eſt, peccatores, & peccata, eliguntur vt aptiores: In quo innuebantur idonei Euangelij miniſtri, qui antequam verba forment in gutture, quibus hoſtes deuincant, hoc eſt, vitia conterant, bonorum operum exemplo, & manuum adiutorio ſe præparant. Sic enim vincit Chriſtus, ſic etiam eius milites victoriam de inimicis reportant.

Ad ornatum Pontificis etiamſi in ordine quartum teneret locum ſuperhumerale, præponitur Ephod omnibus indumentis, imò & Rationali (quod teſte Hieronymo epiſtola ad Fabiolam primas ferebat) quia vt notauit Origenes homilia quarta in Leuiticum per Ephod opera, per Rationale ſapientiam: vt oſtenderetur, miniſtrum Dei priùs fulgere operibus debere, quàm doctrinæ ſplendoribus. Origen. *Non ante logion, & poſtea ſuperhumerale:* (inquit Adamantius,) *quia non antè ſapientia, quàm opera: ſed priùs opera haberi debent, & poſtea quærenda ſapientia eſt.* Hoc eſt, miniſter Euangelij pirùs ſe cingat virtutibus, & deinde doceat: ſicut Aaron priùs ſe cingebat Ephod, & deinceps Rationali ornabatur. 35. Hieron.

ILLATIO LXIX.

Incœptum opus ad conſummationem perducere, magnam Deo lætitiam, & iucunditatem affert.

INcipere curſum, & in medio ſiſtere, aut fragilitati, aut inconſtantiæ verteretur: perficere incœptum magnanimi eſt, & perſeuerantis animi. Solùm in malo non debet homo perſeuerare, & vix in alio habet conſtantiam. Sed proh dolor, ibi perſeuerat, vbi non deberet! Virtutis via in principio difficilis videtur, & aſpera. Sed, ô bone Deus, qui tuam ſemel deguſtauit dulcedinem, ſuauem, & tutam iudicat, & ſentit! Quot bonis ſe priuant, qui faciem retrò vertentes à bono opere deſiſtunt! Et quot lucra acquirunt, qui per virtutis tramitem inceſſanter incedunt? Imò etſi aliud lucrum non haberent niſi oblectamentum diuinæ bonitatis, eſſet inæſtimabile lucrum. Non Deo, qui bonorum noſtrorum minimè indiget, ſed nobis tot acquirimus bona: & tamen cum in bono conſtanter perſeueramus, Deo non paruam afferimus lætitiam. 36.

Geneſ. 2.n.2. ſic dicitur: *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Hæc vltima verba: *& requieuit die ſeptimo*, &c. Si primo aſpectu intelligantur, aliquam præſeferunt difficultatem. Nam quî fieri poteſt, vt Deus, qui abſque labore mundi opificium creauit, poſt conſummatam eius fabricam requiem ſumpſiſſe dicatur? Diuus Gaudentius tractatu decimo, difficultatem ſedauit, dicens: Gaudent. *Cautè loquitur ſcriptura diuina non abſolutè dicens, requieuiſſe Deum ab operibus ſuis, quæ cœperat Deus facere. Non omnipotentem, & imperio ſermonis cuncta facientem laboraſſe exiſtimes, cum requieuiſſe, & ceſſaſſe deſcribitur, cùm & alia voluntati ſuæ placita operari non deſinat: ſicut teſtatur in Euangelio Dominus* 37. Gen.2.n.2.

Ieſus

Iesus dicens : Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Sed adhuc nodus difficultatis solutionem expectat. Si in Deo labor non fuit, cùm mundi in lucem pulchram varietatem protulit; quomodo die septimo dicitur requieuisse ? Vbi defuit labor, frustrà ponitur requies : nam hæc illi succedit vt præmium. Ergo si Deus non laborauit, non est planum, requieuisse. Vtrique dubio occurrit Gaudentius dum sic prosequitur. *Requies igitur Dei non laboris remedium, sed captorum finis est operum; siquidem postquam perfecit mundum, opus suum regere non desistit.* Requieuit Deus die septimo, quia in illo incæptis operibus vltimam manum posuit; & quia post hoc, opus suum regere non desistit. Quod est dicere : Quia Deus in suis operibus constanter perseuerauit, vsque dum perfectionem haberet : ideo requieuisse dicitur, etiamsi non laborasset. Quasi vel ipse Deus ex sua perseuerantia in operando requiem, & lætitiam caperet : vel quasi diuina sit requies, & lætitia in operibus incessanter persistere.

38. Sacerdoti oblaturo arietem in holocaustum iussit Deus, offerre adipem, & caudam victimæ Exod. 29. num. 22. *Tolles adipem de ariete, & caudam.* Sic placitum erat coram Deo sacrificium. Diuus Gregorius lib. 1. Moral. c. 40. inquirit : cur Deus sic totum offerri iubet arietem, vt etiam caudam includat ? Cauda res parui momenti erat, vt illam omittere, vel offerre, parum interesset. At quid ergo Deus caudam requirit in sacrificiis ? Audi Gregorium. *Per Moysem caudam hostiæ in altari offerre præcipimur; vt videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseueranti fine compleamus.* Cauda arietis offerri iubebatur; quia per illam operis finis designabatur. Quod est dicere : Deo non placet opus imperfectum, sed consummatum; non incœptum, sed vsque ad finem perductum. Gregorio assentitur apertè S. Eligius tom. 2. Bibl. vet. Patr. homil. 11. *Præcepto legis,* inquit, *cauda hostiæ in sacrificio iubebatur offerri: in cauda quippe finis est corporis, & ille bene immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debitum perducit actionis.*

39. Pugnaturus Iosuè contra Amalech, Moyses, & Aaron cacumen montis ascendunt, vt pro pugnantibus preces effunderent : nec eos decepit fiducia, siquidem cùm Moyses in cœlum manus attollebat, victoriam reportabat Iosuë; sin autem brachia comprimeret, vincebat alienigenæ. *Cùmque leuaret Moyses* (inquit sacer textus Exod. 17. num. 11.) *manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalech.* Sed cur dum Moyses manus in cœlum leuabat, hostes superabat Israël; si autem eas paululùm contrahebat, vincebatur ab Amalech? Quid enim habet victoria cum eleuatione manuum Moysis; vt ex diuersa earum positione contrarij exitus prouenirent ? D. Cyprianus cap. 8. de exhortatione Martyrum affert solutionem his verbis : *Nec vincere aduersarium potuit, nisi postquam stabilis in signo alleuatis iugiter manibus perseuerauit.* Ac si diceret : cùm Aaron paululùm manus contrahebat, superabat Amalech, ex eo solùm quòd à manuum eleuatione desisteret, & illam orandi formam remitteret aliquantulùm, in quo leuitatis, & inconstantiæ aliquo modo notabatur. At cùm iugiter manus attollebat, vincebat Israël, quia tunc constanter in opere incœpto persistebat. Ecce causam, propter quam Deus Moysi sic oranti alacriter conferebat victoriam, complacens in eius perseuerantia : & ob quam etiam cùm Moyses formam illam religiosam orandi interrumpebat, expugnabantur Israëlitæ : quia vel per breuem temporis mutulam à bono opere cessare, maximè Deo displicet.

Exod. 17. n. 11. Cyprian.

Adsit huic themati Ezechielis currus, in quo post multa refert Propheta, quòd, *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Ezechielis primo, numero vigesimo, Diuus Hieronymus ad hunc locum per hunc spiritum, illum, qui à Patre, & Filio procedit, intelligit. Sed cur in rotis Spiritus sanctus sedem suæ Maiestatis constituit ? Quid Spiritus Dei, qui summa firmitas est cum inconstantia, & volubilitate rotæ ? Aut quid in rotis vidit, ob quod in eis suæ specialis præsentiæ solium statueret ? Videamus nunc quid de illis referat sacer textus, & exinde colligemus rationem. *Per quatuor partes earum ibant, & non reuertebantur, cùm ambularent.* Ibidem, numero decimo septimo. Per quod absque dubio iugis perseuerantia, qua rotæ voluebantur exprimitur. En ergo causam, ob quam Spiritus sanctus insidet rotis, & sua præsentia tot fauoribus cumulat, ostendens his, qui in bono iugiter perseuerant, summopere delectari.

40. Ezech. 1. n. 20. Ibid. n. 17.

In Christi genealogia gemelli fratres illi annumerantur Phares, & Zaram Matthæi primo, numero tertio : *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Caietanus ibidem peracutè notauit prudentiam Euangelistæ (vt ipse ait) in referendis Iudæ filiis, & in tacendo Esaü filio Isaac. De isto solùm refert Iacobum : *Isaac autem genuit Iacob* : Et tamen Esaü, & Iacob ambo gemelli fuerunt, sicut Phares, & Zaram. Cur ergo isti ambo referuntur, secus illi ? Subtiliter respondet perdoctus Cardinalis : *Ideo meminit non solùm Phares (qui sufficeret ad genealogiam) sed etiam Zaram eodem partu congeniti, vt intelligamus differentiam inter hos eodem partu genitos, & Iacob, ac Esaü vnico quoque partu genitos: quòd isti ambo in Dei populo permanserunt, illorum autem alter tantùm.* Iacob in populo Dei permansit; Esaü autem à populo segregatus Idumæorum fuit pater, alium constituens populum, & gentem moribus dissimilem, imò penitus oppositam Iacobeæ stirpi. Cùm ergo Esaü patrios mores relinqueret, & aberraret à Dei populo, absque dubio inconstantiæ laborabat vertigine. Zaram autem, tametsi ex eo Christus secundùm carnem non ducat originem; tamen in populo Dei permansit iugiter perseuerans. Meritò ergo tanto honore afficitur Zaram, & in Christi annumeratur genealogia; & absque iniuria excluditur Esaü, vt inde pateat quantùm Deus in bono perseuerantibus perfruatur; quot eis dona conferat, quod signum diuinæ lætitiæ est : & è contrà quam molestè ferat, & quantùm ei displiceat, alios à bono retrocedere.

41. Matt. 1. n. 3. Gaudent.

42. Duas ſuperhumeralis extremitates in vtroque latere ſummitatum coniungi, Deus iubebat: *Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant.* Sed bone Deus, cur orarum colligationis, & nexus tantam curam agis? Quid refert quod iſtæ extremitates colligantur, vel non? Bruno apud Tilmanum ad præfata verba ſic reſpondet: *Duas oras iunctas habebit. In qua re nihil aliud ſignificari, putamus: niſi vt tota vita noſtra ſic in bonis operibus continuetur, vt & principio finis concordet, & bonum quod cœpimus vſque in finem non relinquamus. Duæ namque oræ in vnum redeunt. Dum prima, & vltima vitæ noſtræ in boni perſeueratione conueniunt.* Hac in boni perſeuerantia fulgebat vita Sacerdotis: ſic Pontifex coram Deo erat ſpectabilis, ſic etiam diuinam alliciebat beneficentiam, vt bonis ſuæ largitatis populum ditaret. Tanta namque afficitur Deus alacritate in boni perſeuerantia, vt Sacerdos abſque illa proculdubio Deo eſſet moleſtus; cum illa maximè gratus.

Bruno.

ILLATIO LXX.

Nunquam à bonis operibus eſt ceſſandum.

43. FEruor in operando maximè iuuat ad operis perfectionem. Qui quotidie operatur, tandem indefeſſi laboris conſequitur præmium, & deſiderium ſuum adimplet. Non ſat eſt, rectè incipere; ſi à bono opere manum, & animum retrahas: ſic labora, ac ſi tunc inciperes; ſi magnos exinde deſideras profectus. Ob hoc cordatè ſatis Fauſtus Lirinenſis ſermone vnico dicebat: *Ille bene proficit, ille bene conſummat; qui quotidie ſic agit, quaſi ſemper incipiat.* Habeto feruorem incipientis, & nunquam otio laborabis ceſſantis: ſic operare, vt nunquam ceſſes ab operando.

Fauſt. Lerin.

44. Hanc continuam operandi anſam explicuit Deus, cùm terræ adhuc operationis experti clarè iuſſit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Geneſis primo, numero vndecimo. Non inutiliter quæretur: cur ſi terræ germinandi herbam, lignaque pomiferæ producendi præceptum imponitur, ſemen proferre etiam imperatur? Sat enim eſſet, herbâ viteſcere, floribus ornari, & lignis pomiferis eſſe conſitam, quibus primæua illa deformitas in admirabilem pulchritudinem commutaretur. Ad quid ergo ſemen in herbis, & in ſurculis exigitur? Si ſolius diuinæ vocis imperio terra quaſi natiuæ ruditatis oblita, graminis ornatur ſpe, ſurculorum, & fructuum gaudet profectu: cur ſupremus opifex de ferendo ſemine tantam agit curam? Si vt terra fructificet: fat erit vel nutus diuinæ voluntatis. Quare ergo & ſemina producere, & aſſeruare iubetur? Primò, vt terra diuino fauori germinandi non ingrata, aut ſegnis, cooperaretur ſtudioſa: erudiens nos, vt diuina bona, hoc eſt, vocationes, & auxilia non reſpuamus, ſed comitemur. Secundò ad noſtrum inſtitutum reſpondet Adamantius homilia prima in Geneſim, dicens: *Non ſolùm iubet terra, proferre herbam fœni, ſed & ſemen proferre, vt ſemper poſſit fructum afferre.* Vt terra non ſemel herbam, & fructus producat, ſed iterum, atque iterum, imò ſemper inceſſanter poſſit fructificare, in exordio de ſemine producendo intimatur præceptum, vt nunquam ab operando deſiſtat, ſemperque in producendo perſeueret ſtabilis.

Gen. 1. n. 11.

Origenes.

45. Per illam ſcalam, quam adhuc dormiens vidit Iacob Angeli aſcendebant, & deſcendebant. Geneſis vigeſimo octauo, numero duodecimo: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum. Angelos quoque Dei aſcendentes per eam.* Diuus Bernardus apud Tilmanum ad præfata verba Geneſis, acumine, & deuotione notauit, hos Angelos aſcendentes, & deſcendentes nunquam in ſcala ſediſſe, aut in ea ſiſtentes aſcenſionis, & deſcenſionis interrupiſſe exercitium. Multa, vt mihi videtur, ſatis vtilia ad id cogitandum conſiderauit Bernardus. Primum: quia dum per fragilem incedebant ſcalam, in cadendi periculo erant velut conſtituti: & qui in tanto erant conſtituti diſcrimine, ſi non cadunt, prope ſunt, vt cadant. *Non eſt, ſtare omnino inquit in pendulo fragilis ſcalæ.* Secundò reſpondet mellifluus Abbas: per hanc ſcalam mortalem vitam ſignificari, in qua omnia ſunt tenui pendentia filo. Quare ſtultum eſſet in varietate huius vitæ quærere firmitatem. *Neque in incerto mortalis vitæ quidquam in eodem ſtatu permanet. Non habemus hîc manentem ciuitatem, nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas. Si attendas, ſtare; ruas neceſſe eſt.* Tandem ad præſens inſtitutum reſpondet, per hos Angelos, Iuſtos, & Deo obſequentes deſignari. Cùm enim Dei mancipantur obſequio, nunquam ſiſtere, ſemper in aſcenſu, & deſcenſu verſari debent. Nam qui Deo incipit deſeruire, & non progreditur, regreditur abſque dubio. *Minimè quidem bonus*, inquit, *qui melior eſſe non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi deſinis eſſe bonus.* Quid illuſtrius? Expende.

Gen. 28. n. 12.

Bernard.

46. Ezechielis quadrageſimo ſexto, numero nono, dicitur: *Et cum intrabit populus terræ in conſpectu Domini in ſolemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro, qui ingreditur per viam portæ Meridianæ egrediatur per viam portæ Aquilonis: non reuertetur per viam portæ, per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.* Sed quæres: cur qui templum ingrediebatur, vt Deo vota perſolueret, aut ſolemnitates celebraret, peracto iam ſacrificio, aut ſolutis iam votis, per aliam portam egredi iuberetur? Sanctus Nilus libro Aſcetico myſterium exponens, ſic ait: *Lex verò, quæ præcipit, vt ingreſſus in templum, poſteaquam vota perſoluerit, per aliam portam egrediatur*

Ezech. 46. n. 9.

S. Nilus.

tur, quo rectum iter faciat, & non vertatur retro; quid aliud indicat, nisi continuam, & rectam ad virtutem ducentem viam non esse dubitationum diuerticulis interrumpendam. Nihil clariùs? Sed audi Diuum Hieronymum in
Hieron. præfata verba Ezechielis. *Et cùm intrabit populus*, &c. *Quod non solùm his præcipitur, qui egrediuntur de Sodomis, & dicitur eis: Ne respicias retrorsum: neque illis, qui manum mittunt ad aratrum, vt non respiciant ea, quæ post tergum sunt: sed in domo quoque Domini constitutis iubetur, ne post terga respiciant, & reuertantur ad egena, & infirma elementa, & incipientes spiritu, carne consummentur: sed vt de spiritualibus quoque ad maiora procedant.* Vide quanti momenti sit, in bono perseuerare; & semper bonorum operum incrementis supernorum thesauros immarcessibiles lucrifacere. Retro ne faciem conuertas, aut manum ne mittas ad aratrum, si in statuam salis, sicut vxori Loth infeliciter contigit, commutari non vis; aut ineptus, vt in Regno Dei Christo fruendi.

47. Miranda plurima Christus patrauerat, & salutis verba protulerat, vt nos ad æternam vitam reuocaret. His omnibus fœmina tunc
Luc.11.n.27. adstans, vocem extollens, dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Lucæ vndecimo, numero vigesimo septimo,
Ibid.n.28. cui statim Christus respondit: *Quin imo, beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Vbi notanter aduertit Caietanus, Christum per particulam illam, *quin imo*, non negare, verè dictum, beatum ventrem, & beata vbera sanctissimæ Mariæ; sed potioris beatitatis adiecit rationem, nempe, ex diuini Verbi auditu, & executione. Vtrumque in beata Virgine splenduit eximius; quia beata fuit, quà Mater, & quà audiens, & exequens diuinam vocem, & Legem. Quare prædictis verbis Christus potiùs extollit venerabilem Matrem, quàm deprimit.
Caiet. Audi Caietanum: *Itaque magis commendata est beata Virgo (in genere tamen) per hæc Filij verba, quàm fuerat in specie commendata per verba mulieris: quoniam verbis Iesu laudata est ex parte animæ, in verbis verò mulieris laudata est ex parte corporis.* Vt exinde intelligas, tanti Christum sanctissimam fecisse Matrem, vt cùm videatur (si verborum cortex consideretur) eam postponere, certum sit, eam extollere, & omnibus præponere. Ad rem tamen nostram, notat idem Cardinalis, Christum non eos efferre laudibus, qui audierunt, & custodierunt verbum Dei, sed eos, qui audiunt, & custodiunt. Nam qui audierunt, & custodierunt Verbum Dei, possunt nunc, nec audire, nec custodire; vel forsan non audiunt, nec custodiunt: at qui de facto audiunt, & custodiunt absque dubio pro tunc in bono perseuerant. Isti ergo digni sunt vtpotè perseuerantes, vt diuinis laudibus celebrentur. *In qua commendatione* (prosequitur Caietanus) *aduerte, quod non dicit, qui audierunt, sed qui audiunt, & custodiunt: vt intelligamus solos perseuerantes audiendo, & custodiendo esse Beatos.* Quasi parum esset Verbum Dei audiisse, & custodiisse, si in hoc lubenti animo non persistimus.

Hanc animi constantiam, & in bono stabile propositum commendat Deus, cùm ait in 48.
nostro textu: *Duas oras iunctas habebit*, &c. Quia teste Brunone: *Duæ namque oræ in vnum redeunt: dum prima, & vltima vitæ nostræ in boni perseuerationc conueniunt.* Hoc perseuerantiæ ornatu, & superhumerale speciosum, & Pontifex æstimabilis apparebat.

Illatio LXXI.

Humana felicitas imminentis aduersitatis est vaticinium.

QVanto ardore, quanta animi cupiditate 49.
temporalia appetimus: quis non videt? Quid non patiatur homo, vt diuitias acquirat, aut honores consequatur? Æquora tranat, & fragili ligno fidens, vsque ad orbis fines permeat, & abditissimas mundi plagas ductus cupiditate salutat, vt onustus diuitiis in patriam desideratam redeat. Sed proh dolor! Nobismetipsis nostrum mentitur desiderium. Nam cùm bonorum copia, honorum sublimitate, felicitatum lætitia omnes superare videmur: tunc in magno dispendio sumus: tunc discrimina imminent, & ipsa prosperitas vaticinatur aduersitatem. Ob hoc Tertullianus libro de anima, cap. 37. animam rationalem asserit spiritum, & negat accretionis esse capacem, quia decretionis iudicat expertem. *Cæterùm*, inquit, *animam substantiâ crescere, negandum est, ne etiam decrescere substantiâ dicatur, atque ita defectura credatur.* Ex augmento infert Septimius decretionem. Et meo iudicio, efficacissimum formauit argumentum. Nam ita se mutuò respiciunt incrementum, & diminutio, vt ex illo ista certissimè inferatur. Qui enim augeri potest, in diminutionis est via. Ergo qui crescit, parum à decretione distat. Cùm igitur anima respuat augmentum in sua substantiâ, decretionis prorsus est incapax. Hinc qui in alto sedet, videat, ne cadat. Nam altitudo, & casus; felicitas, & aduersitas se inseparabiliter comitantur, & mutuas alternant vicissitudines.
Tertull.

In sterquilinio sedebat patientissimus Iob, 50.
vestitus vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem capitis, nudus iacebat inter Orientales opulentissimus: sed patientiæ scuto tectus aduersarij iacula sustinendo frangebat. Non sic erat patiens eius vxor, siquidem eum ad maledicendum Deo prouocabat,
dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate* Iob.2.n.9.
tua? Benedic Deo, & morere. Iob secundo, numero nono: Hæc vltima per ironiam dicta, vt habet translatio ex Hebr. Sanctes Pagnin. & Vatabl. *Maledic Deo & morere:* Hebr.
& Septuaginta: *Dicito aliquod verbum in Dominum, & morere.* Cui fortis, & inuictus Septuag.
Athleta respondit ibidem: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de* Ibid.n.10.
manu Dei, mala quare non suscipiamus? Non satis firmum primo aspectu videtur Iobi argumentum: Nam ex bonorum susceptione

infert ſolamen ad ſuſtinendas ærumnas. Qui vitam degit felicem, diuitiarum opulentia ſuauem, honorum obſequiis celebratam: ſi alternante fortuna ſuccedat aduerſitas, maiori abſque dubio afficietur dolore orbatus felici illa poſſeſſione, quàm ſi nunquam ea poſſediſſet. Minùs enim infelix reputatur, qui ſemper infelix fuit, quàm qui aliquando felix aduerſitatis experitur rigorem. Ergo minùs bene inferebat Iob, cùm tot afficeretur miſeriis, tot mala ſuſtinenda fore, quia tot bona de manu Dei accepiſſet, cùm ſola memoria tantæ iacturæ, velut tortor crudelis inuictum animum torqueret. Cur ergo Iob vxori ſuæ reſpondet, patienter calamitates ſufferendas eſſe; quia filios, diuitias, & pretioſam ſuppellectilem de manu Dei recepiſſent?

Origenes. Origenes libro ſecundo in Iob pro ipſo reſpondet: *Si enim bona accipimus de manu Domini, mala autem quare non toleremus? Vbi enim fuerint lætitiæ, illic etiam tribulationis expectatio: vbi iucunditas, illic etiam miſeriæ ſperantur.* Tanta inter lætitiam, & tribulationem eſt connexio, vt ex illa velut ex præmiſſis certis, & euidentibus iſta conſequatur. Rectè ergo intulit Iob, miſerias fore ſuſtinendas, ſi iucunditates præceſſere. Quod eſt dicere: vbi adeſt proſperitas, non deeſt infelicitatis vaticinium: nam ſi felicitas præceſſit, quî fieri poterat, vt non ſequeretur aduerſitas? Ergo vel non recipiehda iucunditas, vel ſperanda triſtitia. Rectè ergo intulit Iob ex poſſeſſione felicitatis, laborum ſufferentiam.

§ 1. Philo Hebræus libro ſecundo allegoriarum notauit Iſaacum non caſu, & abſque myſterio duxiſſe vxorem nomine Rebeccam. Nam Iſaac *Riſus* interpretatur: Rebecca ſignificat, *Tolerantiam.* Rectè igitur riſui copulatur tribulationum patientia; vt intelligamus, lætitiam; & luctum; felicitatem, & miſeriam in eadem domo tanquam coniuges habitare. *Is eſt Iſaac* (inquit Philo) *qui riſus interpretatur, quem conuenit ludere cum tolerantia, Rebecca ab Hebræis nominata.*

Philo Hebr.

§ 2. Zachariæ in templo incenſum offerenti Domino filium promittit Gabriel adhuc in vtero Spiritu ſancto repletum, diuini Verbi præconem, & ante faciem eius præcedentem in virtute, & ſpiritu Eliæ, vt vias Domini præpararet. Angelicis verbis parum fidens Sacerdos, ſenectutem ſuam, & coniugis ſterilitatem oppoſuit. Cui reſpondit Angelus. *Ego ſum Gabriel, qui adſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare. Et Ecce eris tacens, & non poteris loqui, vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Lucæ 1. num. 19. & 20. *Et permanſit mutus.* Ibidem, num. 22. Notatu dignum eſt, Zachariam non mulctari oculorum orbitate, vel auditus, aut alius ſenſus, aut membri priuatione, ſed ſolum vſu linguæ, & permanſit mutus! Bone Deus! Si Ioannem Verbi æterni vocem Zachariæ promittis: cur pater vocis vocem amittit? Si ob incredulitatem punitur, careat prole, quam non credidit ſuſcepturus, non functione linguæ: vel ſi prolem eſt ſuſcepturus, annunciet lingua cordis felicitatem, ne ſilentio tanti filij diminuatur felicitas. Cur ergo mulctatur voce, cùm filium Chriſti vocem recipit? Forſan Zachariæ lingua internæ incredulitati, eam exprimens, aliquo modo deſeruierat (æquum enim fuit, vt quæ crimini cooperauerat, pœnæ particeps eſſet,) ſed ad rem reſpondet Chriſologus ſerm. 88. *Zacharias*, inquit, *dum poſtulata promeretur, incurrit, condemnatur, munera ipſa cùm ſuſcipit: qui vocem, cùm vocem percipit, tunc amittit.* Hæreo his vltimis verbis: *Condemnatur, munera ipſa cùm ſuſcipit: qui vocem, cùm vocem percipit, tunc amittit.* Si munera recipit, cur condemnatur? Et ſi vocem percipit, cur eam amittit? Quid eſt, ô Rauennas, Zachariam voce mulctari, tunc, in illo prorſus inſtanti, in quo percipit vocem? Aut ſi vocem accipit, quomodo in eodem tunc, vocem amittit? Habitus, & priuatio, docet Philoſophia, mutuò ſe excludunt. Quî fieri poteſt, vt in eodem tunc ſimul coexiſtant? Quia ſi Zachariaſ accipiens vocem Verbi Ioannem, nimis ſe exiſtimabat felicem; vocem propriam amittens ſe haberet miſerum, & cognoſceret, magnæ felicitatis miſeriam eſſe indiuiſum comitem: ſiquidem accipiens Ioannem diuini Verbi vocem, & multorum gaudium, propriæ vocis, & loquelæ priuationem tanquam aſſeclam recipiebat. Sic ſemper in altiori huius vitæ felicitate contingit, quæ via regalis eſt infelicitati.

Luc. 1. n. 19. & 20.

Chryſol.

Exodi 17. num. 1. ſic ſacer textus: *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Iſraël de deſerto Sin, permanſiones ſuas iuxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo.* Vbi Vulgata editio legit, *Manſiones*: Pagninus ex Hebræo vertit, *Profectiones.* Caietanus ibidem ait: *Parui refert, quod in Hebræo motiones ſignificantur.* Lectio ex Hebræo magnam mihi ingeſſit difficultatem, ſed multò maiorem Caietanus, cùm aſſerit, parui referre, *motiones* legere pro *manſionibus.* Et dum attentiùs conſidero, difficilior apparet. Manſio enim ſitum in loco, & quietem ſignificat: profectio, aut motio de loco ad locum denotat mutationem. Quomodo ergo, vbi ſacer textus poſuit, *manſiones*; legerunt Hebr. & Caietanus, *motiones*, aut *profectiones?* Hæc enim contraria videntur. Quis inter motum, & quietem, priuatiuam, aut contrariam oppoſitionem ignorat? Ergo multum intereſt inter, *manſiones*, aut *motiones.* Sed quàm ſubtiliter Caietanus, parui referre vtroque modo legere exiſtimauit. Proficiſcebatur populus à ſolitudine Sin in terram Chanaam lacte, & melle manantem, in qua profligatis hoſtibus, deliciis illius Soli erat fruiturus. Cùm ergo ille populus temporalem peteret felicitatem; parum refert pro, *manſiones*, ponere, *motiones*: vt exinde noſcamus, in hac vita quietem eſſe motum, manſiones profectiones, & quod firmius, & felicius apparet, hoc mobilius eſſe, & infelicius.

§ 2.

Exod. 17. n. 1.

Sanct. Pagn.

Caiet.

Nec omittendam iudico Diui Bernardi conſiderationem ſerm. 2. in Dominica Palmarum. Ibi mellifluus Doctor expendit, celeberrimum comitatum, & inauditam acclamationem, qua Chriſti regnum à ciuibus Hieroſolymitanis cele-

§ 3.

March. 21. n. 9. celebrabatur dicentibus: *Hozanna Filio Dauid: hozanna in altissimis.* Matth. 21. num. 9. Confert hunc triumphum cum tragœdia crucis, & Bernard. ait. *Ab eodem populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est.* Sed quid mirum? Celebritas illa regem acclamabat Christum, & prædicabat felicem. Ex illa ergo felicitate, & acclamatione securitas opprobriorum, & vicinitas inferebatur passionis. In illo triumpho vestibus via sternitur triumphatori, & virentibus ramis, vernantibusque floribus eius celebratur introitus: at omnia hæc ærumnarum, & tribulationum erant præsagium. Nam cùm primùm præcisos ramos considero, quid aliud præ oculis se offert, nisi expeditus truncus, vt ex eo crux efformetur? Quid sparsi flores promittunt, nisi coronam spineam, qua ignominiosè caput illud aureum redimiatur? Si vestibus via sternitur, vt gloriosè triumphet; suis exuetur, vt ponatur in cruce. O quam aptè idem Bernardus citatus! *Quàm dissimiles rami virentes, & crux; flores, & spinæ. Cui priùs sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea.* Quid est hoc? Non aliud, quàm exhortatio, vt mundi gloriam aspernamur, cui annexa est infamia, & improperium: fugiamus ab eius felicitatibus, quæ aduersitatum imminentium sunt certissimum vaticinium.

54. Duas superhumeralis oras Deus iubet coniungi in vtroque latere, vt in vnum redeant. Per has extremitates Interlinealis prospera intelligit, & aduersa. Ad quid ergo istæ duæ oræ coniungebantur? Vt exinde agnoscamus, felicitatem sic calamitatem inferre, vt non solùm velut comites associentur; sed ita comitari, vt quasi felicem esse, idem sit prorsus, ac ærumnis, & miseriis abundare.

ILLATIO LXXII.

Calamitas, & aduersa fortuna viam sternit felicitati.

55. PRæcedenti illatione contra felicitatem pugnauimus, vt nec in honore, nec in diuitiis, nec in aliquo creato habeamus fiduciam: nunc pro infelicitate pugnandum est, ne temere infelix desperet. Alternant enim res suas vices, & quos hodie in culmine maiestatis aspicimus, cras fortè infimo videbimus abiectionis: è conuerso etiam, quos nunc in puluere videmus sedentes, subitò conspicimus ad culmen gloriæ ascendisse. Quamobrem putabam ego; infelicem esse, qui semper extitit felix: nec ego solus; dixerat etiam Demetrius Cinicus: *Nihil infelicius*, inquit, *est eo, cui nihil in vita accidit aduersi.* Vnde felicior est, qui semper infelix fuit, quàm semper felix. Iste namque quantumuis felicitatibus fruatur; possidet eas cum anxietate, & timore amittendi: ille verò ærumnis, & laboribus assuetus infelicitates contemnit, felicitatis, & nouæ fortunæ spe recreatus. Ergo felicius patitur infelix aduersæ fortunæ seueritatem, quàm fruitur semper felix in sua prosperitate. Nam ille non timet, felicitates amittere, & earum possessionem expectat: iste quando eas possidet, est in maximo periculo eas amittendi. Quantò ergo iucundius est, sperare aliquod bonum, quàm eiusdem timere orbitatem: tanto felicior est, qui sperat illius possessionem, quàm qui illa gaudet cum tanto periculo. Ob hoc dicebat Ennodius satis cordatè: *Possessio* Ennodius. *est malignus propriæ felicitatis interpres.* Quia felicitas infelicitatis est vaticinium: sicut è contrà aduersa fortuna auspicium felicitatis. Vnde cùm Deus aliquem laboribus, & ærumnis afficit, intendit eas in felicitates permutare: & cùm bonum aliquod differt, est eo animo, vt præstantius concedat. Ergo erit felicitas infelicitatibus affici, & aliquo bono priuari, siquidem excellentius speratur, & per hoc via sternitur felicitati.

Mortuo Ioseph ita creuerunt filij Israël, vt 56. quasi germinantes replerent terram, vt refertur Exod. 1. num. 6. *Ioseph autem in Ægypto* Exod. 1. n. 6. *erat. Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione sua: filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleuerunt terram.* Hæc verba expendens Origenes homil. 1. in Exodum ait: *Do-* Origenes. *nec viueret Ioseph non refertur, quod multiplicati fuerint filij Israël, nec aliquid omnino in his de augmentis, & numerositate memoratur.* Acutè satis hoc notauit Origenes: sed videamus, cur dum Ioseph vlueret, numerositas, & potentia Israëliticæ gentis non refertur? Ni fallor; quia viuente Ioseph, & in Ægypto imperante feliciter, & tutò vitam agebant Hebræi: at eo mortuo tanto patrono orbati, miserè lateris, & luti seruituti mancipabantur. Quia igitur tunc delitiis affluebant, & imperantis germani fulgebant honore, simulque totius regni vrbanitatis obsequiis venerabantur; tacet sacer textus innumerabilem eorum multitudinem. At cùm fratris priuantur tutela, & lamentabilem, & miserrimam vitam degunt, crescit populus, & veluti germinans replet terram, & illa infelicitate numerositatis augmentum consequitur. Vide qualiter per aduersitatem via prosperitati aperitur: nam licèt viuente Ioseph populus augeretur, tamen non refertur eius augmentum, vsque dum in sinistras infelicitatis manus incidit.

Zachariæ incredulitatem vocis, & loquelæ 57. priuatione mulctauit Angelus, dicens: *Et* Lucæ 1. n. 20. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore.* Lucæ 1. num. 20. Post multos dies, iam in lucem edito Ioanne, cùm cognati, & vicini conuenirent, vt illi nomen imponerent, locutus est Zacharias, infantisque nomen explicuit, *Et re-* Ibid. n. 67. *pletus est Spiritu Sancto, prophetauit dicens. Benedictus Dominus Deus Israël*, &c. Eligius Nouiomensis homil. 2. miratur, Zachariam non solùm accipisse vocem, sed cum loquela etiam Prophetiæ donum. Zacharias vocem solam amisit: sat ergo erit ei, si vocem recuperet. Cur ergo Deus cum voce etiam Prophetiæ elargitur spiritum, & Zachariam replet Spiritu Sancto? Quia muti infelicitatem patiebatur (quæ maior posset esse infelicitas, quàm filium

habere Ioannem, & in corde reconditam esse hanc felicitatem absque eo quòd eam manifestaret?) Igitur quia Zacharias afflictus erat illa infelicitate, tot felicitatibus viam aperuit.

Eligius. *Zacharias Sacerdos* (inquit Eligius) *pater eius, olim mutus etiam cum loquela Prophetiæ gratiam accipit.* Defectu vocis miser videbatur Zacharias, (erat sanè) quia vel ineptus, vel fastidiosus omnibus est mutus. Attamen ipse patienter pœnam sustinens, qui dubius illam incurrerat, ab ea absolui non dubitabat. Quid inde? Muti infelicitate non solùm vocem, sed donum consequitur prophetandi. Hinc docemur, patienter aduersitates, & labores sustinere: si enim eos patienter toleramus, non solùm leuamen eorum, verùm per eos superabundantem vberratem felicitatum consequemur.

58. Hanc rerum vicissitudinem eleganter Veronensis Zeno sermon. de resurrectione nobis exemplo solis morientis, & renascentis depinxit.

Zeno Veron. *Sol*, inquit, *quotidie nascitur: eadémque die, qua nascitur, moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, suos vt repigret cursus: vt horas, ac momenta producat: vt saltem paulò diutiùs diei sui demoretur in vita, sed fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis cognatæ contendit, sciens in ipso se habere, quod viuit. Denique adimitur ei ortus, si ei aufertur occasus.* Celer ille motus, quo sol ab Oriente tendit in Occasum, quid est, nisi nouorum anxietudo radiorum? Non terretur tenebris, cum vergit ad occasum, sciens in ipso noctis feretro habere, quod viuat. Sed quî fieri potest, vt sol velut sepultus in tenebris noctis suo interitu nouam acquirat lucem? Quia si sol non occideret, nec denuo posset oriri: *Adimitur ei ortus, si ei aufertur Occasus.* Quasi ex noctis iniuria splendidiores acquirat radios. Idem expresserat Tertullianus lib. de resurrect. c. 12.

Tertull. qui postquam elegantissimè Occasum solis, eiusque orientem descripsisset, sic scribit: *Mira ratio: de fraudatrice seruatrix: vt reddat intercipit: vt custodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem vberiora, & cultiora restituit, quam exterminauit. Reuera fœnore interitu, & iniuria vsura, & lucro damno, semel dixerim, vniuersa conditio recidiua est.* Et statim. *Omnia in statum redeunt, cùm absceſſerint: omnia incipiunt, cùm desierint.* Ex iniuria noctis dies renascitur, & ex brumali rigore vernalis oritur pulchritudo. Quid est hoc? Quod omnia in statum redeunt, cùm absceſſerint. Natura vt reddat, intercipit; perdit, vt custodiat; vitiat, vt integret. Vsura est iniuria, & damnum lucrum. In his docet natura ex miseria felicitatem, pulchritudinem ex deformitate, & integritatem ex iactura cum lucro prouenire.

59. Felix illa peccatrix, & altera Maria vespere Sabbathi venerant videre sepulchrum.

Matth. 28. n. 1. Matthæi 28. num. 1. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Apud

Marc. 16. n. 2. Marcum 16. num. 2. legimus: *Cùm transisset Sabbatum... Valde manè orto iam sole* Lucas 24.

Lucæ 24. num. 1. num. 1. asserit, hoc euenisse, *Valde diluculo.* Ioannes tandem testificatur, venisse mane, *Cùm adhuc tenebræ essent.* Hæc si primo aspectu inspiciantur, dissidere videntur: imo & Matthæus sibi repugnare. Nam cùm prius dixisset, mulieres vespere Sabbathi venisse ad sepulchrum, statim addit, *quæ lucescit in prima Sabbathi*, indicans matutinum fuisse tempus. Ob hæc & alia, quæ adducit Maldonatus ad caput 28. Matth. hic locus difficillimus est apud omnes. Qui plura, & Euangelistarum concordiam desideret, adeat Maldonatum, ex quo ad litteræ intelligentiam multa, & vtilia discet. Ad nostrum institutum respondet Petrus Rauennas sermon. 74. satis profundè his verbis: *Vespera mater noctis parturit diem, radiat de nouitate mysterium, anhelat creatori suo seruire, non tempori.* Quid ais, vox aurea? Si vespera obscuritatis est mater, quomodo potest diem parturire, qui iubaris alitur radiis? Vesper diem terminat, non inchoat; tenebrescit vesper, non lucescit, nec in auroram vertitur, quia lucis ignorat ortum. Quî ergo vespera diei extitit mater? Fateor vesperam vmbrarum & caliginis esse matrem: sed haud nego diei quoque & lucis genitricem. Lux enim diurna ex noctis iniuria nascitur. Ergo rectè Chrysologus vesperam noctis matrem, diem affirmat parturire. Quia diei pulchritudo noctis deformitati succedit. Igitur perbellè Matthæus, mulieres illas vespere ad monumentum venisse, cùm iam dies lucescit, narrat: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi*: Marcus, *valde manè, orto iam sole*: Lucas, *Valde diluculo*: & Ioannes, *cùm adhuc tenebræ essent*: quî si vespere mulieres ad monumentum venerunt: cùm vespera mater noctis diem perturiat, ferè idem est, vespere venisse, quàm cùm dies lucescit, aut cùm sol suis radiis fulgentissimis montes inaurat, valles fœcundat, ac rebus restituit colorem, & pulchritudinem. Nam sic ex aduersitate oriri solet felicitas, vt infelix, eo quòd talis sit, in magnam prosperitatis spem ingredi non dubitet, imo ferè eam possidere iudicet. Argumento sunt contrariæ noctis, & diei alternantes vicissitudines; hyemis, & æstatis indefectibiles successiones; arida arborum nuditas, & earum opacitas nemorosa. Sic sic variant euentus; sic mutuò aduersitas, & felicitas alternant. Meritò ergo in Pontificis Ephod duæ oræ connectebantur, ita vt in vnam rediret; Quia (vt docet Interlinealis ad hunc locum) per oram dexteram prospera, per sinistram aduersa significantur. In quo docemur, nec prosperis superbire, nec aduersis desperare; sed volubilem illorum vereri mutationem, & istorum sperare felicem aduentum.

Ioan. 20.

Chrysolog.

ILLATIO LXXIII.

Commendatur concordia inter diuini altaris ministros.

60. DEsiderabilis est concordia: nam teste Salutrio, *Concordiâ paruæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Amens est, qui eam non amat, qui non quærit, qui non solicitat. Omnibus est salubris, sicut discordia pestifera.

Salutrius.

Ergo

Ergo qui primi sunt in republica totis viribus contendere debent, vt omnes cordiali se inuicem charitate vinciantur: licèt hoc præcipue primatibus Ecclesiasticis, sacerdotibus, & diuinæ altari seruientibus incumbere non est dubium. Sic enim oblationes, & sacrificia, laudes & cantica Deo placent, cui summopere displicent, si discordibus animis, & abiecta vnitate offerantur. Quam scitè Dauid Ps. 147. num. 1. ad diuinas laudes concinendas inuitabat Hierusalem, & Sion, dicens: *Lauda Hierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.* Et rationem adducit: *Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem*, &c. Si ergo Hierusalem (quæ ciuitas pacis interpretatur) ciues suos habet concordes, & in eius finibus Deus posuit pacem; meritò ad Dei laudes decantandas inuitatur. Quia diuinæ laudes, & Psalmodia ab illis, vt par est, solùm decantantur, qui colligantur vinculis concordiæ, & charitatis.

Psal.147.n.1.

61. Ioan.14. num.27. Cùm iam Christus Dominus proximam intueretur mortem, hoc legatum suis discipulis legauit: *Pacem meam relinquo vobis: pacem meam do vobis.* Bone Deus! An solis discipulis pacem relinquis, qui pro omnibus crucem subire dignatus es? An innumerabilem fidelium multitudinem, quæ post eos te secutura est, & crucem tuam baiulabit, excludis à pace? Minimè. Sed quia discipuli sacerdotali oleo erant insigniti, eis pacem relinquit; non quia cæteros excludat, sed vt doceat, altaris ministros præcipuè in pacis vnitate perseuerare debere, vt suo muneri satisfaciant. Pulchrè D. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ: *Hanc nobis hæreditatem Christus dedit: dona omnia suæ pollicitationis, & præmia in pacis conseruatione promisit.* Quasi diceret: sicut prouidus filius paternam conseruat hæreditatem; sic sacerdotes, & Dei altaris ministri pacem debent, conseruare. Est enim pax hæreditas sacerdotum, semper seruanda, dissipanda nunquam.

Ioan.14. n.27.

Cyprian.

62. Cherubinos illos, qui vtrumque latus propitiatorij tegebant, voluit Deus tali arte disponi, vt alas expandentes, & operientes propitiatorium mutuo se respicerent. Exod. 25. n.19.& 20. *Cherubinus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* Isaias cap. 37. num.16. sic Deum alloquitur: *Domine exercitum Deus Israël, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Hìc alludit Propheta ad Cherubinos propitiatorij, super quos Deus solium suum præparauerat. Sed cur Deus in Cherubinis maiestatis suæ thronum constituit? Ni fallor eorum concordia id fecit. Alæ enim vnius, alis alterius, qui è fronte erat, coniungebantur, & sic totum operiebant propitiatorium. Sic Abulensis explicat quæst. 20. in cap. 25. Exodi. Præterea isti Cherubim mutuò se respiciebant. Nam vbi Vulgata ait: *Respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* Pagninus ex Hebræo legit: *Et facies eorum erit altera contra alteram ad propitiatorium erit facies Cherubim.* Et Septuag. *Et facies eorum ad se inuicem, in propitiatorium erunt vultus eorum.* Per hanc positionem Cherubinorum mutuò se respicientium, amor mutuus denotabatur. Nam qui alicui negat vultum, ex eo est, quia cor eius distat ab eo teste Chrysostomo homil. 66. in Ioannem: *Quos odio habemus*, inquit, *nec vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur.* Igitur, ideo Deus Cherubinorum solio insidet: quia amicabili alarum coniunctione, & oculorum mutuo respectu amoris vinculum denotabant. Nec id tacuit Augustinus quæst. 105. in Exodum loquens de Cherubinis: *Ideo*, inquit, *duo sunt, vt societatem charitatis commendent. Ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo, non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant virtutibus, quibus præstant.* Isti Cherubim inuicem se attendunt, quia consonant inter se; mutuò se respiciunt, quia mutuo se prosequuntur amore: nec ab eo impediuntur, ex eo quòd ad propitiatorium sint intenti: imo propitiatorio inseruiunt, quia alarum concordia, & oculorum consonantia charitatis commendant societatem. At, qui sunt isti Cherubini? Non incongruè per eos, sacerdotes, & altaris ministros intelligemus, qui Cherubinorum sapientiam imitantes, doctrina, & exemplo doceant. Hi propitiatorio Dei assistunt; & verbis consecrationis sub accidentibus panis, & vini Deum Sacramentaliter, velut sub alis, recondunt. Quomodo ergo Deus inter sacerdotes deliciabitur? Certè, si Cherubinorum exemplo mutuò se respiciant, & charitatis alis amicabiliter coniuncti reciprocam habeant dilectionem, & mira animorum concordia rixas, & scissuras detestentur.

Exod.25. n.19.& 20.

Isaiæ 37. n.16.

Abulens.

Pagninus.

Septuaginta.

Chrysost.

Augustin.

63. Obtulit Caïn de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit munera, sed de primogenitis gregis sui, & adipibus eorum. Attende differentiam. *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Genes. 4. num. 4. Paraphrasis Chaldaica legit: *Et suscepit Dominus cum beneplacito Abel, & munus eius. Caïn autem, & munus eius non suscepit cum beneplacito.* Hoc Dei beneplacitum erga Abelem, & munus eius explicuit lectio Theodotionis, his verbis: *Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius. Super Caïn verò, & super sacrificium eius non inflammauit.* Approbauit Deus hostiam Abelis flamma de cœlo demissa, sicut legimus in sacra pagina alia sacrificia fuisse hoc signo approbata. Nam Eliæ hostiæ igne cœlesti præferuntur sacrificiis mystarum Baalis. 3. Reg. 18. Gedeonis. Iudic. 6. Manue Iudic. 13. Dauidis. 1. Paralip. 21. Salomonis. 2. Paralip. 7. Mehemiæ. 2. Machab. 1. Moysis, & Aaronis Leuit. 9. Vel vt alij volunt, Deus Abelis approbauit sacrificium, directo in cœlum fumo, aut fœcunditate suarum ouium; sicut Caïni hostiam reprobauit sterilitate frugum. Si tamen causam, ob quam Deus placido aspectu, & sereno vultu Abelis respexit sacrificium, secus autem Caïni, inquiras? Multæ se offerunt rationes non contemnendæ. Prima: quia Caïn obtulit munera, & non se, in

Gen.4.n.4.

Paraph. Chaldaica.

Theodotio.

quo

quo ſceleſtus fuit, negans ſe omnia donanti. Non enim noſtra ſine nobis quærit Deus, qui licèt nobis non indigeat, ſi nos Dei non ſumus, nec ipſe Deus noſter erit. Sine affectu dona mortua ſunt: nam donorum anima in donantis animo conſiſtit. Abelis victima animata fuit; cum affectu obtulit, & ſe potiùs quàm ſua. Argumento eſt, quòd Abel de primogenitis ſuis, quæ animantia ſunt: Caïn verò de fructibus terræ, qui mortui ſunt, & ſine ſenſu. Secunda ratio eſt: quia Caïn ſine delectu obtulit, non meliora, non primitias fructuum; priùs inuidus Deo quàm fratri fuit: at victima Abelis eximia, ſelecta. Diſplicuit meritò Deo victima Caïn, quæ nec ipſi placuit offerenti. Aliam ad noſtrum inſtitutum adducit rationem Chromatius Aquileienſis in cap. 5. Matthæi. Reiecit igitur Deus victimam Caïn, & Abelis hoſtiam approbauit: *Quia Abel pura, ac ſimplici mente munera Domino offerebat? Caïn verò iram aduersùs fratrem tenebat in corde. Quapropter ſi volumus muneribus noſtris Deo placere, excludere iracundiam de corde debemus, interficere malitiam contra fratrem ſuſceptam, tenere verò pacem fraternam, ſeruare charitatem, diligere vnanimitatem, cuſtodire concordiam, vt placare Dominum mereamur.* Abel pacificus, & concordiam amans offerebat ſacrificia: Caïn inuidus omnia peruertens, zizania, rixas, & ſeditiones amabat. Ambo victimas offerebant, & præfigurabant in altari miniſtrantes. Acceptat ergo Deus Abelis hoſtiam, & Caïni reiecit, quia ille pacificus, iſte ſeditioſus, & pacis inimicus erat. Hinc diſcere poſſunt altaris miniſtri, ſi ſuperno numini placere deſiderant, non ſeruare iracundiam, non pacem interrumpere, ſed ſummam ſeruare concordiam.

Chromatius Aquileien.

64. Ob hoc iubebat Deus Moyſi Exod. 20. num. 25. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo polluetur.* Sed cur Deus cùm permittit altare lapideum, prohibet de ſectis lapidibus fabricari? Et cur pollui putabitur, ſi cultrum, aut gladium (vt legit Paraphraſis Chaldaïca) ſuper illud leuaretur. Occurrit Gloſſa interlinealis ibidem per lapides diuiſos ſchiſmata, & diuiſiones intelligens: *Id eſt*, inquit, *non per hæreſim, & ſchiſmata Deum coles.* Per eleuationem cultri, vel gladij etiamſi ſacrificandi actio denotetur, poſſumus etiam intelligere ſeditiones, & diſcordes. Pollui ergo altare, minatur Deus, cùm altare eſt diuiſum, hoc eſt, cùm eius miniſtri, & ſacerdotes vinculum fraternitatis rumpentes inter ſe ſunt diuiſi.

Exod. 20. n. 25.

Gloſſ. Interl.

65. Chriſto iam crucifixo, milites veſtimenta eius in quatuor partes diuiſerunt: de tunica verò inconſutili ſic refert Ioannes c. 19. n. 24. *Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem. Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit*, &c. Aliæ Domini veſtes ſciſſæ fuerunt à militibus: tunica verò inconſutilis non fuit ſciſſa, ſed ſortita. Sed quænam fuerit hæc tunica non ſatis conſtat. Maldonatus in cap. 27. Matthæi num. 36. coniectura aliqua ductus, putat verò ſimile, tunicam fuiſſe eam, quæ poſt interulam (ſi ea tamen Chriſtus vtebatur) corpori ſacratiſſimo proximè adhærebat: cæteras veſtes arbitratur, & ſuperiorem togam, cuius loco purpura Chriſtum milites induerant Matthæi. 27. num. 28. & caligas cæteraque indumenta, quibus tenues etiam homines vti ſolebant. Euthymius ad hunc locum Matthæi vetuſtiorem opinionem refert, & approbat, aſſerentem tunicam illam inconſutilem à matre Virgine Chriſto adhuc puero factam fuiſſe, ſortitamque, & non diuiſam, quia beatiſſimæ Virginis erat pignus. Non diſſentior. Nam beata Virgo etiam ſceleſtis venerationi eſt. Audi tamen aliam rationem à B. Cypriano adductam tract. de vnitate Eccleſiæ: *Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur; quando in Euangelio tunica Domini Ieſu Chriſti non diuiditur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam potius indueret, integra veſtis accipitur, & incorrupta, atque indiuidua tunica poſſidetur.* Sed adhuc examinandum ſupereſt, cur Chriſtus paſſus eſt, cæteras partiri veſtes, non tamen permiſit tunicæ inconſutilis ſciſſionem? Profectò, vt ſacerdotes moneret ad concordiæ vinculum ſeruandum. Tunica illa inconſutilis ſacratior erat, quia proximior ſacratiſſimo corpori Chriſti adhærebat, demonſtrabat ſacerdotum ornatum, & dignitatem: reliquæ veſtes ſæcularium conuentum ſignificabant, qui licèt ad Chriſtum tanquam ad caput fidelium pertineat, non tamen illa excellentia, qua ſacerdotes, quibus Chriſtus interiùs induitur. Docens ergo quanta animi concordia eius miniſtri teneantur ſe diligere, non permittit in tunica, quæ ſacerdotes repræſentat, ſciſſuram, cum in cæteris veſtibus, quæ laïcos denotant, permittit: vt exinde ſciant ſacerdotes, quod tametſi inter laïcos ſciſſuræ ſint, & rixæ, inter ipſos ſumma debet eſſe pacis tranquillitas. Perbellè Cyprianus proſequitur. *Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit, & diuidit Eccleſiam Chriſti.* Dedecet ergo ſacerdotum dignitatem rixarum, & contentionum tumultus. Nefas eſt his qui Chriſti ornantur indumentis ſeminarium eſſe ſeditionum. Indignè ſacerdotij fungitur dignitate, qui ſchiſmatum faces incendit. E contrà verò, qui pacem ſeminat, qui omnia reuocat ad concordiam, dignus eſt qui veſtes Chriſti induat, & altaris ſacri exerceat functiones.

Euthymius.

Cyprian.

Ioan. 19. n. 24.

Maldonat.

66. In ſuperhumerali Pontificis duæ oræ ita coniungebantur, vt in vnum redirent. Ad quid ergo tanta connexio, & vnitas? Gloſſa interlin. ibidem. *Vt concorditer Deo ſeruiant.* Vbi abſque dubio animorum vnitas, quam ſacerdotes inter ſe ſeruare debent, commendatur. Væ illis, qui vincula charitatis rumpentes, Eccleſiam lacerant ſeditionibus! Quàm indignè cruentis manibus incruentum offerunt ſacrificium! ſibi enim ſunt offenſi, cùm reliquis diſcordiæ intendunt offendicula.

ILLATIO LXXIV.

Miranda res, cum aliquis in faſtigio dignitatis conſtitutus, abiectæ recordatur originis.

67. TVmeſcit animus, cùm quis de abiectis principiis euehitur ad faſtigium dignitatis. Hæc non magnanimi, ſed inſolentis eſt conditio: nam generoſo animo præditus ex culmine ſedis affabilitatem ediſcit. Quàm ornatè S. Zeno Veronenſis ſerm. de patientia, nobilem Ioſephi ingenuitatem probat his verbis. *Patiens Ioſeph inuenitur, è paſcuo cum à fratribus rapitur: patiens cùm in puteum demittitur; patiens dura cùm haſta diſtrahitur: patiens in carcere: in regno patientior: patientiſſimus deſideratos cùm fratres agnoſceret.* Expende, quæ ſequuntur. *Et vbi iactantia ſe non poteſt continere, poſitus in honore continuit.* Quaſi maioris eſſet virtutis, à felicitate imperij non vinci, & in honore poſitus contineri; quàm tot aduerſa viriliter toleraſſe. Iure miratur Veronenſis antiſtes, & tanquam miraculum nobis proponit Ioſephum ad excelſam dignitatis ſedem elatum ex miſera abiecti hominis ſeruitute. Nam miranda res eſt, ſi aliquis ad altiſſimum honoris gradum euectus conditionis abiectæ repetat memoriam.

Zeno Veron.

68. Fratribus cum Benjamin redeuntibus in Ægyptum, poſt conuiuium lautum, & tritici liberalem diſpenſationem, poſtque illam ſcyphi argentei fictionem, non valens ſe iam vltrà continere, dixit illis Ioſeph: *Ego ſum, ait, Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.* Geneſ. 45. num. 4. Ad quid Ioſeph addidit; *quem vendidiſtis in Ægytum*; cùm ſat eſſet dicere, *ego ſum Ioſeph frater veſter?* Non vt timorem incuteret eis, ſiquidem ſtatim ait; *nolite timere*, &c. Quare ergo venditionem reuocat in memoriam? Profectò, vt animi oſtenderet celſitudinem abiectæ ſeruitutis mentionem facit, cùm in excelſo Archipræſulis Ægypti ſederet ſolio. Cum honoris, & principatus iactantia certamen inibat Ioſeph. Ex vna acie pugnabat dignitatis ſublimitas; ex alia magnanimitas præſulis. Et cùm acriter decertarent; virtus Ioſeph victoriam reportauit ſuperatâ iactantiâ: *Et vbi iactantia ſe non poteſt continere, poſitus in honore continuit*: ſeruitutem vilem reuocans in memoriam, cum gloria præſulis decoratur. O virum verè mirandum, quem ſecunda fortuna arrogantiæ fluctibus agitare non potuit!

Gen. 45. n. 4.

69. Conam Pharaone proiecit Aaron virgam, quæ ſtatim in ſerpentem verſa eſt. Exod. 7. num. 10. *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Tranſlatio ex Hebræo Pagnini legit: *Proiecit Aaron virgam.* Communiter per hanc virgam Pontificis baculus paſtoralis intelligitur; vel aliqua dignitas eximia, aut poteſtas iudiciaria deſignatur. Sed cur Aaron, cùm ſtupendum illud patrauit miraculum, virgam proiecit, & non tenuit in manu? Quia Aaron virgam in manu tenens ambitioſum præſulem deſignabat dignitate tumentem, & de principatu ſollicitum: at Aaron virgam in terram proiiciens præpoſitum modeſtum, de ſe humiliter ſentientem, & habentem præ oculis ſua incunabula, denotabat. Sic Stephanus Cantuarienſis apud Tilmanum. *Nam virgam in terram proiicere eſt poteſtatem iudiciariam ad terram deflectere.* Hoc eſt, virgam in terram proiicere, eſt eam ad terram mittere, vt cognoſcat ab illa duxiſſe originem, quando imperium, & poteſtatem repræſentat. Quid ergo mirum, ſi Aaron, virgam proiiciens, miraculum patrauit, quod non patraret, eam in manu tenens? Quia illic ambitioſi præſulis imago de culmine dignitatis gloriabatur: hîc non ſuperbiens, ſed abiecti principij non oblitus erat. Miraculum fuit, virgam in colubrum mutari: at hæc mirabilis conuerſio ex alio maiori pendebat prodigio, nempe ex proprij principij, & terrenæ originis memoria. Ita ratò, & prætet communem vſum homines, dum celſitudine gaudent, ſua recognoſcunt incunabula; vt ſi aliquis tempora præterita, & originis abiectæ principium in memoriam reuocet, cùm principatu, aut dignitate fruitur, miraculum poſſit acclamari.

Exod. 7. n. 10.

Pagninus.

Steph. Cant.

Ægrotanti Ezechiæ annunciauit Iſaias mortem imminentem: contriſtatus eſt rex, & vultum ad parietem conuertens orauit Dominum confidenter, & fleuit fletu magno. Cúmque iam egrederetur Iſaias mediam partem atrij, Dei iuſſu iterum ingreditur ad regem, & annunciauit poſt tertiam lucem lætum aſcenſurum in templum, & vitam habiturum quindecim annorum ſpatio. Lætatur rex, ſed vitæ anxius, & propriæ felicitatis dubius, ſignum exigit à Propheta, quo de vita poſſit eſſe ſecurus. Cui ſic reſpondet Iſaias: *Vis, vt aſcendat vmbra decem lineis: an vt reuertatur totidem gradibus?* 4. Reg. 20. num. 9. Et dixit Ezechias: *Facile eſt, vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo, vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. Inuocauitque Iſaias Prophetà Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam aſcenderat in horologio Achaz retrorſum decem gradibus.* Noluit Ezechias, vt in ſolario (de hoc horologio D. Hieronymus ad cap. 39. Iſaiæ præfata verba intelligit) linea illa, quæ horam deſignabat, decem gradibus curreret verſus Occaſum. Hoc haud difficile putauit rex: nam ſine miraculo homo vel ipſum ſolem facilè obtenebrabit. Dignum tamen admiratione eſt, poſtulaſſe Ezechiam, vmbram illam horologij decem gradibus verſus Orientem retrocedere: quia hoc erat maius prodigium. Sic in Gloſſa Ordinaria, & apud Eucherium legimus ad hunc locum. *Quod rex maluit, quia maioris poterat eſſe miraculi, ſi ſol contrarium ſuo mori curſum ageret, quàm ſi conſueto proceſſu incedens, tametſi ſuper terras elatus ad Orientem quaſi ſecundi diei mane nulla interueniente nocte facturus aduolaret.* Sed neſcio, an bene peteret Ezechias. Nam ſi maius deſiderabat prodigium, id non fuit conſecutus in vmbræ retroceſſu. Quia ſicut eſt contra ſolis regulariſſimum motum, gradum reuocare; ſic & illum præter conſuetum ordinem agere feſtinanter. In ſole enim nihil eſt nouum abſque miraculo. Sine ſiſtat in medio curſus,

70.

4. Reg. 20. n. 9.

Hieron.

Gloſſa Ord. Eucherius.

curſus, vt Ioſuë 10. n. 13. refertur: ſiue regrediatur, vt hîc; ſiue curſum acceleret, miraculoſa res eſt, quia & raro & præter præſcriptum regulariſſimi motus ordinem. In quo igitur maius miraculum agnouit Ezechias, ſi Sol decem repedaſſet lineas, quàm ſi eaſdem versùs Occaſum celeri motu curreret? Profectò; quia cùm ſol tunc ferè tangeret punctum Meridianum (erat enim hora decima ſecundùm Dioniſ. Areopag. in epiſt. ad Polycarpum ante medium, & refertur à Lyra ad hunc locum) & fulgentiſſimis micaret radiis, ſimulque lucis, & diei teneret imperium; tunc ad Orientem repedare, velut natiuitatis ſuæ recognoſcens originem; proculdubio maximum eſt omnium miraculorum, quæ fieri poſſent in ſole. Miranda res fuit, quando ſol imperio Ioſue ſtetit in medio cœli: Mirandum etiam eſſet, celerrimo curſu natiui ſui motus regularitatem oblitus decem percurrere horas: ſed multò mirabilius, eaſdem reuocare. Quia hoc regreſſu velut oculos reuertebat ad Orientem, vbi inter Auroræ brachia aduerſantibus tenebris non ita lucens ortus fuerat. Ecce maius miraculum: recognoſcere ſuæ natiuitatis principium.

Dion. Areop.

71. Præmiſſis ſignis terribilibus Chriſtus Dominus vniuerſaliter vniuerſos iudicaturus eſt homines: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.* Lucæ 21. num. 27. Cæſarius Arelat. hom. 27. hoc excitauit dubium, dicens? *Quòd ſi quæras quomodo veniet?* Reſpondet ipſe: *In illo vtique corpore, quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtra abſolutione natum, & pro noſtrorum vulnerum medicina lancea, clauiſque confixum eſt. Tantò grauiora erunt humana delicta; quantò maiora ſe oſtenderint diuina beneficia ... Illa vtique clauorum ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia, quæ vſque in diem iudicij non delentur.* Ob terrorem malorum, qui tot beneficia temere contempſerunt: & ob bonorum ſalutem, qui diuinæ largitati non ingrati auxilia Dei non reſpuerunt, putat Cæſarius, Chriſtum cum clauorum, & lanceæ vulneribus ad tremendum illud tribunal deſcenſurum. Sed ad rem præſentem alia mihi ſe offert non contemnenda ratio. Puto igitur cum ſtigmatibus venturum, quia cùm Lucas, tunc eum cum poteſtate, & maieſtate nobis proponat in ſolio nubis ſedentem; vulnera vſque in illum diem ſeruauit, vt in ſtatu impaſſibili paſſibilitatis iniurias oſtendat non dedignari. Quid mirum, ſi Chriſtus reuocet in memoriam cùm in gloria reſidet immortalis, angelorumque magno comitatu iudicaturus deſcendit, mortalitatis præteritæ conditionem? Erat enim ſimul Deus, & homo. At purus homo ita rarò aut ferè nunquam abiectionis antecedentis recordatur, vt ſi aliquando eius memoriam excitet, cùm ſedet in culmine maieſtatis prodigium admirabile exiſtimetur.

Lucæ 21. n. 27.

Cæſar Arel.

72. Duæ oræ ſuperhumeralis, quæ ante, & retro pendebant, in vtroque latere ſacerdotis iungebantur: *Vt principio finis concordet*, inquit Bruno apud Tilmanum ad hæc verba Exodi. Quod eſt dicere. Quando Pontifex, præſul, aut conſul in culmine dignitatis ſedet, iungat partem anteriorem, hoc eſt, ſplendorem dignitatis, poſteriori, id eſt, ſuo principio. Non ſuperbiat ad principatum euectus, ſed ſuæ originis primordia conſideret, vt cæteris, quibus præeſt, placido vultu venerabilis appareat. Sic apud omnes magni habebitur: ſic miraculoſus erit. Eſt enim prodigium admiratione dignum, in faſtigio principatus, aut dignitatis, incunabulorum non obliuiſci.

Bruno.

Verſ. IX. Sumeſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël.

Verſ. X. Sex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. PRoſequitur ſacer textus ſuperhumeralis fabricam, & ornatum, dicens: *Sumeſque duos lapides Onychinos.* Loquitur Deus cum Moyſe, eique iubet accipere duos lapides Onychinos. Quinam ſint hi lapides poſtea videbimus. *Et ſculpes in eis nomina filiorum Iſraël.* Non quia Moyſes propria manu cælaturus eſſet hæc nomina; ſed quia imperaturus erat eorum ſculpturam Beſeleel, & Ooliab artificibus, quos Deus repleuerat ſpiritu ſapientiæ, vt diximus verſu 3. ſæpe enim in ſcriptura iubenti imputantur actiones exequentium: quare iſti erant ſculpturi, non Moyſes, qui ſolum iubebat.

QVÆSTIO XV.
Litteralis.

Quinam fuerint illi duo lapides, in quibus ſculpenda erant nomina filiorum Iſraël?

2. DIuus Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam huius dubij anſam dedit propter verſionum varietatem, quam ibi adducit. *In vtroque humero*, inquit, *habet ſingulos lapides, clauſos, & adſtrictos auro, qui Hebraicè dicuntur*, Soom: *ab Aquila, & Symmacho, & Theodotione Onychini; à Septuaginta ſmaragdi transferuntur: Ioſephus ſardonycas vocat, cum Hebræo Aquila conſentiens: vt vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret.* Hæ verſiones plures habent patronos. Nam præter Septuaginta, qui hos lapides affirmant fuiſſe ſmaragdos, adſunt Philo Hebræ. lib. 2. de Monarchia. Clemens Alexandrin. lib. 5. ſtromatum. Sixtus ſenenſ. lib. 2. Biblio. verbo, *Pontificalis* Chaldaica, & Arabica interpretatio (ſi credimus Montano in deſcriptione Sanctorum veſtimentorum) dicunt, fuiſſe beryllos. Ioſepho aſſerenti, fuiſſe ſardonycas, conſentit Salianus anno

Hieron.

Septuag. Philo.

Clem. Alex. Sixtus Sen. Chaldaica. Arabica.

Ioſephus. Salianus.

anno mundi 2544. num. 522. forſan quia putaret, ſardonychem Onychino lapidi correſpondere. Vt dicemus infra q. 21. litterali.

3. His non obſtantibus firmiter tenendum eſt, has gemmas, quibus ſacerdos humeros ſubiiciebat, fuiſſe Onychinos, non ſardonyches (niſi eiuſdem generis ſint) ſmaragdos, nec beryllos. Hæc concluſio manifeſtè patet ex ſacro oraculo huius capitis 28. n. 9. & ex c. 39. Exod. n. 39. Conſentit D. Hieronymus epiſt. citata. Tranſlatio Chaldaïca ibidem apud Bibl. regiam, & Hebraïca ibid. S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. ad 10. Abulenſ. ad cap. 28. Exod. q. 10. & alij quàmplurimi. Quod etiam apertè confirmatur ex manifeſto diſcrimine inter Onychinum lapidem, & ſmaragdum, & beryllum (nam de ſardonyche alia eſt ratio, vt videbimus quæſt. 21. citata) Smaragdus enim viridiſſimo, ſardius rubræ terræ perſimilis, vario beryllus gaudet colore (vt infra verſ. 17. & 20. dicemus) Onychinus autem humano vnguí perſimilem habet colorem, vt cum de hac gemma agamus, latè probabitur ex Gloſſa interlineali, Iſidoro, Abulenſi, & aliis. Deinde firmiori ratione hoc ipſum probemus. Quia ſacer textus in hoc cap. 28. anno 17. lapides, qui in Rationali Pontificis fulgebant, referens; in primo ordine vt conſtat num. 17. tanquam diſtinctos lapides ſardium, & ſmaragdum annumerat; & in quarto diſtinguit Onychinum à beryllo, vt patet ibid. num. 20. Ergo magna diuerſitas verſatur inter iſtas gemmas: quare eas confundere non oportet. Cùm ergo vulgata editio, cui firmiter ſtandum eſt, lapides, quos Pontifex portabat ſuper humeros, onychinos affirmet; de hac re iam non licet dubitare.

Vulgata edito. Hieron. Chaldaica. S. Thomas. Abulenſ.

4. Ioſephus libro tertio antiq. capite nono aſſerit ex his lapillis, quos Pontifex in humeris geſtabat, micare alterum, quoties litatum eſſet, eum ſcilicet, qui dextrum humerum occupabat: tantumque fulgorem emiſiſſe, vt procul etiam intuentibus conſpiceretur: idque præter naturam ſuam, & conſuetudinem. Aſſerit inſuper idem auctor, hunc fulgorem deſiiſſe in ſecundo templo ducentis annis antequam hoc ſcriberet, irato Deo propter legum ſuarum tranſgreſſionem. Sed an hoc verum ſit, aliorum remitto iudicio.

Ioſephus.

5. *Sex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero iuxta ordinem natiuitatis eorum.* In præfatis gemmis Onychinis ſculpi iubebat Deus omnia nomina filiorum Iſraël. Vbi aduerte cum Abulenſi hîc quæſt. 10. & Caietano ad hunc locum, filios Iſraël non accipi in præſenti, ſicut in aliis ſcripturæ locis, pro vniuerſa multitudine Hebræorum, ſed pro duodecim filiis Iacob, à quibus originem duxerunt Iſraëlitæ. Nam vt bene notat Toſtatus, impoſſibile eſſet, ſculpere totam congregationem Iſraëlitarum in decem millibus onychinis, quamuis iſtæ eſſent non paruæ magnitudinis, vt ſuſpicantur Abulenſ. & Caietanus.

Abulenſ. Caiet.

Sex nomina in lapide vno. Id eſt, in Onychino, qui dexterum humerum Pontificis ornaturus erat, ſculpes, hoc eſt, aperies. Nam ſcriptura in lapide, vel metallo apertura dicitur: Hiſpanè, *grauar*. In hoc ergo lapide ſex nomina filiorum Iacob erant ſcripta triplici ordine, bina in qualibet ſerie, vt notat Abulenſ. quæſtione decima, in prima ſerie ſculpta erant nomina, *Ruben* primogeniti Iacob; deinde *Simeon*: In ſecunda ſerie alia duo nomina, *Leui*, ſcilicet, & *Iudas*: & iſti erant quatuor filij Iacob ex Lia vt conſtat Geneſ. 29. à n. 31. in tertia ſerie ſupponebantur alia duo nomina, *Dam*, & *Nephtali*, qui fuerant filij Balæ vxoris Iacob, & ancillæ Rachelis; quia iſte fuerat ordo natiuitatis eorum, vt patet Geneſis trigeſimo numero ſexto & octauo. In altero lapide cui humerus ſubiacebat ſiniſter totidem erant ſeries nominum. In prima cælata erant nomina *Gaad*, & *Aſſer*, duo filij Zelphæ ancillæ Liæ. Geneſis trigeſimo, numero decimo. In ſecunda nomina *Iſſachar*, & Zabulon filij Liæ. Ibidem numero decimo octauo & vigeſimo. In tertia tandem filij Rachel, *Ioſeph*, & Beniamini. Geneſis 35. numero 18.

Abulenſ.

QVÆSTIO XVI.
Litteralis.

An in his lapidibus ſculpta fuerint nomina filiorum Iſraël, vel eorum ſtemmata aut trophæa?

PRæſens controuerſia procedit de lapidibus Onychinis, quos Pontifex ſuper humeros geſtabat, an ſcilicet nomina filiorum Iſraël, vel eius ſtemmata, vel trophæa fuerint ſculpta? Et quod in præſenti aſſerimus de his, dictum puta de duodecim gemmis, quæ ſacrum ornabat Rationale. 7.

Prima ſententia aſſerit, in his lapidibus non propria nomina Patriarcharum, ſed eorum ſtemmata, & trophæa fuiſſe ſculpta. Ita docuit Hieronymus à Prado in 1. viſionem Ezechielis ſect. 2. & alij. Probatur 1. Quia quando filij Iſraël per ſuas tribus fuerunt diſtributi, vnaquæque ducem, & vexillum ferebat, & in vexillo ſtemmata, & eius nobilitatis inſignia, vt conſtat Numeror. 2. n. 2. his verbis: *Singuli per turmas ſigna, atque vexilla, & domus, & cognationum ſuarum caſtrametabantur filij Iſraël per gyrum tabernaculi fœderis.* Vbi Hebræi hæc verba exponentes aſſerunt, trophæa, & vexilla correſpondere coloribus, quibus lapides Rationalis fulgebant, iuxta diſtributionem tribuum. Sic, inquiunt, inſignia tribus Iudæ, cuius ducatum gerebat Naaſon, in viridi ſpatio erant depicta, in eius clypeo; quia in Rationali Pontificis Smaragdus, iuxta hos auctores, Iudæ tribui correſpondebat. Inſuper aliæ tribus, quarum nomina in rubris lapidibus erant ſculpta, vexilla rubra ferebant, propter eandem rationem. 8. Prado. Numer. 2. n. 2.

Secunda ratio pro hac ſententia deſumitur ex illo Exod. 28. n. 21. vbi, loquens ſacer textus de lapidibus Rationalis, dicitur. *Calabuntur ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus.* Vbi ex Hebræo legitur: *Sculpes eos* 9. Exod. 28. n. 21. Hebraic.

sculptura sigilli secundùm nomen suum. Chaldaic.

Chaldaic. *Sculpes eos sculptura distincta, sicut sculptura annuli, vel sigilli.* Sed sculpi sculptura sigilli nõ est proprium nominum, sed stemmatum gentilitiorũ, præsertim iuxta Hebraïcam translationem *sculptura sigilli.* Nam in sigillo non cælantur nomina, sed stemmata, vt leo, Aquila, & similia. Ergo in his lapidibus non erant nomina sculpta, sed stemmata. Deinde quia in Hebræo non dicitur, *Describes nomen*, sed, *sculpes eos sculptura sigilli iuxta nomen.* Non igitur nomen Iuda signatè descriptum erat, sed illius insigne, nempe *leo*, in bello ab illa tribu gestatum: sicut Danitæ Aquilam præferebant: Ephraimitæ bouem? Rubenitæ caput humanum. Insuper, quia nomina non dicuntur sculpi, sed scribi, si propriè loquendum sit. Imagines autem, quæ in lapidibus sculpuntur, cælari dicuntur. Ergo cùm in vulgata iubeantur nomina cælari, non debet id intelligi de nominibus per singulas litteras inscriptione, sed de stemmatis artificiosa sculptura. Notum enim est, insignia, & stemmata gentilitia, nomina quoque dici eorum qui illis vtuntur.

10. Tertiò, quia Sapient. 18. num. 24. diserte dicitur Patriarcharum magnalia in his lapidibus fuisse descripta. *Parentum*, inquit, *magnalia*

Sapient 18. num. 24. *in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Sed nomina nudè sumpta non sunt magnalia. Quis dicat Cæsaris magnalia in ære, vel marmore cælari, cùm nudum Cæsaris nomen per suas litteras illis inciditur? Ergo dicendum est, sculpta fuisse lapidibus, quæ Patriarchæ gloriosè gesserunt. Et confirmatur: quia vbi legit nostra vulgata, *magnalia*: Græcè est; *Doxe* nempe gloriæ, quæ sunt stemmata glorioſa, arma, vel argumenta nobilitatis singulorum; quia ducta ab aliquo insigni facinore, aut virtute, qua quis aliis antecellit.

11. Secunda sententia, & quæ mihi videtur magis consona sacro textui est, quæ defendit, nomina ipsa Patriarcharum incisa fuisse opere cælatoris tam in duobus lapidibus Onychinis, quàm in duodecim Pectoralis, vel Rationalis.

Iosephus. Tenent hanc sententiam Iosephus lib. 3. antiq. cap. 8. cui vt oculari testi maximè fidendum

Hieron. est. D. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam

August. Abulens. supponit Augustinus quæst. 115. in Exod. Abulensis, qui insuper addit, hæc nomina postquam cælata, & sculpta fuerunt coloribus distinctis à colore lapidum, vt apertiùs legi possent, esse depicta in ipsis cælaturis. Cornelius à Lapide ad hunc locum Barradas lib. 5.

Cornel. Barradas. Ribera. Sigonius. Sopranis. cap. 44. Ribera de vestibus cap. 10. Sigonius lib. 5. c. 2. Sopranis digressione 1. de re vestiaria Iudæorum §. 8. circa finem: & alij innumeri.

12. Confirmatur nostra sententia expressis verbis nostri textus num. 9. vbi dicitur: *& sculpes in eis nomina filiorum Israël.* Et num. 10. *sex nomina in lapide vno.* Et num. 12. *Portabitque Aaron nomina eorum*, &c. Et num. 21. *habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum.* Sed verba scripturæ sacræ, vt sonant accipienda sunt, quando ex tali acceptione nihil sequitur contra fidem orthodoxam. Ergo cùm præfatis testimoniis nomina iubeantur sculpi, & ex hoc nihil contra fidem sequatur, absque dubio sentiendum est, nomina fuisse sculpta. Accedit testimonium Iosephi disertis verbis hoc ipsum affirmans. *His* (loquitur de lapidibus) *sculpta sunt Iacobi filiorum nomina literis vernaculis linguæ nostratis.* Iosephus.

13. Restat nunc aduersariorum tela, quibus nostram sententiam impugnabant, confringere. Ad illud, quod dicitur de signis in vexillis positis facilè respondetur; hoc non pugnare cum nostra sententia, etiamsi verum esset, quod dicunt Hebræi. Nam quid obest, quòd in vexillis vnaquæque Tribus stemmata depicta gestassent, vt exinde alia dignoscerentur, nostræ sententiæ asserenti nomina Patriarcharum sculpta fuisse in lapidibus? Quis non videat nihil contra nos ex prima ratione inferri.

14. Nec versiones Hebraïca, & Chaldaïca pugnant contra nos. Nam illud, *sculptura sigilli*, cui innititur secunda ratio, nihil aliud vult significare, quàm nomina Patriarcharum in lapidibus incidenda operâ cælatoris; ad eum modum, quo sigilla solent. Quare *sculptura sigilli*, non est referendum ad notam sculptam, sed ad modum insculpendi. Hoc patet ex infrà discendis vers. 36. vbi de lamina aurea dicitur: *Facies laminam auream, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino.* In Hebræo pro illo, *opere cælatoris*, legitur, *sculptura sigilli.* Quod est dicere, vt sigilla solent cælari, sculpes in lamina aurea sanctum Domino. Aliàs in lamina essent stemmata, aut imagines, quod est absurdum. Nam in illa solum Sacrosanctum Dei nomen tetragrammaton quatuor litteris exaratum splendebat, vt ex antiquioribus patribus dicemus vers. 36. citato. Sic respondent Lyra. Abulens. Vatablus. Cornelius à Lapide, Sopranis & alij.

15. Ad locum sapientiæ respondet Cornelius citatus, per *magnalia* intelligi glorioſa, & magnifica nomina Patriarcharum, nam eodem modo prosequitur sapiens, magnificentiam Dei, id est, magnificum Dei nomen Tetragrammaton *Iehouah* fuisse scriptum in diademate Pontificis. Nam (addit Sopranis) in consueta scripturæ phrasi, nomen alicuius gloriosè vulgatum gloria illius appellatur. Vnde illud Psalm. 105. num. 10. *Et conuerterunt gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum*, sic explicatid est, nomen Dei vitulo attribuerunt. Et similiter illud Isaiæ 48. num. 11. *Gloriam meam alteri non dabo.* Id est non permittam, vt alij præter me Dij appellentur. Et tandem illud hymni Angelici, quod canit Ecclesia: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: id est, propter nomen tuum nobis manifestatum. Sopranis. Psal. 105. n. 10. Isaiæ 48. n. 11.

QVÆSTIO XVII.
Litteralis.

An nomen Leui tertij filij Iacob, & nomina Ephraïm, & Manasses filiorum Ioseph fuerint sculpta in his lapidibus?

16. PRæsens controuersia procedit circa nomen Leui tertij filij Iacob ex Lia, & circa nomina

nomina Ioseph, & filiorum eius Ephraïm, & Manasses, an scilicet sculpta fuerint in lapidibus Onychinis?) Et idem iudica de gemmis Rationalis,) vel an nomen Leui, & Ioseph fuerint substracta, & pro eis subrogata nomina Ephraim & Manasses?

17. Ribera. Cornelius. Ribera lib. 3. de vestibus sacerdotalibus c. 11. & Cornelius à Lapide hîc num. 9. & 10. expressè negant in lapidibus Onychinis superhumeralis, & in duodecim Rationalis fuisse sculpta nomina Leui, & Ioseph, sed eorum loco, asserunt, subrogata fuisse nomina Ephraim, & Manasses, ita tamen vt Ephraim, qui minor erat natu, esset prælatus, sicut fuerat à Iacobo Genes. 48. à n. 13. & ibidem n. 5. quia cùm inter filios Iacobi fuerint reputati, debebant sculpi eorum nomina, & consequenter excluſa nomina Leui, & Ioseph. Quia Ioseph nomen in duobus filiis erat scriptum: siquidem pater in filiis honorabatur. Et Leui nomen sufficientissimè in repræsentatione Aaronis, & aliorum Pontificum illi succedentium emicabat. Ergo Leui, & Ioseph nomina superfluè in lapidibus essent sculpta. Ergo subrogata pro eis nomina Ephraïm, & Manasses.

18. Hoc ipsum confirmatur: quia Ephraïm, & Manasses vt constat Iosue 16. & 17. & 18. inter duodecim tribus annumerantur. Et Iosephus lib. 3. antiq. cap. 11. excludit ab hac supputatione Leui, & Ioseph dicens: *Pro Leui autem elegit inter auctores tribuum Manassem Iosephi filium, & Ephraim pro Iosepho.* Et hoc rationabiliter videtur factum. Quia in Onychinis, & in Rationali duodecim tribuum nomina erant scripta ob recordationem, id est, vt rogaret Pontifex pro remissione peccatorum eorum, quorum nomina scripta erant in lapidibus. Sed ad hoc summus sacerdos minimè indigebat recordatione tribus Leui, ex qua ducebat originem, quia nec sui, nec propriæ tribus non pateretur obliuionem. Ergo nomen Leui non erat scriptum in lapidibus. Deinde hoc ipsum probatur de nomine Ioseph: quia Ioseph, quando populus sortes accipiebat, non fuit annumeratus, sicut Leui; sed pro eis Ephraïm, & Manasses referuntur. Ergo istorum, & non illorum nomina erant sculpta in gemmis superhumeralis, & Rationalis.

Iosephus.

19. Tertiò roboratur hæc sententia; quia in illis lapidibus sculpi debebant tribuum nomina, vt constat Ecclesiast. 45. num. 13. de stola Aaronis, hoc est, de superhumerali, vel Rationali, aut de vtroque propter summam coniunctionem eorum, vbi sic dicitur: *Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & operè lapidarij sculptis in memoriam secundùm numerum tribuum Israël.* Sed Leui, & Ioseph non fuerunt annumerati in supputatione duodecim tribuum, vt constat Numer. 18. & 34. & Deuteronom. 18. & pro eis referuntur Ephraïm, & Manasses. Ergo horum nomina, & non illorum erant sculpta.

Ecclesiast. 45. n. 13.

20. Abulens. His non obstantibus communis sententia est: nomina tam Leui, quàm Iosephi in Onychinis superhumeralis, & in lapidibus Rationalis sculpta fuisse. Ita docent Abulens. hîc quæst. 10. Arias Montanus in descriptione Sanctorum vestimentorum. Barradas lib. 3. cap. 45. Lorinus in cap. 18. Sapientiæ, à num. 24. Salianus in annalibus anno mundi 2544. Moysis. 81. & communiter interpretes. Probabatur ex nostro versu. 9. vbi dicitur: *Sumes duos lapides Onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël.* Et vers. 21. agens de duodecim lapidibus Rationalis ait facer textus: *Habebuntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus cælabuntur.* In vtroque loco filiorum Iacob, non tribuum fit mentio. Deinde ibidem. vers. 10. hoc ordine sculpi nomina iussit Deus: *Iuxta ordinem natiuitatis eorum:* Quæ de propriis filiis Iacob, non de tribubus valent intelligi. Filij enim solùm possunt ordinem seruare in nascendo, non tribus. Ergo nomina filiorum, & non tribuum erant scripta in lapidibus pretiosis. Ergo Leui, & Iosephi nomina, qui erant proprij filij Iacob, non autem Ephraïm, & Manasses, qui nepotes erant.

Montanus. Barradas. Lorinus. Salianus.

21. Quòd si aliquis respondeat, vt huic rationi satisfaciat, sufficere nomina Ephraïm, & Manasses fuisse incisa in gemmis, & inter eos posse seruari natiuitatis ordinem, quia pro filiis Iacob reputati sunt. Contra hoc instat ratio: quia Leui, & Ioseph antiquitate, & natiuitate Ephraïm, & Manassem præcedebant. Ergo potiori iure Leui, & Iosephi nomina deberent incidi, quàm nomina Ephraïm, & Manasses. Insuper: quia minùs æquum esset, filios excludere, & nepotes eligere. Ergo loco illorũ, non debent isti subrogari, nec istorum nomina sculpi.

22. Ad hæc: si dicamus, nomina Leui, & Iosephi incisa in gemmis, nulla tribus excluditur: si asserimus, non fuisse sculpta, excluditur nobilissima tribus Leui. Ergo credendum est, vtramque fuisse incisam in gemmis. Quòd autem nulla tribus excludatur; si Leui, & Iosephi tribus essent sculptæ, perspicuu est. Quia si aliquæ tribus excluderentur, maximæ illæ Ephraïm, & Manasses: at istæ nomine Ioseph comprehenduntur absque dubio, iuxta illud Prouerb. 17. num. 6. *Gloria filiorum patres eorum.* Ergo non essent excluſæ cùm in parente Iosepho continerentur. Sed tribus Leui nullo alio modo intelligi posset. Ne ergo hæc tribus excludatur, dicendum est, nomen Leui fuisse incisum in gemmis. Insuper adde, Pontificem in pectore, & in humeris gestasse nomina illorum pro quibus orabat. Sed ex his erat tribus Leui. Ergo eius nomen erat vtrobique incisum. Tandem; quia Deut. 27. n. 12. & 13. vbi referuntur duodecim tribus Israël, Leui, & Ioseph annumerantur, non autem Ephraïm, & Manasses. Ergo illi, & non isti erant sculpti in gemmis.

Prou. 17. n. 6.

23. Restat ad allata pro sententia Riberæ respondere. Fatemur, Ephraim, & Manassem à Iacobo in filios adoptatos. Ex hoc tamen non infertur naturales filios excludendos esse à gemmarum honore, vt adoptiui illius excellentiæ sint participes, hoc enim nimis esset seuerum. Præsertim cùm Tribum Leuiticam ad Sacerdotium Deus elegisset; & Iosephum, vt Iacobo patri, & fratribus præberet annonam. Nam licèt in filiis honorari posset Ioseph; potiori honore afficitur propria sui nominis cælatura, quàm filio-

rum. Ad illud etiam, quod afferebatur, ſcilicet Aaronis præſentiâ ſufficienter Leuiticam Tribum diuino proponi conſpectui, vt illius recordaretur, & ſua ei beneficia impertiret, reſpondendum puto, ob hanc eandem rationem Leui nomen inciſum fuiſſe in gemmis Sacerdotis. Quoniam in Tribu Leui erat functio Sacerdotalis: & Sacerdos ſummus in ſpiritualibus totius populi curam habebat (erat hoc onus angelicis humeris formidandum) obindeque ſpecialiſſimo indigebat auxilio. Ergo neceſſe fuit, vt præter Pontificis præſentiam cum cæteris filiis Iacob diuino conſpectui præſentaretur in cælatura gemmarum.

24. Ad illud quod in confirmationem adducitur, reſpondemus cum noſtro Abulenſi q. 10. relata, & Barradas citato, nempe duobus modis numerari potuiſſe Tribus Iſraël. Primò: cùm de bello hæreditateque terræ promiſſionis, & aliis huiuſmodi agitur. Et hoc modo non annumeratur Leui inter Tribus Iſraël. Secundò: cùm ſermo habetur alicuius boni ſpiritualis, quod à Deo conſequendum erat. Et hoc modo Tribus Leuitica inter alias Iſraël ſupputabatur. Cùm igitur nomina filiorum Iſraël ſculpebantur in gemmis Pontificis, id non erat ad poſſeſſionem terræ adquirendam, aut alia ſæcularia munia, ſed vt eſſet memoria eorum coram Domino, vt dicitur infrà, verſ. 12. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem.* Hoc eſt; vt inquit Toſtatus, rogabat pro remiſſione peccatorum filiorum iſtorum, quorum nomina in vtroque humero geſtabat ſculpta: vt patet infrà verſ. 38. vbi dicitur: *Portabitque Aaron iniquitates eorum.* Ob hanc cauſam (vt patet Leuitic. 24. n. 5.) in menſa propoſitionis duodecim panes ſingulis Sabathis offerebantur in memoriam duodecim filiorum Iacob inter quos erat Leui. Ne ergo fateamur Leuiticam Tribum à cõmuni oratione excommunicatam; aſſerendum exiſtimo, abſque dubio ſimul cum Tribu Ioſeph ſculptam fuiſſe ſecundùm ordinem natiuitatis, ſcilicet Leuiticam in tertio numero, & Ioſephi in penultimo.

Exod. 28. n. 12.

Exod. 28. n. 38.

25. Ad Ioſephum reſpondemus fuiſſe locutum de ſucceſſione Tribuum Ephraim, & Manaſſe in ſortibus patris Ioſephi, & Leuiticæ Tribus reſpectu poſſeſſionis terræ promiſſæ. Nam cùm Tribus Leui illius ſortis eſſet expers (erat enim Dei hæreditas. Numer. 18. & 34. & Deuter. 18.) computantur filij Ioſeph, qui duas ſortes acceperunt inter Tribus Iſraël. At non loquitur Ioſephus de ſupputatione Tribuum in ordine ad ſpiritualia dona. Hoc enim modo numeraſſet Leui, & Ioſeph, & in hoc tacitè Ephraim, & Manaſſem.

26. Vltimo argumento pro Riberæ ſententia ſatisfacies, ſi dicas; Tribum in duplici ſignificatione vſurpari poſſe. Vel pro illa gente, quæ habebat vnam ſortem ſeparatam ab aliis; & hoc modo Leui, & Ioſeph non conſtituerunt diſtinctas Tribus in Iſraël. Vel poteſt accipi Tribus pro multitudine vnius ſtirpis, vt Apoc. 7. n. 7. & 8 dicitur: *Ex Tribu Leui duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph duodecim millia ſignati.* Hic abſque dubio tribus pro genere, & in aliis ſcripturæ locis, in quibus Leuiticæ gentis multitudo Tribus appellatur. Vt Numer. 1. n. 49. *Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſraël.* Et Numer. 3. n. 6. *Applica Tribum Leui.* Numer. 17. n. 3. & Deuter. 10. numero 8.

Apoc. 7. n. 7. & 8.

Numer. 1. n. 1. Numer. 3. n. 6.

Verſ. XI. Opere ſculptoris, & cælatura gemmarij ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël incluſos auro, atque circumdatos.

EXPOSITIO LITTERÆ.

27. *Opere ſculptoris, & cælatura gemmarij.* Abulenſ. q. 10. citata, per hæc verba aperturam, & cauationem in lapidibus onychinis, quæ opere ſculptoris fit vel in lapide, vel in ligno, vel in metallo, & & inſuper picturam, vel emblema, colore rubro, aut atro factũ, vt litteræ clariùs legi poſſent, intelligit. Oleaſt. hîc legit: *Opere fabricatoris aperturis ſigilli aperies ambos lapides.* Montan. *Opere artificis lapidis apertionibus ſigilli aperies ambos lapides.* Pagnin. & Vatabl. *Opere ſapientiæ, ſculpturis ſigilli ſculpes ambos lapides.* Alij teſte Lyppomano: *Et qui ſigilli cælaturas facit, ſiue ſigna cælat, ſculpet duos illos lapides.* Quaſi dicant iſtæ verſiones? Nomina duodecim filiorum Iſraël ſculpi debent in duabus gemmis onychinis, ſicut ſtemmata aperiri ſolent in ſigillis. Vide, quæ diximus verſ. 10. num. 14.

Abulenſ. Oleaſter. Montanus. Pagninus. Vatabl. Lyppoman.

28. *Incluſos auro, atque circumdatos:* id eſt, Lapides iſti includantur, aut circumdentur auro, quemadmodum alij lapides includi ſolent in annulis, ſeu pala annuli, vt explicat Caier. & Pagnin. Oleaſter legit: *Circũdatos incluſoriis auri.* Montanus: *Occellaturis auri circumdatos.* Rabbi Sahadrach apud Oleaſtrũ, & alij: *Oculis circumdatos.* Non diſſentiunt iſtæ verſiones. Nam locus, in quo gemma inſeritur, incluſorium, pala, & oculus poteſt dici: quaſi lapis ſit incluſus in oculo auri, vel in pala: nam verbum, *Sabaſt*, teſte Oleaſtro ſignificat anguſtiam, incluſionem, vt patet. 2. Reg. 1. n. 9. vbi dicit Saül: *Sta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ.* in Hebræo pro anguſtia, *Sabaſt* ponitur: id eſt, anguſtia, incluſio, coarctatio. Sic lapides incluſi erant, & coarctati in oculis, palis, aut incluſoriis aureis.

Caier. Pagninus. Oleaſter. Montanus. Rabbi Sahadrach.

Verſ. XII. Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis memoriale filiis Iſraël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum, ob recordationem.

EXPOSITIO LITTERÆ.

29. *Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis:* locus aſſignatur, in quo iſti lapides deberent

rent collocari, hoc est super humeros; vnus lapis in humero dextero, & alter in sinistro. *Memoriale filiis Israël*: id est: In his lapidibus (qui à Montano lapides recordationis à Pagnino lapides memoriæ appellantur) incisa erant nomina filiorum Israël. Vocanturque lapides memoriæ, quoniam ad memoriam sacerdotis reducebãt Tribus Israël, vt pro eis oraret, quando ingrediebatur ad ministrandum Domino. Per figuram methonimiam isti lapides dicuntur memoriale: hoc enim potiori modo nomina scripta significabant, sed accipitur continens pro contento. Erant autem, vt inquit Caietanus in præsenti, hæc nomina memoriale pro filiis Israël, non ad memoriam gloriæ, hoc est, vt Israëlitæ de clara Patriarcharum stirpe gloriarentur, sed ad memoriam suffragij, vt sacerdos ingrediens ad ministrandum, sic Deum oraret: tibi Domine commendo Tribum Rubem, Tribum Simeonis, *&c.*

30. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum.* Verba hæc non solùm intelligenda sunt de Aarone, sed etiam de aliis summis sacerdotibus ei succedentibus in munere & dignitate Pontificali: nam hîc *Aaron* non ad personam, sed ad dignitatem referendum est. Coram Domino: quia cùm ministrabat, portabat superhumerale, in quo erant lapides Onychini cum nominibus filiorum Iacob. Ea namque, quæ fiebant in altari holocaustorum, in quo erat ministratio; coram Domino dicebantur fieri, vt patet Exodi vigesimo nono, numero vndecimo aut coram arca testimonij, quia super eam inter Cherubim loquebatur Deus. Exodi vigesimo quinto numero vigesimo secundo & trigesimo num. 8. & Numer. 7. n. 3. sicut etiam ea, quæ fiebant in altari thymiamatum, teste Abulens. quæst. 10. relata. Nam etsi Deus propter suam immensitatem omni loco sit præsens, specialiùs dicitur adesse, vbi ei aliquis cultus exhibetur. Ergo cùm in altari holocaustorum ministrarentur sacrificia: Et intra Sancta Sanctorum Deus loqueretur sacerdoti; & in altari thymiamatum adoleretur boni odoris thymiama, specialiter his locis dicitur assistere.

31. *Ob recordationem:* Nomina filiorum Israël sculpta gestabat Pontifex in lapidibus Onychinis ob recordationem; proindeque à Pagnino, *Lapides memoriæ*; à Montano *Lapides recordationis* appellantur. Duplicem possunt habere sensum præfata verba: *Ob recordationem:* vel Dei, vel Aaronis. Abulensis hîc q. 11. ait, lapides istos non posse diuinam excitare recordationem. Quia cùm Deus nullius rei sit oblitus, cùm omnia sint in diuini intellectus acie præsentia, nullius rei potest recordari. Nam solùm illa sub reminiscentiam cadunt, quæ temporum successione intelliguntur: Deus autem omnia ab æterno præsciuit. Nihilominus voluit Deus quasi suam excitare memoriam, ne gens illa rudis putaret, verum Deum, quem colebant, esse sicut simulachra gentium, quæ non viuunt, & omni sensu carent, vt dicitur Psal. 113. & insuper vt stimulo diuinæ recordationis per propositionem horum lapidum Hebræorum affectus ad diuinam spem excitarentur, cultum illi exhibentes. Et tandem vt intelligeret populus, Deum illorum velle recordari, cùm iusserit poni illa signa in humeris Pontificis.

Pagninus. Montanus.

Vers. XIII. Facies, & vncinos, ex auro.

EXPOSITIO LITTERÆ.

32. *Acies, & vncinos ex auro:* Pagninus: *Facies palas aureas.* Septuag. *Facies aspidicas ex auro puro.* Alius Septuag. Scholiast. *Facies clypeos.* August. q. 115. in Exodum vtramque versionem amplectitur his verbis: *Aspidicas in veste sacerdotali, quas dicat, vtrum scutulas, quæ à scuto Latinè appellantur, quia & Græci scutum aspida appellant. An verò aspidicas propter diligentem colligantiam dicit ab aspide serpente, sicut etiam murenulæ appellantur.* Assentitur August. Greg. Nissenus in lib. de vita Moysis post initium dicens: *Ex his lapidibus ad interiorem partem scuta quædam pendebant.* Vatablus: *Facies & fibulas aureas.* Eugubinus: *Facies cælaturas, texturas.* Montanus: *Et facies occellationes.* Oleaster: *Facies palas, aut incluſoria.* Caiet. *Facies opus funis.* Miranda est sanè legentium varietas: non miror tamen, quòd vbi nostra vulgata legit *vncinos*; legant Septuaginta *aspidicas*; Vatab. *fibulas*; Caiet. *opus funis*; quia omnia hæc suo modo ligandi sonant instrumentum. Ad hoc enim munus præparabantur, vt statim dicemus. Solùm admiratione dignum videtur, Vatablum *fibulas*; & Eugubinum *cælaturas*, seu *texturas*; Oleastrum *palas*, aut *incluſoria* legisse. Sed mirari desinam, si vncinorum muneris non obliuiscar. *Vncinus* namque (vt inquit Tostatus q. 11. citata) diminutiuum est ab *vnco* ducens originem. Est enim instrumentum recuruum ad aliquid comprehendendum, & tenendum. Hoc fibulis conuenire posse quis dubitet? *Cælaturæ* hîc aut *incluſoria*, metaphoricè, ni fallor, accipi possunt. *Pala* enim *incluſorium, cælatura*, aut *occellatio* locum illum, in quo gemmæ in annulis inseruntur, & includuntur opere artificis gemmarij, significant: sed propter similitudinem ad ea, quæ aliquid includunt in aliquo circulo, vel instar circuli translatæ sunt ad significandum illa, quæ hoc munus præstant. Quapropter si munus vncinorum spectemus, in eandem significationem in præsenti coincidunt *Vncini, aspidicæ palæ, cælaturæ, occellationes, aut incluſoria*, omnia hæc diligentem significant modum colligandi.

Gregor. Nissen. Vatabl. Eugubinus. Montanus. Oleaster. Caiet. Abulens.

Vers. XIV. Et duas catenulas ex auro purissimo sibi inuicem cohærentes, quas inseres vncinis.

EXPOSITIO LITTERÆ.

33. *Et duas catenulas*, &c. Ex præfatis num. præcedenti vncinis, duæ aureæ catenulæ immixtæ

immixtæ floribus aureis, vt elegantia artificum cum materiæ dignitate certaret, pendebant, vna ex vno, & ex altero altera, vt Rationale, quod in pectore gestabat sacerdos, superhumerali esset firmiter colligatum, ita vt separari non possent. Hæ catenulæ vncinis inserebantur superhumeralis, & deinde ligabantur zonulis angustis hyacinthinis (inquit Tostatus, & constabit infrà vers. 28. Insuper in duobus angulis superioribus Rationalis, duo erant annuli, quibus vittis etiam hyacinthinis colligabantur catenulæ: ex parte verò inferiori Rationalis duæ vittæ hyacinthinæ pendebant versùs baltheum, vel aliæ duæ catenulæ vittis hyacinthinis colligatæ, vt dicemus infrà num. 26. & sequentibus.

34. Abulens. *Sibi inuicem cohærentes*: haud facilia hæc verba videntur. Abulensis hîc q. 11. ait, has catenulas non sibi inuicem cohærere, ita vt catenula, quæ ab humero dextro pendebat, cohæreret catenulæ humeri sinistri: inutilis esset talis connexio. Nam superhumerale per eas coniungi non posset Rationali. Dicuntur ergo sibi inuicem cohærere: quia catena accipitur pro quolibet circulo catenulæ: ac si dicat: omnes circuli vnius catenulæ sibi inuicem cohærent, ex quibus catenula formatur in significatione propria, quæ inseri debebat vncino suo, dextera dextero, & sinistro sinistra. Salianus. Salianus in annalibus anno mundi 2544. ex Cyrillo lib. 11. de adoratione post initium asserit, duas dici catenulas, quia à summo humero ad pectus descenderent, ibique ad annulum Rationalis insertæ, redirent ad locum, ex quo descenderant, ibique vncinis, qui erant in palis Sardonicharum affixi, adhærescerent. Id etiam confirmat, quia vbi Vulgata habet, & duos annulos aureos, quos pones in vtraque Rationalis summitate, catenasque aureas iunges annulis; in Chaldæo est; *Inseres*, vel *traiicies*, ita vt redirent ad vncinos superhumeralis.

QVÆSTIO XVIII. Litteralis.

An istæ catenulæ essent insitæ in superhumerali; vel an essent in supremis angulis Rationalis, vt vterque ornatus inter se connecteretur?

35. Beda. BEda lib. 3. de Tabernaculo cap. 3. asserit has catenulas non esse in superhumerali, sed in Rationali, connecti tamen vncinis superhumeralis; qui solùm in eo erant, & non in Rationali: videtur consentire Caietanus. Caietanus hîc, qui secutus Hebraïcam lectionem per *vncinos* legit *palas*, & etiam asserit, fuisse laminas aureas perforatas in similitudinem palarum hinc inde, vt per foramina catenulæ aureæ immitti possent, non in similitudinem exiguorum circulorum, quibus communiter vtimur ad iungendas extremitates vestium laqueolo, per frequentes circulos immisso; sed esse in similitudinem palarum perforatarum ad maiorem decorem: sicque has catenulas, quæ erant ad modum funis (vt ipse ait) ac si Hispanè diceremus: *Vn cordoncillo de oro de martillo*, facilè immitti per foramina palarum posse illaqueando.

Abulensis quæst. 11. citata asserit, duas distinctas esse catenulas. Nam ex vtroque angulo superhumeralis pendebant versùs pectus, & connectebantur ad inuicem catenulis Rationalis eis correspondentibus, ita vt in vtraque parte ex duabus catenulis vna fieret, & ex duabus aliis altera, qua concatenatione superhumerale non poterat disiungi à Rationali, nec è contrà. Hæc sententia probari potest ex nostro textu, vers. 14. in quo de his catenulis dicitur. *Facies vncinos ex auro, & duas catenulas auri purissimi sibi inuicem cohærentes.* Ex quibus verbis superhumerale catenas habuisse, quæ versùs pectus sacerdotis penderent apertè colligitur. Insuper cùm ibidem sacer textus vers. 24. sermonem haberet de Rationali, sic ait: *Catenasque aureas iunges annulis, qui sunt in marginibus eius*; id est Rationalis, vt patet. Et versu 25. dicitur: *Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis, quod Rationale respicit.* Ergo in Rationali etiam erant catenulæ, quibus superhumerali firmiter connectebatur. Ne ergo dicamus quatuor esse catenulas, quibus superhumerale, & Rationale sibi inuicem cohærebant; dicendum putat Tostatus, catenulam, quæ ab humero dextro sacerdotis pendebat versùs pectus, sibi correspondenti catenulæ Rationalis connecti, ita vt ex ambabus vna fieret; & catenulam, quæ à sinistro humero similiter. Res est satis incerta. Quod firmum puto, est; superhumerale, & Rationale coniungi; & in obscuris, & abditis non est plus temporis terendum. 36.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO LXXV.

Corona, si splendet, aggrauat: onerat, si honorat.

37. GRauissima res est maiestas imperij, & principatus splendor nimis est onerosus. Nitidior corona, & gemmis micantior sicut honori, sic molestiæ inseruit. Laboribus, & molestiis miser seruituris abundat status; non ab his est immunis (crede mihi) dominandi honor. Præclarè Antigonus rex suum hæredem reprehendens, quia insolenter propter parentis imperium intumescebat (vt refert Ælianus lib. 2. variar. historiæ cap. 2.) sic ait: *An ignoras, ô fili, regnum nostrum non esse aliud, nisi splendidam seruitutem?* Honorata seruitus est regnum, & illustris subiectio principatus. Ælianus. Regis corona conflatur ex auro metallorum omnium grauissimo; vt ab splendore imperandi vix regendi molestiæ possint percipi distinctæ. Hinc non casu admonentur Prælati, & in fastigium dignitatis euecti, ne à dominandi splendore subditorum curam separent.

Sciant

Sciant Reges coronarum gemmas fulgentissimas, cùm tempora honorant, humeros onerare; & cùm micantibus radiis fulgent, curarum grauissima onera imponere.

38. Repetito examine amorem Petri erga Christum inquirit Dominus, non quia illum ignorasset, sed vt cognoscat mundus amoris Petri excellentiam; dignéque Ecclesiæ principatum obtinere: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. num. 18. Ioan. 21. n. 18. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio, in tom. 5. notanter aduertit: audi ipsum: *Illi quidem* (id est, Christo) *Licebat verbis huiusmodi Petrum affari: si me amas, Petre, ieiunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, iniuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant. Nunc verò prætermissis omnibus his, quidnam illi ait? Pasce oues meas.* Sed cur hæc, quæ satis difficilia sunt, Petro non imperat, in tam ardentis amoris comprobationem? His satis apertè amoris Petri erga Christum excellentia nota apud omnes esset. Quare ergo hæc omnia omittit, & ouium curam, & regimen suis humeris imponit? Respondet Chrysostomus: *Nam quæ modò à me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis præstare facilè possunt, non viri solùm, sed etiam fœminæ. At cùm de Ecclesiæ præfectura, de credenda huic, vel illi tam multarum animarum cura agitur: vniuersa quidem muliebris natura functionis istius moli, ac magnitudini cedat oportet, itemque & bona virorum pars.* Ex actioribus, & difficilioribus operibus manifestatur magna vis amoris: hoc attendens Christus Beato Petro, vt eius erga ipsum amorem commendaret, non præcepit ieiunia, non alia opera pœnalia, sed curam, & præfecturam animatum; vt ostenderet, molestius opus esse, aliorum regimini vacare, quàm ieiuniis, & pœnitentiis. Si ergo præfectura potiri opus est tam molestum: igitur quantò honorat, tantò onerat regimen aliorum.

39. Mare facile inter mirabilia Salomonis templi annumeratur: de illo sic dicitur. 3. Reg. 7. à num. 23. *Fecit quoque mare fusile.... & stabat super duodecim boues, è quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem: & mare super eos desuper erat.* Sanctus Nilus libro Ascetico, per duodecim boues Præsules, Rectores, & quoscumque clauem tenentes intelligit. De his enim loquitur expresè in antecedentibus, cùm sic prosequitur. *Boues autem sub pelui declarant eos, qui subeunt onus eiusmodi* (hoc est dominandi pondus) *nihil respuere, aut auersari debere, sed & onera, & sordes inferiorum perferre, quoad sine periculo fieri posset.* Sordes subditorum Rectori, & Præsuli imputari non dubito; at quæ ratio Nilum in hunc cogitatum impulit, videamus. Quid in pelui illa ænea, vt ei boues, qui Prælatorum typum gerebant, colla subiicerent? Sed audi. Magna huius vasis erat capacitas: nam de eo dicitur. 3. Regum 7. num. 26. *Duo millia batos capiebat.* Et 2. Paralipom. 4. numero 5. *Capiebatque tria millia metretas.* Hispanè (vt docet Martinus Stephanus in compendio Salomonis,) *Cabia este vaso, dicho por su capacidad mar de bronze, 80437. arrobas y media de agua.* Quare non absurdè, continere illud multarum aquarum copiam, diceremus. Per aquas, vt constat Apocalypsis 17. num. 15. populi, & linguæ intelliguntur. Subiacent ergo illi duodecim boues, in quibus primates designantur, vt constet apertè Præsules & Præpositos, non solùm sordes, & peccata subditorum supra se habere (quæ in illo vase lauabantur,) sed ipsos subditos in aquis significatos tanquam onera grauissima portare. Vide qualiter cum splendore dominij onus grauissimum coniungitur.

3. Reg. 7. à n. 23. S. Nilus. 3. Reg. 7. n. 26. 2. Paralip. 4. n. 5. Mart. Steph.

Elia in cœlum per turbinem ascendente, sic Elisæus clamabat: *Pater mi, Pater mi: currus Israël, & auriga eius.* 4. Regum, 2. num. 12. Iam, iam præ oculis dubium se offert. Si Elias est currus Israël, quî fieri potest, vt aurigæ gaudeat functione? Aurigæ, & currus diuersa, imò opposita habent munia: illi regunt, isti portant, & reguntur. Elias ergo aut deferat oneta; aut rectoris munus exerceat. Cur ergo vtrumque? Occurrit Drogo Hostiens. de Sacram. pass. & breui calamo dissoluit tricas, dicens: *Currus Israël, & auriga eius: portas, & Regis: sustines, & gubernas.* Quod est dicere: Elias doctrinæ baculo Israëlem regebat, quando ab impiis Regibus totus ferè populus prauis moribus peruertebatur. Sit ergo rector, & auriga, qui effrænatos homines Verbi Dei habenis quasi in chamo, & fræno constringat. Sit etiam & currus, quia auriga. Rector namque officium currus habet. Currus ad onera portanda construitur: sic rector, & præfectura gaudens. Nam qui gubernat, si splendet dominantis honore, molestam sarcinam portat.

40. 4. Reg. 2. n. 12. Drog. Host.

Transactis tribus mensibus à die egressionis filiorum Israël de Ægypto, vocauit Deus Moysem, & hæc filiis Iacob præcepit annunciare: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Exod. 19. num. 4. Præterita beneficia in memoriam reuocat Deus, ne populus obliuioni deditus, maculetur nota ingratitudinis. Septuaginta legere: *Assumpsi vos tanquam super alas aquilarum.* Paraphrasis Chaldaïca: *Et portaui vos quasi super alas aquilæ.* Quod est, dicere: sicut solet aquila pullos suos quando in superiora tollitur, & pendet per aërem, super alas portare: sic Deus deferre dicitur filios Israël. Sed bone Deus! Quid vis ostendere, cum aquilarum curis confers tuum erga populum studium? Pierius lib. 19. verbo *Aquila*, asserit, aquilam regum diademata præsignare. Quapropter apud antiquos apparitio aquilæ imperij erat auspicium (vt illatione 27. num. 58. ex eodem authore retulimus) Deus igitur non respuit cum aquilis comparari, quando è dura Pharaonis seruitute gentem liberat Israëliticam, & eam velut aquila super humeros portat; quia tunc regiam dignitatem ostentabat: docens Reges, & Prælatos erudiens, vt non in vnguibus instar aliarum auium subditos, sed super alas, vt aquila regia, portent. Perbellè Lyppomanus ad præfata verba: *Commemorat se portasse, quasi in humeris populum, & baiulasse ex Ægypto more Aquilarum gestantium dorso, & alis pullos*

41. Exod. 19. n. 4. Septuag. Chaldaïc. Pierius.

suos, præter morem aliarum auium, quæ illos vnguibus, quò volunt, portant. Sciant ergo Prælati, discant præpositi non in vnguibus, sed supra dorsum,& alas subditos baiulare; hoc est, non eorum bona vsurpando, sed eorum vtilitati consulendo; æquum enim est, vt qui dominandi gemmis splendent, dominatorum oneribus subiaceant;illoſque regendo portent, & baiulando regant.

42. Matth.16. n.18. Augusſt. Ob insignem, & inauditam illam confessionem, sic ad Petrum affatur Christus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* Matth.16. nnm.18. Diuus Augustinus sermone 29. de Sanctis expendit Christi promissionem dicens: *Solus Petrus inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad Regnum.* Sed miror Augustinum, Petrum,super quem Christus Ecclesiam fundaturum promittebat, columnam, sustentaculum, & clauem apellasse. Quid columna cum sceptro? Quid sustentaculum cum clani? Quia sermo erat de supremo Ecclesiæ regimine: & vbi de principatu,& præfectura agitur inseparabiliter coniunguntur sceptri splendor cum officio columnæ, quæ supra se magnam portat, & sustentat molem.

43. Magni Pontificis exemplo haud difficulter thema nostrum confirmabitur. *Sumes duos lapides onychinos*, inquit sacer textus, *& sculpes in eis nomina filiorum Israël.* Sed ad quid hæc nomina erant sculpenda in his lapidibus? Sacer textus respondet: *Et portabit Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumque humerum.* Sed adhuc vrgeo: ad quid Aaron hæc nomina super vtrumque humerum erat portaturus in lapidibus pretiosis? Vt exinde sciamus à fulgenti dominandi honore, portandi subditos super humeros onus non seiungi. Micabant gemmæ illæ; sed in ipso splendore subditorum nomina sculpta,& in humeris collocata onus grauissimum imperandi ostendebant. Micat corona, tempora cingit honore; sed grauiter onerat redimitum, imponens super humeros curam subditorum. Glossa Mo-
Glossa Mor. ralis ad hunc locum:*Superhumerale per quod intelligitur, quòd Pontifex debet infirmitates subditorum supportare: dicente Apostolo ad Hebræos 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Idem docuit Arnoldus Carnotensis tractatu de vltimis verbis Domi-
Arnol. Carn. ni: *Itaque in superhumerali Pontificis hoc debet intelligi, quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud incumbat, vt propriis humeris ouem perditam ad ouile reportent.* Idem docuit Oleaster in expositione moralis huius capitis vigesimi octaui Exodi.

Illatio LXXVI.

Præsul subditos suos velut gemmas pretiosas debet æstimare.

45. Diuus Hieronymus epistola secunda quæ est ad Nepotianum cum Episcopis loquens sic ait: *Honorent Clericos quasi Clericos, & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: cur ergo,inquit, te habeam vt Principem, cùm tu non me habeas, vt Senatorem.* Æstimare debent Præsules subditos, quos habent, non solùm vt ab ipsis honor deferatur, sed quia hæc obligatio ex ipso munere imperandi nascitur. Hieronym.

Leuitic.11.numero 13. & Deuteronom.14. 46.
num.12.prohibuit Deus aquilam,& velut animal immundum reprobauit. Sed cur Deus auium reginam computauit inter animalia immunda? Aut quid est in aquila quod Deo displicere possit?Radulphus Flauiacensis lib.8. in Leuitic. cap. 3. præsenti dubio respondet: *Aquila, quæ inter cæteras aues altiora volando* Radulphus. *petere solet, superbiam exprimit potentium, de quibus scriptum est: posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Reprobat Deus aquilam; quia cùm regina esset auium in alta petens, omnia despicit: in qua potentes subditos suos contemnentes repræsentantur. Meritò ergo à Deo reprobatur: & meritò Reges, & Præsules, qui proprios subditos contempserint, reprobabuntur, cùm proprio muneri subditos æstimandi respuant satisfacere.

Non sic Paulus, 2. ad Corinthios, cap. 3. 47.
num.2.cùm eos alloquitur: *Epistola nostra estis* 2.ad Cor n.2 *vos scripta in cordibus nostris.* Sed cur Corinthios vocat epistolam suam? Quid Corinthij cum epistola? Multæ se offerunt rationes. Prima, quia sicut epistola ab aliquo scripta si elegantiam, aut errores contineat, auctori tribuuntur: Sic Corinthij, quorum Præsul erat Paulus, & quos verbo, & opere regebat; si in via virtutis proficiebant, aut ab illa aberrabant, Paulo hoc tribuebatur, velut authori epistolæ. Secunda ratio est: Dicitur epistola scripta, *In cordibus nostris*: non quia Paulus plura haberet corda, vnum cor solum habebat: nam licèt vnum cor diuiti, aliud pauperi videretur habere; tamen omnibus tribuebat suum cor: bonis benignum cor, malis acre præstabat, & velut diuidens cor pro qualitate meritorum, plura videbatur habere corda. Tandem ad rem nostram; Corinthios propriam appellat epistolam in suo corde scriptam; vt quanti eos faciat, declararet; siquidem eos habebat in corde. Cùm ergo cor vitæ sedes sit, & sensibilior totius corporis pars; voluit ostendere Paulus, cùm Corinthios in corde scriptos pronunciat, tanti eos facere, vt non solùm habeat in præcordiis; sed quòd illos offendere, est, ac si intima cordis sui læderentur. Quid mirum? erat Præsul eorum.

Ouem perditam inuenit cœlestis Pastor, & 48.
gaudens super humeros suos imposuit: *Et* Luc.15.n.5. *cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Lucæ 15. numero 5. Sed ad quid iste Pastor super humeros ouem deperditam gestat? Sat esset, eam in ouile reducere: cur collum illi supponit? Pulchrè Oleaster in expositione morali ad cap. 28. Exod. *Audiant hoc* Oleaster. *Pontifices, audiant Sacerdotes, quali animo ferre oues suas debeant, super humeros infirmas portare. Audiant quid Pastor ille Euangelicus perditæ ex grege fecerit oui. Super humeros, inquit, suos imposuit gaudens, amicos, & vicinos conuocauit*

cauit ad gaudium inuentæ pecudis. Quem ſuper humeros portabat cœleſtis Paſtor, vt quanti illam faceret oſtenderet, ſiquidem ei collum ſummittit, eam velut ſupra caput portat. In hoc docebat Præſules, & Rectores ad ſuorum ſubditorum æſtimationem; vt eos tanti faciant, vt ſupra capita propria imponant.

49. Ob hoc Dei iuſſus ſummus Sacerdos in lapidibus onychinis, quos in humeris portabat, nomina filiorum Iſraël erant ſculpta; vt intelligeret, debere ſubditos æſtimare veluti gemmas, & lapides pretioſos. Sic Oleaſter ibi

Oleaſter. in expoſitione ad mores: *In lapidibus autem pretioſis adumbratum cerne; quàm pretioſa debeant eſſe nomina ouium apud Antiſtitem.* Vbi aduerte in his duabus gemmis ſuperhumeralis, & in duodecim Rationalis ſculpa fuiſſe hæc nomina; non ſolùm, vt Superior, & Præſul, in humeris debere ſubditos portare, intelligat; ſed etiam, vt ſciat, illos tanti facere, quanti ſolent homines æſtimare, quæ in pectore, & in corde habent, in quo erant duodecim gemmæ Pectoralis. Inſuper nota; in his lapidibus ſculpta fuiſſe non ſolùm nomina filiorum Iacob ex vxoribus dominabus genitorum; ſed etiam eorum nomina, qui ex ancillis fuerunt procreati; vt denotaretur, quòd Præſūl nobiles, & ignobiles æſtimare debet. Audi Arnoldum Carnotenſem tractatu de ſeptem verbis Domi-

Arnol. Carn. ni: *Quòd autem ſex nomina in ſiniſtra parte, erant, & ſex in dextera in lapidibus onychinis ſculpta; illud eſt, quòd ad conſcriptionem hæreditatis ſuperna pertinent, non tantùm, qui probati perfectique videntur, ſed etiam qui minoris æſtimationis habentur: quia imperfectum noſtrum non abiicit diuina perfectio, & calamum quaſſatum non conterit, & linum fumigans non extinguit. Amplexatur quidem dextera eius eos, qui digni ſunt promoueri ad oſcula: ſed & læua eius ſupponitur eorum capitibus, quos imbecillitatis vertigo inclinat, nec patitur lapſos omnino collidi, quos corruentes excipit, & piam manum inclinatis ſupponit.* Nobiles, & ignobiles; magnos, & abiectos, omnes ſubditos debet Præſul æſtimare velut gemmas, & lapides pretioſos. Expende cætera, quæ hîc Arnoldus tangit, & ex eis multa ad diuerſa themata poteris accommodare.

ILLATIO LXXVII.

Semper Prælatus ſubditorum commodis debet conſulere: & adhuc cum vitæ diſpendio ab hac cura non debet abduci.

50. PRælatorum curam moleſtiſſimam eleganter deſcripſit ſanctus Nilus libro Aſcetico, di-

S. Nilus. cens: *Hominibus enim præeſſe res eſt omnium maximè laborioſa. Nam qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia: ideoque ſemper illis proſperè cedit imperium. Qui verò homines gubernant, & regunt propter morum diuerſitatem, rationiſque ſolertiam, prouinciam difficilem experiuntur. Quam qui ſuſcipiunt, neceſſe eſt, vt ſe tanquam ad laborioſum certamen inſtruant: vt & omnium infirmitates magna cum patientia ferant, & quæ illos propter ignorantiam latent, æquo animo doceant.* Prælati munus res eſt omnium maximè laborioſa; difficilis prouincia; periculoſum certamen. Quapropter qui prælaturæ ornatur officio multis curis, & ſolicitudinibus angitur: & vt tanti oneris promiſſionem adimpleat, toto animo de ſubitorum rebus debet cogitare, & ab hac ſollicitudine nec mortis pallidæ metu debet exſolui.

Geometrica arte (vt inquit Hieronymus in 51.
caput quartum Ezechielis) iubetur Propheta totam Hieruſalem depingere in latere; ipſumque depictum laterem proponi in conſpectu Prophetæ, vt deinde magnam, & moleſtam aduersùs eam depingat obſidionem. *Et tu fili* Ezech. 4. n. 1
hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem. Ezechielis 4. num. 1. Ad quid Deus in anguſto latere magnæ ciuitatis effigiem exprimi deſiderat? Diuus Hieronymus loco citato, præfata verba de vrbis captiuitate ſub Rege Sedechia intelligit, cuius anno vndecimo, & Rex, & ciuitas capta fuerunt. Inſuper addit, fuiſſe quamdam ſugillationem Iſraëli, quòd in luto, & latere ſeruierit Pharaoni, vt abiectionis præteritæ memoria præſens temperaretur felicitas. Tandem, vt vrbs, quæ putabatur firma, & inexpugnabilis, fragiliſſimo lateri comparata, qui ad tactum aquæ ſtatim diſſoluitur, in ſua non confideret ſuperbia (omnia enim in hac vita, etſi fortiſſima mœnia ſint, fragilitati ſubiacent.) Aliam ad rem ſanctus Nilus citatus rationem adducit: *Quibus verbis*, inquit, *declarat opus eſſe, vt Magiſter ex luto diſcipulos faciat templum Dei. Præclarum eſt illud: & pones illud ante faciem tuam. Sic enim diſcipulus celeriter melior fit, ſi in Magiſtri conſpectu ſemper verſetur.* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Iuſſit Deus Prophetam, in latere totam vrbem deſcribere, & ante oculos habere, vt omnium ciuium negotia ſedulò ageret. Si enim ſubditus in conſpectu Prælati, vel diſcipulus in conſpectu Magiſtri verſetur, celeriter fit melior. Vt igitur ſedulitatem gubernantis, quæ in Propheta deſignabatur, commendaret; præ oculis laterem, in quo tota ciuitas erat depicta, habere Deus iubebat, innuens, quòd ſicut illius, quod ante oculos habemus, aut rarò, aut nunquam obliuiſcimur: ſic Prælatus, ſic regens ſubditorum ſemper viuam memoriam teneat.

Tanta ſedulitate bonus Præſul ſubditorum 52.
negotia tenetur agere, vt ſi opus fuerit, adhuc cum vitæ diſpendio ſuorum ſaluti conſulat. Huius theſis veritas Aaronis exemplo confirmabitur. Inuidiæ veneno infecti Core, Datham, & Abiron, liique ducenti, & quinquaginta proceres Synagogæ ſurrexerunt contra Moyſem, & Aaron. Quid inde? Dirupta eſt terra, & aperiens os ſuum, deuorauit rebelles cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. Numer. 16. num. 31. 32. & 35. Quis in tanto prodigio timorem poſſet excutere? At inſipiens populus, quem nec damnum aliorum cautiorem reddidit, ſequenti die diuiſus in circulos dente maledico Moyſem, & Aaronem carpebat. Ex detractione contra Præſules orta

fuit

fuit seditio, ita vt ambos compelleret fratres ad tabernaculum fœderis velut ad firmissimum azylum confugere. Vix ingressi, cùm ira Dei descendit in populum, & combussit ignis magnam partem rebellium. Tunc Aaron, qui licèt offensus amoris flamma ardebat erga suos, incendij flammis non perterritus deprecans Deum stabat inter mortuos, & viuentes, thymiamata offerens: Numer. 16. num. 48. *Et stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Miror sanè, Aaronem à Deo præmonitum, vt à perduellis populi consortio procul abesset, quia eum erat deleturus (vt constat ibidem, num. 45. *Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo.*) In medio eorum vita, & morte alternante, precabundum existere! Quis nisi temerarius, periculi conscius, discrimina quærat? Quomodo ergo Aaron inter nefarios, inter punitos, inter mortuos, & viuentes Deum deprecans stabilis perseuerat, & cùm tanto discrimine vastatoris Angeli se obiicit iracundiæ? Quia Aaron dignitate Pontificia ornatus illius populi tenebat clauem. Tanta enim sedulitas Prælato incumbit in suorum salutē, vt si oportuerit pro liberandis suis vitam cum morte commutare, id recusare non debeat. Quam aptè Origenes homilia 9. in Numer. propositam rem expendit. *Intuere*, inquit, *stantem Pontificem, & obiectione quadam sui viuentes à mortuis dirimentem, virtutem verò repropitiationis eius, & incensi mysterium erubuisse Angelum vastatorem, & in hoc mortem quidem finitam, vitam verò reparatam.* Expende illud: *Et obiectione quadam sui viuentes à mortuis dirimentem.* Quod est dicere: Vt suos à mortis periculo diriméret, seipsum vastatori Angelo obiecit, vt priùs in eo iracundiæ gladium cruentaret, quàm suos permitteret interire. Nec incassum preces effudit; siquidem Angelus repropitiationis virtutem veritus incendium extinxit, & plaga cessauit. Habent enim Angeli in summo honore Prælatos, quos conspicient sui muneris non oblitos: satisque Aaron suo muneri satisfecit, propriam vitam exponens, vt populum à morte eriueret vltrice.

Num. 16. n. 48.

Ibid. n. 45.

53. Felix ille latro à Domino crucifixo Regnum non dubitat postulare: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Lucæ 23. num. 43. Sed dicito mi latro: quid in eo vides, vt tanta fiducia regnum petas? Confixum clauis vides; conspicis flagellatum; crudeli, & vili spinarum diademate redimitum intueris; illusum, consputumque attendis: quomodo eum Regem appellas, qui hominum est opprobrium, & abiectio plebis? Quia pro communi hominum salute, & vt nos omnes à mortis vinculis, & à diaboli dura seruitute liberaret, tot blasphemias, tot iniurias, crudelem, & probrosam mortem sustinebat. Eleganter, vt assolet Chrysostomus homilia de latrone, & cruce in die Parasceue in tomo 3. tem hanc confirmat dicens: *Imperatorum est, pro omnibus mori, & Regis optimi pro communi vtilitate nunquam recusare supplicium. Ipse dixit, quia Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis.* Cognouit latro mirabiliter Christi Regnum. Nam quamuis crucis opprobrium, flagellorum iniuria, illusio diadematis, saliuarum exsecrabilis aspersio vilem, & abiectum pronunciabant; at vitam pro communi hominum reparatione ponere, Regis perillustre erat insigne. Hoc vidimus in Aarone, qui typus erat Christi: & vidimus in ipso prototypo. Ex his docentur Præsules quanta cura erga gregem sibi commissum vigilare debent: quanta animi promptitudine illius vtilitati consulere, vt si opus fuerit pro suis vitam ponere; non renuant. Sic Moyses de libro vitæ deleri; sic Paulus anathema esse pro fratribus non recusabat.

Luc. 23. n. 43.

Chrysost.

54. Stylo ferreo, & non atramento scripta nomina portabat Pontifex in lapidibus pretiosis; vt semper suos retineret in memoria. Sic Iuo Carnotensis de rebus Ecclesiasticis, sermone de significatione vestium Sacerdotalium in tom. 1. Auctuarij Bibl. vet. Patr. *Ideo*, inquit, *illa nomina in lapidibus scribuntur: quia quod in lapide sculpitur, vix aut nunquam aboletur.* Sed rem hanc magis explicuit Oleaster ad cap. 28. Exodi. *Aduerte*, ait, *non atramento, sed stylo ferreo nomina filiorum Israël super lapides inscribi, vt nouerit diuinus Sacerdos, nullam oblitionem debere delere memoriam ouium suarum apud Deum.* Insuper addit: propter hanc causam præfata nomina, quæ in humeris portabat, etiam in lapidibus Rationalis, quod supra pectus pendebat, sculpta gestasse, vt quocumque se verteret Sacerdos, semper ea ob oculos haberet. Nam si ad dexteram respiciebat, videbat suos in humero dextro scripta: idem si sinistram conspiceret, in sinistro. Si versùs terram tenderet, necessariò pectus, & pectorale videbat; & in eo etiam eadem nomina scripta legebat; solùm versùs Cœlum poterat aspicere, quando oculos à subditis auertebat: in quo manifestè denotabatur, Prælatum semper ob oculos habere subditos debere; & quòd, si aliquando ab eis oculos auertere contingat, solùm cœlum possit aspicere. Optimè Oleaster: *Quia fortè ad latera nomina habens dissimularet: voluit ea Deus etiam super pectus habere, vt quocumque se verteret*, id est Sacerdos, *semper ea ob oculos haberet. Vbi sunt, qui rixosis, & contentiosis disputationibus Antistitem à suis ouibus auferre conantur, & ouibus suis perpetuò abesse posse affirmant?* Meritò ergo diximus, Prælatum, & Antistitem nullum tempus consumere debere, in quo subditorum vtilitati non studeat; etiamsi dispendium vitæ immineat, vt tanti muneris adimpleat obligationem.

Iuo Carnot.

Oleaster.

Oleaster.

ILLATIO LXXVIII.

Punitur Antistes, qui ministerium suum non adimplet.

55. LAborioſam rem, & spinis cutarum plenam assumere probauimus præcedenti illatione, qui dominandi grauissimum onus humeris suis imponunt. Nunc non solum laborioſam, sed periculis maximè obnoxiam assumere prouinciam, est ostendendum. Præclaro exemplo id explicuit Nazianzenus oratione 1. dicens: *Quemadmodum in sublime, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem*

Nazianz.

partem deflectere, minime tutum eſt, nec etiam parua inclinatio paruum periculum affert; verùm eorum ſalus in æquilibrio poſita eſt: ad eundem quoque modum vtramuis in partem quiſpiam, ſiue ob vitæ improbitatem, ſiue ob imperitiam propenderit, haud lene periculum, tum ipſi, tum iis, quibus præeſt, imminet, ne in peccatum prolabantur. Quid illuſtrius? Caueant ergo Præſules, ne ob incuriam in pericula incidant, quæ tam ipſis, quàm iis, qui eorum ſubiiciuntur ditioni imminent. Seuerè enim punit Deus deſides Prælatos, & veluti tanti muneris indignos ſpoliat dignitate.

56. Probroſa fuga Iſraëlis, ruina magna in populo, immatura mors Ophni, & Phinees, tandem arcæ fœderis captiuitas annunciantur Heli. Quid inde? *Cúmque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt.* 1. Regum, 4. num. 18. Amiſit ergo Heli miſerè vitam, & Sacerdotium. Non ſic Phinees Sacerdotis Eleazari filius, qui cùm virum Iſraëlitam illicitè agere cum muliere Madianitide videret, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione confodit eos: propter quod facinus Deus ei conceſſit Sacerdotium. Numer. 25. num. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactum Sacerdotij ſempiternum: quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſraël.* Si rationem diſparitatis deſideres, audi Eligium Nouionenſ. homilia 7. *Hoc poteſt etiam tradi, quòd Heli Sacerdos, qui non corripuit filios, morte mulctatus eſt; ipſi quoque filij eius mortui ſunt, & arca Dei capta eſt; & hoc Sacerdotio poſteritas eius priuata eſt. Phinees è contrà, quia zelo Dei accenſus fornicarios peremit, Sacerdotio voce Domini functus eſt in æternum.* Audierat Heli, filios ſuos carnes ſubripere, quæ Deo litabantur; & dormire cum mulieribus, quas ad oſtium tabernaculi obſeruabant; non tamen eos acriter reprehenderat, ſed leniter, vt conſtat. 1. Regum, 2. num. 23. Impunitos ergo reliquit filios, magis honorans eos, quàm Deum, permittens illis, comedere primitias omnis ſacrificij Iſraël. Phinees autem filius ſacerdotis zelo zelatus eſt honorem Dei, & interfecit fornicarios. Ergo meritò hic ad faſtigium Sacerdotij fuit euectus, & ille tanto honore priuatus. Phinees nondum Sacerdos munus impleuit Sacerdotis: Heli Sacerdotalibus infulis condecoratus, nec patrisfamilias miniſterium impleuit. Quid mirum, Phinees dignè conſequi, quod Heli indignè poſſidebat?

1. Reg. 4. n. 18.

Numer. 25. n. 13.

Elig. Nouiomen.

57. Iſaïas cap. 14. à num. 12. ſic infelicem, etſi ſupremum Angelum interrogat: *Quomodo cecidiſti de cœlo, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis.* Videtur Propheta huius caſus cauſam in peccatum Angelicum reducere. Sed quænam fuerit ſupremi Angeli malitia? Variant Theologi, non eſt huius loci hanc examinare? Diuus Bernardus de verbis Iſaïæ inter alia putat; ideo Angelum principatum cæterorum amiſiſſe, quia ſui muneris oblitus miniſterium ſuum non adimpleuit. Audi ipſum, & comprehendes conceptum. *Vt quid ergo*, inquit, *tu, qui manè oriebaris Lucifer in veritate non ſtetiſti, niſi quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens, vel incendens interpretatur. Tu verò habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non habuiſti. Bonum erat tibi ſi ignifer magis eſſes, quàm Lucifer: nec tam immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus, ipſe frigidam quoque eligeres regionem.* Quod eſt dicere: Lucifer ille infelix, qui à primo ſui orationis inſtanti tot à Deo naturæ, & gratiæ dotibus fuit ornatus, & cæterorum Angelorum obtinuit principatum; ſui malè conſcius tantorum beneficiorum ſpreuit authorem. Qui in cœlo fuerat creatus, & Empyrei Ciuis in Cœlum conſcendere deſiderat. Aſtra calcabat, & ſuper ea exaltare ſolium ſuum præſumebat. Inſtar auari putabat non habere quod habet. In lateribus Aquilonis ſedere intentat ſuperbus: neſcio an malè prouidus. Erat enim Seraphim, & tenebatur ardenter amare, & frigidam deſiderabat regionem. Si ergo Lucifer, quem Deus tanto affecit honore, vt Seraphinorum eſſet Princeps, quo tenebatur, incendio amoris flagrare, Aquilonares brumas inſipienter deſiderat; abſque dubio ab obligatione ſui officij declinauit. Ecce quomodo corruit. Quia Seraphim non fuit, ſed ardorem deſpexit, Aquilonarem ſedem deſiderans. Meritò ergo à tanta præfectura deponitur, & à culmine principatus deiicitur; quia ſui officij munus non adimpleuit.

Bernar d.

58. Peccauit homo in paradiſo voluptatis conſtitutus, & vxoris blanditiis non diſſentiens ſeipſum, & poſteros capitali pœna damnauit. Quid inde? Vocauit Deus Adam, (latebat enim inter folia ficus, eo quòd nudus eſſet) at Deus ipſa nuditate conuicit eum inobedientiæ. Tunc Adam in mulierem (neſcio an in Deum) culpam transferens, ſe extra culpam ponebat. *Dixitque Adam: mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Geneſis 3. numero 12. A muliere inquirit Deus, quare tantum perſuaſerit flagitium? Illa ſerpentis fallacia ſe excuſat. Tandem Deus conteſtata lite, ſerpente, & muliere damnatis, in hominem ſic profert iudicium: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Ibidem, numero 17. Hæreo illis verbis: *Quia audiſtis vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno*, &c. Si Deus tanta pœna hominem damnaret, quia contra Dei ſanctionem vetitum fructum comediſſet, non miraretur, (Dignus enim erat, vt qui pactum violauit, pœnam pacti incurreret) at hominem ita ſeuerè punire, quia audiuit vocem vxoris, admiratione dignum eſt. Adam, & Eua matrimonij indiſſolubili vinculo erant adſtricti: ergo neceſſum erat, mutuo inter ſe conuerſari; nam ad ſolatium hominis creata fuit mulier. In quo ergo deliquit homo vxoris propriæ audiens vocem, vt propter hoc ab orbis principatu depoſitus, moleſtiis addictus, mortalis tandem ſoluat tributum? Quia Adam, cùm eſſet totius orbis Præſul, quando audiuit vxorem prohibitum cibum perſuadentem, acriter

Gen. 3. n. 12.

Ibid. n. 17.

non

non reprehendit eam. Tenebatur homo, qui caput erat mulieris, eius redarguere cupediam, non eius assentiri blanditiis. Omisit piger, aut lenis iura Prælati, & vocem vxoris audiens, qui inuiolabiliter tenebatur, legem obseruare, contempsit miserabiliter. Dignus ergo fuit tanta pœna, qui nec in se, nec in vxore tantam impediuit culpam. Philo Hebræus lib. 2. allegoriæ, per mentem Adamum, & per sensum Euam allegoricè intelligens totum confirmat
Philo Hebr. cogitatum, his verbis: *Nihil inutilius, quàm audiri sensum ab intellectu, & non è contrà potius. Debet enim semper præesse melior, subesse deterior.* Mulier iussit Adamo; hic obediebat, qui tenebatur imperare, reprehendere, redarguere. Peruertitur ordo, & homo ab officio Præsulis miserè aberrauit. Meritò ergo principatum amisit, & mortalitatis subiacet iniuriis; qui in culmine principatus sedens, à tanto munere declinauit.

59. Mittitur Moyses à Deo in Ægyptum: dubitat Moyses de legatione, & timet tam Pharaonis sæuitiam, quàm populi incredulitatem, tunc Deus, vt timorem à Moyse procul relegeret, iussit manum in sinum mittere: *Quam*
Exod. 4. n. 6. *cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Exod. 4. num. 6. Tertullianus libro de
Tertull. carne Christi sic legit: *Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert.* Quid est, quòd Tertullianus manum, quam facer textus leprosam appellat, emortuam vocat? Hæc diuersa sunt. Est verum: tamen emortuam vocat Septimius manum Moysis; quia eam recondidit in sinum velut otiosam, & à munere suo vacantem. Cùm igitur esset manus Moysis gentis Israëliticæ Præsulis, & in Deum Pharaonis constituti, & vacaret à tanto munere: meritò profertur leprosa, aut emortua, vt per hoc indicaretur, quòd manus Præfecti, quæ munus suum non adimplet, lepra infici, aut vita spoliari meretur.

60. Filiorum Israël nomina in duobus lapidibus onychinis sculpta in humeris portabat Sacerdos; eademque in duodecim gemmis Rationalis. Sed ad quid in humeris, & in pectore?
Oleaster. Perbellè Oleaster: *Quia fortè ad latera nomina eorum habens, dissimularet: voluit ea etiam super pectus habere, vt quocumque se verteret, semper ea ob oculos haberet.* Omnem occludit Deus excusationem Sacerdoti, ne piger incidat in subditorum incuriam, & ob hanc causam orbetur dignitate Sacerdotij. Portet in humeris, ferat & in pectore subditorum nomina, vt quocumque visum inclinet, semper ob oculos habeat sui muneris obligationem, & sic muneri suo cum laude satisfaciens, Pontificis dignitate perfruatur feliciter: sin autem Sacerdotis, Præsulis, & Præfecti amittet honorem.

ILLATIO LXXIX.

Honorifico plausu dignus est, à quo aliqua res sumpsit exordium.

61. DIfficilius fuit semper alicuius rei constituere principium, quàm prosequi rem inceptam. Illud facinus egregium semper fuit: hoc vel vanitas suadet, ne inconstantiæ nota inuratur incipiens, vel politica ratio id non permittit. Hispanè dicimus: *Obra por empeño, o razon de estado.* Semper ergo glorioſum fuit, & celebritate dignum alicuius rei fundamenta iacuisse. Nec hoc siluit Tertullianus cap. 11. de resurrectione carnis, eam manifestè ostendens ex eo, quòd Deus homines fecisset: *Quantò plus est fecisse*, inquit, *quàm refe-* Tertull.
cisse; initium dedisse, quàm reddidisse. Etiam apud Ethnicos magni habiti fuerunt rerum inuentores. Hæc gloria primatus.

4. Regum, 18. egregia opera Regis Ezechiæ magnis celebrantur encomiis: inter alia 62.
numero quinto, sic de eo loquitur sacer textus: *Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Re-* 4. Reg. 18.
gibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fue- n. 5.
runt. Noster Abulensis ibidem, quæst. 19. reuocat in dubium: an Ezechias fuerit melior
Dauide, & Iosia? Adducit rationem dubitan- Abulens.
di. Et in primis: *De Dauid*, inquit, *non videtur esse magnum dubium. De Iosia patet infrà 23. cùm dicitur, quòd non fuit similis ante eum, nec post eum surrexit similis illi.* Quomodo ergo hìc dicitur de Ezechia quòd non fuerit ei similis in iis, qui eum præcesserunt, nec in iis, qui secuti sunt? Dupliciter respondet Tostatus. Primò ait: Scripturam non dicere de aliquo, ei non esse similem ad excludendum, vel negandum maiorem gradum perfectionis in alio, sed solùm ad significandam maiorem perfectionem secundùm aliquam virtutem specialem. Sic enim ab Ecclesia de quolibet confessore dicitur: *Non est inuentus similis illi, qui conserua-* Eccl. 44. n. 16
ret legem excelsi. Ecclesiast. 44. num. 16. & tamen hæc verba de vno solo confessore non possunt intelligi, cùm pluribus adaptentur. Sensus ergo est: circa aliquam virtutem, in qua hic confessor specialiter floruit, non est inuentus similis illi. Vnusquisque enim circa aliquam virtutem specialiter versabatur, in qua alij non fuerunt ei similes. Secundò ad rem nostram respondet Tostatus; Dauidem non destruxisse excelsa, & idololatriam, sicut Ezechias: & in hoc iste absque dubio antecelluit Dauidem. Similiter etiam Iosiam excessit: nam quamuis Iosias omnem euerterit idololatriam, non sicut Ezechias. Quòd si opponas Ezechiam aliquam, Iosiam omnem idololatriam destruxisse: Ergo in hoc præstitit Iosias Ezechiæ. Respondet Tostatus satis aptè ad rem
nostram: *Non fuit Iosias similis Ezechiæ: quia* Abulens.
licèt Iosias destruxerit omnem idololatriam, quæ erat in terra perfectius quàm Ezechias: tamen non fuit ei similis. Quia Ezechias fecit hoc à seipso non habens aliquem priorem, cuius sequeretur exemplum. Iosias autem secutus est exemplum Ezechiæ. Expende sequentia. *Magna tamen laus est, quòd aliquis fecerit bona, quæ nullus antea fecisset.* Ita glorioſum est primordia rebus præbere, vt ex hoc solùm crescat valor in operibus: minora namque quia prima, excellentiora sunt. Iosias omnem idolorum cultum penitus deleuit, & eradicauit in Israël; Ezechias non omnem exterminauit idololatriam; & tamen hic illi præfertur, quia primus, & non aliùs exemplo ductus dissipauit excelsa, & contriuit statuas.

Glorioſè magnificauit Dominus Tribum 63.

Iuda, repulsis tabernaculo Ioseph, & Tribu Ephraïm, Iudæ familiam ad sceptrum, & coronam vocauit. Si hæc parua sunt, adiiciam multò maiora. Ex radice Iesse flos ille Nazaræorum Christus Patris æterni, & immaculatæ Virginis Mariæ Filius egressus prædicatur. 7Vtrumque habes diuino eloquio firmatum. Illud Psalm. 77. num. 67. & 68. vbi dicitur: *Et repulit tabernaculum Ioseph: & Tribum Ephraïm sed elegit Tribum Iuda montem Sion, quem dilexit.* Psal. 77. n. 6 & 68. Istud Isaiæ 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Isa. 11. n. 1. Sed cur inter omnes Tribus, Iudæ familia tanto cumulatur honore, vt ex ea reges, & omnium supremus Imperator ducat originem? An Leuitica Tribus, & familia Aaronis ad Sacerdotij fastigium euecta, non erat tanto digna pignore? An Iosephi posteri, tanti aui stemmatibus glorioſi, non merebantur, vt diuinum Verbum ex sua stirpe carnem assumeret? Cur ergo Tribus Iudæ omnibus anteponitur, & ex ea humanam naturam assumpsisse Dei Filius non dedignatur? Ni fallor propter aliquod huius Tribus facinus egregium. Narrat Lyranus ad cap. 14. Exodi, in illa verba, numero 22. *Diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel*, ex sententia communi Hebræorum, & etiam Catholicorum, Tribum Iuda post Moysem ante omnes Tribus ingressam fuisse per diuisionem aquarum. *Dicitur communiter ab Hebræis*, inquit Lyra, *& Catholicis, scilicet, quòd filij Israël formidabant intrare mare post Moysem: & tunc Tribus Iuda, quæ erat constantior, primò intrauit post Moysem, & aliæ consequenter consecutæ sunt, & quòd Tribus Iudæ ibi meruit Regnum.* Lyra. Ecce quomodo hæc Tribus primatu in ingressu primatum meruit in principatu. Imò non solùm Regnum, sed Regum Regem ex ipsa promeruit nasciturum.

64 Inter fluenta Iordanis baptizatur Iesus: & cœli adamante solidiores vltro, vt suum confiterentur authorem, aperti sunt; Spiritus sanctus in columbæ specie descendit super illum; & tandem æternus Pater voce clara intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Mat. 3. n. 17. Matthæi 3. numero 17. liceat hîc quærere: cur cùm Christus Dominus inter Ioannis fluenta baptizatur, aperiuntur cœli; descendit Spiritus sanctus, & æternus Pater verum suum Filium promulgat: & cùm ex illibata Virgine in porticu Bethleemitico nascitur, non Personæ diuinæ, sed Angeli eum Saluatorem annunciant? In præsepio iacens maiori indigebat testimonio, vt verus Deus crederetur, quàm inter vndas Iordanis: quare ergo hic à Patre, & Spiritu sancto honoratur, & illic acclamatur ab Spiritibus cœlestibus? Occurrit Caietanus subtiliter, vt assolet, manifestans mysterium. *Quia*, inquit, *Baptismus Christi initium erat officij Christi; ideo exordium tanti officij consecratum est tot mysterijs.* Caiet. A die natiuitatis vsque tunc Christus Dominus nondum fuerat cognitus, sed reputabatur sicut vnus de populatibus, & muneris, ad quod venerat, nondum clare aggressus fuerat exordium: ex tunc verò Euangelicæ legis constituebat principium, instituendo Baptismum, quo ianuæ cœlestes reserarentur: illinc ducitur in desertum ab Spiritu sancto, vt ieiuniis vigiliis, & orationibus quadraginta dies consumeret, & diabolo superato mirabilia patraret. Cùm igitur Christus à Iordane mirandæ vitæ, & sui muneris clarum præberet exordium: quid mirum non ab Angelis, sed à Patre, & Spiritu sancto rarò, & inaudito celebretur applausu? Nam ita illustre est, tem aliquam inchoare, vt qui illius præcipuum se præbet authorem absque dubio honorifico plausu dignus existat.

Duodecim nomina filiorum Iacob erant incisa in lapidibus Onychinis: *Sumes duos lapides onychinos*, &c. 65. Sed cur nomina Abrahami, Isaaci, & Iacobi non erant inscripta? Principaliores fuerunt hi Patriarchæ, & omni veneratione digniſſimi: cur ergo eorum nomina fuerunt exclusa ab hac honorifica inscriptione: & Iacobi filiorum, qui non ita erant benemeriti (imò plures scelerati) cælatura admissa? Quia filij Iacob primi procrearunt in Ægypto. Ex eis enim populus Israëliticus primùm pro verè Dei cultu dura sub Pharaone seruitute affligi cœpit. Meritò ergo cùm Sacerdos ad populi tutelam ornatur, filiorum Israël nomina gemmarij cælatura ornantur in gemmis: quia magnam gloriam merentur, qui alicui negotio præbent initium.

ILLATIO LXXX.

Diuina benignitas maiori honore afficere solet lugentes sua peccata, quàm iustos nulla peccatorum sorde maculatos.

SEmper humana malitia manus intendit 66. conferre cum diuina misericordia: hæc intentat benefacere; illa diuinæ beneficentiæ viam occludere, non desistit. Nec ob hoc Deus misericordiarum Pater, & totius consolationis thesaurus reuocat gradum, sed instanter pulsat, & ardenter vocat, ianuam suæ misericordiæ patefaciens, & animæ ingressum desiderans. O felix hospitium! O anima quanto studio debitas gratias debes rependere pro tanta benignitate. Dole, vt deleas, peccatorum maculas contraxisse. Non te pudeat pœnitere, quæ peccare non erubuisti. *Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat*, (suadebat Tertullianus libro de pœnitentia, capite septimo,) *pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari.* Tertullian. Ad tantam dignitatem atolleris, si pœniteat, vt Deus te pluris faciat pœnitentem, quàm habuisset non peccantem. Id expressit Diuus Petrus Damianus sermone 56. qui est de sancto Martino, his verbis: *Consuenit enim Deus honorare pœnitentes magis, quàm innocentes: reuertentes plus, quàm remanentes: quia deuotior est feruidus pœnitens, quàm tepidus innocens; cum ille materiam feruoris habeat, hîc tepiditatis.* Pet. Damian.

In se reuersus filius ille, qui petulanter, adhuc viuente patre, hæreditatem petierat, & eam luxuriosè viuendo dissipauerat, rediit in paternam domum. Tunc piissimus pater misericordia motus, & velut præteritæ offensæ 67.

oblitus filium manibus trahit, claudit gremio, ligat lacertis, & felici aduentu lætus seruos
Luc.15 à n.22. vocat, dicens eis: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Lucæ 15. à num. 22. Non miror, tot pietatis signa in patre piissimo erga redeuntem filium: quod non possum non mirari, est, conuiuium lautum parari, & in absentia maioris filij, qui semper obediens, semper gratus mansit apud patrem, tanta celebritate iuniorem filium recipi. Quomodo ego primogeniti oblitus, huic tantùm impendit fauorem? Senioris absentiam non dolet patet, & iunioris aduentum celebri conuiuio, suaui symphonia, & celeri choro celebrat alacriter? Hinc senioris filij quærimoniæ amaræ ortum duxere, cùm patrem
Ibid n.29. alloquitur, ibidem, num. 29. *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterii, & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meritricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Iustè videtur hic filius queri de paterna pietate erga filium ita profligatum, qui procaciter petierat à patre substantiam, quæ illi contigerat; cùm ipse apud patrem manens, & nunquam mandatum suum præteriens, tantam nunquam sit expertus largitatem. Hic filius semper obtemperans nunquam à te recessit, ô pater piissime, & continuo tuæ voluntatis fuit assecla: cur ergo in rebellem filium es singulari studio & beneuolentia, cùm erga tuæ obedientiæ cultorem eximium tua gratia videatur extincta? Sed mirari desinam, si huius parabolæ me non subterfugiat arcanum. Communiter dicitur, per seniorem filium, iustum, & Dei amicum designari; per iuniorem, verò, qui beneficiorum Dei oblitus infaustè à sua gratia recessit, tamen peccata suâ dolens, ad meliorem frugem confugiens, in Dei domo receptum peccatorem conuersum denotari. En ergo tibi: cur Deus tot redeunti filio sparsit beneficia, cùm erga in domo paterna semper manentem videatur contraxisse manum. Ille enim peccatorem pœnitentem designabat; iste animam semper apud Deum gratam præseferebat. Vt ergo Deus quanto afficiatur gaudio, cùm peccator conuertitur, ostentet; aduentum flagitiosi filij, conuersi tamen, conuiuio, symphonia, & choris celebrat, & vitulum occidit saginatum, cùm pro obedienti filio nec hædum occidisset, magis lætus de regressu illius, quàm de huius obedientia. Præclarè Tertullian.
Tertullian. lib. de pœnit. c. 8. rem hanc expendit: *Deus scilicet*, inquit, *tam pater nemo, tam pius nemo: Is ergo te filium tuum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipit. Quia rediisti, magis de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætatur.* Expendas obsecro præfata verba: *Magis de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætatur.* Quid est hoc? Quasi dicat: magis Deo placet conuersio peccatoris, quàm obedientia iusti.

68. Vidit ille latro ad exitum vitæ iam vocatus patientis domini tolerantiam, & diuino inspiratus afflatu sic ad Iesum dicebat: *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.* Lucæ 23. numero 43. Cui sine mora Christus respondit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Cyrill. Hierosol. cat. 13. raptus in magnam admirationem exclamat dicens: *O ingentem, & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur: Nondum Moyses, & Prophetæ, etiam latro iniquus ingreditur.* Iure optimo miratur Cyrillus: nam si Abraham fidelium pater; si Moyses fideliissimus seruus Dei; si Patriarcharum, & Prophetarum Chori nondum sunt ingressi in paradisum; quomodo latro iniquus ingreditur? Digniores fuerunt illi, quàm iste. Ergo ante istum meruerunt ingredi. Cur ergo illi tot sæculis à die obitus in tantæ felicitatis expectatione manserunt, & latro celeri cursu, ne dicam volatu, à cruce in paradisum peruenit? Audi Cyrillum sic prosequentem: *Admiratus est etiam Paulus dicens, vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.* Latro fuerat ille, non inficior, & paulò antea in cruce pendens, cum alio latrone, Christo improperabat. Matth. 27. num. 44. tamen vt Lucas refert cap. 23. num. 40. in se reuersus alterius latronis reprehendebat blasphemias, & Christi innocentiæ præco propriam accusabat nequitiam, diuinam implorans misericordiam: &, vt vno verbo dicam, ex peccatore pœnitens factus memoriam ausus est petere, qui in Regno non audebat petere domicilium. Ecce, cur Patriarchis, & Prophetis præfertur: quia vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia; vbi abundauit nequitia, superabundauit & celeris pœnitentia.

Cyril. Hier.

Luc. 23. n. 43

Matth. 18. num. 12. & Luc. 15. num. 4. Scitam deperditæ ouis parabolam Discipulis proponebat Christus. Erat quidam Pastor habens gregem centum ouium: ex his vna, aut herbæ cupedia, aut florum admirans varietatem, recessit à grege: tandem inter frutices perdita, Pastoris, & gregis immemor, luporum periculis mansit exposita. O infelix ouis, quàm carè emisti herbam pascuorum! Sed non nimis infelix: nam sedulus Pastor errantis ouis flagrans remedio, vbi primùm deperditæ pecudis miseriam agnouit, diligenter inquirit mansionem eius. Ascendit in montem, descendit ad vallem, fruticum folia reuoluit, & denique ouem deperditam inueniens, gaudens super humeros imposuit, conuocans amicos, & vicinos, vt illi congratulentur, quia ouem inuenit, quæ perierat. Tunc sic prosequitur Chri-
69. stus: *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem Iustis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. num. 7. Per oues nonaginta Angelicam naturam intelligunt Interlineal. & Caiet. ad hunc locum, per desertum cœlum, & per pecudem perditam naturam humanam. Hoc prælibato dubium se offert: quomodo cœlestis ille Pastor homines Angelis præposuit, in cœlo istos relinquens, vt illos lucrifaceret? Aut quî fieri potest, vt in cœlo maius sit gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem Iustis, qui pœnitentia

Luc. 15. n. 7.

non

non indigent? An pluris facit Deus peccatorem conuersum, quàm Iustos, qui nunquàm peccatorum sordibus suam vitam macularunt? Respondet Glossa Ordinaria ad præfata verba Lucæ: *Dicit ergo maius gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem Iustos, qui non indigent pœnitentia. Quia vt quotidie experimur, qui illicita non commiserunt, & in rebus licitis sæpè sibi vsum præbent, ad cœlestia, anxiè non anhelant. Et quia securi sunt, ad bona agenda pigri remanent. E contrà autem peccator plerumque facit. Maius ergo gaudium de eo, quàm de stante Iusto, vti Dux in prælio, plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm eum, qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit.* Deperditam ouem cœlestis ille Pastor super humeros portat; quia ouis illa, quamuis aberrauit, tamen pœnitens reuersa est in caulam. Alias oues, quæ iustos designabant, nunquam super humeros portauit, nec de firmitate earum tantum gaudium accepit, quantum de regressu ouis deperditæ: vt exinde noscamus pluris pœnitentes facere, quàm Iustos, qui pœnitentia non indigent.

Gloss. Ord.

70. Filiorum Iacob nomina in lapidibus onychinis sculpi Deus iubebat, exclusis nominibus Abraham, Isaac, & Iacob: quia ex illis, si Ioseph um, & Benjamin fortè excipias, nullum inuenies à peccatorum maculis purgatum. Rubem vt constat Genes. 35. num. 22. & 49. num. 4. ascendit in cubile patris sui, & maculauit stratum eius dormiens cum Bala concubina Iacob. Simeon, & Leui vt patet Geneseos 34. num. 25. in vltionem stupri Dinæ vrbem Regis Sichem depopulati sunt, &c. Et furor eorum maledicitur à Iacob. Genes. 49. n. 7. Iudas incestum commisit cum Thamar. Geneseos 38. num. 16. & sic de pleriſque, & ad minùs omnes præter Benjamin traditioni Ioseph consenserunt vendentes eũ Ismaëlitis. Geneseos 37. à num. 26. Abraham autem Isaac, & Iacob iusti semper, semper diuinis obtemperabant mandatis: illi etsi scelerati fuerunt, pœnitentiam agentes doluerunt Ioseph um tradidisse. Quid ergo mirum si Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, eorum filij præponantur? Nam licèt hi fuerint peccatores, tamen egerunt pœnitentiam. Meritò ergo in gemmis Sacerdotis horum nomina cælantur, exclusis nominibus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, qui pœnitentia non egerunt.

ILLATIO LXXXI.

Sola virtutis prosapia, viri probati est genus clarissimum.

71. QVanti homines faciant præclaram auorum nobilitatem: quantique æstiment gentilitia stemmata in foribus pendere, nemini dubium est. Sed hæc nobilitatem solùm probant humanam, quæ sanguinis fulget claritate: at animarum nobilitas virtutum illustratur insignibus. Id agnouit Seneca dum dixit: *Nec altis inclytum titulis genus, sed clara virtus.* Sed melius Diuus Ambrosius libro de Noë, & arca vtramque nobilitatẽ distinxit, his verbis: *Probati viri genus virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem gratia clarificatur splendore virtutis.* Quid prodest homini præclara maiorum origo, si improbitate vitæ auorum gesta deturpet? Quid stemmata? Quid vexilla? Quid coronæ, si vitiis mancipatus tenetur misera seruitute! Esto virtutis studiosus, & veram consecutus es ingenuitatem, præclaram habes prosapiam.

Seneca. Ambros.

De limo terræ, & extra paradisum olim Deus hominem condiderat: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Geneseos 2. num. 7. Hebraïc. *E puluere terræ legit.* Septuaginta: *Et finxit Deus hominem puluerem de terra.* Idem legit Paraphr. Chaldaïc. Chrysostomus: *De tenuissimo, ac vilissimo puluere.* Et Procopius: *De parte inutili, ac superflua.* Hæc fuit primi hominis origo: non sic vxoris eius, quæ mater est viuentium; sed ex ipso Adamo in paradisum voluptatis trãslato. Genes. 2. n. 21. & 22. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Clariora fuerunt absque dubio mulieris incunabula, quàm hominis. Hic namque è puluere tenuissimo, ac vilissimo, & extra paradisum sumpsit originem: illa ex hominis costa, & inter delicias paradisi formata. At licèt mulier nobiliorem haberet ortum, tamen viri subiiciebatur imperio. Non leue hinc dubium resurgit: cur Eua, quæ illustriori, quàm Adam claruit origine, eius subiicitur potestati? Ortus ingenuitati quasi ex iustitia ius imperandi debetur. Quomodo ergo, qui obscuriorem, ne dicam vilem, habuit originem, præfertur mulieri in nascendo clariori? D. Ambros. lib. de parad. cap. 4. non casu, sed ineffabili Dei consilio id factum putat, dicens: *Aduerte, quia extra paradisum vir factus est, & mulier intra paradisum; vt scias, quòd non loci, nõ generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradisum factus, hoc est in inferiori loco, vir melior inuenitur: & illa, quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit.* Homo absque dubio, etsi in ortu ignobilis virtute clarior erat muliere. Hæc nobilior, sed citiùs gratiam perdidit, quàm ille, quem decepit suadens esum pomi. Meritò ergo homo, qui illustriori ornabatur virtute, mulieri præfertur, & super eam obtinuit dominium: Vt exinde noscas, apud Deum non claritatem generis, & ortus, sed virtutum prosapiam magni haberi. Hæc est vera nobilitas, & illa nisi probatis moribus exornetur, probrosa erit, & obscura.

72. Gen. 2. n. 7. Septuag. Chald. Chrysost. Procop.

Gen. 2. n. 21. & 22.

Ambros.

Maximus erat Iob inter omnes Orientales. *Eratque vir ille magnus inter Orientales.* Iob primo, numero tertio, Hebræa ex Vatablo legit: *Maximus omnium Orientalium.* Septuaginta: *Nobilis inter eos, qui à Solis ortu.* Origenes libro primo in Iob rem explicuit, dicens: *De genere optimo ex partibus Orientis: tanquam si diceret, omnibus, qui sunt in partibus Orientis generosior, atque melior*

73. Iob. 1. n. 3. Hebraïc. Septuag.

Origenes.

fuit, nobilior, hic atque ſublimior erat. Si autem quæras: quomodo Iob ex genere optimo, cùm ex Adam, & Eua, qui per inobedientiam ſunt præuaricati; & ex Eſaü, & ex filiis eius, qui erant valde contumelioſi duceret originem? Rubem primogenitus Iacob; Simeon, & Leui filij Iſraël non dicuntur de genere optimo; & Iob ex impiis, nempe ex filiis Eſaü, qui ex proſapia Edom ducebant originem, ortus eſt, hoc titulo condecoratur? Reſpondet Origenes loco citato: *De genere optimo dicitur Iob ex ſanctitate, ex iuſtitia, ex pietate, ex fide, ex miſericordia, ex Dei cultura, ex vero animo, ex corde puro, ex bonis cogitationibus. Ex iſtis ergo omnibus bene natus dicitur Iob, ex iſtis omnibus generoſior eſſe reputatur, quaſi in Dei familiaritate, quaſi in Dei clientela, tanquam, qui Deo fuerit affinis, propter animam veram, & fidem, atque iuſtitiam integram.* Non ex carnali generatione, non ex maiorum præclaris geſtis, & gentilitiis ſtemmatibus, non ex pereunte generoſitate Iobus ex genere optimo dicitur (hæc namque apud Deum non magni habentur) ſed nobiliſſimum eum reddiderunt opera veritatis, & ſanctitatis officium. Quia ergo Iob omnibus refulſit virtutibus; ideo nobiliſſimus refertur, tametſi ex impiis, & contumelioſis parentibus originem traxerit. E contrà Rubem, & fratres eius quamuis maiorum præclaris facinoribus ditati; quia ſcelerati fuerunt, nobiles non narrantur: vt agnoſcas virtutis ſtemma ſolum eſſe clariſſimum, ingenuitatis, & nobilitatis index.

Origenes.

74. Luc. 1. n. 59. Tit. Boſtr.

Titus Boſtrenſis in cap. 1. Luc. ad illa verba, num. 59. *Et factum eſt: in die octauo venerunt circumcidere puerum*, &c. Sic inquirit: *Cur lege ſancitum erat, ne vlli omnino infanti ante ſuſceptam circumciſionem nomen imponeretur?* Audi reſponſum: *Quia par erat, vt per ſignaculum, quod Deus præceperat, hoc eſt, per circumciſionem primò omnium in Dei populum cenſerentur, ac tunc demum humano nomine inſignirentur.* Quod eſt dicere: priùs infans Dei nobilitate ornabatur, hoc eſt, diuina gratia per circumciſionem collata, qua Dei filius conſtituebatur; & deinde auorum nominibus, & ſtemmatibus ornabatur. Creata enim nobilitas parui pendenda eſt, ſi diuinæ amicitiæ ſit expers. Quod ſatis Deus explicuit, cùm in lege præcepit, circumciſionem præmitti, antequam infantibus nomen imponeretur; vt vnuſquiſque magis de ingenuitate virtutis, quàm de nobilitate auorum gloriaretur.

75. ad Gal. 3. n. 7

Reprehenderat Apoſtolus Paulus Galatas, eo quòd cùm Euangelium recepiſſent, iterum ad Iudaïſmum redierint, & ait illis capite tertio, numero ſeptimo: *Cognoſcite ergo quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.* Fideles ergo ex mente Pauli tantùm filij Abrahæ. At hoc videtur difficile. Nam multi credunt, qui ab Abrahamo non ducunt originem: & multi ab eo deſcendunt, qui Deo non credunt. Quomodo ergo ſolùm qui ex fide naſcuntur, ſunt filij Abrahæ? Quia qui Abrahami fidem non imitantur, quamuis ab eo ducant originem eius nobilitatem non accipiunt. Id explicuit Paulus ibidem, numero vigeſimo nono: *Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.* Nota connexionem conſequentiæ. Ex eo quòd aliquis ſit Chriſti, infert Apoſtolus, condecoratum eſſe Abrahami nobilitate: quaſi dicat, qui Chriſti non eſt, tametſi ab Abrahamo ſecundùm ſanguinem deſcendat, non debet Abrahæ filius reputari: ſicut è contrà, qui Chriſti ſeruus eſt, & eius ſeruat mandata, etſi ab Abrahamo non ducat originem ſecundùm promiſſionem hæres eſt nobilitatis Abrahami. Ibid. n. 29.

76. 1. Reg. 9. n. 6.

1. Regum, 9. numero 6. de Samuële dicitur, quòd erat vir nobilis: *Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac, vir nobilis.* Diuus Gregorius ibidem ſic ait: *Nobilis dicitur, qui ſuperna conuerſatione conſpicuus eſt, & de mundanæ vitæ ruſticitate nihil habet.* Ac ſi diceret: non tam dicitur Samuel nobilis, quia à præclaris parentibus ortus, quàm quia iuſtitia, & ſanctitate fulgebat. Hæc enim eſt vera nobilitas.

77.

Nomina filiorum Iſraël in gemmis fuerunt ſculpta; non quia ab Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo ducebant originem, ſed ob id, quòd licèt antea præuaricati fuerint, poſtea in ſe reuerſi, conſecuti fuerunt iuſtitiæ, & amicitiæ Dei candorem. Nobiliores fuerunt propriis virtutibus, quàm ſtemmatibus maiorum. Parum enim illis eſſet, ex tam præclara ſtirpe oriri, ſi propriis geſtis nobilitatem ſanguinis non exornaſſent: vt præclarè docuit Cæſarius Arelatenſis homilia 4. dicens: *Quid prodeſt, quòd liber eſt in natura, qui ſeruus eſt conſcientia? Videmus nos extrinſecùs generis claritate ſublimes, intrinſecùs mentis infirmitate degeneres.* Ergo vera nobilitas non auorum ſtemmatibus, ſed virtutum illuſtratur inſignibus. Cæſ. Arel.

ILLATIO LXXXII.

Virtutum ſplendoribus fulgere tenentur, qui maiorum præclara ſtemmata hæreditarunt.

78. QVicumque ſuis maioribus dignum ſe præbere deſiderat, ſciat, quòd omni ſtudio, & obſeruantia virtutem colere tenetur. Pulchrè Diuus Hieronymus: *Nihil aliud video in nobilitate appetendum, niſi quòd nobiles quadam neceſſitate conſtringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent.* Maiorum ſtemmata, & inſignia non ideo appetenda ſunt, quia apud homines magni penduntur; ſed quia habentes ea, quadàm neceſſitate conſtringunt ad viam virtutis amplectendam. Hieron.

79. Pſalm. 4. n. 3. Hebraic. 4. Chald. Septuag. Aquila, & Symma. Vatablus.

Non ob aliam cauſam regius Pſaltes hominum vitia redarguebat Pſalm. 4. num. 3. dicens: *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Hebraïc. legit: *Filij inclyti: filij nobiles, vſquequo graui corde?* Chaldaïc. *Vſquequo honor meus ad vituperium.* Septuaginta: *Vſquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem.* Aquila, & Symmachus: *Vſquequo glorioſi mei, ſeu gloria mea.* Vatablus: *Vſquequo Potentes, ac Principes.* Si Vulgatum ſequamur textum, contra omnes peccatores acriter in

inuehitur Dauid: si autem aliorum amplectamur versiones, solùm nobiles reprehendit. Sed cur nobiles tanta reprehensione dignos existimauit? Vel cur si eos nobiles, glorioſos, honorem, vel gloriam suam appellat, ex hoc ipso eos redarguit? Quis quando aliquem vituperat, honore,& gloria eum exornat? Quomodo ergo Dauid cùm eos increpat, inclytos, nobiles, & honoratos appellat? Bene Eusebius: *Glorioſos enim ad deteriora prolabentes, ſuggillat ſermo.* Quod est dicere: In memoriam eorum nobilitatem reuocat, vt eos quasi quadam necessitate constringat, vt vitia deserant, virtutes colant, & ad bonam frugem se conuertant: alioquin ipsa nobilitas vituperium est, & honor hæreditarius in ignominiam conuertitur: *Vſquequo honor meus ad vituperium: vſquequo inclyti mei ignominioſè diligitis vanitatem.* Nullo enim efficaciori argumento eos reducere potuit, quam hæreditariæ nobilitatis memoria. Sic enim nobiles virtutem colere tenentur, vt ipsa nobilitas compellat eos ad deserenda vitia, & viam virtutis sectandam.

Euseb.

80. Confessione mirabili, & à Patre luminum collata Apostolorum apex, totius Ecclesiæ caput, & firmissima petra Petrus Christum Dominum confitetur filium Dei: *Reſpondens Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Matthæi 16. num. 16. Tunc Dominus magnificiens Petri confessionem, Beatum eum appellat, & Ecclesiæ tradidit principatum. Ibidem, num. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæreo in illa causali: *Quia tu es Petrus*, &c. An quia Petrus est petra, ei committitur Ecclesiæ principatus? Quid enim habet Petrus cum fundamento Ecclesiæ; aut quid Pontificatus sublimitas cum Petri cognomine? Non ergo hæc causalis videtur certa. Sed accipe sensum argumenti, & non hæsitabis amplius. Petrus, & Petra idem prorsus sonant: mutat Christus Petri nomen, & qui antea Simon dicebatur, nunc Petrum appellat, & super eum fundaturus Ecclesiam promittit; vt cognomine Petri condecoratus Apostolus, operetur iuxta nominis excellentiam. Petræ nomen Christo Domino Paulus accommodauit. 1. ad Corinthios 10. numero 4. dicens: *Petra autem erat Chriſtus.* Et hoc nomen Christi proprium tranfertur ad honorandum Petrum, vt habeat consortium in nomine, qui operis consortium habet, vt ait Augustinus sermone 2. in cathedra Sancti Petri dicens: *Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur, & operis.* Quod est dicere: gaudeat Petrus Christi cognomine, siquidem eleuatur ad opus fundandi, & regendi Ecclesiam, quod est opus proprium Christi: vt habens in nomine affinitatem, habeat in operatione similitudinem. Infert ergo Christus, ex eo quòd Petrus sit petra super eum fundandam Ecclesiam: quia ex tanti nominis excellentia, quasi infallibili connexione sequitur, Petrum teneri à tanta nobilitate, quam ex nomine accepit, quo velut affinis videtur Christi, non esse degenerem.

Matth. 16. n. 16.

Ibid. n. 18.

1. ad Cor. 10. n. 4.

August.

81. Matth. 6. num. 9. sic Christus Discipulos instruit, vt breuiter, & efficaciter orent: *Sic ergo orabitis. Pater noſter, qui es in Cœlis*, &c. Sed cur si Deus collaturus est beneficia, non instruit Discipulos Christus, vt orationem exordiantur dicentes: *Deus noſter, qui es in Cœlis*, siquidem vt Deus confert auxilia, & beneficia? non vt Pater? Quare ergo Patris nomine præmisso vult Christus, vt incipiat oratio? Forte, vt piissimi paterni nominis memoria faciliùs beneficia largiatur: nam multum valent filiorum preces apud Patrem. Sit ita. Verùm aliam ad nostrum institutum non contemnendam rationem adducit Chromatius Aquileiensis concione in cap. 5. Matthæi: *Quia igitur tanti muneris*, inquit, *gratiam conſecuti ſumus, vt non ſolùm ſerui, ſed etiam filij efficeremur; quaſi filij Dei agere, & conuerſari debemus: vt id nos eſſe, quod dicimur, ſpirituali actu probemus, ſecundùm quod Ioannes in epiſtola ait: qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia natiuitas Dei cuſtodit illum, & diabolus non tangit illum.* Ideo ergo Christus Discipulos ad orationem instruens, Deum inuocare Patrem exhortatur, vt cuius Patris sint Filij agnoscant, & tantæ filiationis non immemores suis operibus id, quod sunt manifestè comprobent. Nam huius filiationis recordatio est obligatio strictissima, quæ eos constringit ad operandum, vt decet tanti patris filios. Vnde, qui nobiles nascuntur, tantùm debent sanguinis generositati, vt ad virtutem colendam (etsi abesset præceptum) iure propriæ, & ingenuæ natiuitatis obligantur.

Chrom. Aq.

82. Visitauit Maria Elizabeth, *& exultauit infans in vtero eius.* Lucæ 1. num. 41. Chrysostomus citatus apud Metaphrastem mense Iulio ait, hanc Ioannis exultationem adhuc in vtero materno existentis fuisse quamdam impatientiam sanctam, eo quòd ibi detineretur; vel clamorem, & voces, quas mittebat, vt illinc Christum Dominum annunciaret. Sed ad quid istæ voces, quæ immaturæ videntur? Vel quæ esse potest huius impatientiæ causa? Nondum, ô Ioannes, extra ventrem vita frueris, & iam desideras, Christum prædicare? Egredere, & tunc illum annunciabis: quare ergo impatiens vociferaris illa exultatione? Audi Chrysostomum nomine Ioannis respondentem: *Video Dominum, qui naturæ impoſuit terminos, & non expecto tempus naſcendi: nouem menſium tempus mihi non eſt hic neceſſarium, in me eſt enim, qui eſt æternus, egrediar ex hoc tenebroſo tabernaculo, rerum mirabilium compendioſam prædicabo cognitionem.* Nota quæ sequuntur. *Sum ſignum: ſignificabo Chriſti aduentum. Sum tuba: proferam Filij Dei in carne diſpenſationem.* Quod est dicere: impatiens erat Ioannes intra maternum vterum, & illinc voces emittebat: quia Verbi æterni esset vox, ex proprio munere tantæ nobilitatis tenebatur illum prædicare. Quòd si intra vterum matris perfectè non poterat, eo modo, quo ei permittebatur, præstitit: ne tanta nobilitate non solùm parentum, sed dignitatis tubæ, & vocis æterni Verbi, condecoratus, si munus suum non adimpleret, existimaretur degener.

Luc. 1. n. 41.

Chrysost.

83. Ob hanc causam Aaron Patriarcharum nomina inter sacrificia semper in humeris, & in pectore portabat incisa in lapidibus. Adest

Beda. Beda lib. 3. de Tabernaculo, cap. 4. *Vt idem populus*, inquit, *scripta in veste Præsulis sui patrum nomina videns, curaret sedulò, ne ab illorum meritis desciscens, ad errorum contagia declinaret. Ad hoc enim valet, vt dictum est: & pones in vtroque latere superhumeralis memoriale filiis Israël.* Proponitur auorum nobilitas, vt ex ea excitentur nepotes ad virtutem sectandam, & ad egregia facinora patranda. Est enim hæreditaria nobilitas strictissima ad bene operandum obligatio.

Illatio LXXXIII.

Si ascendere cupis, opus est, vt descendas; sic enim videberis quasi super caput Dei eleuari.

84. CHrysostomus homilia tertia in Matthæum Baptistæ humilitatem miratus, cùm de Ioan. 1. n. 17. Christo loquens dixerat: *Cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*, Ioan. 1. Chrysost. num. 27. Sic ait: *Minimum de se sensisse tam magnum est, quàm maximas res feciſſe: quod si non adsit, nec illæ potuerunt esse laudabiles.* Baptista nullum patrauit miraculum: tamen quia indignum se iudicauit ad soluendam corrigiam calceamenti Christi, cùm esset maior inter natos mulierum, (vt explicat Augustinus) idem est, ac maximas res feciſſe: quia ad culmen miraculorum ascendit, qui ad profundum humilitatis se demisit. Ad tantam celsitudinem, qui se humiliat, eleuatur, vt quò magis se demittit, eò altiùs attollatur gloriosè. Ob hoc Augustinus dicebat de verbis Domini: August. *Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est: quid tendis pedem vltra te? Cadere vis, non ascendere. A gradu incipe, & ascendisti.*

85. Refert Ioannes Apocal 4. num. 8. illa quatuor animalia, quæ erant in circuitu sedis, &c. Apoc. 4. n. 8. & ait: *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis.* Sed cur tot alæ singulis animalibus conceduntur? Diuus Ambrosius ad hunc locum tenet per has viginti quatuor alas quatuor animalium, totidem sedilia seniorum, qui erant Ambros. in circuitu throni intelligi: *Senas verò alas*, inquit, *quatuor animalium si simul iunxeris, viginti quatuor inuenies. Videntur ergo mihi eandem significationem habere, quam & viginti quatuor sedilia.* Hoc haud facilè videtur. Nam quî per animalium alas idem potest designari, quod per sedilia seniorum? Alæ enim ad volatum destinatæ sunt, non ad sedendum: è contrà sedilia ad sedendum non ad volandum præparata: quomodo ergo Ambrosius alas confundit cum sedilibus? Audi iterum ipsum, & mentem eius intelliges: *Sedilia hæc*, inquit, *cùm semper terræ hæreant, eos qui in eis requiescunt, ad terram aliquantulum incuruant. Alæ verò, eos quibus innexæ sunt, ad excelsa subleuant.* Sed multò minùs rem nunc capio. Quia si ex mente Ambrosij sedilia eos, qui in eis requiescunt ad terram aliquantulum demittunt, & alæ ad excelsa attollunt: quomodo alæ idem significare possunt, quod sedilia? Diuersa munia alæ, & sedilia habent: non ergo confundendæ sunt alæ cum sedilibus. Quam aptè concludit Mediolanensis Antistes: *Sed hæc sedilia Patribus noui Testamenti in alas conuersa sunt: quia libros veteris Testamenti spiritualiter intelligentes per eorum doctrinam ad cœlestia quotidie subleuantur.* Ac si dicat: quia sedilia in terram incuruant Seniores, ac si alæ essent, reputantur; siquidem eos ad cœlestia subleuant. Hoc est: Sedilia eos humiliant, cùm ad terram incuruant: non ergo mirum, quòd in altum eleuent. Nam in Dei Schola idem est, se demittere in terram colendo humilitatem, ac ad sublimiora exaltari. Rectè ergo Ambrosius alarum ministerium cum sedilium munere confundit: quia quantùm sedilia deprimunt, tantùm attollunt alæ. Descensio namque gradus est, non descensus.

Super spinosum rubum ardentem, sed non 86.
combustum apparuit Dominus Moysi: Exod. 3. num. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de* Exod. 3. n. 2. *medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Sentibus plenus totus erat thronus, in quo Deus Moysi dignatus est apparere; & taperum pedum suorum non floribus variegatum, sed vepribus, & spinis abundabat. Faciamus hinc gradum ad caput 19. Ioannis, in eo num. 1. Sic dicitur: *Et milites* Ioan. 19. n. 1. *plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius.* O bone Deus satis ostendis, quanti facias vepres, & spinas! Nam cùm gloriosus in flamma ignis apparuisti Moysi, solium tuum vepribus ornasti: cùm te ludibrio lædunt Iudæi, sibilis insectantes, & tuum contemnentes regnum, spinis passus es coronari. Illic sentes sub pedibus; hîc super caput eleuas. Cur ergo spinas, quæ in illo throno sub tuis pedibus iacebant, nunc super caput tuum imponi sustines? Ni fallor: quia illius rubi spinæ sub diuini Verbi pedibus voluebantur; ideo idem verbum iam caro factum in tanto honore eas habuit, vt supra caput suum imponi permiserit. Quia si vepres illæ, cùm æternum Verbum Moysi apparere dignatus est, velut humiliorem quærentes locum, sub diuinis pedibus voluebantur, tantum eis Verbum honorem præstitit, vt proprio capiti, non vereatur imponere. Est enim humilitas quidam gradus ad summam celsitudinem ascendendam: sic qui se humiliat non descendit, sed ascendit in summum: quapropter si ascendendi flagras desiderio, à descensu animum ne auertas, & ascendes.

De peccatrice illa, postea tamen feliciter 87.
pœnitenti refert Lucas capite septimo, numero trigesimo octauo, quòd ad pedes Christi prolapsa rigauit eos, rigatos terſit capillis capitis sui, osculata est, & vnxit: *Stans* Luc. 7. n. 38. *retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Hæc facta sunt cùm apud Pharisæum discumbebat Christus: Quæ apud Simonem Leprosum, habes Matth. 26. num. 7. *Cùm autem Ie-* Mat. 26. n. 7. *sus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Quæ verba vtrobique de eadem Magdalena, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, intelligunt

Chry

Chrysost. Leontius. Theophyl. Chrysostom. homil. 81. in Matth. & 61. in Ioan. Leontius, & Theophylact. in cap. 11. Ioan. Ad hæc: non fuisse idem factum, quod refert Lucas, & quod Matthæus narrat, sed diuersis temporibus accidisse: nam illud longè ante passionem Christi, hoc iam imminente passione, sensere Ambros. in cap. 7. Lucæ. Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. c. 69. & Beda ad cap. 26. Matth. His præiactis est dubium: cur Magdalena, cùm Christus apud leprosum discumberet, caput eius vnxit; & apud Pharisæum non caput, sed solùm pedes? Apud hunc pudore suffusa retro stabat, vt pedes vngeret: apud illum erecto, & confirmato animo caput vnxit. Quare ergo, quæ apud Pharisæum vngere caput non est ausa, apud leprosum caput non dubitauit perungere? Quia hæc mulier, vt apud Pharisæum pedes vngeret Christi, manus ad inferiora demisit, in quo Magdalenæ humilitatis profunditas emicabat: quapropter manus, quas, vt ad pedes accederent Domini, iudicabat indignas, Christus supra caput suum eleuauit. Drogo Hostien. de passione Domini vtrumque Magdalenæ factum expendens in eiusmodi me impulit cogitatum: *Quid memorem*, inquit, *de sepulturæ officio, quod præuenit? De pedibus ascendens ad vnctionem capitis.* Ac si diceret: Quia Magdalena manus suas ad pedes Domini demisit; ab vnctione pedum ad capitis vnctionem ascendit, hoc est, manus eius Christus supra caput suum sublimauit. Vide iam manus, quæ humilitate, & rubore vix ad pedes accedere audebant, honorificè ad caput subleuatas. Nec aliter possent ad tantam celsitudinem scandere, nisi sese vsque ad Christi vestigia humiliter demitterentur. Quamobrem S. Paulinus epistol. 4. ad Sulpitium exemplo Magdalenæ nos admonet, dicens: *Pedibus ergo Christi oscula casta figamus, vt mereamur à pedibus in caput surgere.* Quod est dicere: magnus esse vis? Desideras ascendere? Cogita priùs de fundamento humilitatis: cogitatione descende ad infimiora; hoc est, teipsum abiice: & quantùm te demiseris, tantùm in altiora subleuaberis.

Ambros. August. Beda. Drog. Host. Paulinus.

88. Super solium excelsum, & eleuatum viderat Deum Isaias: Seraphini stabant super illud, vnus senas habebat alas, sicut alter, & ambo in diuinis laudibus decantandis non otiosi. De his quæ sub throno erant, sic ait Propheta cap. 6. num. 1. *Et ea, quæ sub ipso erant replebant templum.* Pagninus *Ex* Hebræo legit: *Et fimbriæ eius replebant templum.* Satis controuersum est: sub quo erant ea, quibus templum replebatur: an sub Deo vel sub throno? Nam illud, sub ipso, ad vtrumque referri potest, nisi sequamur Pagninum: quia fimbria propriè denotat alicuius vestis oram. Sint igitur ea, quæ replebant templum, vel sub Deo, vel sub throno; vel fimbriæ diuinæ vestis, qua tunc ornatus apparuit, repleant templum: quidquid sit de hoc non impedit aliud dubium. Nam quî fieri posset, vt illa, quæ erant sub throno, templum replerent? Quia si totum replent templum, & thronus est intra illud, etiam thronus illis replebitur. Insuper: cùm Deus sederet in solio, videtur etiam supra ipsum Deum fimbrias Dei, vel quæ sub Deo, aut sub throno erant, collocari. Quia si iis templum repletur, à pauimento vsque ad fornices, & tecta erat necesse totum illis occupari. Ergo à fortiori ea & supra thronum, & supra ipsum Deum situm haberent. Quod omnibus difficillimum videtur. Quid ergo in negotio tam abdito dicendum est? D. Bernardus serm. 2. de Verbis Isaiæ rem hanc faciliorem reddit: nam per illa, quæ sub Deo, aut throno erant, intelligit humilitatem colentes, eos videlicet, qui de se ita humiliter sentiunt, vt vix se iudicent dignum diuinorum pedum tapetum; non sicut superbus ille Angelus, qui super astra solium suum exaltare tentauit, & superbia sua regnum illud turbans, concussit muros, & postrauit in parte, & parte non modica. Audi Bernardum: *Et ea, quæ sub ipso erant replebant templum: Vt manifestè intelligas, non eam altitudinem commendari, quæ extollitur aduersùs eum, sed eos in templo, siue in solio fore, qui sub eo sunt, alios quidem excelsos stabilitate solida, alios ex imo leuatos miseratione diuina.* Hoc est dicere: Quia humiles tanta humilitate demiserunt se, vt vix Dei fimbriam attingere, vel sub eius pedibus esse, reuerenter, & religiosè non auderent, diuinam maiestatem venerantes: idcirco templum replebant, supra eius fornices, & tecta locum habentes, ita vt supra ipsum Deum viderentur collocari: *Sed eos in templo, siue in solio fore, qui sub eo sunt.* Tanti pendit Deus humilium abiectionem, vt eos à pedibus subleuet ad caput: imo super hoc imponere non dedignetur.

Isai. 6. n. 1. Pagninus. Bernard.

89. Filiorum Israël nomina incisa erant in humeris, & pectore sacerdotis, & excusa nomina Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Sed cur? Acutè Caietanus ad cap. 28. Exod. *Non sunt sculpta in eis nomina Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob. Si enim de memoria gloriæ esset sermo, Patriarcharum nomina essent sculpenda: sed quia de memoria suffragij agitur, ideo nomina filiorum Israël in memoriam suffragij pro vniuersis tribubus sculpta sunt.* Portabat sacerdos hæc nomina tam in humeris, quàm in pectore, vt suffragium à Deo pro populo assequeretur: ne ergo de Patriarcharum origine gloriarentur Israëlitæ, cùm in Deum preces effundebant, omittitur gloria Patriarcharum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, vt cum humilitate, & animorum abiectione Deum exorarent. Sic enim illustriores euaderent absque dubio. Quia quò magis se abiicerent, eò ad sublimiora attollerentur. Tanti enim humilium Deus facit humilitatem, vt qui ex toto corde, & religioso animo se parui pendet, eum supra caput suum videatur subleuare. 89. Caiet.

Illatio LXXXIV.

Quod prælatum, & antistitem fecisse, vident; id sibi omnes faciendum putant.

90. Reipublicæ specula sunt prælati, & in eos subditi intentos, & defixos habent oculos,

los, & quidquid in eis vident, imitandum iudicant. Aptissimè D. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum: *Domus Episcopi, & conuersatio quasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.* Ob hoc etiam Chrysostomus hom. 10. ad Hebræ. sic ait de prælatis loquens: *Eum, qui regendos alios suscepit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar solis, cæteros velut stellarum igniculos in sui fulgore obscuret; debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur.* Speculum, & exemplar cæterorum est antistes: quare tanta vitæ claritate tenetur reliquos antecedere, sicut sol præstat stellis, ne ob prælati vitæ turpitudinem subditi in eadem scelera prolabantur. Ita namque prælatorum facta subditorum animos excitant; vt ij sibi faciendum non dubitent, quod antistitem fecisse vident.

Hieron. Chrysost.

91. Post transitum maris rubri, & trium dierum itinere peracto per desertum Sur sitis molestiis oppressi venerunt in Mara filij Israël, nec tamen poterant bibere aquas de Mara, eo quòd essent amaræ. Cúmque siti penè essent enecti murmurauerunt contra Moysem: at ille diuina fretus benignitate clamauit ad Dominum, vt populum à tanta liberaret molestia: cui Dominus ostendit lignum, vt eo in aquas immerso amaritudinem in dulcedinem commutaret. *Ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Exod. 15. num. 25. Si tamen quæras: cur immissione huius ligni aquarum amaritudo versa sit in dulcedinem? Respondet Stephanus Cantuarien. apud Godofridum ad hunc locum, idcirco factum, quia per istud lignum crucis sacratissimum signabatur, cui affixus Christus passionis suæ amaritudinem, vti præclarum, & dulcem calicem potauit. Videntes ergo filij Israël, vel huius exemplaris vmbram, aquas, quas paulò antea nec libare audebant propter amaritudinem, ebibere non recusant, quanuis earum dulcedinem ignorarent, ante oculos habentes Christum affixum cruci, & in ea regali diademate redimitum, & (licèt in figura) passionis suæ calicem amarum libenter potantem tanquam dulcem. Audi Stephanum ad mores præfata verba detorquens: *Si tu inueneris aquas Marach: id est: si pœnitentia tibi videtur amara: respice lignum crucis: reduc in memoriam beneficium passionis, & sic tibi omnis tribulatio dulcis fiet.* Quod est dicere: si tibi pœnitentiæ austeritas, felle, & amaritudine plena videatur; memor esto amaritudinis dominicæ passionis, & pœnitentiæ rigor fiet suauis: quia ibi conspicies Christum omnium regem clauis confixum, spinarum ignominioso, & crudeli diademate coronatum, flagellatum, consputum, & virum dolorum. Ita namque efficax præsulis est exemplar ad eius sequenda vestigia, vt quod ab eo factum conspexerint, non dubitent, etsi difficillimum imitari.

Exod. 15. n. 25. Steph. Cant.

92. Exod. 17. num. 1. refertur transitus filiorum Israël à deserto Sin in solitudinem Raphidim: *Igitur profecta est omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas iuxta sermonem Domini.* Caietanus ad hunc locum notanter aduertit, fuisse specialem hunc Dei loquendi modum: *Et cùm multifariam*, inquit, *multisque modis loquatur Deus, modus loquendi in proposito erat ipse motus columnæ. Per quietem siquidem columnæ dicebat Deus populo, vt quiesceret: per motum autem, & iter columnæ, dicebat, vt moueretur, & sequerentur columnam.* Iure optimo hic loquendi modus specialissimus visus fuit Caietano: sed nescio, an fuerit aptus, vt populus diuinam intelligeret iussionem. Quid in illa columna splendebat, vt ad motum eius moueretur populus, & quiesceret, dum staret? Hoc eloquium perdifficile videtur: sed profunda satis est cogitatio Caietani. Columna illa, vel Angelum, vel Dominum continebat, iuxta illud Exod. 13. num. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore.* Et Psal. 77. num. 14. *Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Itaque Deus, vel Angelus eius loco, qui populum ducebat, mouebat illas columnas, vel eius nutu sistebant: vnde columnarum motus, vel quies ducentis, & regentis populum erat actio. Cùm igitur Israëlitæ conspicerent motum, vel quietem columnæ, inferebant ducem antistitem, & præsulem eorum vel quiescere, vel moueri. Ecce quomodo Deus annunciabat populo per columnæ motum profectionem eius, & per quietem eiusdem populi mansionem. Quia ita efficax est ad subditorum animos mouendos quodcunque factum antistitis; vt ad excitandos Israëlitas ad motum, vel mansionem, omni eloquentia secluſa, & prolatione verborum, sat fuerit motus, vel quies columnæ, in qua populi regens residebat. Meritò ergo dixit Caietanus, motum columnæ fuisse specialem modum, quo Deus cum populo loquebatur; & ego addo, efficaciſſimum fuisse; quia non verbo, sed exemplo loquebatur.

Caietan. Exod. 13. n. 21. Ps. 77. n. 14.

93. Insultabat Dauid idola gentium, & vt ea clariùs suggillaret, simulque ad omnipotentis Dei cultum excitaret populum Israëliticum, canebat Psalm. 113. num. 4. *Simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur*, &c. Sed cur non dixit: simulachra gentium ferrum, aut æs, siquidem ex his metallis forsan alicubi erant fabricata? Aut cur non lapidea, cùm multa fuisse marmorea nemini dubium est? Quare igitur aurea, vel argentea simulachra, vel idola refert Dauid? S. Gaudentius tract. 9. sic ait: *Studio tacuit cæteras viliores materias metallorum, vt in pretiosis multò magis damnaret, & vilia.* Quod est dicere: cùm superior, aut princeps ob vitæ, & morum corruptionem à Deo reprobatur, subditus absque dubio, qui eum imitatus fuerit, & in similia prolapsus scelera etiam damnatur. Bene. Sed ob aliam causam puto Dauidem non reuocare in memoriam lignea, lapidea, ferrea, aut alia gentium idola, sed solùm argentea, & aurea. Quia cùm horum meminisset, & apud gentes esse simulachra argentea, & aurea memorasset, superfluum sibi videbatur aliorum metallorum inferioris, & vilioris materiæ facere mentionem.

Ps. 113. n. 4. Gaudent.

tionem. Eſt enim aurum omnium metallorum pretioſiſſimum, & velut princeps, argentum quaſi regina. Ergo cùm Dauid increpans gentium idola, aurea, & argentea referat; etiam videtur ſuggillare, & referre alia ex inferiori materia fabricata: ſupponens tanquam certum, quòd ſi aurum omnium metallorum princeps ſuppeditauit materiam ad fabricam idolorum, cætera metalla abſque dubio miniſtrarunt. Nam ſic apud ſubditos magni habetur quodcumque ſuperioris factum, vt quod iſte fecerit, non dubitent imitari.

94. Tam in humeris quàm in pectore portabat Aaron nomina filiorum Iſraël in gemmis inciſa; vt ipſe, & populus Patriarcharum memoria ad eorum imitanda facinora egregia excitarentur. Sic Beda lib. 3. de tabernaculo c. 4.

Beda. *Aaron*, inquit, *nomina Patriarcharum inter ſacrificia ſemper in humeris, ſicut & in pectore portabat: videlicet vt ipſe fidem, vitamque Patriarcharum meminiſſet imitari.... Et auditoribus ſuis ſemper cœleſtia, ſiue ſua, ſiue patrum exempla, quæ ſequantur proponat.* Idem docuit Arnoldus Carnotenſ. tract. de verb. Domini. Sed ad quid ob oculos Patriarcharum geſta proponebat ſacerdos? Vt ea populus ſequeretur. Scit enim Deus quantùm valeant maiorum exempla, vt ſubditorum alliciant voluntates ad ſui imitationem.

ILLATIO LXXXV.

Timenda eſt, vel minima peccandi occaſio.

95. PEriculoſa res eſt, periculorum non timere fallaciam. Maximè periclitatur, qui minùs præcauet; ſicut qui damna veretur, firmam ſecuritatem conſequitur. Perbellè Tertullianus lib. de cultu fæmin. cap. 2. ait: *Qui præſumit, minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt: præſumptio impedimentum timoris.* Magna ei imminet calamitas, qui periculis credit: hoc ſummum damnum eſt, & lucrum maximum mente attenta omnia diſcrimina præcauere, & incertam ſperare fortunam. Quam aptè proſequitur Septimius: *Vtilius ergo, ſi ſperemus nos poſſe delinquere: ſperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo ſalui erimus. Qui ſeuerus agit, non eſt ſolicitus, non poſſidet tutam, & firmam ſecuritatem. At qui ſolicitus eſt, is verè poterit eſſe ſecurus.* Præcauenda ergo ſunt non ſolum incerta diſcrimina; ſed magno ſtudio vel minima periclitandi materia fugienda eſt, ne à firma ſecuritate in grauiſſima damna prolabamur.

Tertullian.

96. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Dicebat Iob cap. 31. num. 1. Septuag. ibid. *Fœdus poſui oculis meis, & non intelligam ſuper virginem.* Hoc eſt: clauſi oculos; virginem non aſpexi, & nec minima cogitatio de virgine mihi ſe obtulit. Nam qui viſum impedit, ianuas occludit, vt in intellectum nec minima ſubrepat cogitatio. Qui leuia non timet, in grauiora incidit abſque dubio. Rectè hoc explicuit Gloſſa ibidem. *Viſum,*

Iob 31. n. 1. Septuag.

Gloſſa.

inquit, *ſequitur cogitatio; cogitationem delectatio; dilectationem conſenſus; conſenſum opus; opus conſuetudo; conſuetudinem neceſſitas; neceſſitatem deſperatio; deſperationem damnatio.* Quis ex celeri viſu tot conſequi mala cogitaret? Parui intereſſe videtur, alicuius obiecti aſpicere pulchritudinem: at in breui oculorum vaſculo lethale venenum animæ propinatur. Nam quod vidit oculus, cogitat intellectus, appetit voluntas, conſequitur, & delectatur; ac tandem conſummatur opus. Ex quo peccandi conſuetudo, quæ velut altera natura inſurgit, ducit ad gehennam. En ergo tibi, quomodo ex aſpectu leui grauiſſima inſurrexerunt damna. Prudenter ergo Sanctus Iob viſum auertebat à virgine, ne ex viſu in tot prolaberetur diſcrimina, ſimulque nos erudiebat, vt nec leuiſſimæ peccandi fidamus occaſioni.

97. Incauta prima mulier prohibitæ arboris aſpexit pulchritudinem; & vix folia viridantia oculos eius rapuerunt, cùm ad fructum deſiderium fuit excitatum. Quid inde? *Et tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Geneſ. 3. num. 6. D. Bernard. apud Godofridum ad cap. 3. Geneſ. mulierem alloquens ſic eam interrogat: *O Eua quid tam intentè tuam mortem intueris? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet?* Cur O incauta fœmina attento animo illius arboris intueris pulchritudinem, ſub cuius foliis tuæ mortis latitiat venenum? Aut quomodo aſpectus eius te delectare poteſt, cuius fruitione morieris abſque dubio? Introducit Bernardus Euam reſpondentem (& eſt id, quod frequenter peccator reſpondere ſolet, vt vel culpam tegat, vel excuſet) *Oculos quidem intendo, non manum.* Ego (ait mulier) ſolùm arboris pulchritudinem intueor, non præcipio fructum; mihi Deus non prohibuit viſum, ſed eſum: *Non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam.* O mulier, væ tibi! Prope eſt, vt comedas, ſi vides: nam ſi ad prohibitum applicas viſum, prope eſt, vt deſideres, quod intueris. *Et ſi culpa non eſt* (concludit Bernard.) *culpæ tamen indicium eſt. Niſi mens ſe minùs curiosè ſeruaret; tua curioſitas tempus vacuum non haberet.* Sic infeliciter contigit, nam tulit de fructu arboris, & comedit. Ergo quia mulier nimis præſumens incautè vidit arboris pulchritudinem, miſerè prohibitum fructum concupiuit, & tandem concupitum comedit, deditque viro ſuo, qui & comedit totam ſuam poſteritatem, & ſe capitali pœna condemnans. Vide, quot damna ex incauto, & leui viſu pullularint. Si enim mulier viſum cohiberet, fructum non deſideraret, nec illo veſceretur.

Gen. 3. n. 6.

Bernard.

98. De virginibus fatuis ſic refert Matthæus c. 25. num. 5. *Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Sed cur ſi ſomno fuerunt conſopitæ, refertur earum dormitatio? Sat eſſet narrare, quòd dormierant: nam ſi dormiiſſe fuit culpa, in ea includitur dormitatio, quæ eſt velut libatio ad ſomnum. Quare ergo & ſomnum, & dormitatio referuntur? Caietanus ad hunc locum reſpondet magno acumine: *Dormitando incurrerunt dormitionem expectantes ſponſum.* Ac ſi diceret: Ideo facer Euangeliſta cùm dormitionem

Matth. 25. n. 5.

Caietan.

refert,

refert, dormitationem non tacet, vt innueret, ex dormitatione somnum proueniſſe. Patum videbatur, dormitare virgines, cùm expectabant ſponſum : at ex dormitatione in profundiſſimam dormitionem ſunt prolapſæ; & exinde lucernæ ſunt extinctæ, repulſam paſſæ ſunt, & à nuptiis excluſæ. Certè ſi non dormitaſſent, non dormirent. Timenda ergo eſt, vel minima oculorum incuria, ne ex illa graue peccatorum ſomnium conſequatur.

99. Iubet Chriſtus cuidam diſcipulo, vt ipſum ſequatur; excuſatur diſcipulus, eo quòd iret ad ſepeliendum patrem : ſed Dominus maioris ponderis iudicans eius ſequi veſtigia, ſic reſpondit : *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Lucæ 9. num. 60. Nimis dura, ne dicam crudelis videtur hæc reſponſio : nam ſi filius ille pietate erga parentem motus, eum ſepelire cupiebat: cur Chriſtus, qui parentes præceperat honorare, diſcipulum à paterno funere reuocat, ad quod etiam extranei, vt defunctum honorent, conuocabantur? Chriſtus pietatem filij erga parentem impedit? Hoc alienum à Dei pietate videtur. Sed Iſaias Abbas orat. 21. admitationem extinxit his verbis : *Ideo venienti ad ſe, dicentique ſequar te Domine; ſed permitte, vt priùs diſponam ea, quæ in domo mea ſunt, prohibuit : quoniam ſi ea vidiſſet, cor eius iterum ad illa declinaſſet.* Prohibuit ergo Chriſtus diſcipulo iam ad eius ſequelam parato in paternam domum redire, non prohibuit pietatem erga parentem, niſi ne videns ea, quæ relinquebat, eorum alliceretur amore, & ab incepto opere deſiſteret. Ita enim periculoſum eſt, ea, quæ animum à virtutis via retrahebant, intueri; vt vel viſum eorum non permittat Chriſtus adhuc ſub tantæ pietatis prætextu : quia vel minimæ occaſioni, quæ à virtute poteſt auertere, præcludenda eſt via, etiam ſi vel celer viſus ſit.

Lucæ 9. n. 60.

Iſaias Abbas.

100. Ioannes 1. cap. 5. num. 21. ſic ſcribebat : *Filioli cuſtodite vos à ſimulachris.* Sed cur non dixit : fugite idololatriam, ſed ſimulachra? Tertullian. de corona militis cap. 10. ſic reſpondet : *Filioli, inquit, cuſtodite vos ab idolis, non iam ab idololatria quaſi ab officio, ſed ab idolis, id eſt, ab ipſa effigie eorum.* Quaſi dicat : non ſolùm fugienda eſt idololatria, ſed etiam ſimulachrum, cui cultus per eam exhibetur. Nam ſiquis videret idolum, in maximo diſcrimine eſſet idololatriæ. Viſus auertendus eſt à ſimulachris; ne per viſum deſiderium idololatriæ irrepat in animam.

1. Ioan. 5. n. 21.

Tertullian.

101. Notatu dignum eſt, neque in Ephod, neque in gemmis eius alicuius aſtri, aut animalis effigiem, permiſiſſe Deum, ſculpi, aut variegari. Ephod opus erat polymitum, & variegatum, vt in littera num. 23. expoſuimus: in gemmis inciſa erant nomina filiorum Iſraël, & alicuius rei ſimulachrum omnino excluſum. rationem huius excluſionis explicuit Abulenſ. quæſt. 9. in cap. 28. Exodi, his verbis : *Operis varietas, id eſt ſuperhumerale variatum multis figuris, ſed non figuris animalium, aut corporum cœleſtium : quia ſic moueri poſſent ad idololatriam omnes Iudæi videntes.* Non permiſit Deus in Ephod ſpectra, aut ſimulachra depingi, nec in gemmis ſculpi, vt viam occluderet idololatriæ populo in eam ſatis propenſo : nam eorum aſpectu forſan Iudæi ad ipſorum cultum excitarentur. Ita vel minima peccandi occaſio periculis eſt obnoxia, vt vel celerrimus oculorum motus timendus ſit: quare vel leuiſſima peccandi via occludenda eſt, ne in grauem peccati ruinam nos perducat.

Abulenſ.

ILLATIO LXXXVI.

Nemo id, quod non eſt, vſurpet, ſi quod eſt conſeruare deſiderat : Qui ad altiora, quàm valet, aſpirat, infeliciter corruet.

102. QVi ſuperbè vltra ſuam ſphæram aliquid deſiderat; primo aſpectu magnanimus apparet, ſed re vera non eſt. Ob hoc dicebat Auguſtinus ſerm. 22. de natiuit. Domini : *Eſt enim ſuperbia non magnitudo, ſed tumor. Quod autem tumet, videtur magnum, ſed non eſt ſanum.* Immoderati, & inſolentis animi eſt conditio, ſupra ſe extolli, & altiora deſiderare : magnanimi verò non excellentia, & quæ ipſum ſuperant, ſed ſibi proportionata quærere. Tumeſcit, qui plus, quàm par eſt, de ſe præſumens, ad altiora contendit. Magnus videtur, ſed non eſt ſanus, quemadmodum ille, qui tumore corporis laborat. Quamobrem, ſi illud, quod es conſeruare deſideras, ne elato animo vſurpes, quod non es; & ſic quod es collocabis in tuto. Caue, ne ad altiora, quàm vales, aſpires, ſi non vis infeliciter corruere.

Auguſt.

103. Peccatores execrans Dauid ſic Deum deprecatur Pſalm. 67. num. 3. *Sicut deficit fumus, deficiant : ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* D. Auguſtin. ad hunc locum inquirit : *Quare fumo comparati ſunt?* An quia peccatores tenebrarum operti caligine obſcuritatem imitantur fumi? Vel an quia ſicut fumus naturaliter in cognitionem ignis facit deuenire; ſic peccatores ſigna ſunt ſuorum flagitiorum. Fortè ob hæc fumo comparantur. Sed audi Aurelium : *Quia fumus erigit ſe, extollit ſe tanquam in cœlum; ſed quantò fit ſuperior, tantò facilius euaneſcit, & diſperit.* Fumus hoc ipſo, quo ignis accenditur extollit ſe per aëra, & in cœlum aſcendere præſumit : at quò ſublimiùs eleuatur, eò faciliùs euaneſcit. Non aliter ſuperbi altiora ſupra ſe conantur, & ambitionis vento turgidi omnem honorem aucupari intentant. Sed væ illis! Nam quò magis in altiora tolluntur, ſecuriùs ſibi parant præcipitium. Euaneſcunt enim ſicut fumus, qui, quò magis eleuatur, diſperit faciliùs. Si namque fumus flammæ proximitate contentus, non tolleretur in aëra, non periret, donec tota ignis reſolueretur ſubſtantia : ſed quia voluit ignis imitari naturam in ſuperna aſcendens; meritò immoderato aſcenſu ſuum comparauit interitum, ita infeliciter, vt nec ſuæ audaciæ minimum maneat veſtigium. Hoc erat, quod ſuperbis deſiderabat Dauid, cùm ait : *Sicut deficit fumus deficiant.* Quod eſt dicere : plectantur ſuperbi fumi ſupplicio; euaneſcant prorſus, vt ſuæ

Pſal. 67. n. 3.

Auguſt.

elationis

elationis nec leue maneat vestigium: quia extra suam sphæram ad altiora conantes, non animi præstantia, sed insolentia, quæ supra eos erant appetebant.

104. Formauit Deus hominem ad imaginem suam gratia, & donis supernaturalibus præditum, cui orbis concesserat principatum, vitamque tranquillam. Sed proh dolor! Fructum arripuit vetitum, æqualem se Deo putans euasurum, si ex eo comoderet, sicut serpens mulieri promiserat, dicens: *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* Genes. 3. num. 5. Non sic Baptista: nam iudicante populo ipsum esse Messiam, respondit: *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Lucæ 3. num. 16. Diuersimodè de se iudicauit Ioannes, quàm Adamus: ille vel domini corrigiam calceamentorum soluere se existimauit indignum; hic arrogantia tumens, non dubitauit cum Deo posse conferri. Quid inde? Adamus diuinam deleuit imaginem, principatum amisit, miseram vitam, & ærumnis plenam est consecutus: Baptista verò à Christo celebratur, eius sanctitas, & virtutes extolluntur, ita vt inter natos mulierum eo nullus sit maior, omnis sit inferior. Si diuersorum euentus cupis rationem, audi Augustinum serm. 4. de natiu. Ioan. *Adam lapsus*, inquit, *perdidit, quod erat, quia quod non erat vsurpauit.* De Ioanne sic loquitur: *Dixerunt homines cum fallerentur in eo: num fortè, hic est Christus? Respondit ille; quòd non erat, maneret, quod erat.* Adam, quæ habebat amisit, quia ad id, quod non habebat insolenti animo, & desiderio superbo contendebat: è contrà Ioannes, quod non erat recognoscens, fatetur non esse Christum, & mansit quod erat; quia quod non erat, non appetiuit.

Gen. 3. n. 5.

Lucæ 3. n. 16.

August.

105. D. Ambros. lib. de Elia, & ieiunio expendens verba illa Genes. 3. num. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum*: sic ait. *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Irridens vtique Deus, non approbans dicit. Hoc est, putabas te similem fore nostri? Sed quia voluisti esse quod non eras, desiisti esse, quod eras: intra te eras, sed dum supra te esse affectas, infra te esse cæpisti.* Sed videamus nunc, quando, aut quomodo primus homo infra se esse cæpit? An quia desit esse, quod erat? Ita fatetur Ambrosius. Sed quî fieri potuit, vt Adam, quod erat amisisset, si in suo esse permansit? Dauid Psalm. 48. num. 13. viam mihi aperuit solutioni, cùm de homine in culpam lapso dixit: *Et homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Cùm primùm homo peccauit, ex foliis ficus sibi parauit amictum; sed hic ornatus non placuit Deo; quare fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Homo foliis vestitus, non homo, sed arbor apparebat: at tunicis pelliceis indutus, nec homo, nec arbor, sed brutum videbatur: *Comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Et hoc *quia, cùm in honore esset, non intellexit.* Ecce quomodo, quod erat amisit, & habuit, quod non erat, eo quòd appetiuit, quod non erat. Homo erat, & homo mansit in naturalibus; sed quia à summo conditore erat auersus, transformatur in arborem, & in brutum.

Gen. 3. n. 22. Ambros.

Psal. 48. n. 13

Exemplo illius infelicis Angeli hoc ipsum confirmabimus. Dicebat in corde suo: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Isaiæ 14. num. 13. & 14. Admiratione dignum est, Angelum excellentissimo præditum intellectu, sic ambitione elatum, vt præsumeret, quod vel in hominem mediocris intellectus non veniret. (certè sapientum errores semper infelicitatem magnam prænunciant) In primis omitto huius Angeli insipientiam, qua contra Deum voluit conspirari, & eius æqualitatem superbo animo ambiuit. Faciamus gradum ad alias ineptias, quas in eius immoderato affectu reperimus. In cœlum desiderauit conscendere: Hoc absque dubio fuit ineptissimum; cùm adhuc esset in cœlo, & in empyreo creatus. Ergo vel appetit, quod habebat vel aliud: si quod habebat; amentia: si aliud; ergo inferius cœlum desiderabat. Deinde sedere in monte testamenti cupiuit, qui erat inferior cœlo; & tandem sedere in lateribus Aquilonis, & super altitudinem nubium. Omnia hæc, si attendamus, ad descensum potiùs quam ad ascensum ducebant Angelum. Ab empyreo namque, in quo fuit creatus, si ad aliud cœlum præparetur via, descensus est, non ascensus: similiter è cœlo ad montem Aquilonis, & nubium altitudinem, quæ monte isto sunt inferiores (vt de Olympo finxit antiquitas, cuius cacumen super omnes nubes erat erectum) ergo si Angeli deprauatum desiderium mandaretur executioni, descensus esset, & non ascensus. Nam si ascensurus esset à nubibus ad montem; à monte ad cœlum; à cœlo vsque ad empyreum; & hinc vsque ad solium Dei; ab inferiori loco ad sublimiorem pergere debuit, & non è contrà ab altiori ad inferiorem. Ergo commutauit ordinem Sed cur Angelus aliàs sapiens, & acutissimo ingenio præditus, cum ascendere intentat, ita insipiens est, vt eisdem mediis, quæ ad ascensum præparabat, se præcipitem dedit? D. Bernardus tract. de gradibus humilitatis in primo gradu §. 9. sic respondet: *O Lucifer, qui manè oriebaris, imo non tam Lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, rectus cursus tuus erat ab Oriente ad Meridiem; & tu præpostero ordine tendis ad Aquilonem! Quantò magis ad alta festinas, tantò celerius ad Occasum declinas.* Tenebatur Angelus ab Oriente tendere ad Meridiem, hoc est, à gratia, in qua fuerat conditus ad Meridiem meritorum peruenire: sed inuertit ordinem, ad Aquilonem, id est, ad ventos superbiæ, cupiens super astra exaltare solium suum: & quia quod non erat, appetiuit, & præpostero ordine tendebat in altum, qua elatione petebat in Aquilonem, declinauit ad Occasum, & perdidit, quod erat. O infelix Lucifer! Phosphorus pulcherrimus eras; sed quia plus æquo maiorem te existimasti, è radiorum centro in tenebrarum abyssum ex conuersus. Animata eras lux, sed prorsus iam extinctus tenebrarum es opertus

106. Isai. 14. n. 13. & 14. Bernard.

tus caligine. Corruisti, quia superbè ambiisti, quod non eras.

107. Pſ. 35. n. 12. Hæc præcauens Dauid petebat à Deo: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Psal. 35. num. 12. Sed cur non dixit, non veniant mihi pedes superbiæ? An quia superbia duos non habeat pedes? Profectò: superbiæ non incongruè vnus tantum per adscribitur, vt exinde noscamus ducere in præcipitium. Qui vnum tantum habet pedem, si ambulare desiderat, non gressus, sed præcipitium exoptat: nam vno pede gradiens, cadat, necesse est. Superbia igitur vnum tantum habet pedem; doceamur, eam non amplecti, si casum, & ruinam desideramus fugere. Petebat ergo Dauid à pede superbiæ liberari, vt à casu esset securus.

108. Nomina filiorum Israël, sex in lapide vno, & sex in altero erant sculpta, iuxta ordinem tamen natiuitatis eorum. Sed cur hic ordo in cælatura nominum præscribitur? Vt nemo eorum appetat diuersum locum, & situm præter descriptum à natura: & instruamur, nefas esse immoderato animo improportionata nobis appetere. Nam si inter filios Iacob hic ordo non seruaretur, magna inter tribus esset discordia, & contentio pro acquirendo loco in his lapidibus: & forsan putarent Israëlitæ, sibi licere improportionata appetere, ex quo populo maxima immineret ruina.

ILLATIO LXXXVII.

Qui dependet ab alio, semper illius, cuius fauore indiget, cognoscere studet voluntatem, ne contra eam aliquid efficiat, quod largitoris animum auertat.

109. QVam durum est ab aliquo dependere! Quam violentum præstare obsequium alicui, à quo gratia, aut fauor speratur! Et quam parum est fidendum ob instantem necessitatem obsequentibus! Hi potius inter adulatores, quàm inter verè obsequentes reputandi sunt: nam semper suspectum fuit, quod vltro non exhibetur. Nihilominus homines ita vtilitati propriæ sunt intenti, vt si alicuius fauore indigeant, eius voluntatis propositum desiderant intelligere, ne quod ei displicet, vel casu quodam efficiant.

110. Exod. 16. n. 4. Extensa manu Deus populum Hebræorum Manna de cœlo misso cibaturus promisit, modò ex cœlesti cibo nihil in sequentem diem seruaretur: *Dixit autem Dominus ad Moysem: ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non.* O bone Deus! tu qui scrutator es cordium, indiges ne experimento, vt quod facturus est populus intuearis, qui ab æterno omnia futura præsentia habuisti in æternitate? Ad quid ergo populus Manna per singulos dies collecturus est, ita vt nefas sit ei insequentem diem asseruari? Quando manus tua benefica nec populi diffidentia contrahitur, sed liberalissimè extenditur, ita vt nullus sit ad quem Mannæ subsidium non perueniat; tunc in sequentem diem asseruari vetas? Quàm prouide; & quàm Israëliticæ vtilitatis anxius! Nam si populus Manna ex vno die seruaret in sequentem; forsan cibi fretus subsidio à lege Dei animum auerteret. Cupiens igitur Deus, quòd populus legem seruaret inuiolabiliter, quotidie eis Mannæ ferculum liberalissimè largiebatur, prohibens tamen, aliquid ex eo seruare in sequentem diem; vt populus, in vastissima degens solitudine, à solo Deo sperare auxilium, & ob hoc ei ob temperaret; ne in tanta necessitate illis deficeret alimonia, si legem diuinam violarent. Audi Philonem Hebræum lib. 2. allegor. sic loquentem: *Sic enim fiet primum, vt ne simul, & semel exhaurian-* Philo Hebr. *tur immensæ opes gratiarum Dei, sed exundet torrentis in morem. Deinde: vt vnusquisque sumpta mensura, quæ sufficiat, reliquorum dispensationem permittat Deo. Qui verò vult omnia colligere, desperationem sibi parat, & molestiam maximam. Desperat enim, si nunc tantùm non etiam in posterum, sperat Deum sibi pluiturum commoda.* Prohibuit Deus, Manna in sequentem diem reseruari, vt quotidie à diuina largitate sperarent annonam, & sic Deum non offenderent Israëlitæ, quem tam munificum experiebantur, & à quo dependebant. Fuit hoc diuinum stratagema: nam ita humana cupiditas omnia propria metitur vtilitate, vt ei, à quo aliquem quæstum sperat, formidet displicere, & semper suo lucro intenta obsequia præstare satagit.

III. Luc. 12. n. 33. Vt Christus discipulorum animos confirmaret, & ne aliquo metu perturbarentur, sic eos alloquitur, Lucæ 12. num. 33. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Sed cur Dominus omnium bonorum alienationem discipulis suadet? O Domine! seruentur apud eos saltem, quæ ad victum necessaria sunt, ne tota suppellectili pauperibus erogata, cogantur statim mendicare: quare ergo omnium suades renunciationem? Chrysolog. serm. 22. putat, idcirco factum, vt hominibus, à quibus terrena auferri, vel largiri solent, non præstarent obsequium, Nam omni substantia pauperibus erogata, non ab hominibus, sed à Deo sperarent discipuli subueniendi: vnde non studerent illis placere, sed Deo, à quo erant recepturi subsidium: *Vendite, quæ possi-* Chrysol. *detis: Non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur.* Quia, qui nihil habet, in quo nec damnum pati, nec emolumentum possit accipere ab hominibus, eis non curat, placere; summa libertate operatur, & quod rationi consonat exequitur. Quam eleganter Basil. Seleuc. orat. 2. Independentiæ, & indigentiæ voluntaria commoda explicuit. *Etenim*, ait, *qui pecunias contemnit, etiam hic hoc* Basil. Seleuc. *commodo potitur, quod à superuacaneis curis, inutilibusque solicitudinibus immunis viuat. Sic quoque qui mundi gloriam calcat, eam in hac vita mercedem adipiscitur, vt nulli turpiter seruiat, sed vera vbique libertate gaudeat.* Quanta ab hominibus perpetrentur illicita, vt ei, quem auxiliarem habent, non displiceant, quæ nullatenus permitterent, si hac libertate gauderent, vel honores, aut lucra non amarent! Quanta etiam ab aliis impediuntur, quæ potentioribus placent, quia libertate Christiana

gaudentes

gaudentes nec honores ambiunt, nec temporales queſtus deſiderant! Impedit (crede mihi) rationi conſentanea efficere, ab hominibus dependere: nam qui alicuius indiget ope, abſque dubio ab eius voluntate, ſiue iuſta ſit, vel iniqua recedere, non audet.

112. Numer. 5. num. 9. *Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Iſraël ad ſacerdotem pertinent: & quidquid in ſanctuarium offertur à ſingulis, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit.* Sed cur Deus victui ſacerdotis prouidit rerum primitias? Sat enim erat, quod ſufficeret congruæ ſuſtentationi elargiri: quare ergo eum Deus tantis rebus abundare permiſit? D. Hieronymus Epiſtol. 128. ad Fabiolam reddit rationem: *Primitiæ ciborum, & omnium frugum, atque pomorum offeruntur antiſtiti: vt habens victum, atque veſtitum abſque vllo impedimento ſecurus, & liber ſeruiat Domino.* Quod eſt, dicere: Omnibus neceſſariis abundet antiſtes, vt ab hominibus independens, quæ Deo grata ſunt, exerceat. Dependentia namque ab aliquo mentes turbat, à ratione deuiat, & ſæpe ſæpius illicita obligat perpetrare. Vt ergo ſacerdos in omnibus, quæ Deo placent, abſque formidine operetur, non ſolùm neceſſariis fruatur, ſed copioſiſſimè rebus abundet, rerum omnium percipiens primitias.

Numer. 5. n. 9.

Hieron.

113. Mirabantur Iudæi, cùm Chriſtus Dominus, qui (vt eis videbatur) erat illiteratus, & imperitus, eos doceret, & admirabili modo confunderet. *Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.* Marc. 1. num. 22. Sed cur ſtupebant? Aut quid eſt, docere cum poteſtate, & non ſicut ſcribæ? Victor Antiochenus ad hunc locum ſic reſpondet. *Quia non loquebatur ad gratiam; nec vlli prorſus adulabatur; nec auditorum laudes captabat; ſed erat ſermo eius in poteſtate. Hortabatur enim non ad quæuis promiſcuè; ſed ad cœleſtia, & animæ ſalutaria; perfidiſque & obſtinatis peccatoribus imperterritè ſupplicia comminabatur.* Stupebant Iudæi ſuper Chriſti doctrinam, quia nihil ad voluntatem audientium; omnia pro veritate loquebatur. Docebat, quaſi poteſtatem habens, hoc eſt, loquebatur tanquam Dominus, & nullius rei indigus. Non ſicut ſcribæ, qui communem auram ambibant, & potentioribus adulabantur: ſed loquebatur ſecundùm veritatem, & non ad captandam gratiam. Quid ergo, quòd imperterritè crimina argueret Iudæorum. Nam qui aliquo indiget, & non ſolùm eius blanditur auribus, ſed vultus, & nutus inquirit eius, ne vel in minimo ei diſpliceat.

Marc. 1. n. 22.

Victor Antioch.

114. Hinc iam diu cogitabam, Deum optimum maximum (data hypotheſi impoſſibili, quòd infinitè bonus non eſſet) ex eo ſolum, quod à nemine dependet, non poſſe aliquid operari ſiniſtrè. Præcisè ratione ſuæ infinitæ bonitatis Deus nihil contra rationem operari poteſt. Fateor. Sed demus, per impoſſibile, Deo defuiſſe bonitatis attributum, dum tamen omnipotentiam concedamus, de eius rectitudine in operando nequit dubitari, ex eo quòd independens ſit. Nec hoc ſilentio prætermiſit Dauid cum Pſalm. 15. num. 1. dicebat: *Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Dominum appellat Deum ſuum Dauid, quia nullius eſt indigus; vnde ex independentia, quam Deus habet, colligit Dauid eius diuinitatem, & ex hac operum rectitudinem. Ergo de primo ad vltimum Dei bonitas in operando, ex independentia dignoſcitur. Nam ſi Deus ab aliquo penderet, diſcrimen pateretur in operando. Pone primum (quod nefas eſſet) & ſecundum indubitanter ponetur. Tanto enim impetu in obſequium illius, à quo pendemus, animum noſtrum attrahit dependentia; vt ſiue iuſtum, vel iniquum velit, abſque dubio eius blandiemur voluntati. Igitur Deus, quia independens eſt, Deus, & ſummè rectus eſt in ſuis operibus.

Pſal. 15. n. 1.

115. Cùm Deus miſit Moyſem ad Pharaonem, non conſtituit eum regem eius, ſed Deum Pharaonis conſtituit, ſicut ipſe dixit Exod. 7. num. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Sed cur Dominus non conſtituit eum regem, aut imperatorem, ſed Deum. Moyſes qui purus erat homo diuinitatis non gaudebat excellentia; imo puro homini repugnabat, ea gaudere: Quomodo ergo Deus, cùm eum miſit ad Ægyptum, Deum Pharaonis conſtituit? Non ſic loquitur ſcriptura, vt Moyſi diuinitatem tribueret, ſed vt fortitudinem animi, qua minabatur Pharaoni, oſtenderet: quia ſic cum eo loquebatur, ac poſſet, qui diuinam, & independentem poteſtatem haberet. Audi Abulenſem quæſt. 1. ſuper cap. 7. Exod. *Vocatur autem Moyſes Deus Pharaonis, id eſt, Dominus Pharaonis, quia tenebat poteſtatem ſuper eum ad infligendum plagas, & minas, & ſic ponit tranſlatio Chaldæica, ſcilicet, conſtitui te Dominum, ſiue maiorem Pharaonis; vel poteſt accipi pro Deo figuratè, ſcilicet, conſtitui te Deum Pharaonis, id eſt, non ſolùm dedi tibi poteſtatem ſuper eum, vt Dominus tenet ſuper ſeruum ſuum, ſed etiam te fieri Deum eius, id eſt, dedi tibi poteſtatem ſuper eum talem, qualem ſolus Deus habet, ſcilicet inferendi plagas, quæ ſolùm virtute diuina infligi poſſunt.* Conſtituitur Moyſes à Deo Deus Pharaonis, hoc eſt, Dominus, vel quaſi Deus habens poteſtatem ſuper eum, vt oſtenderetur independentia, qua Moyſes operabatur plagas infligens in Pharaonem. Solus namque Deus, aut qui Dei poteſtatem habet, & velut independentiam, hoc præſtabit. Quapropter ſummo Dei conſilio ſancitum eſt, vt totus ornatus Pontificis à ſolo Deo præparetur; & gemmæ illæ in humeris, & non in manibus collocarentur: quia ſi manuum deſeruirent ornatui, indigentiam potiùs indicarent ſacerdotis, quàm inſigne. Cùm ergo Pontifex totius Iſraëlis conſtitueretur præſul, meritò ab eo quidquid humanæ dependentiæ ſpecimen præſeferebat, relegabatur; ne ponderè indigentiæ obſtrictus populo potiùs aſſentaretur, quàm veritati. Sic propriæ vtilitatis homines commoda deſiderant, vt ei, à quo amplificari poſſe conſpexerint, omni iure poſtpoſito, non dubitent, acquieſcere.

Exod. 7. n. 1.

Abulenſ.

ILLATIO LXXXVIII.

Dei Filius post carnis assumptionem benignior, & liberalior apparet.

116. NEscio quid habet afflictionum consortium, vt siquis (etiamsi suprèmum comprehendas Monarcham) semel labores, & indigentiam degustarit subditorum, ex hoc discit, eorum subleuare miseriam. Sic princeps, quem instrumenta bellica non terrent, sed velut suorum clypeus militiæ adest, militum labores experiens, eorum commiseretur, & magnis honoribus militarem curam remuneratur. Non aliter æternum, & incommutabile Verbum omnium regum princeps, & Dominus, post assumptam carnem, nostri miserationes frangitur. Ante humanæ dignationis mysterium Deus erat terribilis, vt vel eius aspectum formidarent Hebræi: at postquam humanam assumpsit conditionem benignus, & spectabilis apparuit. Ob hoc Paulus ad Hebr. 4. num. 15. eos consolabatur dicens: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Vbi Angelicus doctor sic ait: *Sciendum est, quòd ly, posse, aliquando importat non nudam potentiam, sed promptitudinem, & aptitudinem Christi ad subueniendum: & hoc, quia scit per experientiam miseriam nostram, quam vt Deus ab æterno sciuit per simplicem notitiam. Psal. 102. Misericors est Deus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*

Ad Hebr. 4. n. 15.

S. Thom.

117. Vix primus homo exitialis pomi escam degustauit, cùm diuinæ vocis perterritus Echo Dei aspectum, licet incassum, fugere conabatur: *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui*, dixit Adam. Genes. 3. num. 9. ita post hominis lapsum diuina vox terrificè personabat; vt vel eius Echo timorem incuteret. Non sic cùm æternum verbum nascitur homo, & iacet in præsepio. Cùm enim Angelus ineffabilem eius ex virgine natiuitatem pastoribus annunciaret, procul pulsat timorem à cordibus eorum, dicens: *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.* Lucæ 2. a num. 10. Quibus auditis, & timore depositò ad fortitudinem, & bonam spem reuocati, dixerunt: *Transeamus vsque in Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est.* Ibidem num. 15. Mirabile sanè fuit, pastores, qui paulò antea magno afficiebantur timore, vel solo diuinæ claritatis aspectu, animos recepisse audientes saluatoris natiuitatem. Et quid dicam, pastores? Vix Magi, & idololatræ stellæ radios tantum beneficium muta voce annunciantes perceperunt, cum festinanter longam, perdifficilem, & molestiis plenam susceperunt viam, vt dominantium regem inuenirent, & inuentum adorarent. Matth. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* Sed cur quem Adamus timuit; idololatræ, & Magi non formidarunt? Si primi parentis præuaricatio ei tantum timorem incussit, vt timuerit vel vocem Domini audire: cur idololatris, & Magiæ deditis, dæmonibusque in vanis superstitionibus ministrantibus timor tanti sceleris viam non occlusit? Cur Magi videre non timent, quem tot flagitiis habebant offensum: & Adamus, qui semel, & ab vxore deceptus diuinam violauit legem, diuinum, prætimore, fugit aspectum, & Dei vocem audire recusat? Fallor, si hoc non prouenit ex diuersitate diuini status. Cùm Adamus tot beneficiis ingratus non sibi parcens, nec posteritati pepercit, diuinum contemnens mandatum; æternum Verbum nondum naturam nostram assumpserat. Quid ergo mirum, quòd tunc Deus terrificus esset, & formidabilis maximè peccatoribus? At cùm homo nascitur, quasi discens humanitatem, terrorem deposuit. Hinc pastores, & Magi in altam spem, & fortitudinem excitati, inquirere, & videre, non timent, quem peccator Adam, audire, & conspicere formidabat, iudicantes tunc pro tanto beneficio magis lætandum esse, quàm timendum. D. Bernard. serm. 1. de Natiuit. Domini. Deuotè, vt assolet præfatam rationem adducit his verbis: *Noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non puniendum, sed saluandum requirit: & ne fortè dicas etiam nunc: vocem tuam audiui, & abscondi me: ecce infans est, & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quàm timenda.* Diuinum Verbum iam caro factum, non ad puniendum, sed ad saluandum aduenerat. Cùm ergo homines ad se desiderasset allicere, infans est, & sine voce, ne sicut primus homo, terrore affecti fugiant eius conspectum. En ergo tibi: cur Magi, & idololatræ etsi eum reuereantur, non timeant: quia qui ante assumptionem carnis formidabilis apparebat, post tantum mysterium lenis ostenditur, & mitis.

Lucæ 2. n. 10.

Ibid. n. 15.

Matth. 2. n. 2

Bernard.

118. Accedentibus arca, & sacerdotibus ad Iordanis ripam, diuisa sunt fluenta: quædam cursum celeriter confecerunt; quædam ad instar montis steterunt, arcam & sacerdotes venerantia. (discant hinc homines venerari sacerdotes, quos insensibiles vndæ docent reuereri) *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant.* Iosue 3. num. 16. De Iordanis, & rubri maris fuga dicitur Psalm. 113. num. 3. *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.* Sed cur mare, & Iordanis fugiunt? Procul dubio diuinam præsentiam formidabat. Non sic Iordanis cùm Christus inter eius tingeretur vndas Matth. 3. & cùm ambularet super mare Matth. 14. quia nec diuisa est aqua, nec timuerunt vndæ. Sed cur tunc mare, & Iordanis diuiduntur, & fugam arripiunt; & cum saluator Dominus baptizatur in Iordane, & ambulat super mare terrore depositò vndæ non fugiunt? Cyril. Hierosolim. Cathe. 12. sic respondet: *Venit Christus, vt baptizaretur, & sanctificaret baptisma: venit, vt miracula operaretur, ambulans super aquas maris: quoniam ante carnis assumptionem, mare vidit illum, & fugit; Iordanis est conuersus retrorsum. Assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sustineret, & Iordanis sine timore illum susciperet.* In Iordane

Iosue 3. n. 16

Ps. 113. n. 3.

Cyril. Hier.

dane erat arca; in mari rubro columna: in vtraque diuina repræſentabatur maieſtas. Quid ergo mirum, quòd aquæ quaſi timore perterritæ ſe in fugam contulerint? Cùm tamen Dominus Iordanis aquas ſanctificans, baptizatur in vndis; & mirabili inceſſu per ſalum quaſi per ſolum ambulat; iam diuina maieſtas, humanæ naturæ aſſumptione, exuerat terrorem, lenitatem induerat, & celſitudinem diſſimulauerat. En ergo; cur aquæ, quæ olim Deum timebant, non perhorreſcere, ſed venerari didicere, certatim currentes, vt eius pides potiùs oſculārentur, quàm eorum veſtigia fugerent.

119. Mirificè hoc confirmabit aſſumptum Moyſis ad populum admonitio, cùm ad montem aſcenderet diuinæ legis recipiendæ cauſa. Exod. 19. n. 12. Exod. 19. num. 12. *Cauete*, inquit, *ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis enim, qui tetigerit montem morte morietur.* Sed quantò mitiùs cum legem gratiæ promiſit, ſe geſſit Deus, vt conſtat Ierem. 31. num. 33. Ierem. 31. n. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Nimis ſcrupuloſus videtur Deus legem veterem laturus; ſiquidem non ſolùm montis aſcenſum, in quo legem ferebat, verùm & montis prohibuit attactum: at legem gratiæ promittens ſuſcipientium viſcera, & ſubditorum corda præparauit ſtylum. Sed cur illic non legem, ſed montem, in quo lex ferebatur, attingentibus mors imminebat; & hîc non ſolùm manibus legem ſuſcipere, ſed corda, in quibus ipſa ſcribatur, deſiderat præparari. Chromatius Aquileienſis in cap. 5. Matth. ſic reſpondet: Cromat. Aquilei. *Quia in lege ſeueritas eſt, in Euangelio gratia: illic terror incredulis incutitur; hic credentibus benedictionum manus infunditur.* In lege veteri nondum Verbum æternum humanam carnem aſſumpſerat, & ſic illic terror incutitur; at in lege gratiæ, cùm iam noſtram expertus eſſet conditionem, mitior apparuit. Quid ergo mirum, ſi corda hîc ad legis deſideret ſtylum, qui illic nec manuum ſe permittebat attactui?

120. Huc vſque Deum mitiorem poſt aſſumptam carnem probauimus: reſtat nunc alteram noſtræ theſis partem confirmare, nempe, munificentiorem, & liberaliorem extitiſſe. Ex conſortio ſermonis Dei facies Moyſis fulgentiſſimis radiis apparuit coruſcans: Exod. 34. n. 29. *Cúmque deſcendiſſet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Exod. 34. num. 29. fulgebat Moyſes, ſed ſolùm in facie. Non ſic diminutè mittebat fulgores, cùm ſimul cum Elia Thaboris gloriæ teſtis adhibetur: vt conſtat Lucæ 9. num. 31. Lucæ 9. n. 31 *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate.* Seu, vt Origenes legit homil. 12. in Exod. *in gloria.* Totus glorioſus, totus ſplendens apparuit Moyſes, cùm Chriſti gloriam intuetur. Origenes. Audi Adamantium: *Nihil ergo aliud in lege glorioſum habet Moyſes, niſi ſolam faciem in Euangeliis autem totus glorificatur ex integro.* Hinc liceat inquirere: Cur Moyſes, qui cum Deo amicabile habebat colloquium, ex diuino conſortio ſolùm coruſcabat in facie legem accipiens; in Thabor tamen totus erat glorificatus ex integro? Si in Thabor tot radiis ſplendet, quia cum Deo habebat conſortium, nec hoc illi defuit in ſummitate Sinai. Vnde ergo totus, & ex integro Moyſes coruſcat in Thabor, & in Sinai ſolùm in facie? Nec id tacuit Origenes, dum ſic loquitur de Thabor: *Hic non refertur, quia glorificatus eſt vultus eius, ſed quia totus apparuit in gloria colloquens cum Ieſu.* Quod eſt dicere: Quia Moyſes colloquium habebat cum Ieſu, non ſolùm in facie, ſed totus apparuit glorificatus. Sed adhuc irretitum reliquit nodum Adamantius. Nam ſecundùm plurimorum doctorum aſſertum Verbum æternum ſemper in veteri lege Patriarchis, & Prophetis apparuit: Quare & in Sinai cacumine apparuiſſe Moyſi non eſt dubitandum. Ergo Moyſes in Sinai loquebatur cum Ieſu, quia loquebatur cum filio Dei. Quare ergo fulſit ſolùm in facie in ſummitate Sinai: in Thabor verò eſt glorioſus ex integro? Redeo ad rationem Origenis: *Quia colloquebatur cum Ieſu.* Ieſus namque idem ſonat ac Saluator. Vtramque Chriſti naturam diuinam ſcilicet, & humanam Saluatoris, & Redemptoris munus complectitur. Munificentius ergo fuit Verbum cum Moyſe in Thabor totum eum reddens ſplendidum, & fulgentem, cùm in Sinai ſolùm in facie ſplendeſceret: quia in Thabor Verbi incarnati gaudebat conſortio, in Sinai ſolius Verbi natura humana nondum aſſumpta.

121. Multoties Deus olim Patriarchis, & Prophetis dignatus eſt apparere. Apparuit Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Moyſi, Ioſue, &c. Sed ſicut ſolus deſcenderat è cœlo, ſolus iterum redibat. Non ſic in lege gratiæ. Nam in cruce pendens latroni eum confitenti, & memoriam ab eo poſtulanti, paradiſum promiſit eadem die poſſeſſurum: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Lucæ 23. num. 43. Sed cur Dominus, qui toties in veteri Teſtamento Patriarchis, & Prophetis dignatus eſt apparere, neminem ſecum reduxit in cœlum, nèc in alium locum; & è cruce in paradiſum (hoc eſt in ſinum Abrahæ, vt tenet Maldonatus in cap. 27. Matth. num. 44. & plurimorum Patrum auctoritate confirmat) deſcendit, & ſecum tulit latronem, vt ait Drogo Hoſt. de paſſio. Domini: *Nec tu Domine ſolus paradiſum introiſti.* Cur ergo tantis Patriarchis hæc liberalitatis ſigna non oſtendit, & latroni non ſolùm quod petierat, conceſſit, ſed ſecum in paradiſum reduxit? An huius latronis tot Patriarcharum merita ſuperarunt? Abſit. Quare igitur Deus liberaliorem ſe oſtendit cum latrone, quàm antiquis patribus? Quia latro eum vidit iam hominem factum: Patriarchæ puerum Deum viderunt. Ex hoc ergo, quòd noſtram aſſumpſerit naturam, maiora largitur beneficia.

122. Lapis Onychinus bis ſacerdotem ornabat; in humeris, ſcilicet, & in pectore; in Superhumerali, & Rationali. Si totum ornatum ſacerdotis diligenter diſquiras; ſi duodecim pretioſas gemmas apertiſſimis inſpicias oculis, nullam inuenies niſi Onychem bis tam mi-

rabili ornatui deseruite. Sed cur hæc gemma non semel tantum destinatur ad ornatum Pontificis? Profectò, vt Christi Domini erga genus humanum beneficentia clarescat. Lapis Onychinus vnguis humani designat colorem candidum, scilicet, & rubicundum, & in eo altissimum incarnationis Sacramentum obumbrabatur. Sic Arnoldus Carnot. Arnold. Car. tract. de vltim. Christi verbis: *Onyx verò lapis est habens vnguis similitudinem, albisque cingentibus zonis igniculos emittit: vnde per hunc lapidem, in quo dextrorsum, & sinistrorsum nomina duodecim filiorum Israël sculpi iubentur; rectè intelligimus hanc scripturam pertinere ad Christum, qui in carne assumpta quasi vnguem se nobis exhibuit, & operuit multitudinem peccatorum.* Et meritò per Onychem, quæ albedine, & rubore micat, Christus Dominus intelligitur, qui candidus est, & rubicundus; iuxta illud sponsæ Cantic. 5. Cant 5.n.10. numero 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Id est, Deus, & homo: Candidus per Deitatem; & per humanitatem rubicundus. Ecce cur bis Onychinus lapis Pontificis deseruiebat ornatui: vt liberalis Dei hominis erga nos beneficentia ostenderetur. Nam licèt Deus olim suarum diuitiarum thesauros hominibus largiretur, liberalior eos velut effudit post assumptionem nostræ naturæ.

ILLATIO LXXXIX.

Vt Deum in Eucharistia latentem hospitari possis, nullum eius mandatum prætermittas.

123. PEtulanter se gereret, qui apud se principem aliquem excepisset, & domum tanti principis hospitium, sordidam, aut inornatam permitteret. Cederet enim in hospitis contumeliam, & hospitantis procacitas satis esset manifesta, si in cubiculo immundo regi præpararetur accubitus. Hinc non immeritò princeps accensus ira hospitantem contumeliis, & suppliciis afficeret veluti Domini sui proteruum contemptorem. Discamus hinc Christo Domino in Eucharistia latenti hospitium ab omni mortali sorde immune, & virtutum ornamentis condecoratum præbere. Quod feliciter præstabimus, si nullum diuinæ legis prætermittamus mandatum.

124. Ad Hebr. 9. n. 3. & 4. Referens Paulus ad Hebr. 9. Ea, quæ erant in tabernaculo, sic ait num. 3. & 4. *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Non disputo in præsenti: an intra arcam fæderis vrna habens Manna, & virga Aaronis continerentur? Exactè hanc rem discutit. P. Ioannes Eusebius Nierembergius de origine scripturæ lib. 8. cap. 25. ibi refert auctores vtriusque sententiæ. Siue ergo vrna continens Manna fuerit intra arcam, si extra; oportet scisciari: cur vrna, in qua continebatur Manna simul eum legis tabulis, & virga Aaronis clauderetur intra arcam; vel cur hæc tanta connexione coniungerentur, vt non separarentur ab arca? Quid enim habet vrna Manna continens cum lege, vt simul sint intra arcam? Ni fallor, quia per Manna Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum signabatur; per tabulas legis, eius meditatio, & adimpletio. Indicabat ergo hæc vtriusque coniunctio tantum esse inter Eucharistiam, & diuinam legem consortium, vt ad illam suscipiendam, nefas sit, accedere, nisi diuinam legem ad vnguem obseruando. Quia vbi adest diuinæ legis obseruatio, ibi corpori Christi dignum præbetur hospitium. Præclarè Origen. homilia decima in Exodum expendens verba Pauli dicebat: *Habeat, &* Origenes. *arca testamenti, in qua sint tabulæ legis, vt in lege Dei meditetur die, ac nocte, & memoria eius arca, & bibliotheca efficiatur librorum Dei. Quia & Propheta, beatos dicit eos, qui memoria tenent mandata eius, vt faciant ea. Sit intra ipsum vrna Manna reposita, intellectus Verbi Dei subtilis, & dulcis.* Qui tametsi loquatur de sacerdote; non immeritò ad omnes, qui sacram synaxim susceperuri sunt verba hæc transferri possunt. Priùs ergo debet esse intra arcam nostri cordis diuinæ legis obseruatio quàm Sacrosanctum Manna Eucharisticum in nostris viscera teneamus hospitio.

125. Ardenti flagrans amore illa cœlestis sponsa ab sponso inquirebat tantæ dilectionis obiectum, non quia proprij amoris curam ignoraret, sed vt ab illo audiret, & sic firmiùs diligeret, & alacriùs suo benuolo perfrueretur studio: *Indica mihi* (ait sponsa) *quem diligit anima* Cant. 1. n. 7. *mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1. num. 7. cui sponsus: *Si ignoras te, O pulcherrima inter mulieres.* Ibidem num. 8. Nota obiter, satis cordatè sponsam amore Dei saucian se prædicare, quando sponsi mensam inquirit: vt exinde dicamus, nisi amore præuio ad conuiuium Eucharisticum non esse accedendum. Bene. sed adhuc inquiro: quid sibi vult sponsi responsio: *Si ignoras te, O pulcherrima inter mulieres?* Philo Carpath. ad hæc verba putat adæquatam fuisse sponsi responsionem. Audi ipsum: *Nisi te ipsam noueris pul-* Philo Carpath. *chram inter mulieres. Nisi intellexeris, inquit, vbi sis, vbi stes, vbi vigeas, vbi viuas; nisi scieueris tuæ formæ gratiam, quam gratis accepisti; abi post calcaneos gregum. Minax oratio, admonitorius sermo, increpatiua verba. Vbi enim ignorantia, ibi dedecus, & ignominia.* Non solùm sponsa dilectum quærebat, sed etiam de pascuis, & accubitu scisciabatur. Hoc est de mensa illa cœlesti, qua homines pascit in Eucharistia. Rectè ergo sponsus respondit: nisi te ipsam noueris pulchram inter mulieres; & nisi scieueris tuæ formæ gratiam. Quod est dicere: si pœnitentiæ tabula portum obtinuisti, & à peccatorum scopulis (prout humano more potest) sufficienti examine præmisso te liberam iudicas, & animæ nitorem per legis obseruantiam te putas comparasse, sponsum inueneris, ne timeas ad tantam mensam accedere. Pulchrè D. Ambr. lib. de Isaac, & anima. Ambros. cap. 4.

cap. 4. hæc Cantic. verba expendens: *Cui respondit verbum Dei. Nisi cognoscas te decora inter mulieres, quæ quereris, quod relicta sis: nisi te cognoscas, nisi te pœniteat lapsus tui, nisi intentionem deuotionis approbes, nisi fides tua, & sinceritas augeatur, querela nihil proderit.*

126. Vt panes in deserto Christus multiplicaret ad tantæ multitudinis saturandam inediam, sic Matth. 14. n. 19. ait sacer textus. Matth. 14. num. 19. *Acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit*, &c. Chrysostom. homil. 50. in cap. 14. Matth. inquirit: cur Dominus ante patrationem tanti miraculi respexit in cœlum, & benedixit; & cùm peccata dimisit, quando paradisum aperuit, & latronem introduxit; quando mortuos velut à somno suscitauit; quando imperauit mari, quando secreta cordium patefecit, & alia miranda patrauit, nec orauit, nec tali ritu fuit vsus? Sicut enim ad hæc patranda erat omnipotens, ita ad multiplicandos panes: quare ergo patraturus quod minus erat, in cœlum aspexit, panes benedixit, &c. His non præhabitis ad alia maiora, Aptissimè respondet Chrysostomus dicens: Chrysost. *Quando autem panes multiplicauit, quod multò minùs erat, tunc in cœlum respexit.... docens non esse ad mensam accedendum quousque gratias ei agamus, qui cibum nobis præbuit.* Quasi dicat. Hoc miraculum Eucharisticæ largitatis erat vmbra. Ideo ergo Dominus aspexit in cœlum panes benedicens, vt ostenderet, quanta cum reuerentia ad tanti regis mensam debeamus accedere. Pariùs enim in cœlo habeamus animum, & pro tanto beneficio debita persoluamus obsequia, legem eius obseruantes, & inde puro corde, & animæ pulchritudine Sacrosanctum cibum poterimus suscipere.

127. Qui sic ad sacram accedit synaxim, dignum Deo præparat habitaculum, in quo velut in centro optatam requiem inueniat. Dei requies anima sancta est. Nam etsi Deus sibi ipsi requies sit: tamen in corde puro, & con- Gen. 2. n. 2. scientia munda alacriter requiescit. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Genes. 2. num. 2. Petrus Damianus opuscul. 60. cap. 7. inquirit acutè: cur Deus quando cœlum, & terram creauit; quando germinantia terræ produxit; quando luminaria in cœlo constituit, & cuncta in lucem protulit non dicit requieuisse, & die septimo requiem sumpsisse narratur? Doctissimus pur- Petr. Dam. puratus pulchram affert rationem. *Fecit itaque Deus cœlum, & terram, & tamen requieuisse non dicitur; fecit germinantia terræ, & luminaria cœli, & requieuisse non dicitur; fecit omnia, quæ pascuntur in terris, & quæ mouentur in aquis, & in omnibus nunquam legitur requieuisse. Sed plasmato ad imaginem suam homine Sabbathum protinus quietis illuxit, & sic humanitatis conditor requieuit.* Sed cur plasmato homine requieuit Deus, qui in aliarum rerum creatione non dicitur requieuisse? Quia hominem fecerat ad imaginem suam, hoc est, in gratia, & sanctitate creauerat, quæ diuinæ naturæ est participatio. Quid ergo mirum, si Deus in homine requiem inueniat, in quo cor purum, & sanctitatem agnouit? Est enim anima sancta velut centrum, in quo Deus alacriter requiescit. Rectè ergo diximus cor purum recipiens corpus Christi, non solum decens esse habitaculum tanti regis, sed & ipsi etiam præparare requiem, vt expressè idem Dominus dixit Ioann. 6. num. 56. *In me manet, & ego in eo.* Nam quid est, Chri- Ioan. 6. n. 56. stum in homine manere, nisi in homine dignè Eucharistiam suscipiente requiem inuenire?

128. In pectore, & in humeris sacerdotis lapides fulgebant Onychini. Sed ad quid bis Onyx Pontificio deseruiebat ornatui? Profectò, quia per istam gemmam Christus Dominus duabus constans naturis in vnitate personæ significatur, vt præcedenti illatione num. 122. notabamus. Portabat igitur Pontifex in pectore effigiem Christi, quia iam illam in humeris portauerat. Quod est dicere: Quia sacerdos in humeris, qui operum sunt initium, Domini habebat effigiem, potest in pectore, & in corde eam habere. Nam si sacerdotis opera Christi non aduersentur voluntati, sed secundùm diuinam regulam patrentur; recte poterit in pectore eandem effigiem suscipere: In quo omnes erudimur, qua reuerentia, & animæ dispositione ad hospitandum in pectore nostro vitæ auctorem latentem in Eucharistia debeamus accedere, videlicet, eius legem in humeris portantes, præceptis eius obedientes, vt sic decens tanto Domino habitaculum præparemus, in quo requiem desideratam inueniat.

ILLATIO XC.

Qui accipit beneficia, semper gratum, semperque memorem beneficij se præbere tenetur.

129. *INgratus est* (inquit Seneca 3. de Benefic. cap. 1.) *qui beneficium dissimulat; ingratus,* Seneca. *qui non reddit; ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Ergo qui semper memoriam beneficiorum in animo retinent, gratissimi debent iudicari. Vnde, qui beneficia se nouerint accepisse, semper meritam gratiam pro eis tenentur persoluere. Ob hoc Saluianus lib. 4. ad Ecclesiam Catholicam dicebat: *Ante vsum enim, ac mu-* Saluianus. *nificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam beneficiorum fœnore non grauatus: coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse caperunt debitores.* Nam sic qui beneficium accepit gratitudini manet adstrictus, vt semper memor beneficij, nunquam gratitudinis sit immemor, nec animum à gratiarum actione suspendat.

130. Mirabile gratitudinis exemplum narrant Crates Pergamenus, & Stesichorus poëta, vt refert Pierius lib. 19. verbo, *Aquila.* Cùm de- Crates Pergamenus. Stesichorus. Pierius. cem & sex messores quemdam è sociis misissent, vt in vrna aquam reportaret, reperit is apud fontem serpentem, qui complexus aquilam, eam arctissimis spiris implicitam suffocabat. At ille falce messoria armatus, audacter progressus ferro serpentem velut spicam disse-

cuit, & aquilam liberam abire permisit. Cúmque haustâ in vrnam aquâ rediisset, singulis sociis poculum ministrauit: mox cùm ipse quoque bibere vellet, præsto adfuit aquila, quæ poculum ab ore dispulit eiectum procul. Factum miratur messor, & aquilam, quam probè nouerat, increpat, eamque apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos, & hìc, & illic concidentes vitam exhalare, vnde simul, & aquam, quam illi biberant veneno infectam, & se periculo subductum intellexit, beneficiumque in volucrem optimè collocatum manifestissimè cognouit. Hæc apud Pierium. Si hæc vera sunt, docet nos aquila, quanta animi deuotione pro acceptis beneficiis debemus gratias rependere, siquidem in volucri rationis experte mirum gratitudinis exemplar, & accepti beneficij gratam memoriam inspicimus. Sed proh dolor! Bruta docent, quod homines agnoscere renuunt. Tanta est beneficij accepti vis, vt vel bruta ad eius compensationem velut compellat ad gratias pro suo modulo referendas.

131. Inuenit Domiuus in templo paralyticum, qui triginta, & octo annorum curriculum consumpserat in infirmitate sua, & ait illi: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 5. num. 15. Hìc notari potest: quare Dominus peccata præterita non increpat, dicens; multa scelera, & flagitia commisisti, indignus prorsus eras beneficio sanitatis, & alia huiusmodi; & solùm futuris delictis graue comminatur supplicium? Si peccata præterita triginta, & octo annorum duratione continua (hoc enim denotat illud: *Habens in infirmitate sua.* Ibidem.) diuinæ misericordiæ viscera non impedierunt, vt ei salutem conferrent: cur Christus futura prænonet cauenda dicens: *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat?* Aut quid haberent futura flagitia ad excitandam diuinam iustitiam cùm præterita diuinam vocarunt misericordiam? Fallor si hoc non dicitur propter sanitatem acceptam. Ingens erat beneficium, hominem omni humano auxilio destitutum, & propter longæuam morbi durationem quasi connaturali assuetum infirmitati, in pristinam sanitatem restituere. Grandis absque dubio liberalitas, & magnum ex omni parte beneficium. Minaciter ergo terret hunc hominem Christus, si deinde inciderit in peccata; quia post acceptam salutem offendere largitorem, sine dubio petulans esset ingratitudo. Quamobrem, etiam ob oculos beneficium proponit, dicens: *Ecce iam sanus factus es:* vt in eo vigeat tanti muneris nunquam interitura memoria. Nec id tacuit D. Cyprianus de disciplina, & habitu virginum, dicens: *Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis, & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potiùs, quibus sanatus fuerat, mancipato grauius comminatur; quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cùm necdum nosses disciplinam Dei, nulla sit venia vltra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Deum offendisse paralyticum ante beneficium sanitatis, graue fuerat delictum; at post acceptam salutem eum offendere, diuinam est excitare iustitiam. Quia licèt Deo serò debitas gratias rependamus, à quo tot accipimus beneficia; attamen post insignem aliquam liberalitatem repetere peccata, nimia est ingratitudo. Obligat enim beneficium non solùm non offendere largitorem, sed semper in animo eius conseruare memoriam.

Ioan. 5. n. 15.

Cyprian.

De seipso loquens Pathmeus vates sic ait cap. 21. num. 20. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Miror Ioannem modestiæ eximium amatorem, sic in propriis laudibus occupatum! Arrogantiæ specimen videtur præseferre, cùm altiùs præ aliis extollitur. At quis audebit, Euangelistam tanta insimulare calumnia? Si ergo non egit superbè; cur de seipso, dilectum à Christo, ipsumque sequentem, & recumbentem super cor eius non erubescit referre? Et cur aliis hæc, tantaque referenda non commisit, à quibus absque suspicionis nota securior esset commendatio? Ideo fecit ipse, non vt se extolleret supra reliquos discipulos proprias referens laudes, sed vt se memorem tot beneficiorum ostenderet. Accubuerat enim Ioannes in cœna super Christi pectus, à quo diuina ebibit mysteria, quod diuini amoris maximum erat indicium. Grato ergo animo Ioannes hæc beneficia retulit, indicans semper in eo illorum vigere æternam memoriam. Ita enim amabat gratitudiuem, vt licèt modestiæ terminos videretur excedere, seipsum commendans; hanc suspicionem pati non dubitat, ne videatur ingratus, & tot beneficiorum laborasse oblitione.

132. Ioan. 21. n. 20.

133. Hanc gratam beneficiorum memoriam desiderabat Deus in populo, cùm Moysi præcepit, ex Manna implere Gomor, & custodire in futuras generationes. Vt constat Exod. 16. n. 34. vbi dicitur: *Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum.* Et idem refert Paulus ad Hebr. 9. n. 3. & 4. vt diximus in hoc versu. 14. n. 124. ibi enim notabamus Manna simul cum legis tabulis asseruatum in arca fuisse; vel iuxta illam in interiori tabernaculo, secundùm varias doctorum sententias. Sed quid sibi voluit Deus, cùm Manna iuxta legem iussit custodiri? Aut quid habet Manna cum lege, vt Deus illud præceperit, asseruari in tabernaculo? Profectò, quia Manna eximium fuerat beneficium. Hoc enim pane cœlesti Deus populum esurientem & angustiis famis oppressum pauerat in deserto: beneficium enim lex quædam est ad gratitudinem obligans. Adsit ergo iuxta legem vrna continens Manna, vt legis præcepta obseruent Hebræi tanti beneficij obstricti memoria. Cupiebat Deus, populum totam legem obseruare: vt ergo eum ad totius legis inuitaret obseruationem, iuxta legem Manna proposuit, vt tantæ liberalitatis memor populus, diuinam legem non contemneret. Nam ita beneficij accepti memoria animum ad gratitudinem excitat, vt vel expertæ liberalitatis recordatio sufficiat ad beneficium compensandum, & ad fugiendam ingratitudinem.

Exod. 16. n. 34.

134. Nec sola memoria fauoris accepti ad referendas gratias adstringit: Nam si quis ingenuo animo polleat, vel sola promissio beneficij sat

est

est ad gratitudinem excitandam. Exemplum nobis præstitit Abraham. Cùm enim ei Dominus Chananæorum terram promisisset, vt constat Genes. 12. numero 7. tunc Patriarcha Aram construxit, vt grato animo Deum venerare-
Gen. 12. n. 7. tur: *Qui ædificauit ibi Altare Domino, qui apparuerat ei.* Sed cur Abrahamus tanta cum festinatione Altare Domino consecrauit? Quia licèt à Deo solùm acceperat promissionem vniuersalis benedictionis, vt constat ibidem, num. 3. & possessionis terræ Chananæorũ; cùm gratissimus esset, beneficij non expectauit experimentum, vt suam ostenderet gratitudinem. Sic Abulensis quæst. 28. in cap. 12. Ge-
Abulens. nesis: *Et ædificauit ibi altare: istud altare fecit Abraham ad gratias agendas in eo immolando hostias.* Abraham terram illam non possedit, nec eius posteritas, nisi post annos quadringentos, vt dicitur Genesis 15. numero 13. tamen diuina fretus promissione Aram construxit, in qua debitas gratias persolueret. Ingenuo, & grato animo, vel sola promissio sufficit, vt pro ea debitas referat gratiarum actiones.

135. *Ob recordationem*, summus Sacerdos lapides onychinos portabat in humeris. Ob hoc à
Montanus. Montano dicti sunt, *Lapides Recordationis.* He-
Hebraïc. braïcè: *Lapides memoriæ*, vt Sacerdos quocúmque se verteret, & ornatum illum, & beneficia tum ipsi, tum populo à Deo collata recognosceret, & debitas referret gratias. Nam sic beneficij acceptio animum recipientis ad gratiarum actiones adstringit, vt ingratitudo esset maxima, si excideret è memoria.

Illatio XCI.

Quanto onere prematur, qui beneficium ab aliquo recepit.

136. NOn omnes, qui conferunt beneficia, liberales, & munifici iudicandi sunt. Nam sunt plures, qui tametsi gratuitò videantur elargiri, subiectionem accipientium ipsis contendunt emere beneficiis; & qui dona admittunt, cum aliquid pro acceptis reddunt, emptores imitantur. Elegantiùs multò hoc dixerat Philo Hebr. libro de Cherubim in fine, sic
Philo Hebr. loquens de dantibus, & accipientibus: *Inuenies igitur, si omnes consideres, eos quoque vendere, magis quàm donare, qui gratis largiri dicuntur: & quos putamus gratuitò accipere, eos reuera emere. Nam qui dando captant laudem, aut honorem, dum quærunt sibi reddi gratiam, specioso donationis nomine venditionem prætexunt: quando & venditores suarum rerum solent accipere pretium. Qui verò admittentes dona, cogitant reddere, & prima quaque occasione reddunt, idem quod emptores faciunt.* Vendit ergo beneficium, qui largitur; & emit illud, qui accipit. Quapropter, non dubitarem, asserere, magis efficere, qui accipit, quàm qui donat. Hic namque largiendo, si animo liberali gaudet, operatur iuxta suam propensionem; vel si cupido, emit obsequium accipientis: ille verò, tametsi accipiat beneficium, constringitur ad reddendum pro eo, quod accepit. Denique qui largitur liber manet; at qui accepit, accepta rependere tenetur. Nec hoc solùm. Pro minimo munere debet gratias agere. Et vt vno dicam verbo; vel paruum beneficium accipienti grauissimum onus est; manus, & pedes eius ligat, & quasi in seruitutem redigit donantis. Singula confirmare non erit operosum.

Sequentem multitudinem famis tyrannide 137.
oppressam, quinque panibus, & duobus piscibus aluerat Christus in solitudine. Manducauerunt ergo quasi quinque millia virorum absque fœminis, & paruulis, & saturati sunt. Tunc Christus ait Discipulis: *Colligite, quæ su-* Ioan. 6. n. 13.
perauerunt fragmenta, ne pereant. Ioan. 6. n. 13. Fecerunt sic Discipuli vt refert Mat. c. 14. n. 20. Mat. 14. n. 20
Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Diuus Bernardus serm. 51. in Cantic. inquirit: Cur Christus alias munificentissimus, fragmenta, quæ superauerunt, iussit colligere? Si essent panes integri, forsan non miraretur Bernardus: at fragmenta panis tanto studio asseruare iubet parcitatem Hispanè diceremus: *Parecia mucha miga jeria.* Non fuit parcus Dominus, ait Bernardus, sed nimis auidus, quod Discipuli nec minimi beneficij patiantur obliuionem. Audi ipsum. *Col-* Bernard.
ligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minime beneficia obliuisci. Nihil aliud continet hoc præceptum colligendi fragmenta, nisi desiderium, quòd Discipuli, & omnes, qui à Deo beneficia accipiunt, in magnis, & in paruis gratum animum ostendant, semper ea in memoria retinentes. Non ergo hoc studium parcitati vertendum est (nam quî parcus existeret, qui pro omnibus seipsum contulit?) Sed quia cùm in solitudine liberali manu totam illam multitudinem subita cibasset annona, colligere fragmenta iussit, vt illa præ oculis haberent, & tanti beneficij debitas rependerent gratias. Perbellè Bernardus: Sed propiùs ad nostrum thema accedentes, rem adhuc debemus examinare. *Tulerunt reliquias*, &c. inquit sacer textus. At cur Dominus panis fragmenta super Discipulorum humeros, iussit asportari? Vt ostenderet, quàm graue onus sit, accipere beneficium; siquidem fragmenta, etsi minutula, dum accepta sint, maximè accipientium animos onerant, & grauant. Non longè ab his distat Victor Antiochenus in cap. 6.
Marci, dicens: *Tantam reliquiarum copiam fie-* Vict. Antioc.
ri voluit, vt duodecim sportæ inde implerentur, quas singulas quoque quò miraculum euidentius euaderet, & eorum qui interfuerant sensibus tenaciùs inhæreret, in humeros tolli, & asportari, mandauit. Sic beneficiorum sarcina accipientes aggrauat, vt qui liberalitatem experti sunt, quasi graue onus sibi imponant. Ob hoc ergo Dominus, super Discipulorum humeros fragmentorum sportas iussit asportari, vt recipiendi onus declararetur.

Vix Mariam Dominam salutauit Archange- 138.
lus, & dignitatem Deiparæ omnem captum superantem ei proposuit, sanctique Spiritus obumbratione tantum mysterium patrandum fore nunciauit, cùm sanctissima respondit Virgo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm* Luc. 1. n. 38.
verbum tuum. Lucæ 1. num. 38. Quid ais, ô Virgo sacrata! Si dignitate Deiparæ ad Reginæ Angelorum solium eleuaris: cur purpureum

amictum, vel vt melius dicam, candidum pũritatis, ſimulque Reginæ inſigne abieciſti nota ſeruîtutis? Eleganter, & acutè Chryſolog. ſermone 142. ad rem noſtram reſpondet: *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipſa ſe cognoſcit, & confitetur ancillam: quia deuotus animus infulis beneficiorum creſcit ad obſequium.* Acceperat beatiſſima Virgo ſupereminentem ſupra omnes Angelorum Choros Deiparæ dignitatem: & propter hoc ſe confitetur ancillam. Quia licèt diuina maternitas tanta excellentia floreat, vt ſupra eam excelſior nequeat excogitari: propter tantum beneficium ancillam ſe vocat Domini. Quia niſi, quæ tantam dignitatem recepit, vſque ad ſeruitutem ſe abiiceret, illam non poſſet compenſare, nec pro ea debitam referre gratitudinem. Sic namque beneficij acceptio ad illud compenſandum obſtringit, vt ſi accipientis animus gratus ſit, eum redigat in ſeruitutem. Nec hoc ſolum: compedibus, & manicis velut alligant accipientes accepta beneficia.

Chryſolog.

139. Huius veritatis non contemnendam imaginem præſtitit nobis Lazarus excitatus, cùm diuinæ vocis imperio è monumento viuus ſurrexit. *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatis pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Ioan. 11. numero 44. Si tamen quæras, cur Dominus, cùm iuſſit tollere lapidem monumenti, vittas, quibus pedes, & manus Lazari vinciebantur, ſoluere non iuſſit, vt expeditior prodiret à monumento vittarum vinculis abſolutus? Vel quare cùm eum ad vitam reuocauit, voluit, vt appareret feralibus infulis inſignitus? Dicam, ideo factum, vt Lazarus cùm ſe viuum inſpiceret, vinctum tamen faſciis, quibus iacebat in tumulo, reſurrectionis beneficij non eſſet immemor. Alia adhuc mihi ſe offert ratio. Ligatus ergo prodiit è funere, quia vitam acceperat, vt ſuam gratitudinem oſtenderet, ſimulque beneficia manus, & pedes adſtringere, & velut in ſeruitutem redigere animum recipientis: *Quia deuotus animus infulis beneficiorum creſcit ad obſequium.* Ligant ergo beneficia.

Ioan. 11. n. 44

140. *Charitas enim Chriſti vrget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt.* 2. ad Corinthios 5. numero 14. Difficilis videtur Apoſtoli diſcurſus: nam ex eo, quòd Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, infert, omnes mortuos eſſe; cùm exinde potiùs inferatur, omnes viuere, ſiquidem morte ſua noſtram mortem deſtruxit. Ergo meliùs inferret: Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes viuunt. Quia morte ſua omnibus vitam promeruit. Diuus Gregorius libro primo Paſtor. capite quinto, his verbis, dubio ſatisfacit: *Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Etſi pro omnibus mortuus eſt: ſupereſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* A Paulo mutuauit Gregorius verba, vt huic dubio ſatisfaceret. Vis ergo illationis eſt. Per Chriſti mortem omnes vitam recepimus. Igitur cùm ipſe mortuus fuerit, vt nobis vitam donaret, iure gratitudinis debemus, & ei noſtram vitam offerre, ita vt nobis iam non viuamus, ſed ei, qui pro nobis mortuus eſt. Nam ſi vixit Chriſtus, vt pro nobis moreretur: æquum eſt, vt nos viuamus Chriſto morientes nobis, & ſic gratiſſimo animo vitam noſtram ei, à quo accepimus, reddemus. Hæc enim eſt tanti beneficij arctiſſima obligatio.

2. ad Cor. 1. n. 14.

Gregor.

Lapides ſuperhumeralis Pontificis, & populi excitabant memoriam, & gratitudinem. Vtrumque denotat ſacer textus in hoc capite 28. numero 12. vt ibidem diximus num. 31. Sed cur Deus à Sacerdote, & populo tantam exigebat memoriam? Quia Sacerdos eximiam Pontificis dignitatem, & ſpecioſum ornatum, populuſque miniſterio Sacerdotis cumulatiſſima beneficia recipiebant. Meritò ergo ad recordationem vocantur, vt Deo pro tantis beneficiis debitas grates referant, & eius voluntatem adimpleant. Nam qui alicuius liberalitatem experitur, non ſolùm eam grato animo debet rependere, ſed velut ſeruus ligatus infulis beneficij totum ſe tradere in obſequium largitoris. 141.

ILLATIO XCII.

Ingrati animi turpitudinem quanto odio Deus proſequatur.

NIhil apud homines ſeneſcit celeriùs, quàm beneficium, dicebat Diogenes. Dici enim vix poteſt, quanta accepti beneficij apud pleroſque ſit obliuio. Hinc mortalium oritur ingratitudo, quæ turpe vitium eſt, & deteſtabile damnum. Quam bene Seneca lib. 1. de Beneficiis: *Non referre gratiam beneficio, turpe eſt. Per ſe fugienda eſt res, ingratum eſſe.* Multa ſibi damna ingratus accumulat, iuxta antiquum Prouerbium: *Adiutorem ingratus non inueniet.* Parum hoc. Diuinas manus velut vincit ingratus, & quæ in omnes effundunt beneficia, ingratis conſtringuntur. Dæmonis centrum eſt ingratus, & diuini furoris meretur indignationem. Probemus ſingula. 142.

Seneca.

Cùm Marcus per totum caput quintum innumera referret miracula à Chriſto Domino patrata in regione Geraſenorum; in 6. cap. refert eundem Dominum in propriam patriam tranſmigraſſe, & ait, numero 5. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere: niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit.* Nimis audet Euangeliſta, cùm hæc narrat. Si enim dixiſſet: nolebat vlla ſigna facere, quia non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua; ſuſtinerem vtique: at non poſſe ibi virtutem vllam facere, videtur difficillimum. Nam Chriſtus Dominus ſicut in illa regione erat omnipotens, ſic & in patria ſua. Ergo Quemadmodum illic ſigna patrauit, & hìc poſſet, ſi vellet, & maiora efficere. Quare ergo Marcus potentiam Chriſto ad patranda miracula in propria patria videtur abnegare, dicens: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere?* Non negat Euangelicus Scriptor Chriſto Domino potentiam, cùm ait, in patria non poſſe ſigna efficere, ſed his verbis ingratitudinem Iudæorum increpat, & oſtendit. Talis namque naturæ eſt ingratus, & tanta in eo recipiendi beneficium eſt indignitas, vt vel ipſum 143.

Marc. 6. n. 5.

Chriſtum

Christum summè beneficum, quasi impotentem reddat, vt ei beneficia conferat. Poterat Christus vbique miracula patrare. Quis hoc dubitat? Poterat immensa elargiri beneficia: at ingratis quasi impotens refertur. Perbellè Victor Antiochenus ad hæc verba: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere. Hoc propter eorum duritiam, & incredulitatem dicitur, qui illiusmodi beneficio potituri erant.* Nefas esset vel cogitare, Christo Domino defuisse potentiam ad faciendas virtutes in sua patria: Verùm quia recipientium animi ingratitudinis, & incredulitatis vitio torpebant, id non posse, quod efficere poterat, refertur, vt ostendat, quanto odio prosequatur ingratos. Nam tametsi Christus ex se beneficus, & liberalis sit, (si tamen, qui beneficium est recepturus, pestifero ingratitudinis morbo laborat,) quasi impotens ad benefaciendum ingratis patitur prædicari; vt exinde constet, ingratos velut diuinas alligare manus, vt suæ beneficentiæ eis largiatur diuitias. Ex ingratitudine igitur, & incredulitate suscipientium in Christi benignitate quædam veluti impotentia ad benefaciendum apparuit.

Vict. Antioch.

144. Dæmones illi, qui domicilium habebant in monumentis, & miserum quemdam hominem possidebant, cùm à Christo Domino eiiciendos fore pertimescerent, summis precibus eum obsecrabant, vt ab homine transferantur in porcos: *Et deprecabantur eum spiritus immundi dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.* Marc. 5. numero 12. Quod ita factum est: *Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.* Ibidem, 13. Miror hos dæmones miserabilem appetere societatem. Primum in monumentis habitabant veluti ossa corrodentes, (Quis nisi dæmon defunctorum ossa effoderet, vt eorum defectus patefaceret? Dæmones enim sunt, qui mortuorum ossa corrodunt, & sanguinis, & genealogiarum rotas inflammant:) & dæmonibus crudeliores aliqui homines sunt, qui vel defunctis non parcunt, eorum genera, mores, & vitam in superstitum memoriam reuocantes. Nam dæmones etsi in monumentis habitarent, defunctorum tacebant errata; non sic homines, qui scrutantur ossa, vt eorum defectus in lucem prodant) Dæmones ergo à monumentis in porcos transferri desiderabant: *Mitte nos in porcos.* Sed cur potiùs in porcorum gregem, quàm in aliud habitaculum transmitti cupiebant? Author operis imperfecti homilia 17. in Matth. ob ingratitudinem horum animalium id factum putat. *Porci proprium est*, inquit, *in cœno se volutare, nunquam in cœlum aspicere, nec quærere Dominum suum.* Immundus dæmon immundum desiderauit habitaculum, & ingratus ingratum quæsiuit. Est enim porcus ingratitudinis hyerogliphicum. Nam hoc animal semper terrena cupiens, nunquam in cœlum oculos conuertit, & supremi Domini oblitus, nec pro creationis beneficio, nec pro conseruationis fauore debitas refert gratias, quas cætera animalia brutali instinctu videntur referre. Ecce cur dæmones, licèt molestè tulerint, infelicis hominis amittere possessionem, porcorum gregem desiderant habitaculum, & in eo velut in centro quietem habere præsumunt; quia ingratitudinis symbolum. Ergo ingratus dæmonis est centrum, in quo requiem iudicat inuenire.

Marc. 5. n. 12.

Ibid. n. 13.

Imperfect.

Huc vsque probauimus ingratos diuinam impedire liberalitatem, & esse velut dæmonis centrum; nunc probandum restat, quanto Deus eos odio prosequatur. Profecti fuerant Israël de monte Domini itinere trium dierum. Quid inde? *Interea ortum est murmur quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus iratus est. Et accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Numer 11. numero 1. Examinare oportet populi delictum, ob quod tam seuerè à Domino puniatur; si quia dolens pro labore quæritur; permissum est dolenti, suspiriis, & quærimoniis leuamen aliquod afflictioni præstare. Cur igitur Deus, alias summè misericors, ita seuerè punit flamma extremam castrorum partem? Aptissimè Saluianus lib. 6. de prouidentia: *Laborem quoque se sustinere idem populus ingemuit, & propter hoc plagis cœlestibus verberatur: non quia laboranti gemere non liceat, sed ingratus scilicet fuit gemitus, Dominum quasi authorem immaculati laboris accusans.* Non propter gemitum punitur populus, sed propter gemitus ingratitudinem. Accusabat Dominum authorem immaculati laboris. Hæc summa fuit ingratitudo. Nam cùm tot à diuina largitate accepisset beneficia: nempe, cùm eos Deus à tyrannide Ægyptiorum liberauit; maris vndas diuisit, vt sicco pede illud traiicerent, & Pharaonis iram effugerent; in deserto pauit, & alia innumera: tunc pro labore trium dierum de Deo ita conqueri, ingratitudinis magnæ erat indicium. Meritò ergo Deus eos acriter punit, extremam castrorum partem flammis consumens.

145.

Numer. 11. n. 1.

Saluian.

Quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, nec in futuro. Matth. 12. num. 32. Pater Maldonatus ad hæc verba asserit, non esse intelligenda de illis hæreticis, qui diuinitatem Spiritui sancto negabant: quia certum est, Eunomianos multoties ab Ecclesia admissos, cùm errores retractabant. Quamobrem sequens Augustinum concludit hic author, peccatum in Spiritum sanctum hîc intelligi, peccatum quod contumeliosis verbis contra Deum committitur; quale fuit Phariſæorum, cùm inuido, & audaci animo dicebant, Christum in Beelzebub expellere dæmonia. Idem author, loco citato, quinque diuersa contra Spiritum sanctum refert genera peccatorum ex sententia Diui Augustini. Primum est, impœnitentia finalis: sic Augustinus libro de fide ad Petrum, cap. 3. & libro de vera & falsa pœnitentia, cap. 4. & sermone 11. de verbis Domini. Secundum peccatum est; non credere in Ecclesia remitti peccata, & contemnere diuinam liberalitatem, & pertinaciter in hoc perseuerare vsque in finem. Ita Augustinus in Enchirid. cap. 83. Tertium est; cùm aliquis inuidiâ contra proximum operatur contra charitatem, post acceptam gratiam Spiritus sancti

146.

Matth. 12. n. 32.

Maldonat.

August.

Idem

Idem Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte. Quartum est; desperatio diuinæ misericordiæ. Augustinus in comment. inchoatis in epistola ad Romanos. Quintum est; dæmoni attribui opera Spiritus sancti. Augustinus in quæst. ex vtroque testamento, q. 102. Hinc ortum habuit communis sentẽtia Theologorum distinguentium sex peccatorum differentias contra Spiritum sanctum: nempe impœnitentia finalis, desperatio, obstinatio in malo, impugnatio veritatis, præsumptio, & inuidia de charitate proximi. Ita sanctus Thomas ad præfata verba Matthæi, Hugo Cardinalis ibidem, Abulensis quæst. 70. & alij. Hîc Maldonatus per peccatum contra Spiritum sanctum intelligit peccatum Pharisæorum dicentium Christum dæmonia expellere in virtute Beelzebub, & opera Spiritus sancti dæmoni attribuentium. Quod peccatum irremissibile ait Christus, non quia remitti non possit à Deo, cùm verisimile sit ex his qui hæc dicebant, multos fuisse conuersos ad Euangelium: dicitur tamen irremissibile, quia ex malitia, non ex ignorantia procedebat, & etiam propter difficultatem remittendi; sicut Mat. 19. numero 22. de ingressu diuitis in Regno Cœlorum. His præiactis obiter, dubium non leue mihi se offert: cur peccatum contra Filium Hominis remissibile est, peccatum verò contra Spiritum sanctum irremissibile iudicatur? Si hoc à remissione excluditur, quia est contra Deum, etiam peccatum contra Filium Hominis Christum est contra Deum. Ergo vel vtrumque irremissibile, vel neutrum. Non est facile huius quæstionis dissoluere nodum. Cajetanus ad cap. 12. Matthæi putat hîc Spiritum sanctum accipi pro Deitate, non pro tertia Trinitatis Persona, & sic peccatum contra Spiritum sanctum, peccatum contra Deum intelligit. Sed adhuc vrget proposita difficultas: nam Christus Deus est: ergo peccatum contra Christum etiam erit contra Deum. Ergo irremissibile. Quare ergo peccatum contra Filium Hominis remissibile dicitur? Dupliciter poterant peccare Pharisæi contra Christum: vel putantes esse purum hominem; & sic remissibile erat eorum peccatum: vel blasphemantes virtutem Dei, eamque tribuentes dæmoni, & hoc modo irremissibile erat. Ita exponunt præfati authores. Verùm si sequamur sancti Thomæ expositionem, per Spiritum sanctum hîc tertia Trinitatis Persona intelligenda est. Sed cur blasphemia contra Christum, adhuc vt hominem, est remissibilis, irremissibilis verò contra Spiritum sanctum; cùm vterque sit Persona diuina; & cùm Christus, adhuc vt homo, blasphematur, est verum dicere, Deus blasphematur; sicut ex eo quòd Christus in quantùm homo sit passus, est verum dicere, Deus est passus per communicationem idiomatum? Quid agnoscimus in Spiritu sancto, ob quod offensa contra eum sit irremissibilis? Certè; quia Spiritui sancto, per appropriationem, donorum tribuitur largitio. Remissio peccatorum fit in Spiritu sancto; & per ipsum nobis tribuuntur charismatum dona: blasphemare ergo contra Spiritum sanctum est, eius beneficia contemnere, & ingrato animo pro donis rependere contumelias. Meritò ergo hoc peccatum, quod tantam continet ingratitudinem, remissione caret. Audi sanctum Thomam loco citato in sua catena ex Augustino sic loquentem. *Primum itaque credentium beneficium est, in Spiritu Sancto remissio peccatorum: contra hoc donum gratuitum loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est spiritus blasphemiæ, quæ non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Contra enim Spiritum sanctum, quo peccata dimittuntur, verbum valde malum, siue cogitatione, siue lingua sua dicit, qui secundùm duritiam cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ.* Ingratus ergo est, qui verbum blasphemiæ profert contra Spiritum sanctum gratiæ datorem, & munerum. Meritò ergo peccatum contra Spiritum sanctum irremissibile iudicatur; vt denotetur, ingratitudinem indignam esse venia, & remissione.

S. Thomas. Hugo Card. Abulens. Caietan. S. Tho.

Ob recordationem nomina filiorum Israël 147.
erant sculpta in vtroque latere superhumeralis: Hoc expresserunt amplius Septuaginta, cùm legêre: *Lapides memoriale sunt filiis Israël.* Vt Sacerdos, & populus beneficia diuina Patriarchis concessa, à quibus ducebant originem, grato rependerent animo, semper ea in memoria retinentes; vt sic ab ingratitudinis vitio immunes diuinam rursus experirentur munificentiam. Vbi nota, Deum ad excitandam Sacerdotis, & populi gratitudinem lapidibus vsum fuisse durissimis, vt per eos increparet ingratos; siquidem in lapidibus adest memoria, quando hominibus deficit. Ingrati enim duriores lapide sunt.

Septuag.

ILLATIO XCIII.

Quanti Deus faciat supplicum preces.

MVnificentissimum Deum contumeliis 148.
afficit, qui de eius liberalitate dubitare, præsumit: at quamuis Deus natura sua sit beneficus, vult, quæ sibi sunt placita postulari. Non subterfugit hoc Gentilem Socratem apud Valerium Maxim. libro septimo, capite secundo: *Nihil vltra petendum à Diis immortalibus, quàm vt bona tribuerent: quoniam ij demum scirent, quid cuique esset vtile, nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret.* Multoties hõmines diuitias appetunt, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiscunt, qui parturiunt contemptum, &c. Petendum ergo est, quod Deo placet, & nobis iudicat expedire: sic enim oratio nostra Deum delectat magnopere. Quod pulchro paradigmate explicuit Chrysostomus homil. 13. in cap. 6. Matth. *Sicut thymiama*, inquit, *bene confectum delectat hominem odorantem: sic oratio iusti suauis est ante Deum.*

Valer. Max. Chryso.

Diuina sapientia, quæ prout in Deo est, tot, 149.
& tanta molitur, & delineat, summaque voluptate gaudet; extra Deum nullibi experitur alacrior, aut iucundior, quàm in nobis, dum nos ad sanctè, piéque viuendum regit, & confirmat, vt ipsa gaudio plena satis explicuit, 8. Prouerb. num. 31. dicens: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Sed cur diuina sapientia non clamitat in Angelis deliciari? Angeli enim natura

Prou. 8. n. 31.

turâ suâ nobiliores, & præstantiores nobis sunt; gratiâ etiam firmiores. Ergo iucundiores delicias in Angelis, quàm in hominibus inueniet. Rursus; in illis nobilitatem, & gloriam suam magis ostentaret, quàm in his: quia Angelos nihil à bonis operibus retardat, imò potiùs omnia, quæ habent, virtutem, & vitam secundùm rationem suadent illis: at in homine, in quo semper cum ratione certamen init appetitus, maxima ad vitium est propensio. Quî ergo fieri potest, vt in eo Deus inueniat delicias? Certè; quia homo à primæua constitutione auxilia à Deo petere, docetur. Ita enim Deo iucunda est hominis deprecatio, vt licèt natura angelica præstantior sit humana; tamen quia ista velut mendica, & periculis obnoxia opem à Deo postulat, magis diuina sapientia in homine, quàm in Angelis ostentat, deliciari. Huc spectant verba Diui Bernardi sermone de sancto Martino causam reddentis, ob quam Deus hominem fecerit staturâ procerum. *Nam & propterea*, inquit, *rectum fecit hominem, etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cùm prona vtique spectent animantia cætera terram; vt attollens ad sydera vultus, illico suspiret, vbi tam beatam, & peremnem conspicit mansionem.* Quasi dicat: Ideo Deus hominem fecit rectum, & os illi in sublimi loco largitus est; vt semper ad cœlum suspiria mittens, à Deo opem & auxilium petat. En ergo tibi causam, ob quam delicias in filiis hominum habere pronunciet: quia hominem scilicet ad petendum, exorandum, & deprecandum suam benignitatem erecta forma constituit.

Bernardus.

150. Quàm confidenter accinebat Dauid. Psal. 33. num. 16. *Oculi Domini super iustos, & aures in preces eorum.* Ita diuina benignitas prompta est, vt nostris subueniat necessitatibus, tantique nostras facit preces, vt veluti obediens, aures intentas habeat, & expectantes labiorum nostrorum motus, vt postulata concedat. Eleganter Saluianus libro primo de prouident. rem hanc expendit: referam eius verba, etsi longa, digna vt expendantur. *Vide*, inquit, *qua benignitate agere cum suis Deum scriptura dicit. In hoc siquidem quod ait, oculos Domini super iustos esse, affectus aspicientis ostenditur. In hoc autem, quod aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur: quamuis per id, quod dicit diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum diuinæ aures sint? Quomodo? Nisi, vt semper audiant, nisi vt semper exaudiant, nisi vt promptè audita tribuant, nisi, vt illico exaudita concedant. Semper ergo ad audiendas Sanctorum preces paratæ Domini nostri aures, semper attentæ sunt.* Quid illustrius?

Pſal. 33. n. 16.

Saluianus.

151. *Antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam:* ait Dominus Isaïæ, 65. numero 24. & Psalm. 9. qui. 10. est apud Hebræos, numero 17. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Sed quî fieri potest, vt Deus exaudiat, antequam clament pauperes, & afflicti; & quomodo cordis desiderium auribus valebit percipere? Auditus obiectum vox est, aut sonus: & præter hæc nihil potest audiri. Ergo desiderium, aut præparatio cordis extra obiectum auditus est. Quomodo ergo Deus hæc ostentat exaudire? Aut quomodo hæc auribus percipere valebit? Quia Deus summa intelligentia non solùm voces percipit, sed antequam formentur in labiis, & à supplicibus proferantur, penetrat subtilissimè cordis desiderium. Sic enim lætatur precibus, vt ante verba desiderium penetrans, velut si vocibus peteremus, nos exaudit, & postulata concedit. *Arbitror* (inquit Bernardus sermone 9. in Cantic.) *quod interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus aduocetur. Denique ait homo, qui inuentus est secundùm cor Dei: desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiat auris tua.* Ex promptitudine ergo, qua Deus nostris subuenit indigentiis, prouenit, vt vel desiderium audiat precantium. Preces cordis instar vocis sunt diuinis auribus perceptæ. Ita namque deprecari desiderat, vt audiat, quod est extra auditus sphæram.

Isa. 65. n. 24. Pſal. 9. n. 17.

Bernard.

152. Hospitatur Dominus apud Martham, & vt Marthæ quærimonias sedaret, simulque religiosum Mariæ commendaret obsequium, sic illam alloquitur. Lucæ 10. num. 42. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Non increpat hîc Iesus Marthæ solicitudinem: nam pio affectu Christo præparabat hospitium, sed pluris faciens otium, quod in Maria accusabat Martha, dixit: *Maria optimam partem elegit.* Sed quid est, quod in Maria inspexit Dominus, vt meliorem partem prædicat elegisse, quàm Martham? Aut quid est hoc, in quo sorori præstat Maria, vt magis Christo placeat, quàm quod officiosè, & attentè Martha præstabat? Profundè respondet Augustinus sermone 27. de verbis Domini in initio. *Intenta*, inquit, *erat Martha, quomodo pasceret Dominum: intenta Maria quomodo pasceretur à Domino.* Officium Mariæ, ex mente Augustini, erat, vt pasceretur à Domino; Marthæ solicitudo, quomodo Dominum pasceret: at ex hoc responso potiùs videtur colligi Martham optimam partem elegisse, non Mariam; quia Dominum pascere melius videtur, quàm pasci à Domino. Quare ergo Augustinus Mariæ ministerium Marthæ prætulit solicitudini, ex eo quòd illa pascitur, hæc pascit? Quàm profundè! Quia Maria, vt pasceretur à Domino, summis precibus eum exorabat, orationi, & contemplationi dedita, vt acciperet: Martha, vtpote Dominum hospitans, non petebat, sed donabat. Vt ergo constet, pluris Deum facere iustorum preces, quàm ab eisdem obsequia accipere, Mariam optimam partem elegisse affirmat.

Luc. 10. n. 42.

Augustin.

153. In lapidibus onychinis filiorum Israël nomina erant sculpta, vt ea portaret Pontifex super vtrumque humerum coram Domino, *Ob recordationem*, seu iuxta Septuaginta: *Memoriale de ipsis*: non quia Deus, cui omnia sunt præsentia, recordatione indigeat, sed vt explicat Caietanus hîc, *Ad memoriam suffragij*,

Septuag.

Caiet.

vt

vt Sacerdos pro vniuerſo populo opem poſtularet à Domino. Sed ad quid hæc nomina coram Domino proponebantur, qui nullius patitur obliuionem ? Non quia hoc indigeret memoriali, ſed vt preces coram ipſo effunderentur, & ſic præſtaret ſuffragium. Tanti enim ſupplicum facit preces, vt licèt omnia ſemper habeat in conſpectu, patitur obliuioſus reputari, vt ſuam benignitatem exoremus.

ILLATIO XCIV.

Rubore ſuffunditur Deus, cùm negat, quæ ab eo poſtulamus.

154. EX diuina largitatte prouenit, Deum tanti facere noſtras preces; & ex diuina etiam munificentia poſtulata concedere. Vnde cùm noſtris non aſſentitur precibus, vel quia poſtulamus incongrua, vel quia diuinæ aduerſantur voluntati, quaſi rubore ſuffuſus faciem abſcondit, velut illiberalitatis nota correptus.

155. Sodomorum ſcelera diuinam excitarant iuſtitiam, nec id cælauit Deus Abrahamum: at tunc pius Patriarcha ſummis precibus diuinam implorabat miſericordiam dicens: Domine nunquid iuſtum perdes cum impio ? Si fortè in ciuitate eſſent quinquaginta iuſti, parceres ciuitati ? Cui Deus reſpondit; parcam. Et quid ſi quadraginta quinque fuerint, ait iterum Patriarcha ? Reſpondit Deus, non delebo ciuitatem propter quadraginta quinque iuſtos. Summiſsè, & humiliter tertiò loquitur Abraham: Et quid ſi quadraginta ? Non percutiam, ait Dominus. Et quid ſi tantùm inuenti fuerint triginta, quartò interrogat ? Quid ſi viginti ? Quid ſi decem ? Reſpondit Deus: non interficiam: non delebo. Sed vix hæc dixerat Dominus, cùm terga vertens diſceſſit ab Abrahamo: *Abiitque Dominus poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham: & ille reuerſus eſt in locum ſuum.* Geneſis 18. numero 33. Notare libet: cur Deus receſſit ab Abrahamo, cùm propter decem iuſtos non deleturus ciuitatem promiſerat ? Si Deus repetitas Patriarchæ preces ſuſtinuit, & à quinquaginta iuſtis incipiens, ſolis decem erat contentus, & propter eos gentem illam non deleret (in quo ſatis diuina pietas ſplendebat) cur non expectat, vt Abraham iterum preces effundat ? & cur à conſpectu Patriarchæ feſtinanter diſceſſit ? Quia gradatim Abraham à quinquaginta iuſtis vſque ad decem deſcenderat; etſi Deus vlteriores expectaret preces, deſcenderet vſque ad quinque, & eis non adinuentis forſan abſolutè poſtularet, vt parceret ciuitati. Cùm igitur Deus id non eſſet conceſſurus, abiit preces Abrahami præuidens, & quaſi pudore correptus ſe abſcondit, quia poſtulanda erat negaturus. Sic inſinuauit Caietanus ad hunc locum dicens: *Cùm Deus finiſſet vltimam reſponſionem, non delebo propter decem, receſſit non expectans vlteriores preces.* Tanti Deus facit preces iuſtorum, quòd ſi aliquando poſtulanda eſt negaturus, abit quaſi rubore ſuffuſus; quia negat, quod poſtulatur. Ob hoc ab Abrahamo receſſit, velut faciem abſcondens, non expectans vlteriores preces. Hiſpanè diceremus: *No tiene Dios cara, para negar lo que le pide vn amigo.*

Gen.18.n.33

Caiet.

156. Non minori feſtinatione conabatur Deus à Iacobo recedere, cùm luctabatur cum eo. *Dimitte me*, inquit Deus, *iam enim aſcendit aurora.* Geneſ. 32. numero 26. Mirum eſt à ſeruo detineri Dominum ita fortiter, vt illum oret, vt dimittat: & quòd Deus omnipotens à fragili homine detineatur. Sed quid mirum? Cùm Deus nunquam nos derelinquat, niſi priùs eum dimittamus. Bene. Sed placet in præſenti expendere cauſam, ob quam Deus à Iacobo petit, vt dimittat. Non eam tacuit Dominus: *Iam enim aſcendit aurora*, ait. At quid intereſt, quòd aurora rutilans aſcendat, vt ex hoc conuincatur Patriarcha ad dimittendum Dominum ? Si Deus fortiter, & indefeſsè tota nocte vſque mane luctauerat cum Iacobo: quid eſt in aurora, vt propter eam petat, finiri certamen ? Petierat Iacob benedictionem à Domino; & propter eam tota luctauerant nocte, quam dominus concedere recuſabat: at cùm iam aurea fulgeret roſeis aurora capillis, noctem diſcutiens, & diem reducens, à ſeruo dimitti poſtulat Dominus, quaſi erubeſcens negare in luce, quod in tenebris negauerat. Idque factum probauit: nam vt conſtat ibidem, numero 29. Deus Iacob benedixit in eodem loco. Conſecutus eſt ergo Iacob aurora micante, quod totius noctis certamine conſequi non valuerat. Quia tametſi Deus tenebrarum in vmbris benedictionem negauerat, lucis iam coruſcantibus radiis, & adueniente die, eam non audet negare: ne, quia non concedit, quod petitur, ſuffundatur rubore.

Gen.32.n.26

157. Conſummaturus humani generis redemptionem Chriſtus Dominus: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ioan. 19. numero 31. Nunquam ſatis hæc capitis inclinatio expenditur à Patribus, & Doctoribus.: Dixere plura plurimi: ſed ni fallor, nouiter expendenda eſt. Cur ergo Chriſtus traditurus ſpiritum caput inclinat ? Et quare non erecto, & ſereno vultu emoritur, vt victoriam, quam reportabat de morte, declararet ? Caput inclinans videtur, collum mortis imperio ſubiicere, quod cum victoria, quam reportauit de morte, non videtur componi: Quare ergo inclinato capite emiſit ſpiritum ? Quia manus clauis confoſſas, & pluſquam alligatas habebat, vt munera ſua effunderet. Nam licèt in cruce pendens humano generi contulit ſalutem; ex eo quòd manus alligatas haberet (in quo illiberalitatis erat ſpecimen) caput inclinauit, velut faciem abſcondens, quia illic, vel illiberalitatis haberet figuram. Ligatas manus habens impotens videbatur ad conferenda beneficia, quæ peteremus: abſcondit ergo faciem caput inclinans, quia negantis præſeferret ſpeciem.

Ioan.19. n.31.

158. Hinc eſt, quòd Chriſtus mauult ignorantis, quod ſcit, nota inuri, quàm negantis, quod ab eo poſtulamus. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius Hominis, niſi Pater*: Dicebat Ieſus Marc. 13. n. 32. ſuis Diſcipulis de die iudicij interrogantibus.

Marc.13. n.32.

tibus. Sed quomodo hæc stare possunt? An Filius Dei ignorat ea, quæ Pater nouit? Absit: cùm infinitè sapiens sit, sicut Pater. Cur ergo Christus se excludit ab illius diei cognitione. Multa respondent Theologi: Diuus Ambrosius libro quinto de fide, capite octauo: hanc solutionem præstat: *Mauult Dominus*, inquit, *nimio in Discipulos amore propensius, videri ignorare, quod nouerat, quam negare.* Interrogauerant Discipuli ă Domino, quando illa, quæ prædixerat, erant euentura: ibidem, numero quarto: Ne ergo videatur Christus negare, quod petitur, nescire fatetur, quod scit; plurisfaciens ignorantis nota insimulari, quàm negantis rubore suffundi: *Mauult, videri, ignorare, quod nouerat, quàm negare.* Nam ita Deus liberalitatis titulo gaudet, & nostris precibus delectatur; vt, ne videatur negare, quod petitur, patitur eorum, quæ nescit, fateri ignorantiam. Ambros.

159. *Coram Domino*: id est, coram Arca fœderis, vbi Dominus dabat responsa, portabat Aaron nomina filiorum Israël in lapidibus sculpta, *Ad memoriam suffragij*, vt ait Caietanus ibidem. Hoc est: vt à Deo opem, & auxilium postularet. Vbi aduerte, Deum hoc iussisse Sacerdoti, cupiens, vt coram eo preces effunderet. Ita enim munificus, & liberalis est Deus, vt licèt plura non postulata concedat; si tamen, quæ postulamus, quia minùs congrua sunt, aut eius voluntati aduersa, aliquando neget, faciem abscondit, velut rubore suffusus, & propter hoc in sanctuario, & intra velum preces effundi, iubebat, vbi erat absconditus. Caiet.

ILLATIO XCV.

Egenorum miseriæ voces sunt, quæ diuinam excitant largitatem.

160. MOlesta res est paupertas, & durum rebus necessariis indigere. Ex pauperie tanquam ex matre mendicitas oritur, ex hac rubor, & impatientia. At hoc videtur his, qui de paupertate malè sentientes, molestum putant, indigere. Etenim si paupertatis, & indigentiæ thesaurum cognouissent, absque dubio paupertati contenti à rubore mendicitatis liberarentur. Scirent namque ipsam egestatis miseriam, diuinam ad succurrendum vocare largitatem.

161. Errante Agar in deserto Bersabee, puer Ismaël vltimum ferè iam exhalabat spiritum siti magna oppressus: tunc mater, ne filij videret finem, abiecit eum subter vnam arborem, quæ erat ibi, & intimo animi dolore, recessit ab eo, fletu, & suspiriis cordis anxietudinem manifestans. Quid tunc? *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri.* Genesis vigesimo primo, numero decimo septimo: Et misit Angelum, qui eam consolaretur, & pueri indigentiæ subueniret. Posset aliquis hîc notare, matrem, non puerum, vocem leuasse suspiriis tristem, & lamentabilem: quare ergo sacer textus narrat, vocem pueri, & non matris fuisse exauditam? Puer tacebat, & sola mater vocem leuabat: quare ergo Angelus vocem pueri refert exauditam? Perbellè: quia puer si angustiis oppressus fuit vltimum exhalabat spiritum; & quamuis patiens taceret, ipsa patientis indigentia tacitè clamabat ad Deum. Genes.21.n.17

Plasmato iam homine, dixit Dominus Deus: 162. *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genesis secundo, numero 18. Vide quanto studio Deus hominis negotio prouideret. Non sic homo, qui velut sui oblitus, silentij erat cultor eximius, nec à Deo petierat sociam sibi consimilem: at Deus tacente homine, & eo non postulante, prouidit ei adiutorium. Notauit hoc Tertullianus libro de anima, capite 43. *Ille fons generis Adam ante ebibit soporem, quàm sitiit quietem. Ante dormiit, quam laborauit, imò quam & edit, imo quam & profatus est.* Nondum homo verbum aliquod fecerat: nam cùm primum profatus est, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ibidem, numero vigesimo tertio: Ergo Deus homini non loquenti, nec postulanti prouidebat consortem. Sed cur Deus hominis negotij curam suscipit ipso tacente? Si homo indiget adiutorio, clamet, petat, exoret: quare ergo Deus hominis præoccupans preces, non postulata concedit? Quia etsi taceret homo, clamabat necessitas. Egebat homo adiutorio sibi simili, quo solatium, consortium, & sponsam haberet. Etgo tacente homine egestas clamabat: Ante dormiit, imò quàm profatus est. Supersunt voces, si clamat necessitas. Gen.2.n.18. Tertullian.

163. Ferè extremam pauperiem Dominus suadebat Discipulis, cùm Matth.10.n.9. dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Potest-ne maior excogitari paupertas? Et tamen nihil eis defuit, vt constat Luc.22.n.35. vbi idem Dominus dixit eis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis; numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil.* Quid est, quod nihil discipulis defuerit, cùm in summam miseriam sint redacti? Sine auro, sine argento, sine pecunia, sine pera, sine calceamentis, & sine virga incedebant Apostoli: & tamen nullius rei eis defuerat subsidium; quia cùm tali rerum inopia premerentur, & quæ ad victum, & vestitum necessaria minimè suppeterent, ipsa horum egestas mutis vocibus clamans diuinam inuitabat misericordiam. Nec meliori arbitrio Apostoli omnia possiderent, quàm rebus omnibus orbati. Matt.10.n.9 Luc.22.n.35

164. Hinc diaboli inscitiam, cùm ad tentandum Christum accessit, ridendam iudico. Ieiunauerat Dominus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & postea esuriit. *Et accedens tentator dixit ei*, &c. Matthæi quarto, numero tertio. Non fuit ausus dæmon tentare Christum, vsque dum eum vidit esurientem, putans à necessitate vincendum. Sic Basilius in catena sancti Thomæ hîc: *Sentiens enim diabolus, quia vbi fames, ibi imbecillitas aggreditur ad tentandum.* Et Chrysologus, sermone vndecimo: *Esurire Christum, vt tentandi materiam diabolus inueniret.* Verùm, etsi Basil. Chrysol.

neceſſitas grauis magna ſit tentandi materia; cùm propter eam fortiſſima mœnia ſternuntur: tamen puto à neceſſitate vinci, vel eſſe diffidentiam, vel imperitiam. Quapropter hîc dæmon maximè errauit putans victurum Chriſtum, quia eſurientem vidit. Nam ſi bene ſaperet, ex eo quòd eum vidit in ſolitudine fame oppreſſum, iudicaret; ibi, vbi nullum humanum expectabatur auxilium, adfuturum diuinum. Probet hoc egregium illud facinus Abrahami; cùm in ſpem con-
Gen.22 n.12 tra ſpem credens filium immolabat: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, nec facias illi quidquam* Expendit hæc ſanctus Zeno Veronenſis ſermone de Abraham, & inter alia, quæ de Patriarcha elegantiſſimè lo-
Zeno Veron. quitur, ſic ait: *Secura mens, ſecurior manus.* Secura fuit mens Abrahami credens in ſpem contra ſpem: ſed quomodo ſecurior fuerit manus, cùm filium immolabat, non ſatis percipio. At ſi noſtri thematis non obliuiſcamur, pulchra ratio ſe offert. Nam cùm viriliter Patriarcha brachium leuauit, vt iugularet puerum, innocens victima omni fauore humano erat deſtituta. Cùm ergo nemo eſſet in terra, qui illi poſſet ſuccurrere, cœleſte adfuit auxilium. Ergo ſecurior fuit manus Abrahami, cùm ad iugulandum puerum eleuatur; quia tunc humanum nullum ſupererat ſuffragium. Meritò ergo irridendam, iudico, dæmonis inſcitiam, cùm ad tentandum Chriſtum aggreditur ex eo quòd eſuriret in deſerto, in quo omni humano fauore erat deſtitutus: quia exinde iudicare deberet, diuinum adfuturum auxilium.

165. Moribundus Iacob Iudam benedicens, di-
Gen.49.n.10 cebat. Geneſis quadrageſimo nono, numero decimo: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Quæ verba de aduentu Chriſti Domini explicat noſter Abulenſis ad hunc locum, aſſerens à Iuda vſque ad Herodem ſemper in Iudæ Tribu fuiſſe Reges, Principes, & Dynaſtas, idque certa ſupputatione confirmat. His ita ſuppoſitis, placet quærere: cur ſtatim, ac Reges defuerunt in Iuda, natus ſit Chriſtus? Nam licèt tunc temporis Herodes regnaret in Hieruſalem, (vt conſtat Matthæi ſecundo,) non à Iuda, ſed ab Idumæis ducebat originem, vt idem Toſtatus notat ibidem. Quare ergo cùm Herodes cœpit regnare, ſtatim natus eſt Chriſtus? Aut quid Herodis Regnum habet, vt quem tot Patriarcharum, & Prophetarum preces (etſi futurum) habere præſentem non valuerunt; tyranni Regis imperium vagientem in præſepio audiret? Profectò, quia deficiente Duce de Iuda populus Hebræorum ſub Gentili, & tyrannico iugo moleſtam habebat oppreſſionem, & naturalis Regis egebat adiutorio. Tunc clamauit Iudaïci populi neceſſitas, & mutis clamoribus diuinas pulſabat aures. Sed audi Chryſol. ſerm. 156. vbi dubium excitauit, & ſoluit, expendens illa ver-
Chryſol. ba Matthæi ſecundo, numero primo: *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis:* Sic ait: *Quid eſt, quòd tempore Regis nefandi Deus deſcendit ad terras, miſcetur diuinitas carni, ſit cum terreno copore cœleſte commercium? Quid eſt, & quando non verus Rex, expulſurus tyrannum, vindicaturus patriam, inſtauraturus orbem, libertatem redditurus aduenerat?* Reſpondet Rauennatis lumen: *Herodes refuga gentis Iudaïcæ inuaſit regnum, libertatem ſuſtulit, prophanauit ſancta, confudit ordinem: quidquid diſciplinæ, quidquid cultus eſt aboleuit: meritò ergo genti ſanctæ, quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt: & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet.* Quid illuſtrius.

Coram Domino portabat Aaron nomina 166.
filiorum Iſraël, quando populus Hebræorum premebatur anguſtiis: quia Deo ſat erat, populi proponi neceſſitas, vt celeriter, & libenti animo eam ſuccurreret. Imò quò maior anguſtia, & humana ope magis deſtituta, eò maiori ſtudio adſunt auxilia diuina: *Quia humana deſunt, diuina ſuccurrunt.* Clamat mutis vocibus humana neceſſitas, & diuinam opem ſolicitat.

ILLATIO XCVI.

Laborioſa vita diuini amoris eſt index.

FAlleretur, qui laboribus, & anguſtiis op- 167.
preſſus cogitaret, laborioſam vitam odij, & non diuinæ dilectionis eſſe indicem. Hunc reprehendebat Origines homilia tertia in Exodum his verbis: *Nemo ergo ita ineru-* Origenes.
ditus diuinæ ſit diſciplinæ, vt flagella diuina perniciem putet, vt verbera Domini pœnalem credat interitum. Deus namque, quos diligit, flagellat: imò quos flagellat, diligit. Hinc credendum eſt, labores, & afflictiones computari debere inter diuina beneficia. Nam ſicut Deus præſtito primo beneficio, manet quaſi obſtrictus ad ſecundum, imò ad plurima; non aliter obſtringitur his, quos laboribus affligit; cœleſtia ad elargienda beneficia.

Contentiosè Iacob tota nocte cum Deo, 168.
vel Angelo luctabatur. At cùm videret Deus, quòd eum ſuperare non poſſet: *Tetigit ner-* Gen.32.n.25
uum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Geneſis trigeſimo ſecundo, numero vigeſimo quinto. Poſt hæc, Deus benedixit Iacobo: ibidem, numero vigeſimo nono: *Et benedixit ei* Ibid.n.29.
in eodem loco. Magna Deus Patriarchæ præuenerat, vt referuntur Geneſis vigeſimo octauo, numero decimo quarto, & decimo quinto: Et tamen non legimus Iacobum benedictionem Domini conſecutum, vſque dum cum Deo luctam iniuit; imò vſque dum neruus femoris eius emarcuit. Sed quid eſt, quòd Deus dilecto Iacobo, cui tot, ac tanta promiſerat, diſtulit benedictionem vſque ad luctam, & plagam fœmoris? Quid lucta habuit ſpeciale propter quod Deus in eodem loco, hoc eſt
Steph. Cant. in arena, in qua luctabatur, dignetur Iacobo benedicere? Occurrit dubio Stephanus Cantuarienſis apud Godofridum ad hunc locum dicens: *Iacob debilitatus benedictionem obtinuit*

tinuit : hoc eſt, quòd virtus infirmitate perficitur. Ac ſi diceret : non obtinuit Iacob, niſi in lucta, & in certamine benedictionem diuinam; quia accepto vulnere in fœmore, eius affligebatur dolore, & infirmi membri anguſtiatus moleſtia, vix valebat incedere. Debilitas ergo Iacobi diuinam vocauit benedictionem; vt exinde conſtet, afflictiones perpeti, non in perniciem patientis, ſed in eius vtilitatem, ſi patienter ſuſtineantur, redundare. Quis enim claudicare videret Iacobum, qui non exiſtimaret à Deo, cum quo certamen inierat, fuiſſe derelictum, & deſpectum ? At non ſic eſt : quinimò in ipſo vulnere, & claudicatione habuit fideiuſſorem benedictionis : *Iacob debilitatus benedictionem obtinuit.* Ergo laborum calamitas diuinæ beneficentiæ potiùs vertenda eſt, quàm rigori, ſiquidem in illa diuinus fauor fundatur.

169. Vix naſcitur Ieſus, cùm ab Angelo admonetur Ioſeph in ſomnis, vt ſimul cum puero, & matre eius fugiat in Ægyptum, impiam Herodis crudelitatem eludens, quam in puerum tyrannus Rex furore accenſus præ-
Mat.2.n.14. parabat. Quid inde ? *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte : & receſſit in Ægyptum.* Matthæi ſecundo, numero decimo quarto. Huius receſſus cauſam ſatis indicat ſacer textus ibidem, numero decimo tertio, dicens : *Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Sed placet inueſtigare, cur Dominus potiùs in Ægyptum, quàm in aliam regionem vult ſecedere ? Ægyptiaca regio perfidis, & idololatris ſuperſtitionibus erat obnoxia. Inſuper diuinæ legi aduerſaria, & Hebræorum genti inimica. Quare ergo Ieſus Herodianam fugiens Charibdim, ſcyllam quærit Ægypti ? Aut quid in Ægypto erat, quod diuinum ſolicitabat aduentum, iuxta illud Oſeæ vndecimo, numero ſecundo : *Ex Ægypto vo-*
Oſeæ 11.n.2 *caui Filium meum ?* Certè; quia in Ægypto populus Iſraëliticus ſub tyranno Pharaonis imperio tot mala fuerat perpeſſus ; & agni Paſchalis occiſio, in qua Chriſti Domini paſſio fuerat præfigurata, habuit exordium, vt docuit Leo Magnus ſermone tertio de Epi-
Leo.Magn. phania his verbis : *Nec ſine illa regione pararetur ſingulis Hoſtia Sacramentum, in qua primum occiſione Agni, ſalutiferum Crucis ſignum, & Paſcha Domini fuerat præformatum.* Ex eo ergo, quòd in Ægypto Iacobeæ familiæ anguſtiis, & oppreſſionibus fuerant afflictæ ; & Agni Paſchalis occiſione dolores, & mortem agnouit Dominus figurari, quibus nos redemit ; quaſi laboribus, & pœnis allectus in Ægyptum potiùs, quàm in aliam regionem ſecedere voluit, eam ſuo aduentu honorans, quia ſui, & populi laborum fuit habitaculum ; vt oſtenderet, labores, & afflictiones diuinam allicere dilectionem.

170. *Venite ad me omnes, qui laboratis, &*
Mat.11.n.28 *onerati eſtis, & ego reficiam vos,* dicebat Ieſus afflictis, & in preſſuris conſtitutis. Matthæi vndecimo, numero vigeſimo octauo. Vbi Cajetanus notauit, non dixiſſe : Tollam labo-

rem, ſeu onus veſtrum, ſed refocillabo vos. Quinimò ſtatim Dominus ait : *Tollite iugum* ibid.n.29. *meum ſuper vos.* Ibidem, numero vigeſimo nono. Sed cur ; cùm Dominus ad ſe vocat afflictos, & laborantes, non ſolùm eos ab onere non ſubleuat, ſed nouum iugum imponit ? Aut quæ refocillatio poteſt eſſe, ſi antiquo onere non ſublato, nouum ſuperadditur onus ? Abſque dubio maximum leuamen promittebat. Quia iugum legis Euangelicæ imponens, cui perſecutiones, miſeriæ, & tribulationes erant annexæ, magnum promittebat ſolatium. Vt reficiat ergo eos, non tollit onus proprium, ſed iugum legis ſuperaddit; quia ſi vtroque afflicti, & onerati ſunt, hoc ipſo certam faciunt diuinam refectionem. Perbellè Cajetanus. *Non promit-* Caiet. *tit Chriſtus*, inquit, *tollere labores, & malorum onera in hac vita : ſed reficere interiori pabulo mentes, animoſque hominum venientium ad eum.* Cupiebat Chriſtus reficere ad eum accedentes, & pluribus eos cumulare fauoribus ; & ad hoc non tollit labores, non ab oneribus propriis ſubleuat, ſed nouum iugum imponit, cui afflictiones annexæ ſunt, vt hoc modo maiora bona concedat. Ex voluntate ergo benefaciendi, & iugum imponit, & labores, & antiqua non tollit onera.

171. Diuino Imperio Moyſes obtemperans manum in Cœlum extendit, & ſubitò denſis coopertum nubibus terribilis terræ imminebat tempeſtas. Horrifico ſtrepitu tonitrua audiuntur ; celeri, & inordinato curſu fulgura diſcurrebant ; *Pluitque Dominus grandinem* Exod. 9. à *ſuper terram Ægypti. Et grando, & ignis* n.23. *mixta pariter ferebantur.* Exodi nono à numero vigeſimo tertio. Mirabile erat, Moyſis nutui elementa paruiſſe, ſed mirabilius ni fallor, grandinem ſimul cum igne deſcendiſſe, vt terram Ægypti deuaſtaret, & interficeret animalia. Sed vnde inter grandinem, & ignem tanta ſocietas ? Et vnde tam pacificum conſortium inter calida, & frigida, humentia, & ſicca : Stephanus Cantuarenſis, ad hunc locum apud Godofridum, per grandinem labores, per ignem amoris flammam intelligit, vt noſcamus, Deum, quos diligit, laboribus cumulare. *Ignis er-* Steph. Cant. *go*, inquit, *& grando mixta pariter ſunt : quia dum Deus hominem punit ; & ſignum amoris ſui impendit. In igne enim feruor diuini amoris exprimitur.* Percuſſit Deus terram, & animantia Ægypti, vt rebellis Pharao Deum agnoſceret, populumque dimitteret Hebræorum. Non ad perniciem percutiebat, ſed ad Regis vtilitatem, deſiderans indurati cordis conuerſionem. Meritò ergo grandini, in qua labores deſignantur, admixtus eſt ignis diuini amoris expreſſio ; vt doceamur, quòd quando Deus nos premit, ſui amoris ſignum impendit.

172. Refert Ioannes capite vndecimo Lazari infirmitatem : & cùm eius euentus hiſtoriam texeret, non ſemel tantùm narrat, Chriſtum Lazarum, & ſorores eius amaſſe, vt conſtat ibidem, numero quinto : *Diligebat autem* Ioan.11. *Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, &* n.5. *Lazarum.* Et numero tertio : *Domine ecce,* Ibid.n.3.

quem amas infirmatur. Basilius Seleucus con-
Basil. Seleuc. cione de excitat. Lazari in 2. tom. Bibl. vet. Patrum, sic interrogat: *Cur Euangelista historiam hanc texens, tam studiosè commemorat, Mariam dilexisse Iesum, & Iesum vicissim amasse Lazarum, & sorores eius?* Cui quæsito sic respondet Isauriæ Antistes: *Nimirum, quo hinc intelligas, non ægrè ferendum esse, siqua interdum infirmitas in viros probos, Deoque deuotos inuaserit. Ecce, inquit, quem amas, infirmatur.* Infirmitas Lazari non opponitur dilectioni, qua Christus illum, & sorores eius prosequebatur; imò ex morbi doloribus, & angustiis Christi comprobabatur dilectio. Si verò dicas: infirmitas Lazari ipsum vita spoliauit, & sorores afflixit. Quî ergo fieri potest, vt hæc signa sint dilectionis? Ex doctrina Basilij facilè nodus soluitur: quia quos Deus amore prosequitur, affligit in hac vita. Igitur labores, molestiæ, morbi, & alia, quæ in hac lachrymarum valle patimur, diuinæ dilectionis efficacissima sunt argumenta.

173. Cùm populus Israël erat in aliqua angustia, aut calamitate constitutus; portabat Aaron Patriarcharum nomina in lapidibus pretiosis coram Domino, vt quanti apud Deum haberentur ostenderet, ex eo, quòd tribulationem paterentur. Est enim calamitas à Deo inflicta diuinæ dilectionis index, & superni fauoris argumentum. Meritò ergo afflictorum nomina in gemmis incisa coram Domino præsentantur, vt quanti apud Deum sint, declaretur.

Illatio XCVII.

Calamitates, & labores diuinæ legis memoriam excitant, & ad eius obseruationem inducunt etiam dissolutissimos homines: imò ipsum dæmonem ad confitendum Deum compellunt.

174. QVanti momenti sint labores, & afflictiones, & quos in nobis afferant fructus, in præsentiarum est ostendendum. Vitiorum fugam, & emendationem vitæ debemus ærumnis. Id expressè docuit Saluianus Massilienſis libro sexto de prouidentia, vbi
Saluian. ait: *Qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur aduersis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos.* Quando Regnum tranquillitate fruitur, ciues deseruiunt otio: ex hoc morum peruersio, & vitiorum pullulat incrementum. At vbi bella, vbi inimicorum infestationes, vbi aduersa succedunt, ipsis aduersitatibus corrigimur, ad Deum clamamus, & tot malorum causam, noua vita, studemus deponere. Ob hoc Isaïas Abbas oratione vigesima sexta, in secundum tomum Bibliothecæ vete-
Isaïas Abbas. rum Patrum dicebat: *Calamitates nobis sunt adiumento ad obseruanda mandata Dei.* Ergo non debemus, conqueri de laboribus, & ærumnis, cùm ex eis vitæ, & morum correctio proueniat. Considera homines perditioni deditos, flagitiis addictos, moribus corruptos, imò ipsum dæmonem obstinatum; si calamitatibus opprimantur, Deum agnoscunt, & reuerentur.

Vehementi, & insatiabili ira aduersùs 175.
Christianos Saulus petebat Damascum, vt si quos inuenisset, vinctos perduceret in Ierusalem: sed cùm iam prope Damascum esset, voce Domini perterritus, & subitanea luce circumfusus in terram cecidit, &c. Quid
Act. 9. n. 8. inde? *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum. Et erat tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit.* Actorum nono, numero octauo. Sed cur Christus, vt ad se Saulum attraheret, eum oculorum lumine priuat? Si vas electionis, vt nomen Domini portaret coram Regibus, & filiis Israël, eligitur: cur absque visu, & cæcitate laborans præuenitur à Domino? Venantius Honoratus Pictauiensis homilia de oratione Dominica hanc
Venant. Pict. reddidit rationem. *Beatus Paulus*, inquit, *voluntatem habebat aduersùs Christum re vera, cuius per Ecclesias populum deuastabat; sed quando Redemptor dignatus est, in persecutore suo magis pius esse, quàm iustus, vt ad meliora accederet, eum per cæcitatis amaritudinem castigauit, & corporale lumen obduxit, vt ei spirituales oculos aperiret.* Contra Christi assecias insurrexerat Saulus, qui aduersùs Stephanum manibus lapidantium, dum eorum vestimenta seruabat, non lapidando mittebat lapides. At Dominus Iesus, vt ex persecutore amicum, ex Saulo Paulum, & ex luteo vase chrystallinum, & electum efficeret, eum cæcitate percussit, vt ad meliora accederet, & per cæcitatis amaritudinem oculos spirituales aperiret. Sic enim ex irato mitem, fidelem ex perfido, & ex persecutore eximium Euangelij Dominus fecit præconem. Tanta enim calamitatis est vis, vt effrænem iram persecutoris in Doctoris mansuetudinem valeat conuertere.

Sed quid mirum, Saulum in Paulum ca- 176.
lamitatum efficacia transformari, & Iesum, quem paulò antea persequebatur, reuereri; cùm tyrannus, & impiissimus Pharao, dum secunda ranarum plaga percutitur, verum Deum recognouit? Annunciauerant Moyses, & Aaron huic impio Regi, Dei esse voluntatem, quod populus Israël liberè sacrificia offerret in solitudine. Quibus auditis induratus Pharao sic respondit: *Quis*
Exod. 5. n. 2. *est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam. Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam* Exodi quinto, numero 2. Nec his contentus tyrannus, præfectis operum præcepit, vt grauiora Israëlitis onera imponerent, & eos affligerent flagellis, si latericium non compleuerint opus. Sic, & aliter miserum populum affligebant: Deum autem suorum nunquam immemor, durissimum Pharaonis cor plagis pungere, vt populum dimitteret, incepit. Ministerio Aaronis aquas percussit Ægypti, & in terrum, & horribilem sanguinem conuertit, vt constat Exodi septimo, numero vigesimo. Deinde manum extendens

flu

fluuios, riuos, & paludes, ascenderunt innumerabiles ranæ, quæ vniuersam terram operuerunt Ægypti. Quid tunc Pharao? *Vocauit autem Pharao Moysem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Exodi octauo, numero octauo. Sed cur impius Pharao, qui paulò antea Dominum ignorabat, dicens: *Quis est Dominus*, &c. Postea Dominum recognoscit, à Moyse, & Aarone petens, vt pro eo Dominum exorarent? Vnde tam subita mutatio indurato, & pertinaci animo prouenit? Non aliunde quàm ex plagis, & calamitatibus, quas patiebatur impius, & sceleſtus Rex, respondit Origenes. homilia tertia in Exodum, his verbis: *Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat. Est profectus in pœnis, hoc ipsum agnoscere, quod merueris pœnam. Nescio ergo, ait, Dominum, & Israël non dimittam.* Antequam Pharao plagis verberaretur, Dominum ignorabat, post plagas Dominum confitetur. Quid est hoc? *Est profectus in pœnis.* Damna enim quæ patiebatur, obcœcatos oculos eius aperuerunt, vt Dominum, quem antea negauerat, vel inuitus postea confiteretur. Et quid mirum, duriſſimum Pharaonem post verbera Deum recognoscere; cùm dæmon obstinatus quando aliquod sibi imminens malum timet, Deum adoret, & recognoscat?

Exod. 8. n. 8.

Origenes.

177. Dæmones illi, qui crudeliter miserum illum hominem torquebant, compellentes eum habitare in sepulchris, & monumentis, videntes Iesum clamauerunt ad eum dicentes: *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos.* Matthæi octauo, numero vigesimo nono. Apud Lucam capite octauo, numero vigesimo octauo, sic legimus: *Quid mihi, & tibi, Iesu Fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas.* Et apud Marcum capite quinto, numero sexto: *Videns Iesum à longe cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit: quid mihi, & tibi Iesu Fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Mirabile est, dæmonem aliàs obstinatum in malo, & qui inuidiæ incendio contra suum authorem æstuabat, tanta animi elatione, vt super astra solium suum exaltare præsumeret, nunc Iesum humiliter adorare, & Filium Dei confiteri! Rursus: vt constat Matthæi quarto, numero tertio, ardenter desiderabat scire, an esset verus Filius Dei, cùm dixit: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Et ibidem, numero sexto, eadem dubitatione hæsitans repetiit: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Et tandem numero octauo non adorare Dominum Iesum, sed ab eo adorari præsumpsit, cùm dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Ex his omnibus libet interrogare: quænam sit causa, ob quam diabolus, qui de Christo Domino male sentiens, tum ei æquiparari audacter, & temerè præsumebat; tum an esset Filius Dei dubitans, ab eo adorari tentabat; modò apertè eum Altissimi Filium vocat, & adorat humiliter, vt refert Marcus? Fallor, si hoc non fecit dæmon calamitatis imminentis timore concussus. Verebatur dæmon, à Christo Domino ex illo miserrimo homine, ne expelleretur, quod ei maximum videbatur supplicium, vt ipse dicebat, *Ne me torqueas.* Hanc putabat calamitatem acerbam. Ex eo ergo, quòd pœnæ, & calamitati erat obnoxius, Christum adorat, & Filium Altissimi confitetur. Quàm pulchrè Origenes homilia tertia in Exodum, dum ait: *Scriptum est enim, quia clamauerunt dæmones ad Dominum, & dixerunt. Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus te, qui sis. Tu es Filius Dei viui. Vbi tormenta senserunt, sciunt Dominum.* Tanta est laborum, & calamitatum efficacia, tantaque vel imminentis pœnæ virtus, vt ipsum dæmonem, cui tunc tanquam præsens malum imminebat, compelleret ad confitendum, & adorandum Deum, quem antea, vel ignorabat, vel despiciebat. Nam vbi tormenta sensit, Dominum recognouit.

Matt. 8. n. 29

Luc. 8. n. 28.

Marc. 5. n. 6.

Matt. 4 n. 5.

Ibid. n. 6.

Ibid. n. 8.

Origenes.

Concludamus hanc illationem aureis Diui Gregorij verbis, prima parte Pastoralis, capite tertio. Ibi enim egregius Pontifex docet, membra Christi debere fugere fauores mundi, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere, & prospera formidando declinare. Audi rationem, quam assignat. *Quia ista*, inquit, *sæpe per tumorem cor inquinant; & illa per dolorem purgant: in istis se animus erigit: in illis autem etiam quando se erexerat, sternit. In istis homo se obliuiscitur; in illis verò ad sui memoriam nolens etiam coactus reuocatur.* Quod Saülis, & Dauidis confirmat exemplis, sic prosequens: *Sic Saül, qui indignum se priùs considerans fugerat, mox, vt Regni gubernacula suscepit, intumuit ..... sic Dauid authoris sui iudicio penè in cunctis actibus placens; mox, vt pressuræ pondere cauit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit ineruiter fluxus.* Hæc Gregorius. Meritò erco coram Domino filiorum Israël nomina portabat Sacerdos in lapidibus incisa, quando populo aliquod damnum imminebat: & iure optimo isti lapides memoriæ lapides dicuntur; quia in afflictione constitutus nesciret populus suum Creatorem obliuiſci, cùm vel induratus Pharao positus in pressura Dominum recognouit, & obstinatus dæmon Christum Dei viui Filium esse humiliter reueretur.

178. Gregor.

ILLATIO XCVIII.

Diuina largitas aliquando negat, quæ postulamus, vt abundantiùs, quæ differt, concedat.

179. QVi beneficium differt auarus, aut parum munificus apparet: at si res expendatur attentiùs, sæpe in dilatione boni

magna liberalitas splendescit. Si quis quando, aut cui non oportet, beneficium conferret absque iure liberalis esset æstimandus. Pensanda sunt in largitione boni, quæ, cui, & quando beneficia conferantur. Ex his rectitudo liberalitatis coalescit. Ergo cùm quis beneficium negat, quia conferre, non expedit iniustè auari, aut illiberalis nota insimularetur. Et quid, si negat, vt concedat munificentiùs? Absque dubio munificentissimi ostenderet conditionem. Non aliter Deus, qui tot beneficia hominibus distribuit, aliquando quæ ab eo postulamus, negat, vt abundantiùs ea conferat.

180. Infirmatur Lazarus, & sorores eius miserunt ad Dominum quendam nuncium, qui morbi faceret certiorem, cuius iam erat Dominus certissimus. Quibus auditis mansit Iesus in eodem loco duobus diebus. Moritur Lazarus, & venit Iesus in Bethaniam. Omittamus multa. Accessit ad sepulchrum: *Voce magna clamauit: Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus*, &c. Ioannis vndecimo, numero quadragesimo tertio, & quadragesimo quarto. Sed, ô bone Deus! si Lazarum, & sorores diligebas; cur istis dolorem, mortem illi permittis? Maioris proculdubio esset amoris signum, si morbi extinguens malitiam, mortis laqueum impedires. Sic enim Lazarus mortis, & sepulchri non fuisset passus horrores, nec sorores eius tot angustiis premerentur. Quare ergo aduentum tuum distulisti in Bethaniam, & mortem amici permisisti? Diuus Augustinus tractatu 49. in Ioannem longiùs ab initio sic dubio occurrit: *Trans Iordanem scilicet miserunt ad Dominum nunciantes, quòd ægrotaret frater earum, vt dignaretur venire, & eum ab ægritudine liberare. Ille distulit sanare, vt posset resuscitare.* Si in vniuersum aduentus Christi consideramus dilationem, forsan putabimus, eam ex animi remissione prouenisse; quia amicum dilectissimum reliquit, vt extingueretur à morbo. At, fallimur ita iudicantes. Nam si Dominus procrastinauit aduentum, non fuit, quia amor erga Lazarum, & sorores langueret, sed vt maius eis impenderet beneficium. Si enim statim, ac infirmitas Lazari ei fuerat annunciata, iter arriperet, sanaret ipsum, sed non reuocaret ad vitam. Et quamuis salutis beneficium magnum sit, pretiosior multò est vitæ restauratio. Protraxit ergo aduentum, vt maius conferret beneficium: hoc est: vt non tantùm salutem, sed vitam etiam impertiret. Hoc enim est diuinæ indolis stratagema: aliquando differre beneficia, vt ampliori manu ea elargiatur.

Ioan.11.n 43

Augusti.

181. Magdalenæ ardenter Christum quærenti, apparuit ipse rustico hortulani tectus indumento. Hæc referens Ioannes capite vigesimo, numero decimo quinto, sic ait: *Conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem; & non sciebat, quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset*, &c. Si quæras cur Dominus ita se Magdalenæ occultet, vt nec sui, vel minimum præbeat vestigium? Et cur eam tunc fragili, *Mulieris*, vocabulo vocet, dicens: *Mulier, quid ploras?* Forsan existimabis parum diligere Magdalenam, aut non magni eam æstimare; siquidem cùm ab ea ardenter quæritur, dissimulat se rustico hortulani tegumento. Si tamen rem hanc penitius consideres, non est remissioni vertendum, quòd se occultet, sed ardentissimo amori, & flagrantissimo desiderio fauendi Magdalenæ tribuendum est. Nam priùs se occultauit, vt statim manifestus appareat: appellauitque eam mulierem, vt illico pretioso, & honorabili Mariæ nomine eam condecoraret. Hæc enim est diuinæ largitatis ars: negare aliquando beneficia, vt largiora conferat. Pulchrè hoc expressit Drogo Hostiensis de Sacramento Dominicæ passionis. *Occultat se*, inquit, *vt ardentiùs requiratur, & requisitus cum gaudio inueniatur; inuentus cum solicitudine teneatur, & tentus non dimittatur, donec in amoris sui cubiculo mansionem facturus introducatur. Hac arte ludit sapientia in orbe terrarum, & deliciæ eius esse cum filiis hominum.*

Ioan.20.n.15

Drog. Host.

182. Appropinquantibus Emaüs Christo, & illis duobus Discipulis, quibus in via occurrerat Dominus, vt ad Fidei semitas perduceret: *Ipse finxit se longiùs ire. Et coëgerunt illum dicentes: mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.* Lucæ vigesimo quarto, à numero vigesimo octauo. Ad quid ergo Christus his Discipulis se longiùs ire insinuauit, si apud eos mansurum non ignorabat? Aut cur, ab eis discedere simulat, si tam ægrè ferebat eorum præsentiæ desiderium? Diuus Bernardus sermone septuagesimo quarto in Cantica putauit, hoc fuisse diuinum stratagema, non vt aliò se concederet, sed vt auidiùs teneretur, & frueretur alacriùs. *Aliquando*, inquit, *simulat se longiùs ire, non quia hoc volebat, sed quia volebat audire, mane nobiscum Domine.* Cupiebat Christus apud eos manere, & tamen se longiùs ire simulauit, non quia hoc volebat, sed vt precibus teneretur. Intimauit absentiam, vt præsentiam concederet; & imminet recessu, vt quod negat conferat. O diuinæ largitatis semper æstimabile stratagema! O diuinæ beneficentiæ nunquam comprehensum studium! O diuinæ sapientiæ inscrutabilis ars, qua in orbe terrarum ludit cum hominibus, vt diuitiarum suarum thesauros liberaliter conferat, siquidem id ipsum, quod negare videtur, liberaliùs concedit noua arte benefaciendi, vt eius beneficentiæ confidamus alacriter, etiamsi, quæ postulamus, non conferat.

Lucæ 24. n.28.

Bernard.

183. Coram Domino super vtrumque humerum portabat Aaron incisa in gemmis nomina filiorum Israël *Ob recordationem*. Abulensis ibidem, quæst. 11. rem hanc sic explicat. *Dicuntur ista*, inquit, *portari in recordationem Dei, scilicet quòd Deus recordaretur illorum, qui ibi scripti erant.* Sed quî intelligi potest, quòd Deus recordetur illorum, quorum nunquam

Abulens.

quam obliuiscitur, cùm omnia in acie suæ mentis semper habeat præsentia, antequam sint. Recordatio supponit obliuionem. Ergo cùm Deus nullius obliuiscatur, non valet alicuius recordari. Respondet Tostatus: *Mandat ergo Deus poni istos lapides in memoriam, siue recordationem, scilicet, quia licèt ipse nihil recordaretur, cùm omnia oculis eius præsentia sint, tamen vult, quòd nos occupemur in diuersis cultibus eius secundum conuenientiam affectus nostri.* Quod est dicere: Deus, cuius cognitionem nihil latet, sed omnia in conspectu eius sunt præsentia, videtur obliuisci; cùm dicitur recordari, non quia alicuius rei obliuionem patiatur, sed vt denotet illam pati, vt nos alliciat per cultum, & orationem ad memoriam eius excitandam. Simulat obliuionem, vt precibus eum ad recordationem excitemus. Negare insinuat, quod concedere cupit. O diuinum stratagema!

Illatio XCIX.

Defensione non indiget, quem conscientiæ securitas defendit.

184. Semper à malis insidiantur boni: nunquam apud flagitiosos, & multis sceleribus contaminatos bene olent viri spectatæ virtutis: quia continuum est bellum inter virtutes, & vitia: & quid mirum, quòd vbi tanta dissimilitudo reperitur, nunquam desit certamen, & dissensio? At ni fallor, maxima est inæqualitas contentionis: nam scelestus peruertere, ob tenebrare, & maculis impuris notare optimos, semper contendit; bonus autem, & virtutum splendoribus ornatus pessimorum defectus tegere, in viam salutis reducere, & à vitiis retrahere, semper conatur. Ex morum, & consiliorum diuersitate tantùm inter vtrosque oritur dissidium. Hinc est, quod improbi semper iustos timent, & insidiis eos debellare tentant: Iusti autem muniti suæ conscientiæ præsidio nihil verentur, nec sua opera ab omnibus conspici formidant; imo etiamsi calumniarum iaculis agitentur, muto silentio ab impositis iniuriis defenduntur: quia quem conscientiæ securitas defendit, non indiget defensione.

185. In rerum exordio vix sacer textus cœli, & terræ ob oculos proposuit creationem, cùm lucis ortum diuino ore productæ, & superna sententia comprobatæ in medium refert. Gen. 1. num. 3. *Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* Hugo de S. Victor. apud Godofridum ad cap. 1. Gen. notauit: cur Deus ante primi diei consummationem: ante firmamenti fabricam; ante Solis, Lunæ, & Stellarum radiationem, luci primordia concessit? Si Sol est Lucis origo, & radiorum pater splendens, cur luci in creatione cessit principatum? Respondet Hugo: *Incipiens Deus opera sua, vt perficeret primum, fecit lucem, vt cætera omnia postmodum faceret in luce, significauit enim nobis, se non amare opera, quæ in tenebris fiunt; quoniam mala sunt, quia omnis, qui male agit, odit lucem.* Ac si dicat: Voluit Deus lucis creationem præmittere productioni Solis, Lunæ, & Stellarum, vt reliqua lucis probarentur testimonio, siquidem non in tenebris, vt mala patrabantur. Nam cùm Deus de suorum operum perfectione certus esset, non renuit ea in conspectu lucis producere. Quia quod bonum est, calumniari non timet, sed bonitatis scuto calumniantium tela retundit.

Gen. 1. n. 3.

Hugo de S. Victor.

Nam ob aliam causam Christus Dominus, 186.
cùm præcinctos desiderabat discipulos, lucernas in manibus desiderabat tenentes, Lucæ 12. num. 35. eos exhortans, dum ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* At cur in manibus portandæ sunt faces? Aut cur lucernarum radiis illustrandi sunt, cùm lumbos præcingunt? Chrysol. serm. 22. per lucernas in manibus opera bona intelligit, dicens: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Beati, in quorum manibus bonorum operum lucent lucernæ. Sic enim luceat lux vestra, vt videant opera vestra bona:* Cùm ergo per lucernas in manibus positas bona opera designentur; meritò faces, & luces appetuntur, vt ab omnibus conspiciantur. Nam qui bene operatur, ita in suis operibus securus est, vt nullius timeat calumniam. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris* (iterum expendit Rauennas sermon. 24.) *quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturno portantur tempore: & sicut vitiis amica semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus: socia semper boni operis sunt lucernæ.* Nocturno tempore expectaturi erant discipuli Domini sui aduentum bonis operibus ornati. Ad manifestandum ergo eorum opera digna laudis extitisse, lucernis, & facibus illustrantur; nam sociæ semper boni operis sunt lucernæ. Non ergo timet tenebrarum iniurias, nec noctis insidias, qui bonorum operum tegitur scuto.

Lucæ 12. n. 35.

Chrysol.

Ardenti, & impudico amore Putipharis 187.
vxor pulchrum, & castum prosequebatur Iosephum; imo persequebatur molestè lasciuis verbis eum ad adulterium prouocans: Ioseph autem si sui esset iuris, aut si seruitutis laqueis non teneretur, libentissimè fugeret quotidianam impudicæ fœminæ inhonestam loquelam. In corde suæ dominæ contemnebat amorem; at cautè, ne ipsa contemptum intelligens, affectum conuerteret in vindictam, gratum erga Dominum suum animum ostendebat, quo lasciuæ iacula retunderet, simulque lasciuientis fœminæ reprehenderet animum impudicum. Sed, O præceps occasio, quot honestos animos perturbasti! *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret. Et illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret, dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos. En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cúmque ego succlamassem, & audisset vocem meam reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.* Genes. 39. a num. 11. eadem verba inhonesta mulier retulit marito, qui verbis con-

Gen. 39. a n. 11.

iugis nimis credulus iratus est valde, & Ioſephum miſit in carcerem, in quo vinctus, & clauſus in obſcuro ſeruabatur ergaſtulo. Sed videamus nunc: cur Ioſeph veſtimenta reliquit? Si vt adulteræ fugeret lenocinium, & blanditias non auſcultaret: certè, Patriarcha ſancte, tua veſtimenta teſtes ſunt adulterij, cùm eis relictis aufugeres. Fuge, fuge, ſed cum pallio. Tolle veſtium teſtimonium, quo licèt falsò vſura eſt impudica. Rurſus: cur coram marito tuam innocentiam non defendis, & fœminam non accuſas adulterij, ſed in tanto diſpendio taces? Quia caſtitatis, & innocentiæ clypeo obarmatus, tacens calumniarum tela frangebat. Quam aptè D. Ambroſ. lib. de Ioſeph cap. 5. *illum ſatis* (ſupple, *dixerim*, inquit lumen Mediolani) *ornatum, ſatis defenſum, cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur.* Accuſabat Ioſephum adultera, & ipſa magis adulterij ſui tentamenta vulgabat, cùm oſtenderet Hebræum relictis veſtibus aufugiſſe. Ipſa quod debuerat cælare, prodebat, vt compoſito crimine perderet innocentem. Quid tunc Ioſeph? Tacebat vtique, & ſe non defendebat: quia vbi loquitur innocentia, vocis ſuperfluit ſuffragium.

Ambroſ.

288. Non diſſimiliter Chriſtus Dominus ſe geſſit, cùm apud Pilatum à Iudæis tot criminum accuſaretur; tacuit, & nihil illis reſpondit. *Ceperunt autem illum accuſare dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.* Lucæ 23. num. 2. Sed expreſſiùs hæc habes apud Matthæum cap. 27. num. 12. *Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.* Sed cur Dominus nullam adhibet defenſionem, vt accuſatores, & crimina inuidiæ, & falſitatis conuincat? Loquere, Domine, ne fortè tuo ſilentio inimici tui exaltentur, putantes tua taciturnitate impoſitam accuſationem confirmari. Cur crimina falſa non refellis; & defenſionem iure naturæ conceſſam, vt innocens ab impoſitis criminibus proberis, non exhibes? Ad rem reſpondit Ambroſ. in cap. 23. Lucæ. *Accuſatur Dominus, & tacet. Et bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit, non refellendo.* Chriſtus Dominus, vtpote ſumma innocentia, non ſe defendit etiam accuſatus; quia à criminibus vinci non timet, qui criminum prorſus expers eſt. Multò enim ſecurior erat innocentiæ clypeo, quàm defenſione vocali. Tacet ergo, quia defenſione non indiget. Nam vbi conſcientia ſecura eſt, tutiſſimum adeſt præſidium.

Lucæ 23. n. 2.

Matth. 27. n. 12.

Ambroſ.

189. *Facies vncinos ex auro.* Septuag. legere: *Facies aſpidiſcas ex auro puro.* Alius Septuag. Scholiaſt. *Facies & clypeos.* Quibus conſentit Auguſtinus quæſt. 115. in Exodum dum ait: *Aſpidiſcas in veſte ſacerdotali, quas dicat, vtrum ſcutulas, quæ ab ſcuto Latinè appellantur, quia & Græci ſcutum aſpida appellant.* Aſſentitur Auguſtino Gregor. Niſſen. in lib. de vita Moyſis poſt initium dicens: *Ex lapidibus* (id eſt, Onychinis) *ad interiorem partem ſcuta quædam pendebant.* Sed ad quid; Pontificis humeri clypeis adornantur, cùm hæc bellica ſint inſtrumenta, quæ à ſacerdotibus ſunt aliena, quibus pax ſemper incumbit conſeruanda? Si dicas, ideo ſcuta habuiſſe Pontificem, vt potentiam, & maieſtatem oſtentaret: cur clypeis telum, aut enſis non aſſociatur? Quia ſacerdos non debet vti armis, quæ alios percutiant, ſed ſolùm illis, quibus protectus, & defenſus ſit. Ex auro puro fabrifacata fuerunt hæc ſcuta, in cuius ſplendore nitidiſſimo vitæ ſacerdotis innocentia radiabat. Sit ergo ſacerdos vitæ inculpabilis, & alia non indigebit armatura, quàm clypeo. Id expreſſit Gregor. Niſſen. citatus dum ait. *Quare diligenter nos docet, omnibus Patriarcharum virtutibus animum ſacerdotis debere eſſe ornatum, qui duobus his ſcutis aduerſariorum tela repulerit.* Scutis ergo ornabatur Pontifex, vt oſtenderet eum, qui ſacerdotali puritate fulget, in ſe habere protectionem, qua illæſus ſit à calumniatorum iaculis crudeliſſimis. Nam ſat ei eſt bonæ conſcientiæ ſecuritas, vt in ea tutiſſimum habeat præſidium, & infirmiſſimam defenſionem.

Septuag.

Auguſt.

Greg. Niſſe.

Greg. Niſſe.

ILLATIO C.

Quot fructus ferat animorum vnitas, & concordia.

190. QVanti momenti ſit animorum vnitas, eleganter ſcripſit Caſſiodorus lib. 1. variar. epiſt. 1. dicens: *Omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas: in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur. Hæc eſt enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicans, facultates protendit, mores excolit, & tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minimè quæſiſſe ſentitur.* Hæc de terrenis commodis, quæ ex tranquillitate, & concordia oriuntur, videtur teſtaſſe Caſſiodorus: Verùm ſi animum erigamus ad cœleſtia, quot ex animorum vnitate vtilitates proueniant, in præſenti nobis eſt inquirendum. Non fallor, ſi exiſtimem, concordiam ſic diuinam allicere voluntatem, vt illa ſit velut quoddam diuinæ largitatis vadimonium.

Caſſiodor.

191. In ventre Rebeccæ (vt refertur Geneſ. 25.) vix Eſaü, & Iacob primordia vitæ ſenſerunt, cùm contentiosè certantes vnuſquiſque obtinere in paterna domo deſiderabat primatum: & priùs ad bellum, quàm ad vitam nati maternum vterum perturbabant rixantes. Non pudet verba referre Tertulliani lib. de anima cap. 26. ſic de his fratribus loquentis: *Portentoſa*, inquit, *forſitan petulantia infantiæ ante certantis, quàm viuentis, ante animoſæ quàm animatæ, ſi tantummodo matrem ſubſultando turbaſſet.* Duo fratres certabant, ſed in eis duo regna ſibi inuicem infeſta deſignabantur. *Collidebantur in vtero.* Geneſ. 25. num. 22. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo dimidentur: populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Ibid. num. 23. Quid inde? Inſtanteautem partu apparuerunt gemini in vtero. Cùmque Eſaü primus egrederetur,

Tertull.

Geneſ. 25. n. 22.

Ibid. n. 23.

protinus

Ibid. n. 25. *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Ibid. num. 25. Expendens rem hanc Tertullianus loco citato, ſic Iacobum alloquitur: Tertullian. *O infantem, & æmulum, & validum, & olim contentioſum!* Profundiorem ſenſum, quàm prima fronte præſeferunt, habent verba Septimij. Ad quorum expoſitionem, primò expendendum eſt: cur Tertullianus Iacobum appellat æmulum, & validum, ſi ab eo frater victoriam reportauit, priorque extitit in pulchritudine lucis perfruenda? Pro natiuitatis primatu initum fuerat certamen. Ergo cùm primus egreſſus fuerit Eſaü, abſque dubio ſuperauit Iacobum. Quomodo ergo aſſerit Tertullianus, Iacobum in æmulatione fratrem viciſſe? Ad hæc. Idipſum expreſſiùs docuit Origenes homil. 4. in Pſalm. 36. Origen. Audi ipſum: *Dabo tibi*, inquit, *athletam, qui ante luctatus ſit, & vicerit priùs, quàm inter homines emiſerit vagitus: Iacob adhuc intra vterum matris ſuæ luctatus cum fratre Eſaü ſupplantauit eum, & vicit.* Sed hæc quomodo ſtare poſſunt? Nam ſacer textus manifeſtè refert Eſaü anteceſſiſſe Iacobo. Ergo ſi pro primatu erat contentio; qui primatum obtinuit, abſque dubio victor euaſit. Quàm profundè vterque locutus eſt, ex prænotatis conſtat. Victus dicitur Eſaü, & vincens Iacob, quanuis ille prior radiorum fruatur claritate, quàm iſte: quia Iacob olim contentioſus, vt luctam diſſolueret, & certamen finiret, fratri ſuo ceſſit, vt primus egrederetur. Nam licèt cum Eſaü egrederetur, plantam eius tentaret manu tenere Iacobus, non ex inimicitia pedem apprehendit, ſed vt obliterato certamine fratrem ad mutuam concordiam, & beneuolentiam vocaret. Ex eo ergo, quòd Iacob inimicitiam luctæ diſſoluit, meritò ei triumphus adſcribitur. Nam qui vnitatis, & concordiæ extitit amator, etiam quando ſuperari videtur, conſequitur palmam. Olim contentioſus fuerat Iacob, ſed natiuitatis tempore coniunctionis, & amicitiæ fraternæ vincula optabat; ob idque manum, non pedem quærebat, ſed arripuit plantam, manum comprehendere non valens. Ecce, quare victus victor exiſtit. Inſuper: ob hanc rationem, licet natiuitate poſterior in domo paterna obtinuit principatum: *maior ſeruiet minori.* Quia cùm Iacob odium amore commutaret, diſcordiamque vterinam funditus euerteret, fraternam manum quærens in beneuolentiæ, & amicitiæ ſignum: meritò in domo Dei, & Abrahami, licèt poſterior natu, præfertur fratri. Nam ſic honoratur à Deo, qui diſcordes animos in firmam reducit vnitatem.

192. Concordiæ, & vnitatis lucra explicuit Chriſtus, cùm diſcipulos alloquens, ſic ait Matth. 18. num. 19. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis eſt.* Multa promittit Chriſtus duobus in vnitate viuentibus, vt explicat Chryſologus ſerm. 132. dum ait: *Si duo ex vobis conuenerint ſuper terram.* Sed videamus, quanta ſint, quæ promittit? *De omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Quidquid petierint, concedet pater ille cœleſtis dummodo, quæ à Deo poſtulantur, ea digna ſint; nam qui à Deo mala poſtulat, Deum mali iudicat, aut ſentit auctorem. Sed cur, Chriſtus omnia bona duobus conſentientibus promiſit? Aptiſſimè reſpondet Chryſologus loco citato. *Audiſtis*, inquit, *quantùm poſſit, & prænaleat ſanctæ petitionis aſſenſus: non dixit, illud, aut illud, ſed totum ſe promittit, quidquid vnitas poſtulationis concupierit, præſtaturum: cùm dicit; de omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Quando duo conſentiunt ſuper terram vnum habent conſenſum, vnamque voluntatem, indiſſolubilique ſtudent concordiæ. Quid mirum, ſi ab eorum precibus nihil excludat Chriſtus? Nam ſic Deus animorum delectatur conſenſu, vt vnitati in poſtulando omnia promittat fideliter concedenda. Chryſol.

193. Nec ſolùm concordes, quidquid petierint obtinebunt; verumetiam non poſtulantes Spiritus Sancti chariſmata conſequentur. Actorum 1. num. 1. ſic de aduentu Spiritus Sancti dicitur: *Cum complerentur dies Penteceſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Multa diſcipulis Chriſti largitus eſt Spiritus Sanctus in die Penteceſtes: ſeipſum inuiſibiliter in ſpecie viſibili ignitarum linguarum; omnia chariſmatum dona; omnium linguarum ſermonem, & in fide, & gratia confirmationem, &c. Sed quare Spiritus Sanctus diſcipulis non poſtulantibus, expectantibus tamen eius aduentum, tot beneficia contulit? Reſpondet Chryſologus loco citato: *Spiritus Sanctus Apoſtolis in vnum congregatis vbertate tota ſui fontis illabitur: cuius, aut ſimul diſcipuli operirentur aduentum Dominica ſunt præceptione commoniti.* Diſcipulorum concordia vocauit Spiritum Sanctum: nec ſolùm vocauit, ſed attraxit libenter, vt fluenta gratiarum tota vbertate largiretur. Tacebant ipſi, ſed clamabat animorum conformitas, & magnete vnitatis attractus, tot eis dona impertiuit, non vni ſolùm, ſed ſingulis, & omnibus. Similiter & Chriſtus Dominus ad hoc venit, vt omnes redintegraret, qui non pro vno, nec ad vnum, ſed ad omnes, & pro omnibus venit. Et quî fieri poterat, vt opus eximium redemptionis, vnitatis, & concordiæ expers inueniretur? Deſiderabilis ergo eſt animorum conſenſus, amabilis affectionum vnitas, ex qua vberrimi fructus percipiuntur. Act. 1. à n. 1. Chryſolog.

194. Ex palis, ſeu vncinis ſuperhumeralis duæ catenulæ aureæ dependebant: vnaquæque ex ſuo latere, vt Rationale in pectore pendens Pontificis firmiter ſuperhumerali eſſet colligatum, ita vt ſeparari non poſſet. Id explicuit ſacer textus, dum ait: *Et duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi inuicem cohærentes, quas inſeres vncinis.* Sed ad quid ſuperhumerale, & Rationale tanta vinciuntur firmitate? Poterat enim Rationale ſupra pectus pendere, quin ſuperhumerali colligaretur: Quare ergo inter ſe ita firmiter connectuntur? Vt ex amborum concordia venuſtior, venerabilior, & ſacratior

Matth. 18. n. 19.

ſacratior appareret ſacerdotis ornatus : ſimulque Lapidum ſplendor, quo Rationale fulgebat, ſuperhumeralis ornatui deſeruiret; & varietas Ephod, quæ Phrygionico opere laborata, illud reddebat admirabile, & ſpecioſum, fulgoribus lapidum Rationalis ornaretur, & pulcherrima appareret. Ex vnitate ergo vtriuſque ornatus pulchritudo reſultauit veſtimentorum ſacerdotis. Nam quî fieri poſſet, vt tanta Ephod, & Rationale gauderent pulchritudine, tanta fruerentur dignitate, tot micarent ſplendoribus, ſi connexione illa fitmiſſima carerent ? Concordiæ ergo hæc, & alia multa debentur. Aliâ viâ hoc explicuit. Arnoldus Carnotenſ. tract. de Septem vltimis verbis Domini hanc connexionem ſuperhumeralis, & Rationalis ad vtilitatem ſacerdotis referens. *Superhumerale*, inquit, *etiam, & Rationale ſibi iunctis annulis catenarum complexu adinuicem copulantur, vt puri cogitatus in mente ſancta, & rationabiles conueniant actiones, & omnia vinculo pacis cohæreant, vniuerſamque Pontificis diſpoſitionem Charitatis complexus aſtringat.* Vnitas ergo cogitationum cum operibus bonis ſacerdotem venerabilem reddit.

Arnold. Carnot.

ILLATIO CI.

Sic Deus amat conformitatis amantes, vt ab eis videatur, quaſi eius cor auferri.

195. QVanta Deus lætitia, largitate quâta Deus concordiæ amatoribus benefaciat, ſatis ſuperque illatione præcedenti probauimus : nunc vt altiùs ad vnitatis amorem legentium animos accendamus, probandum nobis eſt, ſic à Deo amari conformitatis amantes, vt ab eis ſuum cor arripi, videatur ſuſtinere. Cœleſtis ſponſi ardore erga ſuam amaſiam hoc thema confirmare tentabo. Sic amore ſaucius ſponſus amatoria verba cum ſponſa faciebat. Cantic. 4. num. 9. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Tranſlatio ex Hebr. & Septuaginta ſic legere : *Abſtuliſti cor meum.* Alij : *excordiaſti me.* Non miror ſponſum amaſiæ amore languentem, vulneratum, & penè excordem ſe prædicare : mirabile ſemper mihi viſum fuit, quòd vno oculorum, & vno crine vulnus hoc in corde ſponſi fuerit inflictum. Hoc eodem capite num. 7. Laudauerat ſponſam, & eam ex omni parte perfectam, & pulchram prædicauerat, dicens : *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te :* quare ergo nunc, oculis, & crinibus ſe vulneratum oſtendit ? Vel vt meliùs dicam : cur in vno oculorum, & in vno crine ſe velut excordem fatetur ? ſi ex ambobus oculis vulnus procederet, nihil noui diceret (nam conſpectus amantium iaculorum ſunt immiſſiones, quæ cordium intima penetrant) at vnius oculi conſpectu malè ſaucium ſponſum ſe profiteri, noua res eſt. An ſponſa vno tantum oculo ſponſi vultum conſpiciebat ? Non ita credam. Cur ergo ex vno, & non ex ambobus iaculum mittitur, quo in corde ſponſi vulnus infligatur ? Et cur vno crine, & non omnibus, ſponſi viſcera ſagittantur ? D. Anſelm. ad hunc locum ex oculorum concordia, & crinium vnitate huius dubij deduxit reſponſum his verbis : *Vulneraſti, dico, in vno oculorum. Id eſt : quia vniuntur in me vnâ conſpiciendo, & inquirendo illi, qui ſunt in te oculi ; & ſimiliter illi, qui ſunt crines tui.* Æquali pulchritudine fruebantur oculi ſponſæ : nam vterque, ſi ſponſi amorem examinamus, radiis ſolaribus antecellit. Et quod de capillis diceret ? Nullus erat, à quo ſol luces deprehendere non poſſet. Sic amantes in furorem amatorium rapti loqui ſolent. Quanuis ergo in oculis, & in crinibus tanta, & mirabilis eſſet pulchritudo ; ab vno oculo, & ab vno crine cor ſaucium, & ablatum prædicat ſponſus ; quia licèt oculi duo, munus tamen indiuiſum habebant, vnà conſpiciendo ac ſi vnus eſſet. Similiter crines, quamuis multi, in tenia tanta vnionis erant colligati, ac ſi indiuiſibilis, & inſectilis eſſet crinis. En ergo tibi ; cur ab vno oculorum, & ab vno crine cœleſtis ſponſi cor aufertur ; quia indiuiſum concorde, & indiſcretum munus habebant.

Cant. 4. n. 9.

Ibid. n. 7.

Anſelmus.

196. Iam, Iam Chriſtus è cruce pendens ſpiritum emiſerat. Quid inde ? *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Ioan. 19. num. 34. Quiſnam autem fuerit iſte miles, qui latus Domini perforauit, non eſt facile ſcitu, cùm eum non explicet ſcriptura. Drogo Hoſtienſ. de paſſione Domini, eúndem putat, qui tunicam Domini inconſutilem ſorte acceperat. Audiamus Drogonem, ex cuius verbis, ni fallor, ſolutionem dubij, & conceptùm non contemnendum hauriemus ad noſtræ theſis confirmationem. *Quis eſt ille vnus militum*, inquit, *niſi fortè ille, qui tunicam tuam inconſutilem ſorte accepit : ipſa eſt nimirum vnitas fidelium, quæ tibi ſoli militat.* Miles ille, diro mucrone lanceæ latus Domini perforauit, erat amictus tunica illa inconſutili, in qua fidelium vnitas Chriſto Domino militantium deſignabatur : *Ipſa eſt nimirum vnitas fidelium, quæ ſibi ſoli militat.* Ergo miles iſte vnitate & concordia fidelium inſtructus, latus dominicum aperuit, vt per illud vulnus cor Domini ſubriperet. Nec aliud cor Chriſti ſibi accipit, niſi vnitatis amator, & concordiæ ſolicitus.

Ioan. 19. n. 34.

Drogo Hoſt.

197. Catenæ ſibi cohærentes ſuperhumerale cum Rationali firmiter colligabant, ita vt ſeparari non poſſent. Per tantam connexionem horum ornatuum vnitatem filiorum Iſrael, quorum nomina in gemmis Pectoralis proculdubio voluit Deus deſignare. Nam quî fieri poſſet, quòd Deus vnitatis amator, quando Pontifici præparabat ornatum, excluderet, quod ſignificabat animorum concordiam, cùm illum ornaret ad miniſtrandum in altari, & ad alliciendum Deum ad totius populi dilectionem ? Certè concordiâ Deus trahitur, & ab eius viſceribus cor diuinum arripitur.

ILLATIO CII.

Animorum vnio est veluti quædam diuinitatis effigies.

198. PRosequimur concordiæ, & vnitatis elogia. Tanta excellentia pollet animorum consensio, vt eam habentes quandam diuinitatis effigiem videantur exprimere. De limo terræ Deus hominem formauerat. Post hæc, referens sacer textus primi parentis creationem, ait Genes. 1. num. 27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Masculum & fœminam creauit eos.* Origenes homil. 1. in Genes. prope finem sic ait: *Dignum videtur hoc loco requirere secundùm litteram: quomodo nondum facta muliere dicit scriptura, masculum, & fœminam fecit eos?* Per anticipationem hæc dicta non dubito, vt frequentissimè fit in scriptura. Verùm aliam rationem adduxit Adamantius: *Fortasse, quia omnia, quæ a Deo facta sunt, coniuncta, & compaginata dicuntur, vt Cœlum, & Terra, Sol, & Luna. Ita ergo vt ostenderetur, quoniam, & homo Dei opus est, & non sine harmonia, vel competenti coniunctione prolatus est; idcirco præueniens ait. Masculum, & fœminam fecit eos.* Non satis calleo mentem Adamantij. Quid enim sibi vult, cùm dicit: ex eo quòd Deus hominem & fœminam creasset, hominem Dei opus esse, explicuit? Causalis hæc difficultate non caret. Nam ex eo quòd Deus hominem, & fœminam fecisset, non videtur inferri, hominem Dei opus esse. Quomodo ergo ait Origenes: *Quoniam, & homo Dei opus est*, &c. Si ex eo quòd homo ad imaginem Dei esset creatus, inferret, Deum hominis fuisse supremum artificem; acquiescerem: at ex eo, quòd hominem, & fœminam creasset, non satis percipio. Sed quam profundè Origenes! Quia licèt homo fuisset creatus ad Dei imaginem, & similitudinem, mulieris tamen carebat consortio: sine fœmina solus existebat, ac proinde cum socia careret, ineptus erat, vt haberet concordiam. Sine concordia homo quanuis à Deo factus, & eius similitudinis expressio, aliquo modo erat obscura, nec clarè Dei opus comprobabatur. Vt ergo neminem lateat, hominem Dei esse imaginem, & opus; addat insuper, *Masculum & fœminam fecit eos*, vt ex competenti coniunctione, & harmonia cum muliere Dei comproberur opus & imago, siquidem concordiæ amator, & vnitatis studiosus.

199. Transtulerat Deus hominem in paradisum voluptatis, & ait: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Gen. 2. num. 18. Quid est hoc? Si Deus tulit hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis: ergo bonum est hominem esse solum. Deinde: si Deus eum creauit: ergo bonum est, hominem carere consorte. Quomodo ergo Deus ait: *Non est bonum hominem esse solum?* Quia homo tunc cùm solus existeret, cui in affectu, & in animo vniretur, non habebat, vt inquit Gregorius homil. 17. in Euang. *Minus quàm inter duos haberi charitas non potest.* Et quamuis tunc adhuc diuinam imaginem conseruaret, iuxta quam fuerat conditus; quia tamen carebat concordia, vtpote consortem non habens, cui posset conuenire, videbatur carere Dei imagine perfectiori, quæ in affectuum vnione viuacissimè exprimitur.

200. Hanc diuinæ similitudinis imaginem, quæ animorum concordia exprimitur, explicuit Christus orans ad Patrem, cùm dicebat: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Ioan. 17. n. 11. S. Thom. lect. 3. in hunc locum hoc dubium proposuit: *Sed contra*, inquit, *ipsi sunt vnum secundum essentiam. Ergo & nos erimus vnum per essentiam. Sed hoc non est verum.* Huic obiectioni vt satisfaciat Angelicus Doctor, sic prosequitur: *Respondeo dicendum, quod vniuscuiusque perfectio nihil est aliud, quàm participatio diuinæ similitudinis. In tantùm enim sumus boni, in quantùm Deo assimilamur. Vnitas ergo nostra in tantum est perfectiua, in quantùm participat vnitatem diuinam. Est autem duplex vnitas in diuinis, scilicet, naturæ: Ioan. 10. Ego, & Pater vnum sumus; & vnitas amoris in Patre, & Filio, quæ est vnitas Spiritus. Et vtraque est in nobis, non quidem per æquiparationem, sed per similitudinem quandam. Pater enim, & Filius sunt eiusdem naturæ numero, nos autem sumus vnum in natura secundum speciem*, &c. Satis perspicuus est sensus Angelici Doctoris: sed expende, quod asserit, scilicet, inter nos esse quandam vnitatem, sicut est inter Patrem, & Filium, non quidem per æquiparationem, cùm nos non simus eiusdem numero naturæ, sed secundùm speciem, & per quandam similitudinem. At examinare oportet, in quo sita sit ista similitudo? Nam quæ proportio similitudinis reperiri potest inter fideles, & illam vnitatem, quam Pater, & Filius habent inter se? S. Thomas, vt vidimus, hanc similitudinem exposuit de vnitate secundùm speciem. Caietanus autem ad præfata verba Ioannis sancto Thomæ assentiens, hæc verba, *vt sint vnum sicut, & nos*, de vnitate amoris exposuit, dicens: *Sed sunt vnum indissolubili vinculo charitatis mutuæ.* Maldonatus ibidem ex plurimorum patrum consensu, dum ait: *Sed quid est vnum esse? Vnum non solum natura, vt semper fuerant, sed consensu, voluntate, charitate, concordia, & spiritu.* Est ergo sensus petitionis Christi: Pater fac, vt sicut tu, & ego sumus vnum vinculo indissolubili mutuæ charitatis, consensu, concordia, & spiritu; fideles hanc seruent vnitatem. Hoc modo (vt ait Angelicus Doctor) assimilantur fideles Patri, & filio, non per æquiparationem) hoc enim repugnat) sed *per similitudinem quandam.* Exprimunt ergo, qui charitatis, & concordiæ vinculo vinciuntur, quandam deitatis similitudinem.

201. *Beatus populus, qui scit iubilationem*, canebat Dauid. Psalm. 88. num. 16. Non me latet hanc vocem, *iubilatio*, in sacris litteris (vt notat Origenes homil. 7. in Iosue) significare clamorem consonum exercitus, quo tempore belli, & congressus omnes vnanimiter cohortantur ad certamen. Euthymius ad hunc locum asserit vocem esse victoriæ. Quare ex mente huius

Ioan. 17. n. 11
S. Thomas.
Origenes.
Gen. 1. n. 27.
Gen. 2. n. 18.
Gregor.
Caietan.
Maldonat.
Psal. 87. n. 16
Euthymius.

huius Doctoris sensus est: Beatus ille, qui victoriæ laudes, atque hymnos Deo canere nouit, cùm diabolum superauerit. Vel aliter: Beatus est ille, qui aduersùs inuisibiles inimicos nouit iubilare, dum eos vincit. Origenes loco citato aliam horum verborum expositionem adhibet, quæ nostram thesim confirmabit. Ait enim *per iubilationem* quandam affectuum vnitatem, & concordiam designari.

Origenes. *Mihi videtur*, inquit, *iubilatio indicare quemdam concordiæ, & vnitatis affectum.* Singularis sanè mens, sed consona primæ expositioni huius vocis, *iubilatio.* Nam dato, quòd significet clamorem illum exercitus, quo in congressu milites se cohortantur ad prælium, absque dubio vnitatem, & consensum explicat. His positis dubium iam ante oculos se offert: Quid est in iubilatione, quòd beatum possit facere populum; vt dicat Dauid, *beatus populus, qui scit iubilationem?* Rursus noto: non dixisse; beatus populus, qui operatur iustitiam; & qui scit mysteria, vel qui Cœli, Terræ, & syderum rationem agnouit; sed beatus populus, qui scit iubilationem. Deinde aduerto ex Adamantio, quòd tametsi timor Dei beatum faciat, tamen vnum tantum hominem, non populum beat, iuxta illud

Psal. 111. n. 1. Psalmi 111. num. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Et alibi plures beati prædicantur, sicut pauperes spiritu, mansueti, pacifici, vel mundo corde, vt constat Lucæ 6. a num. 20. at à iubilatione tota populi multitudo beata prædicatur. Cur ergo iubilatio beatam reddit totam populi multitudinem, & timor Domini vnum virum, & aliæ virtutes licèt plures viros reddant beatos, non tamen populum? Respondet Origenes, hoc elogium iubilationi solum adscribi, quia denotat concordiam, &

Origenes. affectuum vnitatem. *Si verò*, inquit, *tanta fuerit beatitudo, vt vniuersus populus concors, & vnanimis maneat, vt eadem dicant omnes, in eodem sensu, atque in eadem sententia permanentes. Beatus populus, qui scit iubilationem.* Ex his diuinæ imaginis expressionem in concordibus elucere, video. Nam beatitudo nostra formalis (vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. art. & communiter Theologi) in expressa diuinæ essentiæ imagine consistit, seu in visione clara & quidditatiua Dei: deduciturque ex 1.

1. Ioan. 3. n. 2. Ioan. 3. num. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Perfectiorem ergo beatitudinem concordiæ, & vnitati affectuum adscribimus, quia concordes expressiorem Dei imaginem, & similitudinem repræsentant. Meritò ergo Angelicus Doctor (vt notabamus in præcedenti) ex amoris vnitate intulit quandam similitudinem inter homines & Deum; vt apertè constet animorum concordiam sigillo diuinæ similitudinis consignari. Ob hoc sacerdos, qui diuinæ similitudinis est expressio, & Deum ipsum repræsentat perfectè, in signum concordiæ ornabatur illis catenulis, vt ab omnibus indubitanter tanquam Dei imago veneraretur. Est ergo concordia, & affectuum vnitas lineum, in quo diuina imago depingitur; est beatitatis expressio, qua ex luteis vasis in diuinam similitudinem transformamur.

ILLATIO CIII.

Tenetur præsul etiam proprio dispendio subditorum vtilitati consulere.

REges, & principes, præsules, & Dynastæ tenentur, his, quibus imperant, subsidium, & defensionem præstare: tenentur protegere, quos assumpserunt ad gubernandum. graue onus suis humeris imposuit, qui hominum mores corrigere, ad bonam frugem reducere, & in tranquillitate Rempublicam conseruare, tenetur ex munere. Si seuerus est præsul, querimonias excitat; si lenis contemnitur. Difficillima est gubernandi ars; difficillima sanè, & multis periculis obnoxia, & tamen à paucis non appetitur. Sed quid dicam periculis plenam? Pericula despicere debet præsul: imo si subditorum congruit saluti, etiam proprio dispendio suorum vtilitati tenetur consulere. 202.

Genes. 2. num. 21. & 22. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Posset Deus formare mulierem, quin homo illius formationi costam ministraret: posset etiam sine viri dispendio illam ædificare: Quare ergo Deus ad mulierem ædificandam tulit costam de viro? Quia vir futurus erat mulieris caput, rector, & gubernaculum: mulier autem, vt marito obtemperaret creabatur. Vt ergo Deus ostenderet, præsulem, & principem subditorum saluti, etiam proprio dispendio, debere consulere, non ex alia materia, è terra videlicet sicut hominem, sed ex viri costa mulierem ædificauit. Accipe Petrum Damianum rem hanc sic expendentem: *Poterat nempe ad mulierem plasmandam carnem viro detrahere: poterat os, & ossis dispendium immutilato corpore restaurare: sed os tulit, & carnem reddidit. Sic fragilem de virtute formauit.* Expende, quæ sequuntur: *Debilis itaque factus est homo Adam, vt fortis fieret Eua.* Ac si diceret: Debilis factus est Adam mulieris caput, & præsul, vt fortis illa fieret, quæ subdita homini creabatur. 203. Gen. 2. n. 21. & 22. Petr. Dam.

Pauerat Christus in deserto innumeram hominum, & mulierum multitudinem vsque ad saturitatem: *Iesus autem cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ioan. 6. num. 15. Hìc contempsit purpuram, & diadema; non sic apud Pilatum cùm ab eo interrogaretur, an esset rex Iudæorum? Vt constat Marc. 15. num. 2. *Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens ait illi; tu dicis.* Sed cur Christus in conspectu præsidis regnum fatetur, & à grata multitudine oblatum contempsit? Ni fallor, quia apud Pilatum sui sanguinis, & propriæ vitæ dispendio saluti hominum, quorum habebat imperium, consulebat. In solitudine autem, quamuis numerosam turbam pauisset, nec panis micam consumpsit ex propriis. Meritò ergo apud Pilatum regnum amplectitur, quod in 204. Ioan. 6. n. 15. Marc. 15. n. 2.

eremo

eremo contempſerat. Regnantis namque munus hoc eſt, non propria commoda quærere, ſed ſuorum commodis proprio ſtudere diſpendio.

205. Beda. Rarum, & inauditum huius veritatis exemplar nobis proponit Beda ſuper illud Prouerb. *Statera doloſa* dum lib. 2. ſic ait: *Non ſilebo Zeleucum mirabilem iuſtitiæ rigidum cuſtodem, qui cum ciuitatem Locrenſem, cui præerat, lege lata cauiſſet, vt qui adulterium commiſiſſet, exocularetur omni miſeratione poſthabita, deprehenſo in hoc crimine filio eius adoleſcente, præcepit, vt vtroque lumine priuaretur. Cúmque plebe ciuium ſubmiſſis precibus rogitaret, indulta ob gratiam principis flagitij venia, ad deliberandum paululum ſpatij captans, ſibi, & filio vnum ὀculum diſtrictus iudex effodit, pium patrem, & ſeuerum iudicem declamando. Egit itaque cenſura mirabili, vt ſibi, & filio videndi vſus ſupereſſet, & in vltionem flagitij duo lumina, vt decreuerat, cæcarentur. Ita deditum ſupplicij modum legi reddidit, ac mirabili temperamento ſe inter miſericordem patrem, & iuſtum legiſlatorem partitus eſt.* Ex hoc mirabili, & inaudito euentu noſtrum thema confirmare non erit operoſum. Lex illa lata fuerat, vt adulteria ſeueriſſimæ pœnæ formidine à nullo committerentur, ex legis obſeruatione pax, & tranquillitas inter ciues oriebatur; è contrà ex eius relaxatione morum peruerſio, & regni perturbatio. At diſtrictus iudex, & legiſlator, nec ſibi, nec filio indulſit, vt bono publico conſuleret. Hoc enim eſt munus principis: hæc præſulis obligatio, bonum Reipublicæ etiam proprio diſpendio conſeruare.

206. In ſuperhumerali Pontificis versùs pectus locus, & apertura Rationali relinquebatur, vt ibi proprium haberet ſitum, & firmiter dependeret colligatum duabus illis catenulis, quæ ab humeris ſacerdotis dependebant. Sed cur rumpitur ſuperhumerale in pectore ſacerdotis, vt Rationali relinquatur locus? Profectò, vt oſtenderet Deus, quanto ſtudio præſulem ſubditorum commodis teneatur conſulere etiam proprio diſpendio, ſi res ita poſtulauerit. Rationale namque duodecim gemmæ ornabant, & in ſingulis ſingula nomina filiorum Iſraël erant inciſa, in quibus totius populi cætus præfigurabatur. Vt ergo filij Iſraël, quibus Pontifex præerat, eſſent in pectore ſacerdotis, hoc eſt, ſub eius tutela, vel in gemmis ſplenderent, rumpitur ſuperhumerale, vel frangitur Pontificis pectus, denotans, quòd propriis incommodis vtilitates deberet, acquirere ſubditis.

Verſ. XV. Rationale quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta.

Verſ. XVI. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine, quàm in latitudine.

EXPOSITIO LITTERÆ.

AGIT iam ſacer textus de alio ornamento, nempe, de Rationali, ſeu Pectorali. Cùm enim egiſſet de ſuperhumerali, vel Ephod in præcedentibus, de Rationali in præſenti ſermonem inſtituit, quia vtrumque ex eiſdem coloribus, ex eademque materia erat contextum, & catenulis aureis colligatum. Rationale ergo erat quidam ornatus Pontificis certis functionibus deſeruiens. Hebraïcè dicitur, *Choſche*, id eſt, Pectorale, à loco cui inſidebat, nempe à pectore, vt ait Toſtatus hîc. Caietanus. Oleaſter, & Sa. Græcè dicitur, *Logion*, à nobis *Rationale*, ab affectu, quia per ipſum de his, quæ inquirebantur reddebatur ratio, vt patet. 1. Regum vigeſimo tertio, numero decimo. Vbi refertur Dauidem dixiſſe Abiathar ſacerdoti: Applica Ephod, id eſt ſimul cum Rationali, vt reuelet mihi Dominus; an tradent me Ceilitæ in manus Saül? Applicuitque Abiathar Ephod, & Dominus reuelauit, Ceilitas tradituros Dauidem. De hoc ornatu ſic ait Diuus Hieronymus epiſtol. 128. ad Fabiolam: *Septimum veſtimentum menſura paruum; ſed cunctis ſupradictis ſacratius. Intende, quæſo animum, vt quæ dicuntur intelligas. Hebraïcè vocatur*, Thoſcen: *Græcè* Logion, *nos Rationale poſſumus appellare, vt ex eo ſtatim nomine ſcias, myſticum eſſe, quod dicitur. Pannus eſt breuis ex auro quatuor intextus coloribus, eiſdem quibus ſuperhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrangulum, ne facilè eumpatur.* Ioſephus apud Riberam de veſtibus ſacerdotalibus cap. 11. *Eſſem* appellat illud. 1. Abulenſ. Caiet. Oleaſter. Sa. D. Hieron. Ioſephus. Ribera.

Iudicij. At cur Rationale iudicij? Variant interpretes in aſſignanda ratione. Lyra ad hunc locum non ob aliud putat, niſi quia in ipſo iudicabat ſacerdos, conſulens Dominum, quid eſſet agendum. Rabbi Abraham Abenezra (vt refert noſter Toſtatus, & reprobat ſatis perdoctè. quæſtione duodecima ad hunc locum) commentus eſt, appellari Rationale iudicij, quia in illo eſſent duæ laminæ, vna aurea, altera argentea, aut quoddam aſtrolabium inter vtrumque pannum. Alij Hebræi (vt refert idem Abulenſ. & putat delirium) aſſerebant, in prædictis laminis ſcripta fuiſſe duodecim tribuum nomina, & cum quolibet nomen alicuius ſtellæ, aut conſtellationis, aut Angeli: Quæ omnia ſomnia, & figmenta ſunt: Rabbi Dauid apud Oleaſtrum hîc putauit, vocari Rationale iudicij, quia ſuper illud eſſent *Vrim*, & *Thumim*, quæ indicabant iudicium hominum per illa interrogantium. Sed hoc diſplicet Oleaſtro; quia Rabbi Dauid cum aliis Hebræis putabat in *Thumim* vidiſſe ſacerdotem iudicia Dei, quod es falſiſ- 2. Lyra. Rabbi Abraham. Alij Hebræi. Rabbi Dauid.

simum. Alij (vt refert ipse Oleaster) ita appellari iudicarunt, quia dedecebat sacerdotem, ius dicere in re graui pectore non ornato Rationali. Alij apud eundem Oleastrum: quia portabat Aaron, & summus sacerdos post eum iudicia, seu causas super cor suum, id est, tanquam rem, quæ sibi maximè cordi est, iugiter coram Domino, à quo expectabat responsum, & sententiam. Oleaster verò putat ob id ita dictum, quia, quoties sacerdos consulebat Dominum super iudiciis filiorum Israël, opus erat, vt haberet Rationale accinctum. Arias Montanus in descriptione Sanctorum indumentorum ait dici Rationale iudicij, quia hoc ornamentum à Deo institutum erat, vt instrumentum, cuius vsu sortes diuinæ ducerentur, certumque oraculorum petendorum redderetur ius.

Oleaster. Arias Montanus.

3. *Opere polymito:* Onke. *Opere artificis.* Pagninus: *opere Phrygionico.* Beda lib. 3. de tabernac. capite quinto: *Opere multifario.* Septuaginta: *Opus variegatoris.* Oleaster: *Opere excogitato* Montanus: *Opere cogitantis.* Hæ versiones ferè idem significant. Nam opus *polymitum* dicitur opus multorum colorum: deriuatur à *Polis*, quod est, *pluralitas*, & *Mitos*, quod est, *gutta.* Vnde opus polymitum est idem, ac opus plures guttas habens, id est, plures colores. Talis erat vestis, qua Iacob suum ornauit Iosephum. Geneseos trigesimo septimo. Vestis Phrygiana dicebatur illa, quam acu varietate colorum picturabant Phrygiones. Ob hoc forsan opus cogitantis à Montano dicitur varietas Rationalis; quia quæ acu picturantur, magna attentione fiunt. Erat ergo Rationale polymitum, variegatum, multis coloribus contextum, & fortassis super texturam acu artificis cogitantis picturatum.

Onke. Pagninus. Beda. Septuag. Oleaster. Montan.

4. *Iuxta texturam superhumeralis.* Onke: *Iuxta opus Ephod.* Septuag. *Secundùm numerum superhumeralis facies illud.* Idem docuit Pagninus. Paraphr. Chaldaic. *vix opus superhumeralis facies illud.* Quod est, dicere: Rationale constabat ex eadem materia, & erat contextum ex eisdem coloribus ac superhumerale, vt apertè liquet ex sequentibus: *Ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & byssо retorta*, id est, ex horum filis, vt latè diximus supra versu 5. in expositione litteræ per totam.

5. *Quadrangulum erit, & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine, quàm in latitudine.* Agit hîc sacer textus de figura, & forma huius ornamenti. Abulens. hîc quæstione duodecima ait esse vnius palmi in latitudine, & alterius in longitudine, ita vt formaret figuram quadratam. Oleaster docet, quòd tametsi in textu dicatur Rationale esse palmaris longitudinis & latitudinis; vox tamen, *Zereth* non solùm significat palmarem mensuram, sed etiam semicubitum: ex quo colligit, quòd mensura vnius palmi non poterat operire totum cor, & pectus. Idem docet Montanus citatus, quatenus ait, vocem, *Zereth* significare tres palmos, aut semicubitum. Expositio horum doctorum minùs apta videtur: nam si Rationale semicubitale esset tam in longitudine, quàm in latitudine, non ornaret sacerdotem, sed oneraret; nec pectus solùm, sed scapulas posset attingere, & obtegere. Quapropter noſtri Abulensis mihi maximè placet sententia. Nam, vt perdoctè docet Ioannes Hieronymus Sopranis digressione prima de re vestiaria Iudæorum §. 7. explicans figuram Rationalis, quanuis Latinis palmus & quatuor sit, & duodecim digitorum, hîc absque dubio vltimus accipiendus est; quia vox, *Zereth* propriè duodecim digitorum mensuram significat. Prosequitur textus: *Duplex.* Non solum palmare erat Rationale, sed duplex, id est, geminum. Paraphrasis Chald. & Pagninus legere: *Duplicatum.* Sed quomodo Rationale duplex erat? Expedita responsio est. Nam erat duplicata tela confectum, vt sunt aliæ vestes suffartæ ad firmitatem, quæ maximè in Rationali requirebatur, ne gemmarum, & auri pondere distrumperetur. Sic Abulensis quæst. citata. Aliam rationem adducit Rabbi Salomon citatus à Tostato, scilicet, vt inter illas duas plicaturas nomen Dei Tetragrammaton poneretur. Sed de hoc infrà versic. 30. In expositione litteræ.

Abulens. Oleaster. Montanus. Sopranis. Paraphras. Chald. Pagninus. Abulens.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CIV.

Diuini Verbi præcones luceant, & ardeant, vocibus opera coniungentes.

6. QVanta debeant virtute fulgere, qui munus docendi alios susceperunt, piè, & eleganter admonuit Ambros. in cap. 4. Apocalip. dum ait: *A pietate ad scientiæ spiritum conscenditur. Nam quamuis videatur aliquis scientiam possidere, stultus est, si malè viuit. Quid enim stultius quàm timorem Dei à mente abicere, vitiis deseruire? Scientia verò maxima est, vitia deserere, atque ad Deum tota mente conuerti.* Ob hoc Bernardus sermon. de natiuit. Ioannis Baptistæ expendens illud; *Erat lucerna ardens, & lucens*: ait. *Est enim tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum; ardere, & lucere perfectum.* Luceant ergo diuini Verbi præcones, sed cum ardore. Diuina mysteria annuncient, ad virtutes amplectendas animos incitent, vitia reprehendant, sed vocibus bonorum operum exempla præmittant. Hæc est Euangelici ministri perfectio; hoc munus.

Ambros. Bernardus.

7. Aquarum fluenta lauabat Christus, non tamen ipse ab aquis mundabatur, cùm in Iordane Ioannes baptizaretur. Quid tunc? *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Matth. 3. numero decimo sexto. Non sic super discipulos descendit in cænaculo, sed sub ignitis linguis, vt refertur Actor. 2. num. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum.* Si inquiras: cur Spiritus Sanctus descendit super Apostolos velut in linguas igneas diuisus? Respondet Æcumenius ibidem: *Lingua opus erat, quæ Dei dona*

Matth. 3. n. 16. Actor. 2. Æcumen.

dona declararet, ac illustraret, quæ in modum ignis vniuersa repugnantia corriperet: Si rursus instes: cur in Iordane sub columbæ specie, in die autem Pentecostes instar ignis descendit? Attende diuini Spiritus munia, & dissolues nodum. Illic descendit, vt soli Ioanni Christum ostenderet, sicut Baptistæ promissum fuerat, Ioan. 1. num. 33. *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum*, &c. Hîc vt doceret Apostolos, & reliquos instrueret, descendebat. Quid ergo mirum si in Iordane, vbi præconis non gaudebat officio in columbæ specie; in cœnaculo autem instar ignis descendisset, cùm hîc docentis munere fungeretur. Subiiciam Æcumenium sic loquentem: *Considera verò quod apud Ioannem, vt ab vno homine cognosceretur, in modum columbæ videtur, descendens super caput Christi: quando autem multitudinem totam conuerti oportebat, tanquam ignis.* Meritò ergo in cœnaculo, vbi magistri gaudebat functione sub igne descendit, vt ostendat lucem, & ardorem, quibus fulgere, & ardere tenentur doctores Euangelici.

Ioan. 1. n. 33.

8. Vix regius vates de Christo prædicauerat Psalm. 44. num. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis*; cùm subiungit: *Accingere gladio super femur tuum potentissime.* Sed quid labiorum gratia, vultus decor, & speciositas cum gladio, & bello? Si Christus Dominus blandus sermone, mille gratiis plenus proponitur: cur ad bellum ense præcinctum desiderabat Dauid? Robustos non pulchros, minaces & verbis terribiles militaris strepitus reddit homines. Si ergo Christus inuitatur ad bellum, non forma speciosum, nec verbis mitem, sed terribili aspectu, & verbis formidabilem describat Propheta. Quare ergo militarem ornatum componit cum corporis pulchritudine. Difficultas hæc ingenium torsit Tertulliani lib. aduersùs Iudæos cap. 9. sic dicentis: *Tempestiuus decore super filios hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Valde autem absurdum est, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur, de quo subiungens dicebat: extende, prosperare, & regna. Et adiecit: propter lenitatem, & iustitiam tuam. Quis ensem accingit, & non contrariâ lenitati, & iustitiæ exercet?* Sed ex ipso Septimio hauriemus tanti dubij solutionem. Ait enim hîc à Dauide describi Christum munus eximij Doctoris exercentem. Ensis enim, quo ipse proponitur accinctus, sermo diuinus est ex vtraque parte acutus, id est, duobus testamentis legis antiquæ, & nouæ. Ergo cùm Christus Dominus, Doctor eximius, imo ipsa sapientia, labiorum, & verborum gratiis plenus, paratus ad bellum prædicatur; idem est, ac dicere, verbis, & operibus docendi ministerium adimpleuisse. Quia non solùm rhetoricis flosculis sermonem ornatum proferens, sed ense accinctus, spolia Damasci, & omnium gentium accepit. Accipe ipsum Tertullianum paulò inferiùs suam mentem præter morem explanantem. *Licuit ergo & Christo Dei in Psalmis sine bellicis rebus ense sermonis Dei præcingi figurato, cui prædicta tempestiuitas congruat cum gratia labiorum, quo tunc cingebatur super femur apud Dauid, quando venturus in terras ex Dei Patris decreto nunciabatur.* Non opposita docuit regius Psaltes, sed inter se valde consona, nimirum gratiam labiorum, & ensem paratum. Nam si per vtrumque (vt docuit Septimus) diuini verbi annuntiabantur præcones, gratiam labiorum, hoc est, verba; & ensem, id est, opera, inter se inseparabili nexu copulari, admonentur.

Psal. 44. n. 3.

Tertullian.

9. *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron*; canebat Dauid Psal. 67. n. 21. statim ob oculos se offert dubium: cùm manus Moysis distincta fuerit ab Aaronis manu; cur populus in manu vtriusque, & non in manibus, dicitur deductus? Homil. 27. in num. Origenes ait, per Moysem legem, sapientiam, & doctrinam; per Aaronem, qui offerendi sacrificia gaudebat honore, opera designari. Vna ergo describitur manus vtriusque fratris, vt exinde cognoscas docendi, & operandi munia ita inseparabiliter coniungi, vt sicut vnica est actio, quæ ab vna prouenit manu, sic doctrina, & operatio res vnica tantùm existimetur. Audi Adamantium: *Et ideo vtraque manus necessaria de Ægypto exeuntibus, vt inueniatur in eis, non solùm fidei, & scientiæ, sed & actuum, operumque perfectio: & tamen vtræque hæ non sunt duæ manus, sed vna. In manu Moysi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus Moysi, & Aaron. Vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio.* Non duas manus, sed vnam (licèt reuera duæ sint) Moysi, & Aaron adscribit Propheta, vt inseparabilem nexum inter dicendi Moysis, & operandi Aaronis munus intelligamus. In illo verba; in isto opera designantur: Meritò ergo non duas manus, sed vnam velut indiuisam, & inseparatam regius Psaltes commemorat.

9. Origenes.

10. Ex hac verborum, & operum connexione pullulat in diuini verbi præconibus quasi quoddam iustitiæ ius doctorem astringens, vt executioni mandet ea, quæ docet. Baptistæ renuenti Christum baptizare, sic ipse Dominus ait. Matth. 3. numero decimo quinto: *Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Sed quæ iustitia adimpletur ex eo quòd Ioannes agnum immaculatum abluat; aut ex eo quòd non abluat, quæ iustitia violatur? Profectò; quia Christus Dominus baptisma, quod tunc instituebat, postea erat docturus. Voluit ergo à Ioanne baptizari, vt doctrinæ eius operatio responderet. Sic enim omnem adimplebat iustitiam. In quo ostendit, quòd sicut doctor, qui quod docet, executioni non mandat, ius docentis violat; sic qui, quod annunciat, exequitur, iustitiam adimplet, & inuiolatam seruat. Ex quo manifestè infertur doctorem quasi ex iustitia teneri ad exequendum, quod docet. Perbellè Chromatius Aquileiensis in cap. 5. Matth. *Non ergo sui causâ*, inquit, *baptizari Dominus venit, sed causâ nostri, vt impleret omnem iustitiam. Iustum est enim, vt quod, quis docet alterum, facere prius incipiat. Quia igitur magister, & Dominus humani generis, venerat, exemplo*

Matth. 3. n. 15.

Chromat Aquile.

exemplo suo docere voluit, quod esset faciendum, vt discipuli magistrum, serui Dominum sequerentur. Baptizatur ergo Iesus, vt docendi ius inuiolabiliter seruet exequendo scilicet, quod aliis faciendum proponit: quasi ex iustitia magisterij iure teneatur docens exercere, quod docet.

11. Post Ephod, seu superhumerale annumeratur Rationale, seu Pectorale inter sacras vestes. Sed cur ita? Respondet D. Hieronymus
D.Hieron. epistol. 128. ad Fabiolam: *Non prius Rationale, & sic superhumerale: sed ante superhumerale, & deinceps Rationale. Primum faciamus, & sic doceamus, ne doctrinæ authoritas cassis operibus destruatur.* Si ergo doctrina cassis operibus destruitur si doctor non exequitur, quod docet: ergo vt doctrinæ seruetur authoritas, quasi ex iustitia tenetur doctor, quod docet executioni mandare.

ILLATIO CV.

Iudex nisi strictiori examine præmisso, & certam delictorum habens notitiam, iniustè procedet ad puniendum.

12. Gregor. *Aliquando subiectorum vitia* (inquit S. Gregorius 2. part. Pastoral. cap. 10. *prudenter dissimulanda sunt. Sed quia dissimulantur iudicanda: aliquando, & apertè cognita maturè toleranda; aliquando verò subtiliter, & occultè perscrutanda; aliquando leniter arguenda; aliquando autem vehementer increpanda.* Singula probat S. Pontifex, magnam iudicem, & rectorem admonens prudentiam, ne si immaturè vulnera scindantur, deteriùs inferuescant. Nam si cum tempore medicamenta non conueniant, proculdubio medendi officium redditur inutile. Vtinam totum Gregorij præfatum caput à rectoribus, & præsulibus legeretur, & eius doctrinam semper præ oculis haberent! Certè multa in republica faciliùs corrigerentur, quæ ob præsulum imperitiam crescunt post increpationem. Post multa sic prosequitur Gregorius: *Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, vt cùm culpa ab authore non cognoscitur, quanti sit ponderis ab increpantis ore sentiatur.* In omnibus his absque dubio examen culparum, & delictorum notitiam supponit in rectoribus. Siue enim dissimulent, siue tolerent, siue increpent, aut puniant, diligens culparum requiritur scrutinium, nec solùm diligens, sed certum, & si fas est dicere, perfectius quàm infallibile, vt puniendi rigor ex criminum certa, & indubitata probatione iustus probetur, & sanctus.

13. Exod. 5. n. 19 Quando piissimus Deus Moysem, & Aaronem ad Ægyptorum regem misit, vt populum Hebræorum dimitteret liberum, sic eos alloquitur: *Ego scio, quòd non dimittet vos rex Ægypti, vt eatis, nisi per manum validam.* Exod. 3. num. 19. Si ergo Deus certa, & infallibili penetrabat scientia, Pharaonem non dimissurum populum, nisi per manum validam, hoc est, multis miraculis, & plagis punitum: cur non statim plagarum verberibus illum flagellat, sed misericordia saucius tot præmissis signis cor illud induratum emollire conatur? Si puniturus est rebellem illum animum, & certò in præscientiæ suæ speculo intuetur, non dimissurum populum; cur expectat Deus, Pharaonicam duritiem compleri operum nequitia? Aptè Theodoretus quæst. 8. in Exod. rationem reddit his verbis: *Verum cùm Deus bonus sit, non vult punire ex sola præscientia, sed spectat operum consummationem: & ita in omnibus ostendit, quòd iustè puniat.* Theodoret. Diuina præscientia nihil certius, infallibilius nihil: & tamen Deus licèt suâ præscientiâ intueatur Pharaonici cordis rebellionem, & duritiem obstinatam, non punit eum; vsque dum opere compleuerit nequitiam. Non quia diffidat suæ præscientiæ, sed vt admoneat rectores, & iudices instruat; ne quacumque notitia, sed crimine completo, & perfectè cognito ad puniendum procedant. Caueant ergo iudices, & præsules, ne ab æmulatoribus, & inuidis criminum accipiant notitiam: sic enim incertum, imo iniustum ferrent iudicium. Si fieri potest, vel ipsa crimina propriis oculis intueantur, priusquam supplicio condemnent exemplum Dei imitantes, qui Pharaonis duritiem certò cognoscens, eum punire distulit, vsque dum velut ob oculos eius crimina habuit: ne si eum puniret ante redargutionem, & delictorum intuitum crudelis, & iniustus videretur. Sic Theodoretus citatus: *Nam si puniisset, antequam redarguisset, crudelis vtique visus esset, & iniquus.*

14. Marc. 5 n. 9. Priusquam Christus Dominus miserum dæmonem de misera illius hominis possessione depelleret, teste Marco cap. 5. num. 9. Sic dæmonem interrogabat: *Quod tibi nomen est?* An Christus iniqui possessoris ignorabat homen? Absit. Si ergo sciebat; cur illud exquirit? Occurrit? Chrysologus sermone decimo septimo dicens: *Interrogat, non ignorat,* Chrysolog. *sed implet iudicem: seruat ordinem cognitoris, nomen interrogat, vt de conditione discutiat, iudicet de reatu, addicat de crimine, Deum se esse, data sententia, perdemonstrat.* Interrogat ergo, non quia ignoret; sed vt iudicis munus adimpleat. Dæmonem erat iudicaturus, & à misero illo homine expulsurus: Ideo ergo interrogat, vt cognito crimine eum exterminet à corpore. Ad quid ergo tantum scrutinium, si Christus nec dæmonem, nec crimen ignorabat? Quia implet iudicem, seruatque ordinem cognitoris. Nam licèt Deus sit, qui iudicium est prolaturus, & dæmon, cui imponenda sit pœna; vult ipse Deus ostendere, satis cognitam habere causam, non ignotum habere crimen, vt inter homines eadem methodus seruetur, antequam ferant sententiam.

15. Zacha. 11. n. 17. Temeritatis, incuriæ, & si placet, iniustitiæ arguebat Propheta Zacharias præsulis Israël, cùm capite vndecimo numero decimo septimo dicebat: *O pastor, & idolum derelinquens gregem: gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius.* Reprehendit Propheta tyrannidem Anti Christi (vt aliqui volunt) quod adorari volet, sicut idolum; &

simul

simul arguit superbiam præsulum, qui ita venerari ambiunt, sicut idola. Sic explicat D. Hieronymus apud Tirinum ad præfata verba in Bibl. Magna, & consonat translatio noua Vatabli, qui ita legit: *Pastor idolum*, quasi vnum esset. Sic enim superbit arrogantia præsulum, vt sicut Dij velint adorari. Sed ad sequentia verba Prophetæ faciamus gradum. Quid est; præsules portare gladium super brachium, & super oculos portare, vt ob hoc tam seuerè & acriter reprehendantur. S. Nilus libro Ascetico respondet, ideo factum; quia iudex gladium non super brachium, hoc est, non in manu, sed super femur accinctum debet portare, vt attentè consideret, quando oporteat illum educere, vt exequatur supplicium. Nam qui in manu ensem habet, antequam consideret, quid oporteat facere, solet vulnus inferre. Hoc etiam est super oculos gladium habere: cæcutiunt enim oculi plendore gladii; vnde necesse est, quòd iudex gladium in manu tenens, temerè procedat, aut velut cæcutiens proferat iudicium, & pœnam indebitam imponat. Meritò ergo iudices, & præsulis Israël reprehenduntur. Audi Sanctum Nilum:

S. Nilus. *Etenim nec facere, nec videre quidquam possunt, qui gladium non super femur, sed super brachium alligant. Super femur gladium gerunt, qui aduersùs propria vitia rationis actum stringunt. Super brachia verò, qui ad punienda aliorum peccata sunt promptiores.* Caueant ergo præsules, & iudices cùm sententiam sunt prolaturi, ne gladium super oculos, & super brachium portent: quia sic & iustum punient, & iniquum absoluent.

16. Rationale iudicij dicitur ornatus ille, in quo præciptia nomina filiorum Israël erant sculpta in totidem gemmis. Sed cur Rationale iudicij dicebatur? Quia Pontifex tenebatur quemquam iudicare non ex abrupto, sed subtili, & certo examine præmisso, vnicuique reddens, aut pœnam, aut præmium prout operum varietas postulauerit. Hanc rationem me docuit Gregorius Magnus in secundam partem Pastoralis capite secundo

Gregor. dicens: *Debet rector semper subtili examine bona, malaque discernere; & quæ, vel quibus, quando, vel qualiter congruant, studiosè cogitare.*

ILLATIO CVI.

Iudex cùm condemnat, ostendat, quòd iustitia, non potestas punit.

17. NEc sola clementia, nec solus rigor fat est strenuo gubernatori. Vtrumque oportet seruari, prout res, de qua agitur postulauerit. Nimis seuerus Iudex etiam sontes vellet condemnare; nimis lenis insontes etiam absoluet. Sit ergo seuerus, & mitis, sed in vtroque iustus. Seueritas iudicis multoties iustitiæ opponitur: quare nimis rigidus, imo & lenis cùm aliquem condemnat, curet ostendere, non punire potestate sed iustitia.

Cùm populus Israëliticus propter atrocissima crimina capitali supplicio plecteretur, sic Deus ad Ezechielem alloquitur capite nono numero nono *Iniquitas domus Israël, & Iuda* Ezech. 9. n. 9 *magna est nimis valde: & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione.* Ad quid Deus iniquitatis populi magnitudinem tam expressis, & repetitis verbis explicat, dicens: *Magna est nimis valde?* Diuus Hieronymus ibidem putat sic dictum, vt cognoscatur, Deus eos tanto supplicio mulctasse, quia peccati grauitas minorem pœnam non exigebat. *Videns Dominus* (inquit Doctor Hieron. Maximus) *Prophetam suum flere populum, & admirari indignationis magnitudinem, reddit causas, non vt ille putabat iniusti, vel excedentis modum supplicij, sed meritæ, iustæque sententiæ. Iniquitas, inquit, decem tribuum Israël, & duarum tribuum Iuda magna est, & non solùm magna, sed magna nimis; nec hoc dixisse sufficit, sed repetit valde; vt pro magnitudine iniquitatis magnitudo supplicij sit.* Satisfacere, cupiens Deus, Prophetæ querimoniis, eo quòd tam vehementer in populum animaduerteret, respondit: *Iniquitas Israël magna est nimis valde:* Ostendens magnitudinem supplicij, & pœnæ, magnitudini iniquitatis respondere. Nam ita dedecet principem nimis esse seuerum, vt licèt iustè puniat, oporteat, causas reddere, ob quas seuerè, & vehementer in aliquem animaduertat.

18.

19. Ad manus venerant in castris quidam Israëlita, & quidam Ægyptius; cúmque iste blasphemasset nomen Domini, delatus est apud Moysem. Tunc sic sacer textus Leuitic. vigesimo quarto, à num. 13. *Miserunt-* Leuit. 24. 2 *que eum in carcerem; donec nossent, quid* n. 12. *iuberet Dominus. Qui locutus est ad Moysem dicens: educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.* Miror sane Moysem, qui satis Ægyptij habebat comprobatum crimen, misisse blasphemum in carcerem, & Dei expectasse iudicium. Quid ergo expectas sacer legislator: aut cur blasphemo differs supplicium? Obruatur lapidibus tanti delicti reus. Cur in ergastula mittis; & sententiam Dei expectas? Aptè satis Saluianus Massilienf. libro primo de prouidentia. *Primùm enim*, inquit, Saluian. *qui peccauerat comprehensus est. Secundò quasi ad tribunal adductus. Tertiò accusatus, deinde in carcerem missus. Postremò cœlestis iudicij authoritate punitus; porro autem non punitus tantùm, sed punitus sub testimonio, vt damnare, scilicet videretur rerum iustitia, non potestas.* Mitissimus erat Moyses; attamen illi crimini magnum respondebat supplicium. Voluit ergo diuinum expectare responsum, vt non potestas, sed iustitia damnare videretur. Puniendi maximam habebat Moyses potestatem; sed Deo inconsulto, & crimine satis noto noluit misero illi pœnam tantam infligere, vt videret populus vniuersus, non puniendi sæuitia, sed criminis magnitudine tantum apponi supplicium.

Infælix ille diuea, Imo diuitiarum captiuus, 20.

ſeruus opum, & qui in hac vita purpura, byſſo, delicatis veſtibus, epuliſque blandis ferrea nutriebat viſcera; poſt mortem inferni vernula, pœnarum ſobolis, & extremum gehennæ mancipium, à ſancto Abrahamo Lazarum pauperem, quem contempſerat, poſtulat, vt extremo digiti ſui aqua infuſo refrigeret illius linguam: cui Pater gentium ſic reſpondit: *Fili, accepiſti bona in vita tua.* Lucæ 16. num. 24. Meritò hîc Chryſologus miratur ſerm. 123. Abrahamum vocare filium, quem Dei videbat inimicum, & offenſum, æterniſque ſuppliciis mancipatum. Si negat gunus, qui paterna non facit opera: cur crudelem diuitem mitiſſimus, & piiſſimus pater filium, non dedignatur, vocare? *Voco filium* (inquit Rauennatis lumen) *vt intelligas iudicij eſſe, quod pateris, non furoris.* Quid illuſtrius? Sanctus Abraham (in quo Deus iudicans figuratur) æternis cruciatibus diuitem illum deſtinauerat: & licèt de integerrimo iudice nec minima dubitatio poſſet ſuboriri, quod iuſtè iudicauerit; tamen vel imaginariæ ſuſpicioni occurrens, damnatum illum filium appellat, vt manifeſtè conſtet, grauitate ſui criminis tanto ſupplicio addici, cùm à patre nequiuerit abſolui. In quo (ni fallor) vniuerſalem omnibus dedit ſatisfactionem, oſtendens, quòd cùm filium condemnauerit, iuſtitia & ptopter crimina, non furore, aut poteſtate puniuit.

Lucæ 16. n. 24.

Chryſolog.

21. Hic ornatus appellatur Rationale iudicij; vt Pontifex, præſul, & rector admoneantur iuxta rationem ferre ſententiam. Inſuper è gemmis fulgores mittebantur, clementiam denotantes, & iuſtitiam. Vnde quando præſul à pietate diſcedit, capitali ſententia aliquem damnans, fulgere oportet in pectore, vt oſtendat ſecundùm rationem, & intentionem rectam iudicaſſe, illudque ſupplicium non furoris eſſe, ſed iuſtitiæ.

ILLATIO CVII.

Mortis ſedula, & continua recordatio, vitæ eſt feliciſſimum auſpicium.

22. QVis, cùm primum cadauer hominis videt diſtenſis cruribus, manibus, & brachiis decidentibus, ſpumantibus labiis, obſcuris oculis, pallido vultu, & præteritæ vitæ prorſus expers, imo nec illius leue veſtigium; naturali metu non contriſtetur, conſiderans, ſibi poſt breue tempus idem euenturum? Sed O homo, triſtitia, quæ te affligit, vertatur in gaudium! Fœnus eſt interitus, damnum, vita eſt; ſi à tua memoria nunquam diſcedat mortis contemplatio. Nam hæc fælix noſtri finis recordatio, vitæ eſt fauſtiſſimum auſpicium. Ob hoc D. Bernardus expendens verba illa Dei hominem damnantis Geneſ. 3. num. 20. *Puluis es, & in puluerem reuerteris:* ſic homines tanta pœna afflictos conſolatur, ſermone de Sancto Martino: *Grauis equidem ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento. Dura admodum, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena.* Sed ô melliflue Doctor, dicito nobis, in quo, cùm homo morti addicitur hoc grandis miſericordiæ temperamentum, & benignam inueniemus indulgentiam? In quo diuinus fauor, cùm in terram reſoluitur homo, de qua fuerat plaſmatus? Audi Bernardum: *Terræ addictus es, factus es terra, vt ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit.* Sed adhuc cauſari poſſumus. Quid nobis, quod ipſa terra ſit patria, quæ materia fuit? Magnum abſque dubio beneficium in hac ſententia deliteſcit. Nam ſi attentè conſideremus patriam noſtram fore terram, hoc eſt, in terram poſt mortem reſoluendos, inde vitam poſſumus auſpicari; ſicut limus ille, ex quo plaſmatus fuit homo vitam accepit, cùm Deus in eum ſpiraculum vitæ emiſit. Mens ergo Bernardi eſt, non rigidam, ſed indulgentiæ plenam Deum tuliſſe in homines ſententiam, cum in puluere, & cineres condemnauit: quia exinde promiſit vitæ ſpiraculum, ſi tantæ ſententiæ non fuerint obliuioſi, & certæ reſolutionis memoriam non amiſerint.

Gen. 3. n. 20.

Bernard.

23. Somnum immiſit Deus in Adam, vt ex eius coſta matrem viuentium Euam efformaret: *Immiſit ergo dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Geneſ. 2. num. 21. Sed cur Deus ex homine ſomno conſopito, & ex eius coſta mulierem ædificare voluit? Quare; non ex carne, aut ex homine ſoluto à ſomno, & in vigilia conſtituto? Putò, quia os mortis eſt ſpolium: ſomnus interitus ſimulachrum. Quapropter ab Hebræis appellatus fuit ſomnus vna ex Septuaginta partibus mortis: à Græcis myſteria parua mortis: à Tertulliano mortis ſpeculum: à Virgilio morti affinis: à Seneca mortis frater: Plutarchus lib. 5. de placitis cap. 24. eandem faciem mortuum, & dormientem habere dixit: obindeque Epaminondas (vt refert Bruſonius lib. 6. cap. 8.) cùm quempiam è vigilibus ſomno oppreſſum offendiſſet, gladio eum transfixit. Obiurgatus autem ob tantam ſeueritatem; talem, inquit, reliqui qualem inueni. Senſit ergo Imperator bellicoſiſſimus hominem ſomno oppreſſum, ac mortuum in eadem eſſe ſorte, ac conditione. Vides ergo Adamum dormientem mortis exprimere effigiem; & coſtam ſepulchri ſpolium demonſtrare. Nunc aliud dubium reſurgit. Cur ex mortis ſimulachro Eua producitur, quæ mater viuentium eſt futura? (*Hoc enim ſonat nomen Eua*, vt dicitur Geneſis tertio numero vigeſimo: *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua: eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.*) Ex hoc ipſo, quòd cunctorum viuentium futura erat mater, ex mortis ſimulachro fuit formata: quia necunde meliùs quàm ex mortis imagine vitæ mater reſurgit. Sic Tertullianus libro de anima, capite quadrageſimo tertio, hæc expendens dicebat: *Proponit tibi corpus amica vi ſoporis eliſum; blanda quietis neceſſitate poſtratum, immobile ſitu, quale ante vitam iacuit, & quale poſt vitam iacebit: vt teſtationem plaſticæ, & ſepulturæ expectans animam nondum*

Gen. 2. a n. 21.

Hebræi. Græci.

Tertullian. Virgil. Seneca. Plutarch. Epaminond. Bruſon.

Gen. 3. n. 20.

Tertullian.

dum collatam, & quasi iam exceptam. Ex Adamo somno oppresso, velut ex Adamo in sepulchro iacente; & eius osse quasi sepulturæ fructu Euam formare, placuit diuino consilio; vt indubitato iure mater diceretur viuentium, quæ à mortis imagine sumpserat exordium: indicans, mortis recordationem ad omnium ducere vitam. Vtinam ipsa suæ recordaretur originis! Profectò; non mortem sibi, viro, & posteris ministrasset.

24. Expendebat Chrysologus sermone 131. cur Deus, qui poterat homines ad vitam sine fine perducere, voluit, eos priùs mortem ebibere? Chrysol. Audi ipsum: *Sed dico; qui potuit auferre mortem: quare hominem voluit transire per mortem?* Maius absque dubio beneficium videretur, absque mortis pensione vitam conferre, quàm vitam præbere per interitus tramitem: cur ergo ad vitam via aperitur per mortem? Certè; vt certitudo mortis ad vitam felicem ducat, dum sui palloris homines deterrens mœstitia, vitam non morte, sed vita dignam agere, admoneat. *Illa* (id est mors prosequitur Chrysologus,) *& vitam dedit, & homini mortem venire prædixit: & homo plus gnarus vitæ erit sibi cautior, erit plus gratus auctori.* Quod est dicere: homo si certò cognoscat vitam cum morte commutandam, erit cautior in vita, erit plus gratus authori, contra eius beneplacitum nihil operans. Ergo liberalior fuit Deus, cùm vitam contulit per mortem, quàm si vitam absque morte conferret: Quia conferens vitam per mortem; qui vitam desideraret, mortem per quam erat transiturus ad vitam consideraret, vt hac felici meditatione vitam absque dubio consequeretur.

25. Nescio, an vitæ ambitiosus mortem appeteret, S. Iob. cap. 29. num. 18. *Dicebamque:* Iob. 29. n. 18 *in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Quid ais, patientiæ inconcussum exemplar? Ab infelicitate videris turbari. Quæ est tua illatio; aut quam vides connexionem inter mortem, & vitam, vt ex morte colligas vitæ, & dierum augmentum? Potest ne, excogitari maior oppositio, quàm inter vitam, & mortem? Qui uiuit, *est*; mortuus *non est*: quî ergo ex morte vitam infers? Aut cur palmæ dies expectas ex morte? Attende, quæso Iobi Philosophiam. Vbi Vulgata editio habet: Hebræ. *Et sicut palma multiplicabo dies*: Ex Hebræo legitur: *Et sicut Phœnix multiplicabo dies.* Consentit Tertullianus de resurrectione carnis, capite 12. & 13. vbi exponens illud Psal. 91. Psal. 91 n. 13. num. 13. *Iustus, vt palma florebit:* Legit, *Iustus vt Phœnix florebit.* Scitum est namque, quòd supra illatione 65. numero 1. de hoc alite tot Patrum testimoniis roborauimus, omissis aliis accipe ex Tertulliano, cap. 13. relato: Tertullian. *Illum dico alitem Orientis peculiarem de singularitate famosum, de posteritate monstruosum: qui semetipsum lubenter funerans, renouat, natali sine decedens atque succedens iterum Phœnix. Vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam alius idem.* Ideo ergo sanctus Iob in nidulo suo morituras dicebat: hincque dies, vt Phœnix Vatablus. accepturus, (vel vt transtulit Vatablus *Sicut arena*, id est innumerabiles,) quia ex sepulchro, ex cinere, ex fauilla nouam, & sine fine vitam expectabat, sicut accidit Phœnici, quæ seipsam funerans, renouat, meliori vita sibi-ipsi succedens. Nam qui vita fruens tantam mortis habet memoriam, ac si vita defunctus esset; merito iudicat, dies longæuos, & instar arenæ innumerabiles accepturum.

26. Ignitis equis, & curru flammigero Elias cùm in Cœlum raperetur, pallium demisit, in quo, secundùm communem Doctorum plausum, Elisæo discipulo duplicem spiritum legauit. Vnus pro mille sufficiat noster Abulensis quæstione 23. in cap. 2. lib. 4. Regum, asserens ad hoc pallium illud fuisse missum vt miracula patraret Elisæus. *Quarta causa*, inquit, *fuit ad operationem miraculorum: nam Elias operabatur miracula per illud pallium, vt declaratum est supra: Elisæus autem operaturus erat miracula, sicut Elias.* Sed liceat inquirere: cur huic pallio tanta miraculorum virtus fuit concessa, vt ad eius contactum vndæ Iordanis diuiderentur, & fortassis mortui ad vitam reuocati, quod ex doctrina Tostati haud difficulter infertur? Putarem: quia hoc pallium pellis erat animalis emortui. Sic docet Chrysostomus homilia secunda ad populum, dicens: *Elias nempe melotem Discipulo reliquit.* Chrysost. In melote mortis expressa proponebatur effigies. Accepit ergo Elisæus in pallio, quod mortis erat recordatio, virtutem, & efficaciam patrandi miracula, & reuocandi iterum mortuos ad vitam.

27. Hinc non erit operosum, nec inutile probare, maiori vi pollere defunctum, quia nostri finis proponit memoriam, quàm ipsum, dum vita fungebatur. Redeat Elisæus puerum illius viduæ ad vitam reuocaturus: Vt refertur 4 Regum, cap. 4. à num. 34. *Ascendit,* 4. Reg. 4. n. 34 *& incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incurauit se super puerum, & calefacta est caro pueri.* Deinde, vt opus inceptum consummaret: *Reuersus,* Ibid. n. 35. *deambulabat in domo, semel hùc, atque illùc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitque oculos*, &c. Hæc viuente Elisæo. Eodem lib. 4. Regum, cap. 13. numero 21. Refertur de quodam defuncto, quod cecidit in sepulchrum Elisæi, vel solo cadaueris Prophetæ contactu, statim vitam recuperasse: *Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit* Ibid. cap. 13. n. 21. *homo, & stetit super pedes suos.* Sed hîc non leue dubium insurgit, nempe, quare Elisæus dum viueret, nullum non mouit lapidem, vt puerum illum viduæ à mortis falcibus liberaret: qui licèt consecutus fuit, quod desiderabat, tamen post magnum studium, & orationem: at cùm frigidum iacebat cadauer vix tangitur ab alio cadauere, cùm hoc statim reuocatur ad vitam? Cur faciliùs Elisæus mortuus mortuum ab inferis reuocat ad viuos; qui tam difficulter dum viueret, alium defunctum ad vitam perduxit? Theodofridus de Sanctorum reliquiis in tomo 2. Bibliothecæ veterum Patrum, sic respondet: *Ossa Elisæi* Theodofrid *vitam dederunt mortuo, mortuum de mortis solnebant periculo. Post mortem ergo carnis Sancti Dei melius viuunt, quorum hic ossa in tot miraculis viuunt.* Quasi dicat: miretur nemo,

quòd Eliſæus dum iacet in tumulo faciliùs ad vitam reuocet defunctum, quàm dum viueret cùm puerum illum viduæ reſuſcitare tentauit. In ſepulchro namque mortis erat ſpectrum, & noſtri finis imago. Quid ergo mirum, ſi defunctus faciliùs à defuncto, quàm à viuo reuocetur ad vitam? Nam vbi mortis viget recordatio haud difficilè vita reperitur. Recogita, contemplare finem vitæ, & diuini iudicij ſeuerum tribunal; & facilè inuenies vitam, reſurges à culpa.

28. Non impropriè Pontificis Pectorale dicitur, *Rationale iudicij*. Sic enim appellatur ad oſtendendum quantum oporteat iudicij, & mortis non abolere memoriam. Quamobrem Clemens Alexandr. lib. 5. ſtromatum dicebat: *Iam verò Rationale, Prophetiam, quæ per verbum clamat, & prædicat, & futurum iudicium ſignificat.* In hoc Pectorali, quod iudicij dicitur (vt infrà conſtabit verſu vigeſimo primo,) nomina filiorum Iſraël erant ſculpta, hoc eſt, duodecim Patriarchatum, qui iam diu è vita præſenti migrauerant; vt Sacerdos, & populus mortis, & Dei tremendi iudicij ſemper retinerent memoriam: ille in pectore, id eſt, in viſceribus cordis; iſte ante oculos mentis, vt ſic faciliùs, & certiùs peruenirent ad vitam.

Clem. Alex.

ILLATIO CVIII.

Qui familiari contemplatione, mortis conſeruat memoriam, ſuperat mortem: etiam dæmonem deuincit, & mittit in exilium.

29. QVam piè (vtinam Chriſtianè!) Seneca conſulebat: *Effice mortem tibi cogitatione familiarem, vt ſi ita ſors tulerit, poſſis illi obuiam exire.* Et epiſtola 25. *Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti, quid facies reſpice ad mortem.* Qui mortem frequenter meditatur, honores deſpicit; diuitias poſſidens, ab eis non poſſidetur, voluptates vincit; imò ipſam mortem ſuperat; dæmonem proſternit, & in exilium mittit.

Seneca.

30. Origenes libro ſecundo in Iob, ipſum in ſterquilinio ſedentem contemplans, tot ærumnis afflictum, ſed minimè ſuperatum, orbatum liberis, ſpoliatum bonis, vlceribus plenum, vermibus corrodentibus lancinatum, ac tandem è ſolio in ſtercora deiectum, ſic exclamat: *O beate Iob! Quis ſimilis tibi gloriabitur propter iuſtitiam? Mortuus eſt Abel, ſed ſemel, & celeriter eſt mortuus: admirabilis verò Iob cùm mille mortes ſuſtineret, mortem ſuperauit, mortem vicit, in morte victoriam ſumpſit.* Comparat Adamantius Iobi fortitudinem cum Abelis conſtantia: ſed excelluit Iob; quia mille mortes ſuſtinens, hoc eſt, frequenter mortem contemplans, vicit mortem. Abel ſemel & celeriter mortuus, priùs mortem ſenſit, quàm agnoſceret; imò potiùs ignorauit, quàm contemplatus eſt. Ideo ergo mortuus Abel, & à morte ſuperatus. E contrà Iob mortis contemplator, ſæpe mortem ſuſtinens, & feliciter eam in memoria cuſtodiens, mortem vicit. *Solus ex omnibus antiquis*, proſequitur Origenes, *cùm mortuum ſemetipſum inſpiceret, à morte non trepidauit: non vidit effici mortuos, cùm nimirum vidit ſemetipſum, fieri putredinem, & vermes; ſed non adeò ante mortem expauit, ſed mortem in fugam vertit cum omnibus eius argumentis, atque verſutiis, & cum iniquis eius exercitibus.* Sed vnde Iob tantam ſortitus eſt fortitudinem, vt mortem vincere poſſet? Quia in ſterquilinio ſedens mortuum ſeipſum inſpiciebat, vel in vita ſepultum. Contemplatio ergo mortis contra ipſam mortem Iobum obarmauit.

Origenes.

Nec ſolùm mortem; verùm & ipſum dæmonem, mortis ſuperat contemplatio. Sanctus Paulinus epiſtola decima expendit, quanta animi gaudeat celſitudine, qui ita ſe demittit, vt meditatione puluerис, in quem reſoluendus eſt, ſe ſtercorem putauerit. *Quam bonum autem, & vtile*, inquit, *ad culturam ſalutis huiuſmodi ſtercus ſit, docemur in beato Iob, qui poſtquam ſedit in ſtercore, tentari deſtitit. Conſumpſerat tentatoris inuidiam humilitate perfecta, quæ faciliùs ſurgere, quàm deiici poteſt.* Cùm vidit dæmon Iobum ſedentem ſuper aceruum ſtercoris, Iobi timuit humilitatem, nec auſus fuit vlteriùs eum tentationibus aggredi. Sed liceat examinare; an verè dixerit Paulinus de Iobo; *Qui poſtquam ſedit in ſtercore tentari deſtitit?* Difficile reddit aſſertum; quia ex cap. 2. num. 9. vxor Iobum tentauit dæmonis ſuggeſtione incitata adhuc ſedentem in ſterquilinio, cùm dixit: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Quæ verba patientiſſimi viſcera transfixerunt. Rurſus; vt conſtat cap. 4. 8. & 11. ab amicis contumelioſa verba audiuit. Ergo aſperrimè à dæmone, qui per amicorum Iobi ora loquebatur, fuit tentatus. Quomòdo ergo Paulinus ait, ceſſaſſe Iobi tentationes, poſtquam ſedit in ſtercore? Sed occurritur: quia mens Paulini eſt, dæmonem non percuſſiſſe Iobum noua aliqua plaga, poſtquam vidit eum ſedentem in ſterquilinio. His ita prænotatis, inquiro: Cur dæmon non fuit auſus deſpectum hominem, vulneratum, vermibus opertum, & ferè mortuum aggredi; cùm tamen eundem diuitiis plenum contempſerit, ſedentem in ſolio poſtrauerit in ſtercus, & cunctis bonis vallatum in tantam reduxerit egeſtatem, vt teſta (quia illi pannus non erat) ſaniem raderet? Profectò, quia in ſterquilinio ſedebat, velut in vita ſepultus. Nam vbi Vulgata editio legit, ſterquilinium in Hebræo correſpondet, *Epher*, hoc eſt, Puluis, vel, *Cinis*. Et vt ſatis eruditè notat Ioannes Euſebius Nierembergius de origine ſcripturæ, lib. 7. cap. 24. Vox, *Epher*, ſignificat etiam *Sepulchrum*, quod ſibi conſtruxerat ipſe Iob, dum adhuc afflueret felicitatibus. Ex hoc ergo, quod Iob ſederet in ſterquilinio, in ſepulchro, in puluere, & cinere tantam animi acquiſiuit fortitudinem, vt vel ipſum dæmonem terreret, vt deinceps non auderet tentare eum, vtpotè mortis obarmatum memoria, & quaſi in vita ſepultum. Sic enim, ſic mortis recordatio dæmonem terret, vt ſi noſtræ reſolutionis ſalutifera adſit memoria, aufugiat vt victus,

31. Paulinus.

Iob. 1. n. 9.

Hebræ.

Euſeb.

qui

qui arrogans præsumebat reportare victoriam.

32. Sed placet, rem hanc altiùs expendere. Ita dæmoni formidabilis est memoria, & recordatio mortis, vt vel à longè visa, &
Matt.8.n.29 casu, & absque attentione ob oculos præsentata, putet se in exilium mitti. *Quid nobis, & tibi, Iesu Fili Dei? Veniſti ante tempus perdere nos*; clamabant dæmones, vel homines habentes dæmonia, cùm exirent de monumentis. Matth. 8. num. 29. & ibidem, num. 31.
Ibid.n.31. dicebant: *Si eiicis, mitte nos in gregem porcorum.* Sed inquiro: Vnde dæmonibus venit in mentem, Iesum eos ex illis corporibus eiecturum? Ni fallor, quia viderunt, homines illos exire de monumentis, qui licèt à dæmonibus occupati ibi cadauera, ossa, & hominum cineres contemplati fuerant, omniumque exinde incertus, sed ineuitabilis exitus fuit propositus. Intulerunt ergo dæmones, se iam non posse cum hominibus habitare, qui mortis inspexerunt effigiem, ideoque à Christo postulabant, velut exilium metuentes, vt eos in gregem mittat porcorum, pro compertò habentes ab hominibus, vel incautè mortem considerantibus expellendos fore.

33. Hinc inferre liceat; quòd cùm memoria mortis ita potens sit, vt dæmones exterminet: infelix reputandus est ille, qui ea à malitiæ tramite non auertitur. Quidam ex Iudæis, qui ab Hierosolymis venerant, vt Lazari celebrarent exequias, cùm Christum Dominum defuncti amici sepulchrum interrogantem, & præ amore lachrymas effundentem vidissent, hæc irrisoria protulerunt verba. *Non poterat*
Ioan.11.n.37 *hic, qui aperuit oculos cæcorum, facere, vt hic non moreretur?* Basilius Seleucensis concio. 2. de Lazari exsuscitatione in 2. tomo Bibliothe-
Basil.Seleuc. cæ veterum Patrum sic exclamat: *En isti, nec ipsa quidem præsenti clade, & calamitate, aliquid de sua malitia remittunt.* Iure optimo Basilius, aut miratur, aut deflet Iudæorum duritiem, cùm præsente morte, nihil de sua malitia deponunt; sed inuidiæ venenum euomunt contra Christum eius illudentes omnipotentiæ. Certè isti obstinati sunt, nec salutis eorum habenda est spes, cùm in mortui conspectu peccare non desinant, & contra Christum linguas suas vt serpentes acuant. Nam mortis memoria felix animi infundit fortitudinem; ipsam superat mortem; dæmonem deuincit, & mittit in exilium; & ob hæc Pontifici proponebatur in Pectorali.

Illatio CIX.

Salutifera mortis recordatio Deum vocat in Ducem: Dei vices supplet: eaque diuina vtitur potentia, vt peccatorem ad tramitem reuocet iustitiæ.

34. DVabus illationibus præcedentibus satis ostendimus, quanti momenti sit mortis recordatio: in præsenti non erit molestum, aliâ viâ id ipsum prosequi. Et in primis, operosum non erit confirmare, Deum ducere illum, qui mortis non deserit memoriam. Exodi 13. numero 21. refert textus, Deum Hebræorum populi Ducem se constituisse, cum eos à dura Pharaonis seruitute in brachio excelso eripuisset. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per*
Exod. 13. n.21. *noctem in columna ignis, vt Dux esset itineris vtroque tempore.* Sed cur Deus ducatum populi assumit, & qui omnia replet, in columna ignis, & nubis concludi, permittitur? Aut quid erat in populo quod ad tantum beneficium diuinam alliceret largitatem? Expende, quæ narrauerat sacer textus ibidem, num. 19.
Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quòd
Ibid.n.19. *adiurasset filios Israël dicens: visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* Ecce cur Deus populi sumpsit ducatum. Secum ferebant Israëlitæ ossa Ioseph; & illius, qui quondam apud Ægyptios clauem tenuerat, cineres aspicientes, humanæ gloriæ finem contemplabantur. Quid ergo mirum, si Deus tanquam Dux populum præcederet? Nam ita felix est mortis recordatio, vt qui eam assidue meditatur, in omnibus viis suis mereatur Deum habere Ducem.

35. Et quid mirum si Deum in Ducem vocet mortis memoria, cùm vel ipsius Dei suppleat vices nostri finis recordatio. Ingeniosè satis notauit Rupertus lib. 6. in Genesim, cap. 35. post Saræ obitum non referri, Deum Abrahamo apparuisse, qui toties antea dignatus fuerat apparere: *Notandum*, inquit, *quia Deus*
Rupertus. *vlterius Abrahæ apparuisse non legitur.* Sed cur Dominus à seruo suo discedit post Saræ obitum, cui antea frequentissimè solebat apparere? Nunc quia dilectæ vxoris solatium amisit, maiori Dei indigebat solamine: cur, ô bone Deus, à fideli seruo discedis? Aut cur ei negas tuæ familiaritatis consortium? Fallor, si hoc non fuit, quia Patriarcha dilectæ coniugis iugiter contemplabatur discessum. Semper ante oculos habebat illius mortuæ sepulchrum, & simulachrum; & vbi mortis nunquam marcescit memoria, superflua videtur Dei apparitio. Tam felix est iugis mortis recordatio, vt vel ipsius Dei absentiam, videatur, supplere.

36. Adhuc vrget non contemnenda memoriæ mortis commendatio: Vel ipse Deus videtur, ea indigere, vt peccatorem ad viam reuocet iustitiæ. Accessit Christus, vt visum quo semper fuerat orbatus, cæco illi liberali, & extensa manu largiretur. Quid inde? *Expuit in ter-*
Ioan.9.à n.6. *ram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, Missus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.* Ioan. 9. à numero 6. Sed quare Christus Dei Verbum, & splendor Patris, per quem omnia facta sunt, qui solo verbo, vel suo voluntatis nutu non solum visum cæco, sed mortuos poterat ad vitam reuocare; luto vtitur, vt cæci à natiuitate oculos aperiret? Diuus Epiphanius tomo 3. lib. 1. hæresi contra Tatianos multas affert rationes, inter alias sic ait: *Nam deficientis par-*
Epiphan. *tis corrigendæ gratiâ hoc feciſſe videtur.* Sed adhuc vrget difficultas. Quia vt diximus, vel solo verbo poterat, visus supplere defectum, & oculos aperire: Quare ergo ait Epiphanius, Christum feciſſe lutum partis deficientis corrigendæ gratia? An quia diuina potentia absque

que luto non posset, oculis lucem præstare? Absit. Ad quid ergo lutum, quod si lucentibus oculis apponeretur, obcæcaret potius, quàm illustraret? Vt luto illo primi hominis formationem reuocaret in memoriam, finemque eius in eâdem retineret, & semper contemplaretur. Nam quamuis diuinæ potentiæ nutui omnia facilè obediant; tamen si luto vtatur, in quo mortis pallida imago exprimitur, faciliùs suum placitum exequi, videbitur. Sit ita: Sed audi aliam rationem. Liniuit oculos luto, vt lucem ex illo acciperent. Nam si in luto mortis imago exprimitur, in cæco peccatoris præceps ostenditur via. Cæco ergo per lutum oculi impertiuntur; vt per memoriam mortis à via peccatorum reuocatus, salutis tramitem inueniat.

37. Non ignorabat dæmon, quanti momenti sit hæc memoria ad euitanda peccata, cùm mulieri persuadens arboris vetitæ esum, eam
Gen. 3. n. 4. prorsus abolere tentauit dicens: *Nequaquam moriemini.* Genesis 3. numero 4. credidit mulier, & præuaricata est. O quanto iure exclaBasil. Seleuc. mat hîc Basilius Seleucus oratione 3. *Quid ille igitur? Nequaquam moriemini. O sententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! Deus mortem transgressoribus statuit, & diabolus vitam contra legem agentibus spondet. Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quoad legem perfringendam propellat: excluso timore, & pœna sublata contra Deum bellum conflat.* Timor mortis arcebat mulierem, ne ex fructu vetito comederet: dæmon autem vt illam deciperet, furtim demit mortis terrorem. Legem ergo contempsit mulier, quia timorem mortis amisit. Si namque mortis retineret memoriam, & eam timeret, nunquam peccasset. Propter hæc omnia Pectorale illud Rationale iudicij dicitur, vt mortem Pontifex semper contemplans tot lucra feliciter acquirat.

Illatio CX.

Vtilissima est extremi iudicij recordatio, in cuiuscumque rei, etiam excellentissimæ exordio.

38. QVam vtilis sit extremi iudicij cogitatio, satis explicuit Diuus Basilius in cap. 1.
Basilius. Isaïæ ad illa verba ex num. 17. *Quærite iudicium*, dicens: *Attenta cogitatio arcanorum nobis formidabilium, quæ in tremendo iudicio se offerent, Pædagogus est, ad exercendam pietatem.* Nam sicut Pædagogus primam pueri instruit pueritiam; sic tremendi iudicij meditatio omnium rerum infantiam, & exordia tanquam Pædagogus regit, & gubernat, & inde felicissima non dubitantur auspicia.

39. Hanc pædagogiam explicuit facer textus in
Genes. 1 n. 1. ipso rerum exordio, dum Genesis 1. num. 1. ait: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.*
Hebræus. Ex Hebræo legitur: *In principio creauit iudex.* Nam licèt in Hebræo sit, *Elohim* pluralis numeri; Caietanus ad hunc locum putat, hanc vocem *Elohim* carere singulari numero, & iuxta morem Hebraïcum significare vtrumque numerum secundùm verbum, cui adiungitur. Vnde, si numero plurali iungatur significat iudices: si autem numero singulari associetur, iudicem tantum denotat, vt in præsenti, quia verbo, *Creauit*, adiungitur, & sic reddit hunc sensum: *In principio creauit iudex.* Hoc posito; quæri potest: quare Moyses hîc Deum iudicem appellauit? Aut quid iudicium cum rerum creatione? Respondet doctissimus Caietanus hîc? *Vt vnus, atque idem Deus credatur* Caiet. *Creator mundi, & iudex vniuersorum.* Sed adhuc inquiro. Quid intererat, quod Deus, qui mundi erat supremus opifex, vniuersorum iudex crederetur. Vt qui iudicem Deum audirent in exordio rerum, intelligerent iudicium extremum, & vniuersale; sicque mundus ab infantia tali Pædagogia instructus felicissimum expectaret progressum. Nam tam vtilis, & salubris est tremendi iudicij recordatio, vt mundus in infantili illa ætate tanto pædagogo instructus, non possit non habere felix auspicium futurorum.

40. Nec defuit hæc pedagogia primo Hebræorum Regi, cùm à Samuële vnctus fuit, vt esset illius populi gubernaculum coronatum? sic enim Saüli dixit Propheta, 1. Regum, 10 n. 2.
1. Reg. 10. n. 2. *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in Principem. Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel.* Sed liceat inquirere: cur Samuël, vt Saül certiorem suis verbit præbeat assensum, dat in signum duos viros iuxta sepulchrum Rachelis, potiùs quàm iuxta alium locum? Aut quare ad Rachelis tumulum mittit, vix vnctum oleo regali? Certè vt in illis ossibus contemplaretur Rachelem eius matrem (erat enim Saül de Tribu Benjamin filij Rachelis) mortuam, & ante diuinum Tribunal accersitam, ibique iudicatam; vt exinde tremendi iudicij Dei sedulam hauriret contemplationem. Sed adhuc vrgeo. Ad quid in ipsa vnctione in Regem extremi iudicij excitatur memoria? Vt eam retinens Saül felices in Regno haberet progressus. Nulla enim res regnare incipienti maiora lucra annunciat, quàm iugis illius seueri iudicij meditatio. Vtinam Saül eam semper in animo retineret: sic nec Regnum, nec salutem animæ amisisset! Confirmat hoc Lyranus ad illa verba Iob. cap. 34. num. 15. *Homo in cinerem conuertetur,* Lyra. vbi sic ait: *Antiquitus Imperatore creato, statim quærebatur ab eo quo marmore vellet sepulchrum habere.* Satis cordatè cùm erigebatur Imperator, mortis, & iudicij proponebatur memoria, vt exinde felix esset Imperium.

41. Cùm Christus iam esset passioni proximus
Ioan. 12. n. 31. ait Ioan. 12. num. 31. *Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Sanctus Thomas ad hunc locum lectione 5. hæc verba vltima: *Nunc Princeps huius mundi*, &c.
S. Thom. Sic exponit: *Per virtutem passionis Christi Princeps huius mundi eiicietur foras, quasi per passionem victoriam de diabolo habeat.* Sed quid passionis victoria cum iudicio mundi, vt Christus dicat: Nunc iudicium est mundi: nunc Princeps huius mundi eiicietur foras? Aut quomodo ante passionem, vel in primo aduentu Christum mundum, existimabimus, iudicasse, quem potiùs saluasse, credimus, sicut ipse testatus,

Ioan. 3. n. 17 teſtatus eſt, dicens: *Non miſit Deus Filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Ioan. 3. cap. numero 17. Si ergo Deus non miſit Filium ſuum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluet mundum: quare Dei Filius cùm iam eſſet in limine paſſionis, dixit: *Nunc iudicium eſt mundi?* Et cur cùm diabolum eiecturus eſt, iudicij memoriam fecit? Fallor ſi hoc non fuit, vt tremendi iudicij memoriam excitaret, vt inde felix dominica paſſio haberet auſpicium. Erat enim Dominus quaſi in paſſionis ſuæ limine in exordio ergo illius iudicij facit mentionem, vt felix, & fauſtum haberet exordium.

42. Haud longè ab hoc cogitatu diſtabat Ambroſius in c. 23. Lucæ, cùm Chriſtum meditabatur inter duos latrones crucifixum. Sic enim
Luc. 23. n. 33 ait Lucas cap. 23. num. 33. *Ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à*
Ambroſ. *ſiniſtris.* Tunc ſic Ambroſius: *Denique vnus à dextris, & alter à ſiniſtris, quia ſic erit in die iudicij.* Difficilia videntur primo aſpectu verba Ambroſij. Nam quid ſibi vult, cùm ait, quòd Chriſtus in die iudicij habiturus eſt vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris, ſicut habuit in cruce? Mens eius eſt, per latronem à dextris iuſtos deſignari, & per latronem à ſiniſtris peccatores. ſit ita. Sed cur in cruce voluit Chriſtus tremendi iudicij imaginem exprimere? Et nota Ambroſij cauſalem: *Denique vnus à dextris, & alter à ſiniſtris, quia ſic erit in die iudicij:* quaſi cauſa patiendi inter duos latrones, dextrum, & ſiniſtrum ſit, quia in die iudicij ſic erit. Quid vniuerſale iudicium cum cruce? Aut quæ habitudo intor ſalutem hominum in cruce conſummatam, & tremendum tribunal? Profectò: vt redemptioni hominum felix annunciaretur progreſſus ſeuerum tribunal ob oculos proponitur.

43. Scire ſæpe deſideraui; cur ſancta Mater Eccleſia ab Spiritu ſancto edocta antequam primum Chriſti celebret aduentum, ſecundum tot diebus celebrare inſtituit? Neminem latet, in prima Dominica aduentus agi de extremo iudicio: hoc clamat eius Euangelium de-
Luc. 21. n. 25. ſumptum ex 21. cap. Lucæ, numero 25. *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis.* Poſt celebritatem ſecundi aduentus ſuccedit ſolemnitas ſecundi, hoc eſt, natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem. In his prima facie inuerſus videtur ordo; quia primus aduentus debebat præmitti in ſolemnitate, & deinceps agi de ſecundo. Cur ergo alma Mater Eccleſia aliter diſpoſuit? Aut quam habent inter ſe conſonantiam iſti duo aduentus, vt ad primi celebritatem; ſecundi præmittatur ſolemnitas? Certè, quia Chriſtus in primo aduentu venit, vt Redemptor; in ſecundo, vt iudex. Præmittitur ergo iudicis celebritas ſolemnitati aduentus Redemptoris, non ſolùm, vt per hoc extremi iudicij in nobis excitetur memoria, & poſſimus accipere vt Redemptorem, quem iam antea præmeditati fuimus vt iudicem; ſed Redemptoris beneficium præmiſſa memoria iudicis quaſi habeat felices exitus.

44. Roboret iterum idem Ambroſius libro 2. in cap. 2. Lucæ huius cogitatus pietatem expendens verba illa Simeonis Sacerdotis ad Beatiſſimam Virginem Mariam de Ieſu loquentis. Lucæ 2. num. 34. *Ecce poſitus eſt hic* Luc. 2. n. 34.
ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël; ſic ait: *Ecce Simeon prophetat, in ruinam, & re-* Ambroſ.
ſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Ieſum Chriſtum, vt iuſtorum, iniquorumque merita diſcernat, & pro noſtrorum qualitate factorum iudex verus, & iuſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia. Sed cur, de Chriſto, cùm adhuc eſſet in humanæ vitæ limine, prædicit Simeon, iudicium vniuerſale habiturum? Vt eius natiuitas, & ſubſequens œconomia felicem haberet progreſſum. Nam ita efficax eſt extremi iudicij recordatio, vt vel eximium munus redimendi, ſi ab hac meditatione habeat exordium, felicem, & vberrimum parit fructum.

Pectorale illud, quo Pontificis pectus ornabatur, Rationale iudicij dictum fuerat. Sed cur, Rationale iudicij? Reſpondet Clemens Alexand. lib. 5. ſtromat. dicens: *Iam verò Rationale prophetiam, quæ per verbum clamat, & prædicat, & futurum iudicium ſignificat.* Sed ad quid tremendi iudicij in hoc ornatu exprimitur imago? Quia tunc legalis Sacerdotij inſtituebatur Ordo, Æquum fuit, vt Pontifex in pectore extremi iudicij haberet ſpecimen, ſic enim felix ſpectaret fore Sacerdotium. Sic enim felix eſt iudicij iugis memoria, vt cuiuſcumque rei etiam excellentiſſimæ exordium tali recordatione nutritum, haud dubitetur, felices habiturum exitus. 45.

ILLATIO CXI.

Iudicij extremi etiam ſomniata memoria formidabilis.

QVam vtilia ſunt verba Sophoniæ, cap. 1. à num. 14. Si nunquam à noſtra excideret memoria! *Iuxta eſt dies Domini*, inquit, Sophon. 1. à n. 14.
magnus, iuxta eſt, & velox nimis: vox Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis: dies tubæ, & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Præfata verba exponens Diuus Petrus Damianus ſic ait lib. 4. epiſt. 5. *Penſa, dilectiſſime, ex-* Pet. Damian.
tremum diem iudicij ſuper corda reproborum, qua aſperitate Propheta vidit, amareſcere, quem tot appellationibus non valuit, explicare. Tunc enim ſanguineas lachrymas effundentes incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Tunc non eſt quoquàm fugere, non eſt latibulum, vbi ſe quiſquam valeat occultare. Huius diei ſeuerus rigor propoſuit Ieremias cap. 12. num. 12. dicens: *Gladius Domini deuorabit ab* Ier. 12. n. 12.
extremo terræ vſque ad extremum eius, non eſt pax vniuerſæ carni. Audi iterum Damianum opuſcul. 50. cap. 7. *Gladius enim deuorare terram dicitur, & pax vniuerſæ carni deeſſe perhibetur: quia quiſquis nunc carnaliter conuerſatur, vel terrena immoderatius ambire conuincitur, vltimæ diſtrictionis, neceſſe eſt, gladio perimatur. De quo nimirum gladio per Ezechielem vigeſimo primo Dominus dicit: Egredietur gladius* Ezech. 21.
meus de vagina ſua ad omnem carnem ab Auſtro vſque ad Aquilonem, vt ſciat omnis caro, quia 46.

ego

ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem. De hoc vtique gladio, & Amos,9.
Amos 9. *Propheta dicit? in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet super nos malum.* Omitto plura, quibus vltimæ districtionis ob oculos proponitur rigor, vt illius amaritudine huius mundi falsa dulcedo contemnatur. Nam tantus est extremi iudicij terror, vt vel per somnium eius effigies delineata Viro sancto, & fortissimo magnum valeat timorem incutere.

47. Viderat Daniel in somnis huius strictissimi tribunalis, non vnam, aut alteram effigiem, sed & ipsum Dominum in throno igneo sedentem cum potestate magna, & maiestate.
Dan.7.à n.9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidus egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Daniel cap.7. à num.9. & statim numero 13. prosequitur: *Aspiciebam ergo in visione noctis: Et ecce cum nubibus cœli quasi Filius Hominis veniebat, & vsque ad Antiquum*
Ibid.n.13. *dierum peruenit.* Et ibidem, num.15. *Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me.* Sed cur; Propheta tanto terrore afficitur, si omnia hæc non realiter, & verè, sed imaginariè tantùm videbat? Somnia siue terribilia, siue deliciis plena sint, dum à vigilia vacamus, terrent, aut delectant; si tamen somnum excutimus, quæ somniata terrebant, contemnimus, & quæ absente vigilia delectabant, vigilantibus sunt exosa. Quomodo ergo Daniel, qui vigilans famelicos leones non horrebat, his visionibus conturbatur? Eia Propheta sancte, quid times? Somnia sunt hæc, & cerebri phantasmara, iterum te restitue in pristinam fortitudinem? O quam validè terrebatur! Nam, vt rectè Petrus Damianus lib.4. epist. cap.5. Omnia hæc extremi iudicij indicabant imaginem. Quamuis ergo visiones illæ Phantasiæ potius spectra, quàm effectus essent realiter existentes. (licèt per istas visiones Deus Danieli loqueretur) tamen quia illius diei terribilis, & strictissimi tribunalis somniabatur Maiestas, horruit spiritus Prophetæ, & animi conturbationem est passus.

48. Sed quid mirum Danielis animum conturbauerit, vel imaginaria illius diei repræsentatio, si vel ipsius iudicis animam terror iudicij videatur conturbasse? Venerat Iesus in villam Gethsemani: cúmque iam à tribus fidelissimis Discipulis, quantùm iactus est lapidis, vellet discedere, vt preces ad Patrem mitteret, ait il-
Mat 26.n.38 lis: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matthæi 26.num.38. Huius tristitiæ causa variè à pluribus explicatur: Quidam dicunt fuisse ex dilatione mortis, quia desiderio desiderabat salutem hominum consummare. Alij, quia nondum crucis fruebatur gloria. Alij propter damna Hebræorum, quæ à Romanis erant perpessuri in tanti flagitij pœnam. Ego (tantorum Doctorum venia) putarem, Christum affectum fuisse tanta tristitia, quia cùm supra dorsum suum omnium hominum peccata assumpsisset, vt pro eis condignam Patri redderet compensationem; quasi redditurus pro omnibus rationem, tribunal illud formidabat. Non quia iudicandus esset (ipse enim vniuersorum est iudex,) sed quia speciem habebat iudicandi. Contristatur ergo, velut seipsum iudicem formidans, ipse qui omnium futurus erat iudex, vt nos doceret, quantùm debemus tribunal illud expauescere. Adest pro hoc cogitatu Drogo Hostiensis lib. 1. de passione dicens:
Anima tristis est, quæ expectat mortis tribula- Drogo Host.
tionem. Quis enim sciat, vtrum ad sinistram, ad dexteram eat? Quis enim sciat, quomodo respondeat ad arguentem se, quando iudex, sicut parturiens loquitur. Expendas obsecro hæc vltima verba: *Quis enim sciat, quomodo respondeat ad arguentem se, quando iudex sicut parturiens loquitur.* Quod est dicere: Si Christus, qui omnium iudex est, quasi parturiens loquitur, cum iam, iam morti esset vicinus, ex eo solùm quòd in se iudicandi haberet depictam imaginem: quantum animi pauorem, quantam animæ tristitiam habere debet, qui ignorat, an sit ad dextram, vel ad sinistram collocandus? Pensemus igitur huius tribunalis iustitiam, huius iudicis seueritatem, vt diabolicæ pugnæ molestias valenter vincamus. Ob hoc Rationale iudicij ornabat Pontificem, vt repentini, & terribilis aduentus Christi meditatio Pontificis animum deterreret, & terrena contemnens, solùm cœlestia non despiceret.

Illatio CXII.

Quæ rationi non sunt consentanea, retractari debent, tametsi à viro egregio fuerint incæpta.

49. HVmanum iudicium facilè fallitur: quare semper timendum est, an veritatis metam attingat. Hinc indecorum non debet, reputari, si aliquem etiam doctissimum videamus retractare sententiam, dum sibi constiterit à veritatis tramite deuiasse. Contrarium enim potiùs tenacitati, & proteruitati, quàm constantiæ tribuendum existimo. Difficile putant homines animum retractare, si semel Verbum suum oppignerauerunt, vel si rem aliquam incæperunt. Ita ego sentirem, dum ratio efficacior contrarium non suaderet: at si manifestè error detegitur, mentis potiùs erit duritiei, quàm honoris ambitio. Pudeat viam errantem sequi: ab abstruso, & erroris pleno tramite deuiare, semper decorum est.

50. Destructurus Deus Sodomam, noluit seruum suum Abraham incendium cælare. Sic enim Dominus ipsum alloquitur: *Dixit itaque* Gen.18.n.20
Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me opere complauerint: an non est ita vt sciam. Genesis 18. num.20. Dubium non contemnendum hic excitari potest. Si Deus apertè, & infallibiliter, non solùm facta, sed Sodomorum internas, & minutissimas cogitationes ab æterno præsciebat,

& ob illorum flagitia, eis iam supplicium parauerat, vt constat ibidem, numero decimo
Gen.18.n.17 septimo, Deum dixisse: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Quomodo statim ait, descendam in Sodomam, vt oculis palpem, quæ de illis fama vulgauit? Cur bone Deus, si obscœna Sodomorum facinora antequam fierent cognoscebas, nũc oculis tuis ea examinare constituis? Aptissimè Caietanus
Caietan. ad hunc locum respondet: *Humano more loquitur Deus. Hic enim debet esse fructus inquisitionis, vt si non inueniret ita esse, sufficiat ei scire: & non velit honoris gratia (ad demonstrandum, quod non frustra inquisierit, ad quasi tuendam authoritatem) vexare subditos.* Decreuerat Deus Sodomitas punire: & vt id executioni mandaret, descendere cupiebat in Sodomam, vt videret, an certum esset, quod de illis audiebatur. Non quia Deus ignoraret turpia illorum facta (nota enim illi erant ab æterno,) sed quia humano modo se gerebat; vt doceret homines, & præsertim Iudices, Magnates, & Præsules, vt quamuis aliqua decreuerint, si postea conspexerint, rationi esse dissentanea, animum retractent. Hoc enim est iudicantium vitium frequentissimum. Nam si semel aliquid pronunciarunt, irreuocabile existimant. Voluit ergo Dominus humano modo se gerere, inquirendo, an peccauerint Sodomitæ: vt si aliter inspexisset, illis indulgeret. Hic debet esse fructus inquisitionis (vos alloquor iudices) vt si res meliori iudicio inspecta aliter appareat, animum retractetis. Multoties in cuiuscumque negotij exordio aliquæ apparent rationes, quæ efficaces visæ sunt, & postea vrgere non valent; imò aliæ contrarium persuadentes inueniri solent. Cùm hæc ita contingunt, desistere ab incæptis non erit culpabilis varietas, sed laudabilis inconstantia.

51. Iureiurando se constrinxit Ioram Rex Israël amputaturum caput Elisæi, quia putauit propter eum longa obsidione à Rege Syriæ obsideri Samariam, ita vt præ famis angustia matres propriis viscetibus se alentes filios, quos genuerant, & lactauerant impiè comederent.
4. Reg. 6. n. 31. 4. Regum, 6. num. 31. *Et ait Rex: hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi filij Saphat super ipsum hodie.* Tunc vt immane facinus exequeretur, misit nuncium in domum Elisæi, qui caput amputaret Prophetæ.
Ibid.n.32. At Rex in se reuersus abiit post eum: *Ecce enim sonitus pedum Domini eius post eum.* Ibidem, numero 32. Abulensis ad præfata verba, quæst. 38. inquirit: ad quid Rex Ioram tanta festinatione sequutus est nuncium, quem ad decollandum Elisæum miserat? An vt celeriùs mandatum Regis exequeretur? Neutiquam (respondet Tostatus,) imò potiùs, vt non exe-
Abulens. queretur. *Hoc autem fecit Ioram Rex, quia ex indignatione magna iussit, occidi Elisæum: Ideo immediatè dolens de iniusto mandato, iuit post nuncium suum ad reuocandum mandatum, priusquàm ille aliquid exequeretur.* Animaduertit Rex, Elisæum indignum esse tanto supplicio: ne ergo minister decretum Regis exequeretur, & Virum sanctum, & innocentem è medio tolleret, festinanter incessit Rex, vt impediret tantum flagitium. Putauerat Rex ira turbatus, Elisæum fuisse complicem obsidionis Samariæ, ideoque eum capitali damnauerat sententia: at re maturius considerata, & in se reuersus doluit de iniusto mandato, & celeriter abiit post nuncium, ne tantum nefas exequeretur. Sed quomodo, ô Rex, retractas decretum, & Elisæum absoluis: cùm regale mandatum irreuocabile iudicetur? Ita est quando rationi est consentaneum; at si rationi dissonet, reuocari debet. Nam tenere firmiter, quod est iustum constantis est animi: at prosequi quod iniustum pertinacis, & obstinatæ intentionis.

Rationale iudicij portabat in pectore summus Sacerdos. 52.
Sed cur hic ornatus Rationale iudicij nuncupatur? Respondet Beda libro tertio Tabernaculi, capite quinto, his verBeda. bis: *Rationale iudicij Sacerdos in pectore ferre præcipitur, quia debet Rector subtili semper examine bona, malaque discernere, & qua, vel quibus, quando, vel qualiter congruant, studiosè cogitare.* Hortatur Sacerdos in hoc ornatu, quomodo debeat se gerere in proferendis sententiis, & in progressu rerum, discernens, quæ, vel quibus, quando, vel qualiter congruant. *Rationale iudicij*: id est, iudicium secundùm rationem. Quod est dicere: debent Sacerdotes summi, Iudices, & Præsules ita iuxta regulas prudentiæ, & iustitiæ iudicare pensatis attentè omnibus circunstantiis: si tamen his omnibus expensis, quod prius amplectebatur, iniustum cognouerint, reprobare, & mutare sententiam. Nam prosequi incæptum ob hoc solum, quòd incæptum sit, tametsi ratio contrarium suadeat, reprehensibilis est tenacitas, & iniusta temeritas. Ab incæptis desistere, cùm error apparet, cordatorum est hominum, & iustitiam amantium. Ita denique decorum est, animum retractare, cùm damna manifestantur, quòd persistere in eo apud cordatos reputetur absurdum.

ILLATIO CXIII.

Ineptus est ad regimen, qui litterarum caret ornamento.

GRauissimum est gubernationis onus, & 53.
prorsus difficillimum: at prudentia, & litteris potest sustineri. Vtrumque exigit regimen animarum: at si absit vtrumque magna cum temeritate suscipitur. Flebat, ni fallor hoc magnus Gregorius lib. 1. cùm dixit: *Ab* Gregor.
imperitis ergo Pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Artem artium vocat regimen animarũ propter difficultatem, quam continet. Hoc ipsum innuit sanctus Nilus
S.Nilus. libro Ascetico his verbis: *Hominibus enim præesse res est omnium maximè laboriosa. Nam qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia, ideoque fere semper illis prospere cedit imperium. Qui vero homines gubernant, & regunt, propter morum diuersitatem, rationisque solertiam, prouinciam difficilem experiuntur. Quam, qui suscipiunt, necesse est, vt se tanquam ad laboriosum certamen*

instruant. Vt & omnium infirmitates magna cum patientia ferant, & quæ illos propter ignorantiam latent, æquo animo doceant. Si ergo, qui animarum regimen suscipiunt, æquo animo alios docere tenentur: imperiti magna cum temeritate sibi tantum onus imponunt.

54. Vocatur Moyses à Deo ad Hebræorum populi ducatum: excusatur ille humilitate propria, & tarditate linguæ, vel defectu eloquentiæ: *Obsecro Domine*, (ait Exodi 4. num. 10.) *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, ex quo loquutus es ad seruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Ita Imperij, & Ducatus formidabat onus, vt promittente Deo verba: *Ego ero in ore tuo: docebo te, quid loquaris*: Ibidem, numero 12. nondum aquiescens diceret: *Obsecro, Domine, inquit, mitte quem missurus es.* Non miror, Moysem legationis, & Imperij onera recusantem præ nimia humilitate; nec formidare Imperij celsitudinem, & populi ducatum, cùm suam agnosceret imperitiam, & linguæ tarditatem (scientia namque & verborum expeditio requiruntur ad regimen animarum, vt sciat præfectus, quid imperare, quid loqui debeat, & quibus verbis subditorum animos ad obedientiam inclinet.) Quod in Moyse dignum hîc existimo admiratione, est; se toties excusare ab imperio diuinæ protectionis munitum clypeo (in quo non peccauit mortaliter, vt ait Lyra ad hunc locum, sed solùm venialiter, vt docet noster Tostatus ibidem, quia humilitate, non inobedientia officium recusabat,) sed mirabilius est, post miraculum virgæ, & promissionem diuinæ protectionis dixisse: *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* In quo (vt putant aliqui apud Tostatum ibidem) summum Ducem, id est, Messiam petebat. Sed cur ad legationem Ægypti, & populi ducatum Filij Dei ardebat desiderio? Quia Dei Filius est diuina sapientia, per intellectum Patris generatur; sicut Spiritus sanctus, qui est amor, ab vtroque procedit per voluntatem. Innuit ergo Moyses, diuinam sapientiam requiri ad tantum munus suscipiendum. Nam quis hominum discernere subtili, & iusto examine bona, & mala poterit? Quis Reipublicæ vtilia commodè prouidere, quin alicui iniuriam irroget? Quis absque affectu, & personarum acceptione iudicare? Profectò ad hoc diuinam scientiam desiderabat Moyses, & Dei æternum petebat Filium, qui est infinitè sapiens. Vide quanta sapientia pollere debeat, qui Antistitis grauissimum suscipit onus.

Exod 4.n.10

Ibid.n 12.

Ibid.n.13.

Lyra. Abulens.

55. Leuitici 21.num.17. Cæci diuina sanctione à dignitate sacerdotali excludebantur: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit*, &c. Sed cur velut irregularis in Lege veteri habebatur, qui vtroque lumine esset orbatus? Et cur cæcus à sacedotali excludebatur honore? Respondet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 102. art 5. ad 10. *Nam maculæ, vel defectus corporales, à quibus debeant Sacerdotes esse immunes, significant diuersa vitia, & peccata, quibus debent carere. Prohibetur enim esse cæcus: id est: ne sit ignorans.* Excludebantur cæci tanquam irregulares à sacerdotio; quia per corporalem cæcitatem, imperitia mentis designabatur. Cæcus namque ineptus est ad litterarum exercitium: obindeque ignorantiæ nota inuritur. Cùm igitur Sacerdos ex proprio munere regimen suscipiat animarum, & artium artem reducat ad praxim: meritò cæcus, hoc est, ignorans, & imperitus velut irregularis à tanto munere excludebatur. Ad sæcularem œconomiam requiritur litterarum ornatus; sed præcipuè ad Ecclesiasticum regimen, in quo non solùm temporalium rerum, sed spiritualium agitur negotium.

Leuitic.21. n.17.

S.Tho.

56. Ad instruendos, & confirmandos Discipulos ignitarum linguarum velamine descendit Spiritus sanctus: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Actorum 2. num. 3. Liceat inquirere: cur supremus amor sub specie linguæ dignatus est descendere super Christi asseclas? Non est quæstio, cur sub igne descenderit? Nam huic quæsito haud difficulter responderi posset; ideo ita factum, quia ad inflammanda corda Discipulorum descenderat. Solùm nunc desideramus: cur dispertitæ linguæ apparuerunt, sub quibus latebat Spiritus sanctus? Gregorius Magnus lib. 2. Pastoralis, cap. 4. respondit: *Super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum, quos repleuerit, de se protinus loquentes facit.* Sed adhuc vrgeo: cur Spiritus sanctus Apostolos, quos repleuit, de se loquentes fecit? Quia Dominici gregis futuri erant Pastores, & Rectores, susceperunique Ecclesiæ, & animarum regimen. Meritò ergo Spiritus sanctus in linguarum specie apparuit, cùm super primos Pastores insedit; vt opportunè loquendi, & docendi acciperent facultatem. Nam cùm ad animarum regimen, hoc est, ad artium artem ex piscatorum exercitio humili extraherentur, opus erat, vt ab Spiritu sancto instructi, quidquid ad tantum onus exigebatur, acciperent. Quid enim indecorius, quàm tale munus suscipere absque sapientiæ, & litterarum ornatu? Magna ergo est temeritas ab imperitis suscipi magesterium: nam quî docere poterit, & aliorum animas instruere, qui discere non valuit? Hinc existimo, quòd habere Antistitem imperitum, est summa calamitas, quam pati potest Respublica.

Act.2.n.3.

Gregor.

57. Quotiescumque populus Israëliticus graue committebat flagitium, subdebatur Gentilis iudicis imperio, & patrium amittebat Antistitem, vt constat Iudicum, 3. & 4. Sed si rem expendamus politicè, meliùs esset proprium habere Præsulem, qui acriter populum reprehenderet, seuerè puniret, & paternè emendaret, quàm Iudicem Barbarum, & Gentilem, qui in maiora, & grauiora scelera populum præcipitaret. Quare ergo Deus suum populum tanto mulctabat supplicio tradens Gentilis Iudicis ditioni, & imperio? Vt sic peccatorum populi puniret audaciam, extremam calamitatem ei imponens. Accipe Origenem homilia quarta in Iudices. *Seruatur nimirum*, inquit, *in his etiam illa obseruatio, quam in superioribus desiguauimus, quia pro peccatis populi moritur bonus populi Dux.*

Origenes.

Cùm

Cùm enim indigni fuerint effecti, & fecerint malum in conſpectu Dòmini auferetur ab eis homo Dei. Et paulò inferiùs proſequitur: *Tale ergo aliquid intelligamus etiam in Eccleſiis fieri, quia pro meritis populi, aut verbo, aut opere potens à Deo tribuitur Rector Eccleſiæ: aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ Iudex datur, ſub quo famem, & ſitim populus patiatur, non famem panis, neque aquæ ſitim, ſed famem audiendi verbum Domini.* Nulla infelicitas comparari poteſt cum illa, quam habet Reſpublica, quæ Præſulem habet, qui populum ſatiare non poſſit doctrina Verbi Dei: Hoc eſt, dicere: quæ Præſulem, & Rectorem habet indoctum. Obindeque Deus grauiter à ſuo populo offenſus, cum Gentili, Barbaro, & Diuinæ Legis prorſus ignaro tradebat Præſuli, à quo diuinam doctrinam non poſſet haurire. Hæc eſt ſumma calamitas. Non ſic Deus cùm ſummum Sacerdotem ſacro ornabat amictu, nempe, Rationali Iudicij, in quo, vt notauimus præcedenti illatione numero quinquageſimo ſecundo ex Beda ſcientia, prudentia, & ſubtile examen ad regimen animarum deſignatur. Hunc habens antiſtitem feliciſſimè conſeruatur Reſpublica.

ILLATIO CXIV.

Tanto conatu proſequamur incæpta, ac ſi tunc eis daremus exordium.

58. LVbenti animo res incæptas proſequi, etſi laborioſum, vtile, etſi multoties iniucundum, decorum, teſtatur Bernardus epiſtola centeſima vigeſima nona, his verbis: *Abſque perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola eſt, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit.* En tibi, quot bona perſeuerantia largitur: vt indefeſſo animo viam curras virtutis, & ſecurè præmium comprehendas. Non te deterreat laboriosa via? poſt ſpinas roſas inuenies; poſt labores requiem ſine fine. Tanto ergo conatu per eam curre, adhuc metam attingas, ac ſi tunc pedem figeres in ſtadio.

Bernard.

59. Creato cœlo, terraque producta, luce iam coruſcante, & à tenebris ſegregata, ait ſacer textus Geneſis primo, numero quinto: *Factumque eſt veſpere, & mane dies vnus.* Mitor ſacrum Hiſtoriographum, cùm primam diem deſcribit, & eius refert opificium, à veſpere incœpiſſe ad mane; cum diuerſum ordinem obſeruet natura. Dies namque non à veſpere, ſed à mane ſumit exordium: cur ergo ſacer textus inuertit ordinem, incipiens ab Occaſu lucis, & non ab Ortu? Stephanus Cantuarienſis ad hunc locum apud Godofridum, venuſtam reddit rationem, dicens: *Bene poſt veſpere ſequitur mane, quia veſpere ſignificat perfectionem operis, mane inchoationem: Vnde cùm conſummatur homo, tunc incipit.* Exprimebat in hoc ſacer textus, quanto conatu virtutis opera, quibus exordium dedimus, proſequi debeamus: per tempus veſpertinum perfectionem, & per matutinum inchoationem intelligens. Voluit ergo prius illud, quàm iſtud aſſignans, exhortari nos, vt quando aliquod opus incipimus, ita lubenter in veſpere, hoc eſt, prope conſummationem operemur, ac ſi eſſet in matutino, hoc eſt in exordio. In principio enim cuiuſlibet negotij magno feruore laboramus: nam ipſius rei initium nec vires minuit, nec deſiderium extinguit: ſi tamen differatur; & vires marceſcunt, & tepeſcit affectus. Vt ergo alacri, & conſtanti animo pergamus incæptis, & ab eis nunquam deſiſtamus, imò ac ſi tunc inciperemus, ſerena fronte proſequamur, cùm de primo die ſacer textus ſermonem inſtituit, ante Ortum refert Occaſum: denotans, quòd cùm iam operis finis imminet, tanto conatu, & hilaritate tanta operari debemus, ac ſi tunc prorumperemus in opus.

Geneſ. 1. n 5.

Sreph. Cant.

60. Diſſipatis iam bonis, & fame oppreſſus in ſe reuerſus prodigus, & tranſactæ vitæ pœnitens, de reditu in paternam domum cogitabat. *Surgam*, inquit, *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Lucæ 15. numero 18. & 19. Sed ô adoleſcens, quid ais? ſi tanta ſpe, tanta fiducia, confidentia tanta, putas, patrem viſcera non amiſiſſe paterna, licèt tu, quod filij erat, perdidiſſes; pete, vt te tanquam pœnitentem filium recipiat, non tanquam mercenarium. Cur ergo deſideras inter mercenarios patris computari? Profundè Chryſologus ſermone ſecundo, huius filij aperit intentionem, dicens: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis: Vt locatione annua ſeruitus innouetur, vt labore iugi conditio conducta deteratur, vt die toto in opere ſuſpiret miſeræ verna mercedis, vt ſit ſemper venditor ſui, nec vnquam negare ſuam valeat ſeruitutem.* Accipe ſenſum. Qui mercenarius eſt, locatione annua innouat ſeruitutem, ſemperque eſt venditor ſui. Cupiens ergo prodigus, paterno obſequio ſe iugiter mancipari, non inter filios, ſed inter mercenarios admitti deſiderat, vt nunquam negare valeat ſuam ſeruitutem. In quo, ni fallor, feruorem, & hilaritatem non diſcedendi à paterno obſequio ſatis oſtendit, ſimulque in eo proſecuturum, ac ſi tunc inciperet, declarauit. Nam qui ſicut mercenarius locatur, quotannis, aut quotidie renouat ſeruitutem, & eodem animo ſingulis diebus, aut annis ſeruire incipit, ac ſi tunc dediſſet exordium. Vult ergo prodigus inter mercenarios computari, vt lubentem, iugem, & perſeuerantem animum erga patris obſequia declaret: oſtendens ſic ſemper ea proſequuturus, ac ſi tunc daret exordium: *Vt locatione annua ſeruitus innouetur*, &c.

Chryſol.

61. Cant. 1. n. 7. *Indica mihi quem diligit anima mea*, ardenter sponsa alloquebatur sponsum, Canticorum primo, numero septimo: Nescio an satis cordatè hîc se gerat sponsa? Nam si sponsum alloquitur, ipsumque cognoscit: (hoc enim denotat, quod statim dixit: *Vbi pascas*, &c.) cur ab sponso quærit sponsum? An quiâ alium præter sponsum diligit? Absit. Si igitur, quem quærit sponsa videt; cur dilecto dicit, *Indica mihi, quem diligit anima mea?* O quàm prudens, & feruens! Dilectum quem vidit, quærit; quem tenet, desiderat ita ardenter, ac si eius non frueretur possessione. Quærit ergo, quod habet, vt gaudium habendi explicet solicitudine inquisitionis. Aptissimè Philo Carpath. ad hunc locum: *Ex ipso igitur, & per ipsum, & in id ipsum sancta anima quærendo peruenit; assequiturque quod amet.* Deum habebat sancta anima, sed quem habebat desiderabat. Ab ipso, & per ipsum in idipsum quærendo peruenit: quia iugiter semper quærebat, ac si non haberet. Sic absque dubio inuenitur sponsus: semper noua obsequia; semper quæ sibi placita sunt repetentes, & nunquam à bonis operibus vacantes.

Philo Carp.

62. Beda. Hoc Rationale, quod pectus ornabat Pontificis, quadrangulum erat, & duplex, & mensuram palmi habebat tam in longitudine, quàm in latitudine. Sed cur hoc Pectorale palmare, & quadrangulum erat? Respondet Beda libro tertio de tabernaculo, capite quinto, his verbis: *Quod autem mensuram palmi habebat per quadrum conatum indefatigabilem, ac perpetuum piæ intentionis ostendit. Qui enim palmo aliquid metitur, summo vtique conamine dispansis digitis manum ostendit, vt possit mensuram quærere plenè, & absque scrupulo dubietatis tenere. Vnde meritò sicut per manum operatio; ita per palmum exprimitur ipsa inflexibilis contentio bonæ operationis dum suam quisque dexteram in vniuersa, quæ valet insignia virtutum dilatare satagit.*

ILLATIO CXV.

Parum est virtutis luces ostendere, si in corde non adest ignis, qui illas emittat, & foueat.

63. Chrysol. *Vbtile malum, secretum virus, venenum latens est hypocrisis: virtutum fucus tinea est sanctitatis. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: Ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Sic Chrysologus sermone septimo. Diuus Remigius in catena sancti Thomæ ad capitulum decimum quintum Matthæi, hypocritam simulatorem appellat; quia aliud opere simulat, & aliud corde gestat. Ex his infertur, parum esse, virtutum luces ostendere, si desit ignis in corde, qui eas emittat, & foueat. Quod est, dicere: animi intentio bonis operibus respondeat, & deceptoriis artibus speciem non sumat virtutum: & bona opera etiam intentioni rectæ consonent, vt quod exteriùs apparet, sit intentionis speculum. Hæc est vera sanctitas; ficta, & simulata, quæ ab hac norma recedit.

Remigius.

64. Lucæ. 1. n. 6. Magnis encomiis celebrat Lucas capite 1. numero 6. Ioannis Baptistæ parentes: *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum.* Quid est ante Deum habere iustitiam? An in hominum conspectu Zacharias, & Elizabeth iusti non fuerunt? Absit. Nam tanta pollebant iustitia, vt apud homines magnæ, & perfectæ æstimarentur sanctitatis, & virtutis. Cur ergo facet Scriptor cum eos laudat, non de iustitia apud homines, sed de iustitia apud Deum celebrat? Quia apud illos parum est iustos esse. Multoties namque simulata est sanctitas, quæ apparet hominibus; at iustitia apud Deum vera est, & irrefragabilis, quia non solum exterius lucet, sed in corde ardet. Vt ergo Lucas parentum Ioannis certam proponeret sanctitatem ad cordis arcanum confugit, dicens, *Ante Deum*: quasi parum esset exteriùs radiis sanctitatis fulgere, si intrinsecùs ignis deficeret intentionis. Perbellè Titus Bostrensis rem explicuit ad hunc locum dicens: *Iustum esse ante Deum, id demum solidæ, perfectæque laudis est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim secundùm externam faciem multi coram hominibus habentur iusti, qui tamen propter latens in pectore venenum non sunt eiusmodi.*

Tit. Bostrens.

65. Gen. 3. n. 2. Fraudulenter dæmon serpentis voce mulierem alloquitur, dicens: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Genesis tertio, numero secundo: Sed cur dæmon, si callidè cupiebat mulierem deuincere, & per eam ab homine reportare victoriam, non in columbæ specie animalis mansueti, & valdè amabilis, sed in colubri formidabilis figura tot parauit insidias? Columbam, vtpote animal mansuetum faciliùs fœmina auscultaret, quàm colubrum. Quare ergo dæmon in tortuoso colubro, & non in columba simplici fœminam tentauit decipere? Hugo de S. Victore ad hunc locum apud Godofridum, sic respondet: *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui si permissus fuisset, in forma columbæ venire maluisset: sed hoc vas sibi Spiritus sanctus reseruauit; quia profectò dignum non erat, vt spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua postmodum eidem Spiritus sanctus apparere, debuisset.* Quod est dicere: Descensurus erat Spiritus sanctus in columbæ specie, cùm Christus Dominus Iordanis erat sanctificaturus fluenta, vt reuera contigit, testante Matthæo cap. 3. numero decimo sexto: Columba ibi Christi annunciauit iustitiam, diuinamque eius contestata est filiationem, vt patet Ioan. 1. numero trigesimo. Erat ergo columba sanctitatis index, præconium iustitiæ, & diuinæ filiationis Christi testis integerrimus. Meritò ergo Deus non permisit dæmoni, suam occultare calliditatem simplicitate columbæ: ne externè appareret mansuetus, qui internè erat sæuus, & formidabilis: ne in superficie amabilis, qui dignus erat, vt detestaretur: ne sedes Spiritus sancti diaboli esset domicilium: ne sanctitatis, & gra-

Hugo de S. Victor.

tiæ

tiæ index cælaret diabolici veneni toxicum: & tandem ne esset virtutis specimen, quod erat vitiorum fomentum. Sic namque *Deo* displicet, virtutum luces emittere, quando ignis charitatis non ardet in corde, qui illas emittat, & foueat; vt diabolo non permiserit, qui tyrannus, sæuus, & crudelis est internè, mansuetudinis, & lenitatis formam habere.

66. Accusabat Putipharis vxor innocentiam Ioseph, & pallium eius afferebat in testem. Genesis trigesimo nono, numero decimo sexto:

Gen.39.n.16 *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendebat marito, & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi.* Diuus Ambrosius libro de Iosepho, cap. 5. rem hanc expendens sic ait: *Reliquit igitur vestimenta Ioseph, & nudauit adulteræ in verecundiam, quæ postea latere non potuit. Denique exiuit foras, & ipsa adulterij sui tentamenta vulgauit exaltans vocem suam.* Cupiebat adultera, Iosephi pallio celare suum adulterium, sed ipsa, pallio nudauit suam nequitiam; nam cùm castus iuuenis vestem relinqueret, fugiebat vtique adulteræ tentamenta. Sed cur ait Ambrosius, vestem Iosephi accusare adulteræ crimen? Quia pessima fœmina innocentis pallio cupiebat suam cælare nequitiam. Meritò ergo vestis illa fœminæ diuulgauit libidinem, ne pallio iusti iniustæ malitia tegeretur. Volebat adultera, externè apparere casta, cùm lasciuiret interiùs: accuset itaque vestis innocentis luxuriam adulteræ, ne castitatis tegumento cooperiatur tanta lasciuia.

Ambros.

67. Pharisæus ille, apud quem Christus hospitabatur, & à quo magni conuiuij accipiebat obsequium, durè, & palam reprehenditur à Domino, quia peccatricem illam ad eius pedes lachrymantem obiurgauit. Sic enim ait Dominus Lucæ septimo, numero

Luc.7.à n.44 quadragesimo quarto: *Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vide discrimen inter mulierem, & Pharisæum. Illa lachrymis oculorum peccatorum maculas lauit: iste epulis, & conuiuio superbiebat. Sed vnde quæso tanta prouenit diuersitas, vt Christus mulieri promitteret remissionem peccatorum, Pharisæum autem reprehenderet? Fortassis, quia lingua Magdalenam detrectans, contra ipsum Dominum murmurabat, dicens intra

Ibid.n 39. se: *Hic si esset Propheta sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ibidem, numero trigesimo nono. Quasi Magdalenæ honor non posset iacturam pati, quin & Christi fama periclitetur. Sed alio modo respondendum puto, & ad nostri thematis probationem. Ideo ergo reprehenditur Pharisæus, & Magdalena laudatur, quia ille quamuis erga Dominum tot præstaret obsequia, tamen intra se non præstabat; quia non credebat, Christum esse Filium Dei, imò nec Prophetam; conuiuiumque illud potiùs ad vanam gloriam, & superbam ostentationem, quàm ad Christi seruitium præparauerat. Magdalena autem timorem excutiens, Pharisaïcam linguam aspernens, ardenter amans tulit alabastrum vnguenti, & è corde lachrymarum fluenta exhauriens, oculis commendabat, quod dolebat in corde, & lachrymas, quas effuderat, capillis tergens, iterum resumebat, vt eas ad cor reduceret denuo ploratura: nihilque in ea exteriùs apparuit, quod ex cordis visceribus non dimanaret. Quid ergo mirum, si laudatur pœnitens, cùm tumens reprehenditur Pharisæus? Accipe sanctum Paulinum epistola quarta ad Sulpitium sic affantem: *Magisque iustificata est hæc seruitio, quàm ille conuiuio: Pharisæus enim non credebat, iste credebat.* Et statim Pharisæum alloquens sic prosequitur. *Quo te miser Iude iactabis? In domo tua te peccatrix nostra præuenit, ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires, illa ieiunabat, vt seruiret.* Si quis videret Pharisæum rogantem Dominum, vt manducaret cum eo, primo aspectu, deuoto animo id postulare, cogitaret: externè religiosum apparebat conuiuium, at in corde eius erat irreligiosum, siquidem Domino non credebat. Aliter enim res agebatur in corde, quàm apparebat exteriùs. Meritò ergo reprehenditur Pharisæus. Magdalena autem exterius, & interius se gerebat æqualis: nam externas oculorum lachrymas hauriebat ex corde, & amore saucia dilecto Domino offerebat obsequium. Nihil non fuit in illa quod à corde, & anima non procederet, nihilque in ea simulatum adfuit. Iure ergo optimo lucrata est labores Pharisæi, & ille reprehenditur, illa laudatur; vt exinde aduertas, quàm parui Deus facit virtutis opera, si ab intimis cordis non dimanent. 68.

Paulinus.

Rationale Pontificis non casu erat duplex, hoc est geminum ex duobus pannis eiusdem materiæ compositum, sed summo consilio: vt interiùs, scilicet, lateret eadem operis varietas, & Phrygionica pulchritudo, quæ apparebat exteriùs; denotatur per hoc parum esse Pontifici exteriùs fulgere gemmis, & radios lucis emittere, hoc est, externè virtutum opera perficere, si internè desit in corde deuota intentio, & constans animus amplectendæ virtutis.

Illatio CXVI.

Perfectus Iudex à personis faciem auertit, & solùm secundùm iuris regulam iudicat.

69. MAgnus, vt assolet est Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 12. vbi orbis fabricam expendens, bonitati, & iustitiæ Dei tantum opificij gubernaculum attribuit, dicens:

Tertull. *A primordio denique Creator tam bonus, quàm & iustus. Pariter vtrumque processit. Bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est. Quæ etiam tum mundum iudicauit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio iudicauit.*

Iustitiæ opus est, quod inter lucem, & tenebras separatio pronunciata est; inter diem, & noctem; inter cœlum, & terram; inter aquam superiorem, & inferiorem; inter maris cœtum, & aridæ molem; inter luminaria maiora, & minora, diurna, atque nocturna; inter marem, & fœminam; inter arborem agnitionis mortis, & vitæ; inter orbem, & paradisum; inter aquigena, & terrigena animalia. Sed cur Septimius orbis opificium præcipue bonitati, & iustitiæ Dei attribuit, & non aliis attributis? An omnipotentia tot rerum pulchram varietatem non condidit? Fecit vtique. Quare ergo in primo rerum exordio bonitati, & iustitiæ Dei (secundùm mentem Tertulliani) rerum omnium appropriatur factura? Fallor si in hoc exacti Iudicis non præsignabatur exemplar. Duo hæc strenuo Iudici sunt maximè necessaria. Nam cùm omnia Deus in numero, pondere, & mensura fecisset, in mundi fabrica iustitia, & bonitas immeritò essent otiosæ: illa vt distinguens, hoc est, singulis rebus iuxta earum naturas propria loca distribuens; hæc vt concipiens diuersarum rerum essentias absque affectione. Nec id tacuit idem Tertullianus, cùm prosequitur: *Omnia vt bonitas concepit, ita iustitia distinxit.* Quasi diceret: Non sat est Iudici bonitas, hoc est, recta intentio: iustitia insuper requiritur. Sic à primordio Deus tam bonus, quàm iustus proponitur à Tertulliano. Et meritò priùs bonus, quàm iustus prædicatur. Nam qui iustitiam administrare desiderat, bonitate debet pollere; vt propter iustitiam, & bonitatem à personis faciem auertat, & solùm, quod iustum est, iudicet. Ob hoc ipse Deus iussit Deute-
Deut.1.n.16. ronomij primo, numero decimo sexto. *Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla distantia erit personarum. Ita parvum audieris, vt magnum, nec accipietis cuiusque personam: quia Dei iudicium est.* Hoc Deus præstiterat in exordio rerum, cùm lucem separauit à tenebris, cœlum à terra, &c. Et hoc semper præstat.

70. Ob hoc voce Isaïæ dicebat: *Omnes sitientes*
Isaïæ 55.n.1. *venite ad aquas*, capite quinquagesimo quinto numero primo, & Ioannis septimo, numero
oan.7.n.37. trigesimo septimo: *Si quis, sitit veniat ad me, & bibat.* Omnes vocat. Sed cur omnes vocat, & nullum excipit? Nunquid omnes sitientes digni sunt leuamine sitis? Crediderim multos indignos fuisse. Quare ergo vniuersaliter
Vuerricus. dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas?* Vuerricus ad caput sextum Ioannis apud Godofridum sic respondit: *Clamat namque, & dicit: Omnes sitientes venite ad aquas. Ecce personas non accipit: conditiones non discernit: merita non requirit: tantùm sitire quis nouit, venire velit.* Voluit Deus ostendere, quòd in distributione suæ largitatis personas non respicit, & ob id omnes vocat: ne si solùm dignos vocaret, putaret aliquis, non ex æquo omnes respicere.

71. Tanta obligatione constringitur in iudicio sedens ad seruandam iustitiam absque affectione ad personas, vt si solum ad eas conuertat vultum, videatur iura peruertere. Mirabile fuit, quod Moysi contigit in conspectu Dei super ardentem rubum sedentis. Legauerat eum Dominus ad Pharaonem, sed Moyses hæsitabat propter imperitiam, & linguæ tarditatem munus acceptare, cui Dominus, ad pellendum timorem, & dubietatem virgam pastoralem, quam in manu tenebat, in terram iussit proiicere. Quid in-
de? *Versa est in colubrum, ita vt fugeret Moy-* Exod.4. n.3
ses. Exodi quarto, numero tertio. Sed cur virga in colubrum tortuosum, & formidabilem conuertitur, hoc ipso, quo terram tetigit? Quid virga cum colubro; vt ex inanimi, & sicco virgulto animatus serpens oriatur? Stephanus Cantuariensis apud Godofridum ad hunc locum, per virgam Moysis potestatem iudicij intelligit; illam in terram proiicere, est potestatem iudiciariam deflectere ad aspiciendos homines, & personas acceptandas. Conuertitur ergo in serpentem virga, cùm Iudex, qui ex munere tenetur seruare iustitiam, ob munera, ob sanguinis cognationem, ob amorem, vel odium, sinistrè iudicat, & contra iustitiam iura peruertit. Audi Stephanum: *Virga est potestas iu-* Steph. Cant.
dicandi. Virgam in terram proiicere, est, potestatem iudiciariam ad terrena deflectere. In colubrum vertitur, cùm de potestate peccatum egreditur. Sed quando de potestate egreditur peccatum? Cùm Iudex non quod iustum, sed quod vult, iudicat ob peculiarem affectum. Tunc (crede Stephano) virga in colubrum conuertitur, & potestas iudiciaria transit in draconem, & Hispanè possemus dicere: *Mas tragarà que vn dragon, vn Iuez, si està apassionado.* Sit ergo baculus virga, non serpens: vigilet iudicans, semper seruare iustum; timeat, iura peruertere, ne ex iudice fiat draco.

Admiserat Moyses Dei legationem; cúm- 72.
que iter faceret in Ægyptum, occurrit ei Dominus in quodam diuersorio, & eum volebat, occidere: quod cum vidisset vxor eius, & inito certamine cum Angelo Moysem ferè iam spiritum exhalare; *Tulit illico Sephora acutissimam* Exod.4.n.25
petram, & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: sponsus sanguinum tu mihi es, & dimisit eum. Exodi 4. num.25. Intellexerat Sephora diuinitus inspirata, concitatam fuisse iram Dei, & magnum discrimen subire maritum; vnde vt sedaret certamen, festinanter circumcidit puerum, quo facto Angelus Moysi indulsit. Nunc dubitare liceat: cur Deus accensus ira Angelum mittit, qui Moysem constituat in tanto dispendio vitæ? Aut, in quo deliquerat Moyses, vt vellet Angelus eum vita priuare? si Deus paulò antea Moysem suum Legatum elegerat, vt admoneret Pharaonem, Deum ipsius constituens; cur tam citò ob filium incircumcisum irascitur contra Moysem? Profectò quia cùm Deus decreto suo filios Israëlis constrinxisset ad signum circumcisionis, & inter eos Moysem elegerat Ducem, & Iudicem populi; & ob eius incuriam, aut forsan ob parentis affectum filium à dolore circumcisionis eximeret, irascitur Deus in eum, & capitali pœna volebat mulctare: Vt hinc animaduertant Iudices, contra leges, & iura non proferenda fore iudicia

pro

propter sanguinis cognationem. Adest Tertullian. lib. aduersùs Iudæos. cap. 3. reddens
Tertullian. hanc rationem : *Nam prouidens Deus, quòd hanc circunciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus populo Iſraël, idcirco filium Moyſi ducis futuri inſtigat circuncidi, vt cùm cæpiſſet per eum populo dare præceptum circunciſionis, non aſpernaretur populus videns exemplum iſtud in ducis filium iam celebratum.* Quasi dicat: æquum erat, vt Moyses, qui constitutus erat à Deo totius populi præsul, filium circuncidens diuinam sanctionem executioni mandaret, & quod non incuria, aut parentis affectu eum à dolore redimeret circunciſionis, cùm totum populum ad eam obseruandam obstringebat. Nam circunciso filio ducis, hoc exemplo totus populus libenter obseruaret circuncisionis præceptum. Periclitatur ergo Moyses, quia circunciſionis legem ab aliis obseruari voluit, quando proprium filium ab ea immunem cupiebat, ne doloris pateretur molestiam. Expressiùs rem hanc exposuit noster Tostatus; quæst. 13. ad cap. 4. Exod. vbi hanc causam reddit, ob quam Angelus Dei volebat Moy-
Abulens. sem occidere : *Quia*, inquit, *non circunciderat filium ſuum Eliezer tempore debito. . . . Eliezer natus fuit paulò ante receſſum de terra Madiam: & quia ſciebat Moyſes præceptum eſſe, vt infans dierum octo circuncideretur, vt patet Geneſ. 17. cap. ex oppoſito videbatur, quod ſi tunc Eliezer circuncideretur, cùm pater aggreſſurus eſſet iter, & filius cum eo poſſet puer periclitari ex effuſione ſanguinis, & ideo diſtulit circuncidere.* Et inferiùs prosequitur: *Fuit tamen aliqualis negligentia, quæ erat culpabilis. Quamobrem volebat Deus eum punire, niſi circuncideret, & hoc maximè, quia ipſe erat futurus legiſlator Hebræorum, & tunc mittebatur, vt nuncius Dei.* Nota causalem Tostati : ait enim ideo culpabiliter omisisse Moysem circuncidere puerum; quia erat futurus legislator Hebræorum. Hoc est, quia Moyses futurus erat Hebræorum præsul, debuit non parcere filio, sed legem inuiolabiliter obseruare. Quia ergo parcens filio, & parum curans de lege, sibi non pepercit, ideo in tantum discrimen incidit.

73. Debent iudices, præsules, & rectores ex æquo omnes respicere : nam abominabile est apud Deum, legem peruertere, & cognatorum negotia, vel amicorum, in diuersa statera ponderare, ac aliorum negotia : ob hoc di-
Prouerb. 20. n. 10. citur Prouerb. 20. num. 10. *Pondus, & pondus, menſura, & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum.* Quid habent pondus, & pondus, mensura, & mensura, vt ea Deus tanto prosequatur odio ? Diuus Gregor. lib. 1.
Gregor. super Ezechiel. hom. 4. sic respondet: *Scimus, quia in negotiatorum duplici pondere, aliud maius, aliud minus eſt. Nam aliud pondus habent, ad quod penſant ſibi, & aliud pondus ad quod penſant proximo. Ad dandum pondera leuiora, ad accipiendum verò grauia præparant. Omnis itaque homo, qui aliter penſat ea, quæ ſunt proximi, & aliter ea, quæ ſua ſunt, pondus, & pondus habet. Vtrumque ergo abominabile eſt apud Deum : quia ſi ſic proximum, vt ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret. Et ſi ſic ſe ſicut proximum aſpiceret, ſe in malis ſicut proximum iudicaret.* Sæpissime mihi accidit eadem crimina, cùm ab aliis video committi, grauissima iudicare, & à me perpetrata existimare leuia; quia habeo pondus aliud mihi, & aliud proximo. Hoc maximè abominabile est apud Deum. Sic ipse testatur eodem cap. 20. num. 23. *Abominatio eſt apud Dominum pon-* Prouerb. 20 n. 23. *dus, & pondus : ſtatera doloſa non eſt bona.* Omnia hæc haud violenter à priuatis personis ad publicas, & qui ex munere tenentur rectum iudicium ferre, possumus adducere. Nam iudices, qui habent pondus, & pondus; mensuram, & mensuram; legem, & legem, vt alio modo suas causas, amicorum, & familiarium, quàm aliorum iudicent, absque dubio abominabiles sunt apud Deum. Caueant ergo ne ob amorem, vel odium personas respiciant, cùm iudicia proferunt : studeantque semper vultum, & affectum à personis auertere, si proprio muneri cupiunt satisfacere.

Quadrangulum erat Rationale, quo Pon- 74.
tificis pectus ornabatur. Sed cur, quadrangulari constabat figura ? Quia cùm esset Rationale iudicij, hoc est, ad iudicandum, hac forma constare debuit. Quadrangularis figura omnium firmissima est, & ex vtraque parte æqualis. Denotabatur ergo qualiter Pontifex tenebatur ferre iudicium, nempe, ex æquò partium ius aspiciens, & absque acceptione personarum. Id explicuit Philo Hebræus lib. 3.
Philo Hebr. de vita Moysis, dum ait : *Voluit autem Rationale illud quadrangulum eſſe pulchrè ſubindicans, oportere rationem, tum naturæ, tum hominis inconcuſſam eſſe, ac ſolidam.* Quod est, dicere: non agitetur, nec affectu sanguinis, nec munerum largitionibus corrumpatur iudicis animus, sed semper secundùm iustitiam operans firmus, & inconcussus persistat. Hoc etiam expressum erat in gemmis Rationalis, in quibus nomina filiorum Israël fuerant sculpta, cùm ex æquo ab ipso continerentur : innuens per hoc, præsules, aut iudices quantùm est ex se æquali animo, & affectu omnes subditos debere amplecti, diuersimodè tamen diiudicans secundùm diuersam meritorum qualitatem, nullatenus personas respiciens, sed leges, & iura inuiolabiliter obseruans.

Vers. XVII. Ponéſque in eo quatuor ordines lapidum : in primo erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus.

EXPOSITIO LITTERÆ.

RATIONALIS ornatum, & pul- 1.
chritudinem prosequitur facet textus, dicens : *Pones in eo quatuor ordines lapidum.* Huic ornatui præter variam auri, & colorum texturam duodecim gemmæ miro artificio, ordine inhærebant inclusæ, quælibet in singulis palis aureis, quemadmodum in annulis poni solent. In his

nomina duodecim filiorum Iſraël inciſa erant inciſione, qualem in antiquis ſigillis gemmarum inditam videmus, quæ longè aliorum artificum exemplum ſuperaret. Ita Abulenſ. hîc. In expoſitione litteræ ex D. Iſidoro. lib. 16. Ethymolog. cap. 7. Emanuel Sa ad hunc locum. Ribera de veſtibus ſacerdotalibus cap. 11. Arias Montan. in deſcriptione ſacratum veſtium, & communiter interpretes.

Iſidorus. Abulenſ. Sa. Ribera. Arias Mont.

2. Caietanus ad hunc locum aſſentitur præfatis; ſed addit inſuper, quatuor iſtos ordines lapidũ ita eſſe artificiosè diſpoſitos, vt in vnaquaque ſerie eſſent tantùm tres gemmæ. Cùm igitur tantùm eſſent quatuor ordines ternarij, & Rationale figura quadrangulari gauderet, affirmat maiorem eſſe diſtantiam inter lapidem, & lapidem vnius ordinis, quàm diſtantiam inter lapides primi ordinis, & ſecundi. Quia ab imo vſque ad ſummum erant quatuor lapides; inter dextrum autem, & ſiniſtrum tantum erant tres.

Caietan.

QVÆSTIO XIX.
Litteralis.

Num in gemmis vires, & virtutes reperiantur innatæ ad peculiares effectus producendos?

3. INnumeris mirabilibus abundat natura rerum, ſed inter hæc gemmæ, & lapides, quos pretioſos vocant, non minimum locum ſibi vendicant. Gemmarum origo ex calore ſolis prouenit, qui virtute radiorum in rupibus, & ſubterraneis eas producit, ſicut aurum, argentum, & alia metalla, & tot animalum genera. Eſt ergo gemmarum cauſa efficiens prima, & ſuprema Deus optimus, & creator omnium: ſecunda ſol, inſtrumentalis eius calor. Nam licèt aliqui contenderint, cryſtallum, & beryllum virtute frigoris produci; tamen Doctor Laguna in Dioſcoridem lib. 5. cap. de alabaſtro, & Gaſpar de Morales in ſuo lapidario libro 1. cap. contrarium probant, & tenent. Cauſa materialis gemmarum eſt terra radiis ſolis purificata, & cum aqua mixta: Formalis eſt vniuſcuiuſque gemmæ vltimum complementum, aut forma corporea vita carens, innatam propenſionem habens ad diuerſos effectus præſtandos iuxta diuerſitatem eius. Nec alio modo rei abditæ natura explicari valet quàm per effectus, quemadmodum Ariſtote. lib. 2. de Anima cap. 11. eſſentiam animæ explicuit, dicens; *Eſt quo primo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Cauſa finalis gemmarum multiplex poteſt eſſe. Nam creatæ fuerunt ad vſum Medicinæ: deinde, vt legis veteris ſacerdos ſummus illis ornatus ſplenderet: Inſuper vt Pontifices Euangelici, reges, & proceres ornarentur illis, & ob alios fines.

Ariſto.

4. His ita prælibatis vocamus in dubium: An inſint gemmis virtutes peculiares ad aliquos effectus? Caietanus, & Oleaſter ad hunc locum contempſerunt, duodecim gemmarum Pectoralis nomina indagare, & proprietates, eo quòd apud Hebræos gemmarum, animalium, & auium ignota eſſe cogitarunt.

Caiet. Oleaſter.

Sed miror, Caietanum, & Oleaſtrum, aliàs viros doctiſſimos defeciſſe in hoc, & tractatum gemmarum contempſiſſe, à tot patribus, & doctoribus approbatum. Nam D. Hieronymus lib. 9. in Ezech. cap. 28. & libro 15. in Iſaiam cap. 54. Laudat libellum à B. Epiphanio de gemmarum natura, & proprietatibus conſcriptum, his verbis: *De natura autem duodecim lapidum aut gemmarum, non eſt huius temporis, dicere. cùm & Græcorum plurimi ſcripſerint, & Latinorum. E quibus, duos tantum nominabo, virum ſanctæ, & venerabilis memoriæ Epiſcopum Epiphanium; qui inſigne nobis ingenij, & eruditionis ſuæ reliquit volumen: & Plinium ſecundum eundem apud Latinos oratorem, & Philoſophum; qui in opere pulcherrimo naturalis hiſtoriæ triceſimum ſeptimum librum, qui & extremus eſt, lapidum, atque gemmarum diſputatione compleuit.* Succedat Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 16. vbi commendat notitiam animalium, lapidum, & herbarum, de quibus in ſacra pagina fit mentio, dicens: *Rerum autem ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignoramus, vel animalium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumue rerum, quæ plerumque in ſcripturis ſimilitudinis alicuius gratia ponuntur.* Et ſtatim, cùm ſerpentum naturas explicuiſſet, proſequitur: *Sic lapidum, ſic herbarum, vel quæcumque tenentur radicibus. Nam & carbunculi notitia, quod lucet in tenebris, multa illuminat, etiam obſcura librorum vbicumque propter ſimilitudinem ponitur; & ignorantia berylli, vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores.* Omitto aliorum patrum, & auctorum non infimæ notæ quàm plurima non contemnenda teſtimonia, ne moleſtus ſim, cùm cupio eſſe gratus; referam tamen loca, vt ad ea remittam lectorem. Agunt de gemmis Diuus Iſidorus lib. 16. Ethymolog. pluribus cap. Anaſtaſius Niſſenus quæſt. 38. in 1. tom. Bibl. vet. Patr. Rabbanus lib. 17. de rerum naturis. Plinius lib. 37. naturalis hiſtoriæ multis capitibus. Vtraque Gloſſa ad cap. 28. Exod. Abulenſ. ibidem. Sixtus Senenſ. lib. 3. Bibl. & lib. 2. verbo *Pontificalis.* Ribera de veſtibus ſacerdotalibus cap. 11. Barradas tom. 2. lib. 3. a cap. 43. vſque ad 51. incluſiuè. Arias Montanus lib. de Aaron, & veſtibus ſacerdotalibus. Pamelius in annotationibus in lib. 2. contra Marcionem num. 64. Martinus Stephanus de templo Salomonis. Bartholomæus Angliæ de proprietatibus gemmarum. Mardobæus Gallus in ſuo lapidario. Franciſcus Ruelus de gemmis. Gaſpar de Morales in ſuo lapidario, qui quàm plurimos citat, qui ex profeſſo de lapidibus pretioſis diſputarunt. Non igitur iſte tractatus contemnendus eſt.

Hieron. Auguſt. Iſidorus. Anaſtaſ. Niſſen. Rabban. Plinius. Gloſſa. Abulenſ. Sixtus Senenſ. Ribera. Barradas. Arias Mont. Pamelius. Martinus Stephan. Bartholom. Angliæ. Mardob. Gallus. Gaſpar. de Moral.

5.

6. Ex his haud difficile erit, reſpondere quæſito. Primùm aſſertum eſt: in gemmis, & lapidibus pretioſis reperiri virtutem, & efficacitatem ad effectus mirabiles præſtandos, ſecundum diuerſam naturam vniuſcuiuſque gemmæ. Ita diſertis verbis docent authores relati, vt apertè conſtabit, cùm de ſingulis agemus.

Secundum

7. Ioannes Eusebius. Secundum assertum est: in gemmis non reperiri hanc virtutem ex diuersa constellatione, aut ex distincto stellarum influxu. Ita Ioannes Eusebius Nieremberg. in sua Philosophia curiosa, libro tertio, capite quarto, & quinto, in sententia insignium Astronomorum. Et Diuus Ambrosius libro quarto Hexameron, capite quarto Astrologiam reprehendit. Nam quæ connexio potest esse inter cancrum, & achatem: inter leonem, & topazium, &c. Certè hæc omnia Astrologorum somnia sunt. Nam hæc connexio, vel desumitur à figuris Stellarum, vel à subiectione, quâ habet gemma, illi stellæ, quæ in eam influit. Si primum dicas, est superstitiosum: si secundum, incertum, vel falsum, vel saltem fallibile. Primum; quia figuræ, quas constellationibus attribuunt, sunt imagininariæ, non naturales. Ergo non possunt influere naturaliter: quia nostra imaginatio Stellis tribuere non potest nouam virtutem; præsertim, quia huiusmodi figuræ apud diuersas nationes diuersæ fuerunt. Nam Græci, & Romani diuersimodè depinxerunt nobis firmamentum, quàm Indi, & Persæ: vt eruditè probat Ioannes Eusebius citatus. Deinde quia sic nostrum arbitrium, Stellas diuersis figuris picturans, virtutem illis conferret ad influendum in gemmas. Quod videtur ridiculum.

8. S. Thomas. Tertium assertum est: in gemmis non reperiri virtutem: & efficaciam ad attrahendam voluntatem, hoc enim cum libertate nostri arbitrij pugnat. Nam humana voluntas (teste sancto Thoma prima secundæ, quæstione sexta, articulo quarto,) non potest pati violentiam in actibus elicitis ab ipsa. Quapropter, valde miror, viros aliàs doctos gemmis attribuisse virtutem ad excitandum amorem, ad conseruandam amicitiam, & ad alios effectus, qui nostræ voluntatis subduntur imperio. In hac re, cùm de gemmarum agitur virtute, summa attentione loquendum est; ne diabolica serpat superstitio. Solùm eis iudico effectus attriduendos fore, qui per naturam fieri non repugnant, à viris sanctis probatos, & qui superstitionem non redolent. Mirabilia sunt in natura: de lupo sic scribit Ambrosius libro 6. Ambros. hexameron, cap. 4. *Lupus, si prius hominem viderit, vocem eripit, & despicit eum tanquam victor vocis ablatæ. Idem si se præuisum senserit, deponit ferociam, non potest currere.* Deinde ibidem, sic de Leopardo prosequitur: *Quid dicam, allio homines delectari, & illud ad escam sumere, quod, & leopardus fugit? Denique sicubi allium aliquis confricandum putauerit, leopardus inde exilit, nec resistit. Cuius venenata fera odorem non potest sustinere, id tu pro cibo sumis, & visceribus infundis internis.* Ecce qualiter lupus per virtutem occultam vocem aufert, & allium reprimit leopardum, & fugat; gemmæ virtutibus occultis pollent, quibus mirabiles effectus præstare possint.

QVÆSTIO XX.
Litteralis.

An insit in gemmis naturalis virtus ad dæmones effugandos?

9. PAræsens controuersia procedit, ex eo quòd plurimi Authores, qui gemmarum naturas inuestigarunt, pleno ore asserunt, in quibusdam inesse virtutem, & efficaciam ad dæmones effugandos. Hîc ergo operæ pretium examinandum duxi; an tali virtute gemmæ sint præditæ, & quo sensu hoc sit intelligendum, ne, cùm agimus de effugandis dæmonibus, aliqua superstitione doceamus, illos aduocare.

10. Prima sententia asserit in gemmis (sicut in aliis rebus) inesse virtutem physicam, & naturalem ad dæmones expellendos, & effugandos, non è quatuor elementorum compositione pendentem, sed ex tota earum substantia, & ex proprietate à Deo indita in primordio rerum. Ita docent Petrus Gregorius Tolosanus syntagmatis iuris lib. 34. cap. 22. Franciscus Georgius in problem. Pererius in Genesim cap. 24. num. 46. Faius in energumenico. Raymundus Lullus, Guido, & Brauus Chamisius apud Maura de incantat. sect. 1. c. 2. & Martinus del Rio lib. 6. Disq. Magicar. cap. 2. sect. 2. quæst. 3. qui plures refert Authores. Ratio eorum est; quia sicut præuisis morbis Deus Medicas qualitates prouidit in rebus: ita præuisis diaboli infestationibus contra eas medicamenta præuenit. Rursus quia congruum erat, vt superbissimi spiritus rebus corporeis punirentur.

Pet. Gregor. Franc. Georg. Pererius Faius. Raymun. Lullus. Guido. Brauus Chamisius. Maura. Martinus del Rio.

11. Secunda sententia tenet, in rebus corporeis nullam inesse virtutem ad directè agendum in dæmones, atque adeò nec in gemmis reperiri. Ita sanctus Thomas citatus à Sanctio in cap. 6. Tobiæ; Del Rio loco nuper citato adducens Henricum de Hasia, & Abulensem. Theophylus Reynaudus in Theologia naturali, distinct. 2. quæst. 2. art. 2. num. 53. Ioannes Eusebius Nierembergius in Philosophia curiosa, lib. 1. c. 49. Serarius, Menochius, Tirinus, Gordonus, Mudè, Fabian. Iustinianus. Francisc. Picus lib. 7. de prænot. c. 4. & præ cæteris noster Abulensis in lib. 1. Reg. cap. 16. quæst. 40. qui hac ratione, & his verbis hanc sententiam confirmat: *Quia semper*, inquit, *virtus agentis est maioris efficaciæ, quàm res patiens, alioquin non sequeretur operatio. Sed dæmon est maioris potestatis, quàm quæcumque res corporalis, quia dicitur, Iob. 41. Non est potestas sub Cœlo, quæ comparetur ei, & intelligitur de dæmone. Ergo non potest aliqua res corporalis in eum agere, vel expellere de corpore.* Idem docet q. 42. & 44.

S. Thom. Del Rio. Henricus Hasia. Abulens. Theoph. Eusseb. Serar. Menoch. Tirinus. Gordonus. Mudem. Iustinian. Francis. Picus. Abulens.

12. Probatur secundò: Quia si gemmæ, aut aliæ res corporeæ haberent efficacitatem physicam ad expellendos dæmones; vel hoc efficerent immediatè per seipsas, vel per earum qualitates: sed neutro modo id præstare possunt: Ergo tali virtute sunt exutæ. Maior huius discursus est certa: nam nullo alio modo sunt operatiuæ

ratiuæ ſubſtantiæ. Minor oſtenditur. Quia inter agens, & paſſum debet eſſe aliqua proportio: ſed inter gemmas, & alia corporea, & dæmones nulla eſt proportio, cùm illæ ſint corporeæ, iſti ſpiritus: Ergo gemmæ, phyſicè nihil poſſunt agere in dæmones actione phyſica, & reali. Ob hanc rationem valde deſudant Theologi in aſſignando modo, quo corporeus gehennæ ignis poſſit ſpirituales dæmones torquere. Non ergo in gemmis reperitur virtus phyſica ad directè dæmones effugandos.

Tertia ſententia docet, in gemmis aliquam ineſſe virtutem, quæ indirectè agat in dæmones hominem infeſtantes. Eam tenent Pariſienſes lib. de vniuerſ. Carthuſianus in cap. 8. Tobiæ. Franciſcus Victor. relect. de Magia, quæſt 6. Zacharias Vicecomes. d. operis, part. 1. tractatu de remediis corporalibus. Leuinus Lemnius lib. de occultis naturæ miraculis. Valleſius cap. 28. ſacræ Philoſophiæ, Baptiſta Codroneus, & alij plures, quos citat, & ſequitur Rel Rio loco citato. Tenet etiam diſertis verbis noſter Toſtatus vbi ſuprà quæſtione 44. Serarius, Sanctius, Menochius, Tirinus, Euſebius Nieremberg, Fabian. Iuſtinianus, Theophylus Reynaudus citati pro ſecunda ſententia. Sybillanus decade 3. cap. 8. allegans Turrecremaram, & Lyranum. Item Mengus in flagello dæmonum, c. 3. Binsfeldius tract. de confeſſionibus maleficorum, dub. 3. concluſ. 11. & 12. Angelus verbo, *ſuperſtitio*, num. 6. & alij, quos ſpeciatim referemus, cùm de ſingulis gemmis agemus. Ratio, qua hæc fulcitur ſententia, eſt, quia dæmon ſæpe adiuuatur non bona hominis temperie ad exagitandum illum. Ergo hæc vis, aut impulſus dæmoniacus ſuperari poteſt virtute naturali, quæ ineſt gemmis, & aliis medicamentis ad humores temperandos, & mitigandas paſſiones, ita vt minus ſubiiciantur actioni dæmonum. Quis enim negabit in gemmis ineſſe virtutes à natura inſitas, & ſpeciale temperamentum, quibus aliarum rerum operationes oppugnare, & deuincere poſſint? Multi enim lapides pretioſi, & herbæ malitiam veneni deuincunt, vt experientia docet, cùm ex eis conficitur antidotus. Cùm ergo dæmon multoties hominibus moleſtiam inferat actiua paſſiuis applicans, & hæc per qualitates operentur: ſunt in rerum natura (quæ nihil fruſtrà fecit) alia agentia talibus qualitatibus, & virtute prædita, quæ, illa, quibus dæmon vtitur, deuincant, corrumpendo eorum qualitates, & impediendo eius operationes. Eiuſmodi ſunt gemmæ, herbæ, & aliæ ſubſtantiæ corporeæ, & hoc eſt indirectè agere in dæmones, quia eorum operationes fruſtrant. Hac ratione vtitur Abulenſis loco citato, quæſt. 44. ſic etiam 1. Regum, 16. modulatè Dauidis cantilenâ leuabatur Saül à dæmonis vexatione (licèt ibi ſupernaturalis virtus interfuerit, vt expreſsè Abulenſis ibi, quæſt. 41.) quia tunc Saül affligebatur ſpiritu melancholico, ſed canente Dauide refocillabatur, & bene habebat: ſic etiam authores non infimæ notæ docent, hanc virtutem reperiri contra dæmones in ruta, thaſia, artemiſia, hypericon, gemmis, & aliis rebus, vt late Maura, & Del Rio citati. Ob hæc ſecundæ, & tertiæ ſententiæ libenter aſſentior: nam prima ſolùm probat, quod tenet tertia. Hæc generatim dicta ſunt, prout ad præſens ſpectat inſtitutum: qui pluta deſideret, adeat relatos authores.

Pariſienſ. Victoria. Zacharias. Leuinus. Valleſius. Codroneus. Del Rio. Abulenſ. Sanctius Menoch. Tirinus. Euſebius. Iuſtinian. Theophyl. Sybillanus. Turrecremata. Lyra. Mengus. Binsfeldius. Angelus.

QVÆSTIO XXI. Litteralis.

Vtrùm lapides pretioſi relati, cap. 28. Ezechielis, & cap. 21. Apocalypſis, ſint idem cum relatis capite 28. Exodi?

RAtio dubitandi non contemnenda in præſentiarum eſt, quia ab Ezechiele cap. 28. numero 13. ſolum nouem gemmæ referuntur. Sic enim ait ſacer textus: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum: ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolitus, & onyx, & beryllus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus.* Inſuper Exodi 28. à num. 17. vſque ad 20. hæ gemmæ annumerantur: *Sardius, topazius, ſmaragdus, carbunculus, ſapphirus, iaſpis, ligurius, achates, amethyſtus, chryſolitus, onychinus, & beryllus.* Tandem Apocalyp. 21. num. 19. & 20. totidem narrantur, ſed aliquot à relatis diuerſæ. *Fundamentum primum, iaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, Calcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolitus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopaſus: vndecimum, hyacinthus, duodecimum, amethyſtus.* Ex his liquet à Ioanne non referri omnes gemmas Pectoralis, tametſi nonnullas in medium proferat. Nam *calcedonius, ſardonyx, chryſopaſus, & hyacinthus* Pontificis pectus non ornabant. Diuerſæ ergo fuerunt gemmæ Rationalis ab eis, quæ cœleſtis Hieruſalem fuerunt fundamenta. Deinde vires reſumit dubitandi ratio: quia ab Ezechiele, vt vidimus ſolùm nouem referuntur; in cap. 28. Exodi duodecim narrantur. Ergo non omnes gemmæ ab Ezechiele, & à Ioanne relatæ fulſerunt in pectore Sacerdotis. Sic ſenſere Andreas Cæſarienſ. in Apocalypſim, capite 66. & Aretas ibidem, capite 67. 13. Ezech. 28. n. 13. Exod. 28. à n. 17. Apocal. 21. n. 19. & 20. Andr. Cæſar. Aretas.

His non obſtantibus, ſit primum aſſertum: eaſdem fuiſſe gemmas, quibus in pectore micabat Aaron, & quibus fundata fuit Eccleſia Apocalypſis 21. ſic non ſemel aſſeruit Diuus Hieronymus in c. 28. Ezechielis. Sequitur ipſum Pamelius in annotationibus in lib. 2. contra Marcio. Tertulliani num. 64. dicens in Apocal. 21. pro carbunculo, lygurio, achate, & onychino commemoratis Exodi 28. Græcè & Latinè exponi, calcedonius, ſardonyx, chryſopaſius, & hyacinthus. Idem docuit Alcazar in cap. 21. Apocal. notat. 27. 14. Hieron. Pamel. Alcazar.

Tota ergo difficultas huius aſſerti ſedabitur, ſi has gemmas relatas à Ioanne vniuocemus cum relatis Exodi 28. Diuerſitas videtur eſſe inter calcedonium, ſardonycem, chryſopaſium, & hyancinthum, quia hæ non obti- 15.

nebant

nebant locum in Rationali, si prima facie, aut sonitu syllabarum considerentur, verum in re pro eisdem debent vsurpari. Incipiamus ergo à *Calcedonio*: hæc gemma eadem est cum carbunculo. Sic Andreas Cæsarienſis in Apocalip. cap. 66. Aretas ibid. cap. 67. & Alcazar citatus. Rursus: *Sardonyx* onychino lapidi correspondet. Sic docet Cæsarienſis Andreas, quatenus asserit cap. 66. in Apocalipsim, sardonychem vnguis humani referre colorem; quod de onychina gemma suo loco dicemus ex Plinio, Isidoro, & Abulensi. Nam, vt optimè notat Alcazar in cap. 21. Apocal. notatione 15. in sacris litteris onyx non distinguitur à sardonyche; quia Iob. 28. num. 16. vbi *Sardonychem* legimus, apud Septuaginta *Onyx* reperitur. Et Exod. 28. num. 9. vbi de gemmis in vtroque humero Pontificis insertis sermo est, lapides onychini assignantur; apud Iosephum autem lib. 3. Antiq. cap. 8. sardonyca leguntur. Quod confirmat Viegas in cap. 21. Apocal. sect. 3. asserens, sardonichem participare onychis, & sardij naturam, vnde dicta est sardonyx. Ex quibus omnibus satis liquet, sardonychem onychis esse speciem. Quare non est mirum quod in sacris litteris species pro genere vsurpetur, vt sic sardonyx cœlestis Hierusalem quintum fundamentum onychi Rationalis Pontificij correspondeat.

Andreas Cæsar. Aretas. Alcazar. Septuag. Iosephus.

16. Insuper *Chrysopaso* correspondet Achates Rationalis. Ita tenet Alcazar citatus notat. 27. Nam vt inquit Rueus, Achates probatissimus Leoninæ pelli similis existit: quo etiam colore radiat chrysopasus, vt tenet Andreas Cæsarienſis citatus dicens: *Chrysopasus, qui auri colorem auro ipso altius imbibit.* Fateor, apud nullum authorem, qui de gemmis instituerit tractatum legisse, chrysopasum inter Achates annumerandum; at propter tantam coloris similitudinem eum possumus reducere ad Achatem. Tandem *Hyacinthus* ligurio Rationalis correspondet. Ita D. Epiphanius de 12. lapidibus, & D. Hieronymus epistol. 128. ad Fabiolam. His omnibus satis constat, lapides Rationalis correspondere gemmis cœlestis Hierusalem relatis cap. 21. Apoc.

Alcazar. Rueus. Andr. Cæsar. Epiphan. Hieron.

17. Restat modò has gemmas cum annumeratis ab Ezechiele cap. 28. concordare. In hoc capite solùm nouem referuntur: verùm si rem hanc secundùm stylum scripturæ Sacræ perpendamus, haud difficile sedabitur hæc lis. Nam tamersi Propheta nouem gemmas dumtaxat annumeret, tamen per eas duodecim possumus intelligere. Quia (teste Augustino super Psalmum 86.) duodenarius numerus vniuersitatem quandam significat: vnde per duodecim gemmas non absurdè earum vniuersitatem possemus intelligere. Vt ergo denotaret Propheta, diadema regis Tyri (de quo ibi erat sermo) ornari duodecim gemmis Rationalis, earum vniuersitatem præmisit, dicens: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*: vt duodecim designaret. Quod satis superque explicuerunt Septuaginta, siquidem expressè retulerunt omnes gemmas Rationalis eodem ordine ac referuntur Exod. 28. sic enim apud septuaginta legimus Ezechiel. 28. n. 13. *Omni lapide bono circundatus es, sardio, & topazio, & smaragdo, & carbunculo, & sapphiro, & iaspide, & argento, & auro, & ligurio, & achate, & amethysto, & beryllo, & onychino.* Nec dissentit D. Hieronymus, quatenus per lapides, quibus diadema huius regis fulgebat, duodecim intelligit Apostolos. Ex his omnibus satis constat, tam in cap. 28. Exodi, quàm in Ezechielis 28. & Apocalypsis 21. de eisdem gemmis haberi sermonem.

Aug. Septuag.

Placet antequam hinc discedamus, vt magis ac magis mysterium duodenarij numeri eluceſcat, quæstionem quandam à Tertulliano lib. 4. contra Marcio. cap. 13. in medium afferre. Sic inquirit Septimius: *Cur autem duodecim Apostolos elegit, & non alium quemlibet numerum?* Respondet ipse. *Ne & ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantùm vocibus Prophetarum, sed & argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud creatorem deprehendo: duodecim fontes Elim: & duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaronis; & duodecim lapides à Iesu de Iordane electos, & in arca testamenti conditos; totidem Apostoli portendebantur, proinde, vt fontes, & amnes rigaturi aridum retro, & desertum à notitia orbem nationum, sicut & per Isaiam: ponam in terra inaquosa flumina. Proinde, vt gemmæ illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus Pontifex Patris. Proinde, vt lapides, solidi fide, quos de lauacro Iordanis Iesus verus elegit, & in sacrarium testamenti sui recepit.* Idem docuit D. Gregor. Magnus in cap. 38. Iob cap. 9. & Andreas Cæsarienſ. cap. 66. in Apocal. duodecim Apostolis accommodans duodecim gemmas annumeratas in capite 21. Apocal. quem sequitur Aretas ibidem. cap. 67. De quibus sacris Apostolis, prout ab his authoribus agitur, instituemus sermonem secundùm accommodationis ordinem. Interim tamen expende, à Tertulliano, Gregorio, Andrea Cæsarienſi, & Areta agnosci concordiam inter gemmas Rationalis, & cœlestis Hierusalem.

18. Tertullian. Gregor. Andr. Cæsar. Aretas.

De gemma sardio.

Duodecim gemmæ Aaronis ornabant Pectorale per quatuor series, & ordines distributæ. *In primo versu:* id est, in prima linea, vel serie tres gemmæ auro inclusæ sibi vendicabant locum, nempe, sardius, topazius, & smaragdus. In sardio nomen Rubem primogeniti Iacob: in topazio Simeonis: in smaragdo Leui erat incisum opere cælatoris. De his tribus gemmis agit sacer textus mentionem in hoc versu 17. & nos vt interpretis, etsi indigni, munus adimpleamus, tam in sensu litterali, quam morali agemus.

19.

Hæc gemma (teste Bartholomæo Anglico lib. 16. de proprietatibus gemmarum cap. 89.) quanuis sit pretiosa, & pulchra, à multis reputatur nouissima inter gemmas. *Sardius*, in Hebræo, *Odem*, dicitur, à verbo, *Adam*, quod significat *rubrum*. Est gemma rubei coloris. Arias Montanus putat, nomen accepisse à sanguine cuius colorem refert, esseque eumdem cum nostro *Rubino*: id probat ex versione Chaldaica, vbi habetur *Zzamcam*, id est, rubrum,

20. Barth. Anglus. Arias Mont.

brum, & maxima proprietate, quia in ea nomen *Rubem* erat ſculptum, vt docent D. Iſidorus lib. 16. Ethymologiarum cap. 8. Abulenſ. hîc, Montanus, Sa, Ribera, Cornelius à Lapide & alij. Circa colorem eius idem tenent Abulenſ. ex Iſidoro loco citato, Bartholomæus Anglicus & alij, à quibus non diſſentit Plinius lib. 37. cap. 7. cum ait, hunc lapidem igneam habere ſpeciem, & tranſlucere. Ribera cap. 11. de veſtibus ſacerdotibus, Rubem primogenito Iacob hanc gemmam accommodat, quia priùs igne libidinis accenſus ad patris concubinam accedens paternum ſtratum maculauit, & ſicut hic lapis tranſlucet, ita & eius incæſtus patri fuit notus Geneſ. 35. num. 22.

Iſidorus. Abulenſ. Sa. Ribera. Cornel. Plinius. Riberan.

21. Nomen huius gemmæ eſt *Sardius*; quia, vt ait Iſidorus, Plinius, & alij communiter, à ſardibus reperta ſit. Laudatiſſima circa Babiloniam reperitur: de ea Anaſtaſius Niſſenus quæſt. 38. ex D. Chryſoſtomo ſic ait: *Lapis ſardius, qui eſt appellatus Babilonius, eſt quidem igneus, & ſanguineus: naſcitur in terra Babilonis apud Aſſyrios, eſt perſpicuus, & vim habet medendi, eo vtuntur Medici ad tumores pellendos.* Teſte Plinio etiam aliis in locis reperitur, ſicut in Paro, & Aſſo: in India trium generum: inueniuntur etiam & circa Ægyptum, quæ bractea aurea ſubliniuntur. Tandem refert idem auctor nullam eſſe inter gemmas, quæ tardius ſuffuſo humore hebetetur, oleoque magis, quam alio liquore.

Iſidorus. Plinius. Anaſtaſ. Niſſen.

22. Huius gemmæ virtutes ſunt; gaudium accendere, timorem depellere, acuere mentem, audaciam nutrire, & maleficiis reſiſtere. Ita refert Abulenſis hîc ex Dioſcoride. Has vires ei adſcribunt Georgius Agricola lib. 6. de natura foſſilium. Plinius citatus, Mardobæus Gallus in ſuo lapidario, Camilus Leonardus lib. 2. de lapidibus, Pelbarto de Temeſuar in 4. ſentent. Gaſpar de Morales in ſuo lapidario lib. 2. cap. 6. & Martinus Stephanus in compendio Salomonis cap. 37. Andreas Baccius de gemmis cap. 2. Circa virtutem huius gemmæ notat præter dictas Bartholomæus Anglicus citatus, ſardium valere contra onychem. Nam Onyx, qui dicitur, quaſdam habere nociuas qualitates, non poteſt eas in præſentia ſardij producere ad effectum.

Abulenſ. Diſcorid. Greg. Agric. Plinius. Mardobæus. Camilus Leonard. Pelbarto. Morales. Marti. Stephan. Baccius. Barthol. Anglic.

23. Andreas Cæſarien. in comment. in Apocal. cap. 66. prædicta confirmat, & B. Philippo Apoſtolo hanc gemmam correſpondere in fundamentis cœleſtis Hieruſalem. Audi eius verba: *Per ſardium, qui fulgido pellucidoque colore ignem æmulari, & vim tumores, & vulnera per ferrum inflicta ſanandi ſortitur, virtutis pulchritudinem Apoſtoli Philippi deſignari arbitror.* Idem docuit Arethas in Apocal. cap. 67. dum ait: *Sextus eſt ſardius. Hic fuluo colore proſiliens, Philippum propter ignitum erga Chriſtum affectum demonſtrat.*

Andr. Cæſa. Arethas.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CXVII.

Peccatoris conatus eſt, peccatum abſcondere: ſed peccati propenſio eſt manifeſtum ſe facere.

SEmper dæmon cum incitat ad peccandum, ſuadere intentat, peccatum ignorandum ab hominibus: at poſtquam commiſſum eſt, velut tuba prædicat. Ob hoc Chromatius Aquileienſis in cap. 5. Matthæi, ſic dæmonis calliditatem declarat, vt caueamus ab eius inſidiis: *Ipſe ſuaſor, ipſe accuſator ſuadet, vt decipiat; accuſat, vt damnet.* Suadet peccatum, & poſt admiſſum accuſat; ecce quomodo decipit. Qui ſuadebat, accuſat; ecce quomodo diuulgat. Sed ſuperfluit dæmon: nam ipſum peccatum talis eſt naturæ, vt, quanuis remotis arbitris patretur, ipſum ſeipſum palam manifeſtum faciat. 24.

Chromat. Aquile.

Perſuaſerat diabolus proditori diſcipulo, vt traderet filium Dei; auaritia ductus, & cupiditate allectus amoris ſignum vertit in ſignum proditionis, vt lateret delictum. Quid inde? Sæuit in filium Dei Iudæorum inuidia, morte turpiſſima condemnat; & tunc Iudas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus dicens: peccaui tradens ſanguinem iuſtum: *Et proiectis argenteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. num. 4. & 5. Drogo Hoſt. de Paſſione Domini, non expendit proditoris collegæ nequitiam, & miſerrimam infelicitatem; ſed quam ſtolide à ſua malitia fuerit captus. Putabat oſculo pacis ſuam ſimulandam malitiam: (forſan ſi crederet, ſuum detegendum peccatum non admitteret proditionem) at admiſſa ſemel, patrataque ipſa proditorem declarat. Nam illa verba: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*, non conterentis, ſed peccati fuerunt, vt quod clam commiſerat, poſtea neminem lateret. Audi Drogonem: *Proiecit eos in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Iam diu erat quidem quod à Chriſto receſſerat, & auaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat: ſed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Quid non fecerat Iudas, vt ſuam cælaret nequitiam? Qualem non mouit lapidem, vt ſuum obumbraret flagitium? Melle lito gladio mortale infligebat vulnus, & oris amicabili oſculo cordis virus cælabat. Sed miſerè à propria noxa deluſus, *Quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit.* Ea eſt enim peccati proprietas, vt ſeipſum prodat, tacentibus omnibus, & loquente nemine. 25.

Mat. 27. n. 4. & 5.

Ibid. n.

Drogo Hoſt.

Nefario edicto tyrannicè iuſſit Pharao, Hebræorum infantes malculini generis in Nilum proiicere, vt ſic latenter abſque effuſione omnium ſanguinem effunderet, & vndarum velamine ſuam occultaret tyrannidem. Vix in hanc lucem exibat infantulus, cum inter Nili fluenta non lac, ſed immaturam fugebat mortem. Exod. 1. num. 22. *Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo dicens: quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid fœminini* 26.

Exod. 1. n. 22.

menini reſeruate O immane flagitium! O dura feritas! Poſt hæc mittit Deus Moyſem ad Ægypti Regem, vt dimitteret populum; ſed induratum eſt cor Pharaonis, & Deo obedire
Exod.7.n.20 renuit. Quid inde? Tunc Aaron *Eleuans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius: quæ verſa eſt in ſanguinem.* Sed cur in ſanguinem potius quam in alium liquorem tranſmutatur aqua? Si vt ſiti oppreſſus ſimul cum tota Ægypto periret Pharao; aut vt inuitus dimitteret populum, quem vltro dimittere recuſabat; id ipſum ſequeretur, ſi aqua redderetur amara. Quare ergo chryſtallina fluenta in horribilem ſanguinem conuertuntur? Vt immane flagitium, quod commiſerat Pharao, infantulos Hebræorum inter vndas occidens, ipſæ in ſanguinem verſæ omnibus patefacerent. Sic docuit Theodoretus, quæ-
Theodoret. ſtione 19. in Exodum: *Fluuius ille*, inquit, *mutatus in ſanguinem conqueritur de cæde puerorum per eos commiſſa.* Aquæ in cruorem horribilem conuerſæ quærebantur de immanitate Pharaonis, & velut accuſantes eius ſæuam ferocitatem voces emittebant. Et ſicut Abelis ſanguis in terram effuſus clamabat de terra, Geneſis tertio, hoc eſt, nullo accuſante ipſa ſanguinis effuſio ſine voce clamabat: ſic in Ægypto aquæ in ſanguinem verſæ de tyrannide Regis conquerebantur, & flagitium, quod Pharao latenter deſiderabat committere vndarum vmbraculo, ipſæ in ſanguinem verſæ coram populo diuulgabant, quia quicumque cruorem illum portarent, regiam immanitatem ſentiebant. Sic explicuit Origenes homilia tertia in Exodum,
Origenes. dicens: *Vt is fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, authoribus ſceleris poculum ſanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerant, potando ſentirent.* Quid illuſtrius? Maculauerant Ægyptij fluminis vndas puerorum ſanguine immaniter effuſo. Meritò ergo in cruorem conuertuntur aquæ; vt cùm aquas potarent, ſanguine aſperſas, quem atrociter effuderant, ipſo tantum diuulgaretur flagitium.

27. Miſerè noſtri primi parentes in Paradiſo de-
Geneſ.3.n.7. liquerant, & ait ſacer textus: *& aperti ſunt oculi amborum: cúmque cognouiſſent, ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Geneſis 3. num.7. Diuus Bernardus apud Godofridum ad hunc locum aſſerit, hoc ipſum ſemper contingere animæ peccatrici, quæ perſuaſa à dæmone in peccatum prolabitur ſub ſpe ſilentij, & tandem ipſum ſe pro-
Bernard. dit. Accipe eius verba: *Friuolum nimis tegumen quæris anima miſera: prorſus inutile tegumentum folia ſunt iſta, quæ conſuis. Operiunt, ſed non calefiunt: cælant vulnera, ſed non ſanant. An diu tegere poterunt? Abſit. Fluent certe: & fluent folia. Ad primum radium Solis ſiccabuntur, & diſperget ea flatus tenuis aurę. Nihil enim occultum, quod non reueletur.* Quid altius? Expendit Bernardus protoparentum inſcitiam, & in eis animæ peccatricis fraudulentam fiduciam. Deliquerunt, & vix in peccatum prolapſi ſunt, cum folia ficus conſuerunt, vt propriam tegerent nuditatem, & ſuum cælarent peccatum. Sed ô friuolum tegumentum! Siquidem culpabilis actio ſeipſam oſtendit, & præco ſui facta, velut ſonanti tuba ad aures omnium peruenit. Foliis virentibus, noxam conabantur, cælare. O peccatoris inſcitiam! Aduerte, quæſo, quod ad primum Solis radium ſiccanda ſunt folia; & cum arefacta fuerint, vix tenuis aura inſufflabit, cum diſperget ea, & apparebit nuditas. Non te fallat, quod abſque teſtibus peccaturus es: ſcito, quod peccatum pauliſper coram omnibus ſe diuulgabit: neſcit abſcondi; accuſatore non indiget, quia ſeipſum accuſat. Vide qualiter tegumen, quo primi parentes ſuam operiebant nuditatem, eam aperuit. Nam folia cùm areſcunt, ſtatim decidunt; quando decidunt, diſperguntur, cum diſperſa detegunt, quæ operiebant. Sic peccatori contingit, qui tametſi totum ſtudium ponat, vt peccata tegat, ipſa ſe detegunt, & in omnium apparent conſpectu.

Audiſti ſæpe Puthiphatis vxoris luxuriantem licentiam, cùm Ioſephi caſti cupiebat amplexus. Inuerecunda fœmina iam cordis non poterat ardorem cohibere, honeſtumque iuuenem fallacibus verbis, & inhoneſtis blanditiis prouocabat ad opus: at ille caſte, & viriliter libidinis tela retundens fugit relicto pallio in manibus laſciuientis. Quid inde? Mutatur fœminæ affectus, & ex amore tranſit in odium; nam vocatis ſeruis ait illis. *En intro-* Gen.39.n.14
duxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingreſſus eſt ad me, vt coiret mecum: cúmque ego ſuclamaſſem, & audiret vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras. Geneſ. 39. num.14.& 15. Eademque retulit marito in argumentum fidei, & vt etiam in Ioſeph eius iram concitaret. Sed quam futile fuerit hoc argumentum, rem hanc penitius conſideranti patebit. Nam ſi Ioſeph luxurioſe Dominam concitaret: ad quid illa apprehendit eius veſtimenta? Nam fugere potius teneretur fœmina, ſi iuuenis laſciuiret, quam eius pallium apprehendere. Hoc alliciendi erat ſignum, non fugiendi. Ergo mulier erat laſciua, non iuuenis; ſiquidem iſte conferebat ſe in fugam, illa, ne fugeret Ioſeph, pallium eius tenebat. Ergo fallax erat argutia peccatricis. Fallax profecto, & deſipiens: nam quo caſtum iuuenem tentabat, lædere, ipſa proprij adulterij tentamenta vulgauit. Accipe Ambroſium lib.de Ioſeph, cap. 5. inſcitiam huius fœminæ expen-
dentem: *Reliquit igitur veſtimenta Ioſeph, & nu-* Ambro.
dauit adulteræ inuerecundiam, quæ poſtea latere non potuit. Denique exiuit foras, & ipſa adulterij ſui tentamenta vulgauit, exaltans vocem ſuam, eo quòd relictis veſtibus Hebræus aufugerat. Ipſa igitur, quod celare debebat, prodebat, vt compoſito certamine læderet innocentem. O vecors fœmina, teipſam iugulas! Nam quo Ioſephum accuſare tentas, eius aperis innocentiam; & quo tuam conaris celare malitiam, prodis in conſpectu mariti. Et quomodo poſſet operire peccatum, cum Ioſephi pallium tollens, eius patefecit innocentiam? Magna petebas, mulier, ſi crimen occultare tentabas. Vociferatur peccatum: imò non ſolum voces emittit, verùm vſque ad cœlos eleuat.

29. Vtriusque accipe non contemnendam confirmationem. Audierat Herodes miracula Christi Domini, & propria conscientia malè tutus putabat, Baptistam resurrexisse, & accusare infandam decollationem. Aulici autem, vt Regis sedarent animum, non Ioannem, sed Eliam
Marc.6.n.16 esse affirmabant, aut vnum ex Prophetis: *Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis surrexit.* Marc. 6. num. 16. Satis imprudenter in hoc se gesserat Rex: nam si putat Christi miracula à Ioanne patrari, sat erat dicere: Ioannes est, non Elias, aut alius ex Prophetis: cur addit insuper; *Quem ego decollaui Ioannem?* Aut ad quid tantum flagitium reuocat in memoriam? Peracutè Chrysologus
Chrysol. sermone 172. dubio satisfacit, dicens: *Maleuolo quidem, & veraci sensu testis ipse criminis sui assertor sceleris sui facinoris accusator existit.* Nescit Herodes, suum non diuulgare delictum: & qui caput Baptistæ amputauit in carcere, vt remotis arbitris tantum scelus committeret; ipse testis, & accusator sui, imò & criminis sui assertor, proprio ore fatetur, *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis surrexit.* Vide peccatoris, & crudelis Regis illusus conatus: siquidem occultè decollauerat Ioannem, vt immane crimen lateret omnes; & tamen vociferante peccato peccantis vocibus seipsum accusat.

30. Fallor, si peccati voces non pertingant vs-
Gen.18.n.20 que ad ipsum cœlum. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis*, ait Dominus Abrahamo in conualle Mambre, cùm suæ iustitiæ gladium vibraret contra Sodomam, & finitimas ciuitates. Genesis 18. numero 20. Sed liceat inquirere: qualisnam fuerit clamor iste Sodomorum, & Gomorrhæorum? An, vt diuinam compellant misericordiam vsque ad cœlos voces emittunt? Neutiquam. Nam si ad Deum clamarent contriti, exaudiret vtique, & indulgeret. Ad quid ergo iste clamor multiplicatus est? Vt proprium peccatum proderet, ait Diuus Gregorius in Glossa morali ibi-
Gregor. dem. *Peccatum verò cum voce, culpa est in actione. Peccatum verò cum clamore, culpa cum libertate.* Peccatum esse in actione, asserit Gregorius. Quid occultius est in rerum natura actione, media qua aliquis effectus producitur? Nemo vsquam vidit actum, quo calor calefacit, vel alius effectus prodit extra causas. Nam licèt effectus valeat à visu percipi, actio, qua producitur, non valet. Ad summum motum localem inter sensibilia communia annumeramus, quia visu percipitur mobile moueri; at actio, quæ formalitati motus substernitur, à nemine visa fuit. Quomodo ergo docet Gregorius, peccatum esse cum voce, si peccatum est in actione? Audiretur ergo actio, cùm prorsus sit insensibilis. Auditur certè, prout denominationem criminis sortitur. Talis namque naturæ est peccatum, vt actionem insensibilem reddat sensibilem, & audiri, & promulgari possit. Accipe Saluianum Massilienf. lib. 1. de prouidentia hunc cogitatum expressè confirmantem. *Clamor*, inquit, *Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est. Pulchrè clamorem, dixit, in se habere peccata. Grandes absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit ad cœlum.* Quasi dicat: ita peccatum nescit abscondi, vt voces emittat, quæ vsque ad cœlum pertingant. Tanto strepitu diuulgantur peccata, tametsi clam committantur; vt ipsa actio, in qua peccatum consistit, quæ insensibilis prorsus est, ob rationem, quam induit peccati, percipiatur ab omni sensu.

In *Sardio* prima gemma Rationalis nomen 31.
Rubem erat sculptum: Quia cùm Rubem primogenitus Iacob paternum stratum maculasset incestuoso concubitu, & patrem minimè lateret nefaria nequitia; æquum erat, vt illius nomen scriberetur in gemma, quæ nimis esset translucida, & quæ igneam haberet speciem. Quia sicut ignis celari non permittit, ita nec peccatum Rubem occultari potuit. Ea enim est peccati natura & proprietas, vt apud omnes se manifestum faciat.

ILLATIO CXVIII.

Mirabile est, si iniquorum consortium pios, & religiosos viros non peruertat.

NEque enim valde laudabile est, bonum esse 32.
cum bonis (inquit Gregor. lib. 1. Moral. Gregor.
cap. 1.) *sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.* Laudabilis est, qui inter bonos rectam, & rationi consentaneam vitam profitetur, sed laudabilior, qui inter malos, & sceleratos vitam non corrumpit. Hoc, ni fallor, explicuit facer textus cùm de sancto viro Noë dicebat, Genes. 6. num. 9. *Noë vir iustus, atque* Gen.6.n.9.
perfectus in generationibus suis: cum Deo ambulauit. Quid est, Noë iustum extitisse in generationibus suis, vt singulari celebretur præconio? Aut quales erant generationes Noë? Satis eas explicuit sacra pagina ibid. num. 5. cùm ait: *Videns autem Deus, quod multa malitia* Ibid. n. 5.
hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, &c. Et num. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam* Ibid.n.12.
suam super terram: id est, vt exponit Tostatus noster, quæst. 15. *Omnes homines, qui* Abulens.
erant in terra, quasi vniuersaliter. Ecce quomodo homines tunc viuebant, nempe, in vitia & abominationes prolapsi; vt exinde noscas, quales erant generationes in tempore Noë. Tunc solus ipse erat iustus, atque perfectus. Meritò ergo laudatur; quia inter malos extitit bonus. Id explicuit Origenes homil. 9. in Numeros his verbis: *Denique de Noë scriptum est,* Origenes.
quòd esset iustus, & perfectus in generatione sua. In quo ostenditur, quòd non ex integro perfectus, sed in generatione perfectus fuerit, & ad comparationem cæterorum iustus pronunciatus sit. Aliquantulùm videtur Origenes sanctitatem Noë diminuere, siquidem asserit, non ex integro esse perfectum: sed meus Abulens. loco citato Abulens.
aliter exponit, vt laudabilior existat. Quia inter omnes de linea Seth nullus inuentus fuerit iustior: nam quamuis Enoch translatus sit in paradisum, non erat iustior Noë. Hæc retuli, vt tanti Patriarchæ sanctitatem commendarem.

Verùm

Verùm si Origenis admittamus sensum dicendum est: ideo Noë ab scriptura celebrari tanquam miraculum sanctitatis; quia cùm omnes homines sceleribus, & flagitiis abundarent, ab eorum consortio non corrumpi res erat omni admiratione digna.

33. Propter eandem causam eisdem laudibus effertur sanctus Iob cap. 1. numero 1. dum dicitur: *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* Sed cur sanctissimi viri laudes incipiunt à regione? Chrysostomus in catena Græca ad eundem locum respondet his verbis: *A regione quoque illius ducitur laus; vt id quoque tibi admirationem faciat, quod ex spinis huiusmodi rosa extiterit.* Sed quid sibi vult Chrysostomus cùm sanctum Iob rosam appellat ex spinis ortam? Ipse explicat ibidem dum sic prosequitur: *In primis laudationem intuere, quod tale germen produxerit Hus regio, eiusmodi enim quendam virum frugi in Arabia reperiri, vbi omnes corrupti erant, vbi nullum non extabat exemplum improbitatis, est admiratione perquamdignum.* Proponitur Iob tanquam gratiæ miraculum, & vt hoc innotescat clarius, à patria laudes incipiunt: *Vir erat in terra Hus.* Nam in hac regione nullum non erat exemplum iniquitatis: solus Iob Deo seruiebat. Laudatur ergo, quia inter sceleratos virtutem coleret, quod est valde mirabile.

Iob. n. 1.

Chrysost.

34. In rerum exordio: *Vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris.* Genesis primo numero quarto. Notatu dignum est, priùs Deum approbasse lucem, quàm eam diuideret à tenebris: imo ideo videtur lucem à tenebris separari, quia diuina fuit sigillata approbatione. Lux inter tenebras lucens diuinum meruit testimonium. Nunc dubium insurgit: An lux à tenebris seperata pulchrior non apparuit? Cur velut admixta tenebris tanto laudatur præconio? Quia inter illas suæ pulchritudinis emittebat radios. Micabat etiam à tenebris iam discreta: sed hoc parum erat: quod fuit admiratione valde dignum, est, quòd inter tenebras rutilaret, & ab earum non obscuraretur consortio. Ideo ergo lux dicitur, diuino testimonio comprobari, antequam à tenebris diuideretur: quia inter nigrantes tenebrarum vmbras splendescere, celebritate, & admiratione erat perquamdignum.

Genes. 1. n. 4.

35. De Iosepho dilecto Iacobi filio dicitur solùm, quòd duarum tribuum gloriosus pater extiterit. Sic refertur. Genes. 41. à numero 50. vsque ad 52. cap. 46. numero vigesimo & cap. 48. numero 5. hìc narratur Ephraïm, & Manasses filij Ioseph, à Iacobo fuisse in filios adoptionis susceptos: sed cur Ioseph tanta ornatur excellentia & fratres eius ea caruerunt? Nec Rubem primogenitus, nec Leui sacerdotum origo, nec Iudas Messiæ progenitor duarum tribuum extiterunt patres: solus Ioseph hac gaudet prærogatiua. Sed cur solus Ioseph? Quia iste, non solùm in consortio Iacobi, qui sanctus erat, virtutem colebat; sed inter fratres inuidia pollentes, & lasciuiæ bestiali deditos ab eorum contagio extitit liber, vt denotat accusatio, quam anre paternum tribunal virtutis zelo proposuit. Genesis trigesimo septimo, numero secundo, vbi de Ioseph dicitur: *Accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Vbi iuxta Interlinealis expositionem: *Quod cum pecoribus miscebantur.* Deinde idem Ioseph apud Ægyptios Idololatras, cum Pharaonis esset præpositus verum Deum colebat. Præponitur ergo, & duarum tribuum pater efficitur, quia inter malos virtutem dilexit, & ab eorum malitia non fuit infectus. Sic Hieronymus Epistola nona ad Saluinam de seruand. viduitate capite secundo: *Ioseph, qui in egestate, & in diuitiis dedit experimenta virtutum, qui & seruus, & Dominus docuit animæ libertatem, non ne post Pharaonem regiis ornatus insignibus, sic Deo carus fuit, vt super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret.* Res valde mirabilis est, inter improbitatis cultores, virtutum ardere desiderio: ob hoc Daniel, & tres pueri, Mardochæus, & Hester laudibus cumulantur. Audi doctorem maximum sic prosequentem: *Daniel, & tres pueri sic præerant Babiloniæ opibus, & sic erant inter principes ciuitatis, vt habitu Nabuchodonosor, Deo mente seruirent. Mardochæus, & Hester inter purpuram, sericum, & gemmas, superbiam humilitate vicerunt, tantique fuerunt meriti, vt captiui victoribus imperarent.* Non ob aliam causam, quia inter malos bonum esse, immensi est præconij.

Gen. 37. n. 2.

Interlin.

Hieron.

In sardio sculptum erat nomen Rubem primogeniti Iacob. De hac gemma scribit Plinius, quod tardiùs suffuso humore hebetatur omnibus gemmis. Sic Rubem, quando eius fratres de occidendo Ioseph agebant, tardius humore pallido inuidiæ hebetatus est: nam sic de illo refertur Genesis trigesimo septimo, numero vigesimo primo: *Audiens autem hoc Rubem, nitebatur, liberare eum de manibus eorum, & dicebat: non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem, sed proiicite in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo*, &c. Ex quibus apertè constat Rubem minimè venditioni consensisse. Meritò ergò huius Patriarchæ nomen in sardio erat incisum quia hæc gemma ab humore tardiùs habetatur, nec huius consortium illam obscurat; sicut nec Rubem fratrem parricidalis inuidia infecit, vt Iosephi venditioni consentiret: & qui malorum consortio non maculatur magni debet haberi.

Gen. 37. n. 21.

ILLATIO CXIX.

Aliquando viri sancti exteriùs prauitatem affectant vt hypocrisim fugiant.

37. FRatres *fugiendum est virus* (dicebat Chrysolog. sermon. 7. loquens de hypocrisi) *pestilentia cauenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen.* Hæc sunt hypocrisis damna, quæ vt viri sanctiores euitent, prauitatem exteriùs affectant. Aufugientibus omnibus discipulis, cùm Iesus comprehensus,

Chrysol.

& ligatus adduceretur in domum Pontificis,
Ioan.18.n.15 ſolùm Petrus,& Ioannes ſecuti ſunt eum : *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus,& alius Discipulus : Discipulus autem ille , erat notus Pontifici , & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis.* Ioan.28. num.15. Sed ad quid Ioannes cùm de ſeipſo teſtatur, ſequutum fuiſſe Chriſtum, omnibus aufugientibus præter Petrum, refert, quòd erat notus Pontifici ? In hoc videtur Euangeliſta quodammodo ſuum erga Chriſtum amorem deuenuſtare : nam ſi iniquo Pontifici amicitiæ vinculo aſſociabatur : quî poſſet eſſe aſſecla Chriſti ? Taceat ergo Ioannes,amicum eſſe Pontificis cùm tam ardenter à Chriſti latere neſcit ſeparari. Quare ergo refert, cùm Chriſtum fideliter ſequitur, eſſe notum Pontifici ? Pulchrè reſponder Diuus Chryſoſtomus homilia 82. ad hunc locum , dicens:
Chryſoſt. *Animaduerte , quomodo propriæ laudi demit ; ne quis enim diceret , quomodo omnibus aufugientibus ipſe ingreſſus eſt ? Cauſam affert , quòd eſſet notus Pontifici ; ne quis ſe eſſe ſequutum admiraretur , neve id fortitudini adſcriberet.* Quaſi diceret : Ideo Ioannes de ſeipſo refert, quòd eſſet notus & familiaris Pontificis ; quia non ſeparari à Chriſto , & omnibus aufugientibus in atrium ingredi Pontificis , magna res erat; voluit aliquid propriæ laudis adimere, & egregium facinus iniqui Pontificis amicitia deuenuſtare : vt huic , & non amori Magiſtri attribueretur ſequela. Sic poſterorum fugiebat applauſum : ſicque ſanctiores ſuam ſanctitatem recondunt.

38. Nec aliter viſum eſt Iacobo poſt celebrem illam luctam,& contentioſum certamen,quod inierat cum Domino,à quo,tametſi accepit vulnus in femore,victoriam reportauit.Geneſ.32. n. 28. Poſt luctam ergo S. Patriarcha eleuans oculos , vidit Eſaü quadringentorum militum acie obarmatum:verum, vt vrbanitate iracundi fratris animum ſedaret,pronus in terram adorauit ſepties. Quem cùm videret Eſaü , occurrit ei ; & oſculis , & amplexibus ſalutati ſunt. Cúmque libenter Iacob omnia fratri offerret, & hic accipere recuſaret , ſummis precibus rogat , vt eum ſocium admittat itineris : cui re-
Gen.33 n.13 pondit Iacob: *Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros , & oues , & boues fœtas mecum: quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.* Geneſ.33.num.13.ſed miror Iacobum, qui paulò antea ad pedes Eſaü omnia, quæ habebat, vt paruum munuſculum obtulerat , cauſa inueniendi gratiam coram eo, nunc propter pueros , & greges ſocietatem fratris recuſare ! Quid intereſt , quòd omnia in nihilum redigantur , dum à fratre recipiat deſideratum obſequium ? Aduerte, ô Iacob,ſuſpicari poſſe Eſaü , fictè omnia fuiſſe oblata. Quare ergo ſi fratris non admittis conſortium, te excuſas puerorum tenetitate , & prægnantium grauitate ouium ? Videris ſanè aut ingrati , aut cupidi morbo laborare : ſequere ergo fratrem, ne ingenuo, & liberali animo tuo hanc notam imponas. Vel ſi non ob hanc cauſam , ſed quia vulnus in lucta acceptum tuos impedit greſſus ; cur hoc non reuelas fratri ? Aut quare rei familiaris periculo te defendis, ſiquidem ea , & cupidi, & ambitioſi notam incurris ? Puto ideo factum, quia ſi Iacob vulnus reuelaret, forſan rogaretur à fratre, vbinam illud recepiſſet ? Et ne in omnibus videretur inexorabilis, compelleretur dicere, à Domino in lucta fuiſſe inflictum.Ne ergo rebelaret Iacob, cum Deo iniuiſſe certamen, & tota nocte diuinis fruitum amplexibus : maluit cupidi,aut ingrati notam accipere,quàm tantam felicitatem aperire,& diuina beneficia, quibus fruebatur feliciter , vel proprio fratri deregere. Ea enim eſt apud perfectiores , & ſanctiores viros conſuetudo , ne ſuam reuelent ſanctitatem , exteriùs ſeipſos notandi vitiorum imagine, & ſpecie,vt ſic tutiùs quam obtinuerunt,fruantur, & vt hypocriſim fugiant , peccatorum ſimulare prauitatem.

Rogabat Ieſum quidam homo,vt filium,qui 39.
ab infantia malè torquebatur à dæmone,liberaret. Cui reſpondit Ieſus.Marc.9.n.23. *Si potes* Marc.9.n.23
credere,omnia poſſibilia ſunt credenti.Et continuò exclamans pater pueri lachrymis aiebat;credo Domine,adiuua incredulitatem meam. Dubiũ,quod hic communiter excitari ſolet,eſt:quomodo fatetur hic homo habere incredulitatem,quando ait; *Credo Domine* ? Si incredulus:ergo non credit. Aut ſi credit:ergo non eſt incredulus. Videtur ergo,fateri,quod negat.Beda ad hunc locum ſic reſponder : *Vno,eodemque tempore is,qui* Beda.
nec dum perfectè crediderat,ſimul & credebat, & incredulus erat. Eodem modo rem hanc explicat Caietanus,ibidem:*Fatetur ipſemet ſemi fidem* Caiet.
ſuam,& paulatim proficit.petendo, vt ſuppleat Ieſus id incredulitatis,quod in ſe recognoſcit. Aliter, ſed ad rem noſtram , mihi videtur, poſſe reſponderi. Fatetur ergo homo iſte ſuam incredulitatem , quando credit : vt fidem , quam Chriſti Domini verbis præſtiterat , occultaret incredulitatis ſpecie. Sic , nouirer inſtructus in fide fideles ſanctiores imitabatur, qui vt hypocriſim fugiant , ita virtutem & ſanctitatem tegunt , vt malint apparere iniuſti , quàm ſancti.

In Sardio nomen Rubem erat ſculptum.Ru- 40.
bem namque quamuis exteriùs videretur particeps parricidij , tamen Ioſeph cupiebat liberare : vt patet Geneſis 37. numero 22. Simulabat conſentire parricidio , vt pietatem tegeret , quam habebat erga Ioſephum , vt ſic è parricidalibus eorum manibus eriperet. Sic multi exteriùs impij apparent , qui interiùs pietatem exerunt , ne ſanctitatem vertant in crimen , & ne de antidoto conficiant venenum.

Illatio CXX.

Præſul ſtabili animo ſit , vt nullo metu turbetur.

ANimum præſulis nulla aduerſa fortuna 41.
turbare debet,ſi tanto muneri,qui gubernat , deſiderat ſatisfacere. Obinde Eccleſiaſt.7. num. 6. dicitur : *Noli quærere fieri iudex , niſi* Eccleſiaſt.7.
valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimeſcas faciem potentis , & ponas ſcandalum in æquitate tua. Præſul ergo æquo , forti, & magnifico animo iuſtum ſeruare debet , & nullam rerum viciſſitudinem formidare : nam qui metu

metu operatur, prope est, vt à iustitiæ, & veritatis tramite discedat. Sit ergo rector, & gubernator ad omnes casus, qui humanæ vitæ imminent, paratus contra fortunam validus, & armatus, ita vt nullo timore perturbetur.

42. Hanc animi fortitudinem, qua debet ornari præsul explicuit illud Petri. Matth. 26. num. 51. cùm perfidus Iudas cum magna turba gladiis, & fustibus instructa ingreditur il villam Gethsemani, vt traderet Iesum. Quid tunc Petrus? *Eximit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Sed cur Petrus, & non alius tanto exponitur discrimini, vt serui illius, & in eo militum puniret audaciam? Cur Ioannes dilectus tantum facinus non aggreditur, vt sui amoris præberet indicium: & solus Petrus militum arma non timet, vt defendat magistrum? Vnde Petro tam constans animus, vt timorem excutiens, hostium armis non turbaretur? Augustinus serm. 117. de tempore sic respondet: *Quia ipse accepit regni cœlorum claues, & soluendi, ligandique ipse adeptus est potestatem.* Acceperat Petrus ob cœlestem illam confessionem totius Ecclesiæ principatum, & regimen illius suæ promissum fuerat potestati. En ergo tibi; cur Petrus constanti animo hostium occurrit cohorti, innuens dedecere prælatum ob armatorum, & potentium metum egregium facinus prætermittere, & non punire insolentium audaciam.

Matth. 26. n. 51.

August.

43. Propter hoc ipsum putauit Chrysologus sermon. 78. Petrum præ omnibus discipulis, cùm dominus ad littora maris Tyberiadis se manifestasset discipulis rete pisces capientibus, in vndarum se coniecisse discrimina, vt habetur apud Ioannem cap. 21. num. 7. his verbis: *Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt.* Sed cur Petrus per tot pericula tranans portum ingreditur, cùm alij discipuli illum obtinuerunt nauigio? Si cæteri aquarum timent discrimina: cur solus Petrus timore nudato tumultuosum solicitat mare? Si flamma amoris, quæ in corde eius ardebat erga magistrum maris siccabat vndas, & timorem: cur dilectus Ioannes, & amans vndarum timore excusso natans etiam non properauit ad littus? Quare Petrus, & non alius? Perbellè Chrysologus: *Vt esset primus in reditu, qui acceperat in ordine principatum.* Tenebatur Petrus etiam per syrtes, & Carybdes portum attingere, & nullatenus timere naufragium, quia omnium principatum acceperat. Si ergo omnium clauem tenebat: quod mirum, quòd ipse solus natans scindat vndarum dorsa, non timens maris pericula, sed despiciens? Nam præsulis obligatio, si proprio muneri desiderat satisfacere, est, nulla aduersa formidare.

Ioan. 21. n. 7.

44. De Christo Domino (vt refert Matth. 21. num. 5.) cum magno triumpho Hierusalem ingrediente, prædictum fuerat à Zacharia Propheta cap. 9. num. 9. *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit*, &c. Sic apud Prophetam legimus: *Noli timere filia Sion; ecce rex tuus venit*, &c. Sed cur non dixit: noli timere filia Hierusalem, sed filia Sion? Quia Sion erat arx, aut specula, è qua & tota ciuitas, & inimicorum cognoscebatur aduentus. In hac specula prælati, & iudices signabantur. Idem enim sonat, *Episcopus*, quod speculator. Sion ergo, & non vrbi dicitur; *Noli timere*: quia prælatos, à quibus omnis pellendus est timor, præsignabat. Audi Dragonem de passione Domini: *Nondum Hierusalem, sed filia Sion, hoc est, specula. Ergo disce speculari; noli timere; quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè speculatur.* Qui speculatur, timere nesciat: nam timor oculorum turbat pupillas. Hoc est dicere: Præsul ignoret timorem, vt possit speculari, & speculata vitia punire.

Matth. 2. n. 5.

Zachar. 9. n. 9.

Drog. Hoss.

45. Præsul, qui timet, iudex, qui formidat, & iustum damnabit, & absoluet reum. Infelix ille gentis Iudaïcæ præses Pilatus huius thesis roborabit assumptum. Iudicaturus Christum supremum omnium iudicem sedebat pro tribunali, & à Domino scisciatur; an sit Iudæorum rex? Cui mitissimus respondit Iesus: *Tu dicis.* His auditis Pilatus, tametsi multa falsò Iudæi opponerent contra Dominum, negare non potuit immaculati agni innocentiam, dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Matth. 27. num. 24. D. Augustinus serm. 121. de tempore miratur, hunc præsulem Christi innocentiæ non ignarum, imo ipsam fatentem dedisse Iudæis optionem, his verbis: *Quem vultis dimittam vobis: Barrabam an Iesum? Qui dicitur Christus?* Ibidem num. 17. O inique iudex! Christi fateris innocentiam, & Barrabæ te non latent delicta: quomodo ergo illum condemnas, & istum absoluis? Non ignoras populi in Christum inuidiam, & optionem illis concedis; an Iesus, vel Barrabas dimittendus sit? *O inordinata nequitia iudicantis!* (inquit Augustinus) *Pronuntiat innocentem & eligendi tribuit facultatem.* Quare ergo iura peruertit? Quia populo desiderabat placere, qui Christum cupiebat damnari. Timuit Pilatus, ne scelerati populi gratiam amitteret, & apud Cæsarem accusaretur, quod alium regem Iudæorum permiserat. Quid mirum, si vel filium Dei condemnet, qui hominibus desiderabat placere, ne amitteret principatum? Nam timidus Iudex vel contra ipsum Deum iniustam feret sententiam, ne à dignitatis deponatur fastigio.

Matth. 27. n. 24.

Ibid. n. 17.

August.

46. Sardius (vt diximus num. 22. huius versus ex Abulensi, Dioscoride. Plinio & aliis) pellit timorem. Ornabatur hac gemma pectus Pontificis, vt timere nesciret, qui populi habebat principatum. Dedecet enim timidum esse præsulem, quia constanti animo debet redarguere peccata.

Illatio CXXI.

Elatum, & tumentem animum abiectissimis mediis solet Deus punire.

47. SEmper alta petit superbus; humilia nunquam non despicit; vel oculos ad ea conuertere dedignatur. Pulchrè Augustin. ser. 22. de Natiuit. Domini superbiam definiuit, di-

Auguſt. cens: *Eſt enim ſuperbia non magnitudo, ſed tumor. Quod autem tumet, videtur magnum, ſed non eſt ſanum.* Tumore laborant ſuperbi: at ſicut quod eſt turgidum, magnum videtur, ſed non eſt ſanum; ita ſuperbi magni videntur, ſed non ſunt. Nam ſic eos Deus punit, vt ad eorum pœnam non honorificum theatrum componat, ſicut ad nobilium ſupplicia ſolet conſtrui, ſed abiectiſſimis mediis inſolentis ſuperbiæ punit audaciam.

48. Ingenioſus eſt Tertullianus lib. de patient. cap. 14. expendens Iobum in ſterquilinio ſedentem, & diabolum totis viribus contra eum ſagitantem, Iob. 2. num. 7. & 8. vbi dicitur:

Iob. 2. n. 7. & 8. *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſtà ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio.* Rurſus conſiderans minimè à diabolo

Tertullian. ſuperari poſſe, ait Tertullianus: *Quale in illo feretrum Deus diabolo extruxit: quale vexillum de inimico gloriæ tuæ extulit: ridebat Deus, diſſecabatur diabolus.* Difficilia, vel ſi mauis, profunda ſunt Tertulliani verba. Nam quî poteſt intelligi, Deum Iobo in ſterquilinio ſedente diabolo conſtruxiſſe ſepulchrum? quod Deus ex Iobi patientia leuaret vexillum, & de dæmone triumphans, plenus trophæis diabolum inſectaretur, ſibiliſque contemneret, non videtur difficile: at in Iobo diabolo feretrum extruxiſſe, vt inauditum accipitur. Ad quid ergo Deus diabolo in ſeruo ſuo funebre conſtruxerat feretrum? Vt inimici ſuperbam puniret audaciam. Arroganti, & elato animo ſathanas, qui contra Deum ſuperbierat inaniter, putabat, Dei ſeruum poſſe ſuperare inflictis vulneribus; & Dei permiſſu totis viribus cœpit odij iaculari ſagittas: at ſtrenuus athleta ictus ſuſtinebat patienter, & in ſtercore ſedens, non ſtans, diaboli ſuperabat nequitiam, & in ſignum victoriæ teſta ſaniem radebat, quaſi aduerſario dicens, adhuc patienter ſuſtineam: ecce quomodo ſuper vulnera, quæ inflixiſti, noua ſuperadiicio; aggredere vlteriùs, nam priùs tibi tela deficient, quàm mihi deſit patientia. Vincebat ergo diabolum vulnerum tolerantia. Quid ergo mirum, quod dicat Septimius; in Iobo Deum diabolo feretrum conſtruxiſſe? Et quid mirum, quod Deus inſultet diabolo ſuper aſtra ſolium exaltare cupienti, videns hominem luteum, afflictum, & in ſterquilinio ſedentem ſuperantem dæmonem? Rideat ergo Deus, elatum Angelum deuictum fuiſſe in ſterquilinio, ibique inter ſtercora ſuperbiam eius ſepultam. Nam ſic ſuperbi animi punitur elatio; ſtercoreque inſoleſcentis ſuperbiæ plectitur audacia; & ille,

Iſaiæ 14. n. 13. qui tumens dixerat: *In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in lateribus Aquilonis ſimilis ero altiſſimo.* Iſaiæ 14. num. 13. vincitur ab homine abiecto, & contemptibili: ſic magnus Athanaſius reddens rationem, cur Deus permittat continuum certamen inter dæmones viribus ſtrenuos, & ho-

Athanaſius. mines debiles: ait: *Vt hi, qui Deum diligunt, manifeſti fierent, diabolus victoriæ cauſa eſt.* Quaſi dicat: ſuperbia diaboli cauſa eſt, vt homines vincant diabolum. Nam cùm dæmones ob ſuæ naturæ excellentiam maximè ſuperbiant, ab infirmioribus, & debilioribus creaturis excellentiores vincuntur, vt illorum plectatur ſuperbia.

Non aliter Balaami increpatur ſuperbia, cùm 49.
maledicturus populum Iſraëliticum, fuſte aſinam percutiens, eo quòd auerteretur à via ob metum Angeli, qui euaginato gladio aditum occludebat, aſina falſum Prophetam reprehendit, vt conſtat Numer. 22. num. 28. *Aperuitque Dominus os aſinæ, & loquuta eſt. Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce iam tertio?* Sed cur Deus, (inquirit Origenes homil. 14. in Numeros.) infidelem increparet Balaam inſipiens brutum elegit? An non poterat Deus mittere ad eum Moyſem, qui ſeuerè tantam puniret audaciam, & Magicam eius artem falſitatis conuinceret? Quare ergo brutali ore Magum voluit redarguere? Audi Origenem:

Numer. 22. n. 28.

Origen. *Aperuit os aſinæ, vt arguatur per eam Balaam, & muti pecudis vocibus confutetur is, qui diuinus videbatur, & ſapiens.* Sapientia ſua inflatus, & Magicis artibus tumens Balaam ſibi perſuaſum habuit, poſſe Dei populum maledicere; ſuperbiamque contra Deum affectans, populum Dei conabatur deſtruere. Quid inde? Non à Moyſe, non à Propheta, non à ſapiente, ſed ab ſtolido bruto tanta confutatur ſuperbia, vt neminem lateat, quòd ad puniendum elatum, & ſuperbientem animum, non magnis, ſed abiectis mediis vtitur Deus.

Et quid dicam abiectis mediis. Vel tenuis 50.
auræ flatu ſolet Deus conterere, & elidere ſuperbiam. Mirabile eſt illud, quod accidit in obſidione Samariæ, cùm fuit obſeſſa à rege Syriæ Benadab. Inualuerat fames in ciuitate ex diuturna obſidione, ita vt matres præ famis anguſtia parricidalibus cibis ſe nutrirent, ſiquidem filios, quos genuerant, diſcerptos in fruſta deuorabant decoctos, ab eis mutuantes vitam, quibus priùs præſtiterant. O nefas inauditum? Tunc Eliſæus videns regem afflictum, ſimulque iratum contra eum, promiſit ſequenti die tantam fore farinæ copiam in portis Samariæ, vt modius ſimilæ vno ſtateræ, duo modij hordei vno etiam ſtateræ venundandi forent. Tunc quatuor viri leproſi, quos eiecerant extra vrbem, ne reliquos ciues contaminarent, fame oppreſſi dixerunt ad inuicem: mors nobis vndique imminet: ſi ingredimur ciuitatem fame moriemur; ſi hîc manſerimus, nec mortis fugimus tela; transfugiamus ergo ad inimicorum caſtra, forſan miſericordia moti, parcent nobis. Tunc inquit ſacer textus 4. Reg. 7. à num. 5. *Surrexerunt ergo veſpere, vt venirent ad caſtra Syriæ, cùmque veniſſent ad principium caſtrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. Siquidem Dominus ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi, dixeruntque ad inuicem: ecce mercede conduxit aduerſus nos rex Iſraël reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos, & aſinos in caſtris, fugeruntque, animas tantum ſuas ſaluare cupientes.* Noſter Abulenſ. hîc. quæſt 16. inquirit: cur Deus, vt Syriorum terreret animos contra Samariam nimis ſuperbientes, & longa obſidione iam iam vrbem

4. Reg. 7. à n. 5.

capere

capere putantes, eorum mentibus equorum, & curruum non infudit ſpecies, quibus magnam militum copiam crederent adueniſſe in ciuitatis ſubſidium, ita vt eos aſpicerent, ſicut fecerat Eliſæus, quando iuxta Dothaim montem plenum equorum, & curruum igneorum, quibus erat conſtipatus, & cuſtoditus, oſtendit ſuo miniſtro, vt ab eo procul pelleret timorem, quem ei incuſſerant milites Regis Syriæ, vt refertur 4. Regum, 6. num. 17. Cur in noſtro caſu ſic non terruit Syros, ſed ſolo equorum, & curruum ſonitu? Reſpondet Toſtatus, quia elato animo putabat Benadab, & omnis eius exercitus vrbem fore capiendam, Deoque Iſraël vires deficere, vt eam è ſuis manibus liberaret. Vt ergo Deus eorum elideret ſuperbiam, & virtus diuina oſtenderetur, equos, & currus non ob oculos Syriorum poſuit, ſed eorum ſonitum, qui tenuis auræ flatus erat, fecit audire, vt fragili vento tantam puniret arrogantiam. ſi namque equorum, & curruum appareret exercitus, honeſta eſſet fuga; at propter eorum ſonitum fugam accipere, nullo fulgente clypeo, nulloque milite haſtam vibrante, imò nullo viſo, turpis erat receſſus, & glorioſius ſupplicium. Audi Abulenſem: *Ad puniendum ergo eos pro hoc, & ad oſtenſionem gloriæ ſuæ coegit eos ſic fugere: nam poſtea ipſi cognoſcerent, quod nullus exercitus, venerat ſuper eo, ſed ſolus Deus fugauerat eos: nam tam graue factum non poterat occultari, à quo factum eſſet: & tunc cognoſcerent Syri poteſtatem Dei Iſraël.* Non ſtrenuis ducibus, aut robuſtis militibus; non equis armatis, aut falcatis curribus, ſed fragili auræ ſonitu Syrorum Deus puniuit ſuperbiam (Hiſpanè diceres: *Con vn poco de ayre caſtigò Dios la ſoberuia de eſta gente*,) & ad oſtenſionem gloriæ ſuæ coëgit eos ſic fugere; vt intelligas, Deum elatos, arrogantes, & ſuperbos, non armis, ſed aura tenui punire. Sic fragili virga Pharaonis, & Ægyptiorum eliſit ſuperbiam Exod. à cap. 4. ranis, muſcis, & ſimilibus, c. 8. vt redargueretur ſuperbia, & diuina virtus, & fortitudo illuſtrior appareat.

Abulenſ.

51. Sardius Pontificis ornabat pectus. De hac gemma ſic ait Anaſtaſius Nyſſen. quæſt. 38. ex D. Chryſoſt. *Lapis ſardius, qui eſt appellatus Babylonius, eſt quidem igneus, & ſanguineus: naſcitur in terra Babylonis apud Aſſyrios, eſt perſpicuus, & vim habet medendi, eo vtuntur Medici ad tumores tollendos.* Mirabile eſt, exiguo lapidi tantam Deum contuliſſe virtutem, vt tollat tumores! Sed quid mirum, cui omnia ſunt facillima? Si tamen rem hanc ad mores exponamus, ſatis congruè hæc gemma in pectore Pontificis radiabat. Nam lapillulo tollitur tumor: aëre ſubtili conteritur arrogantis animi ſuperbia, & fragili medio eius eliditur audacia.

Anaſtaſ. Niſſ.

ILLATIO CXXII.

Magna res eſt, honoris ſublimitatem, abiecti principij temperare memoriâ.

52. NVllum eſt genus, nullaque nobilitas apud homines inuenitur, imò nec apud Angelos, quæ principium abiectum non habuerit. Recolas, quæſo, vtriuſque naturæ, exordia. Angelos creatione productos, vera fatetur Theologia cum ſancto Thoma 1. parte, quæſtione 51. art. 2. in corpore: imò ex nihilo factos, ibidem dicitur. Creatio namque eſt productio rei ex nihilo: ita fatetur Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 45. art. 1. in corpore. Ecce, Angelos per creationem productos, ex non ente, quod nihil eſt, originem ducere, nemini dubium eſt. Natura humana ex limo terræ ſumpſit exordium. Hoc principium habuit vtraque natura. Nobilitas, quæ apud homines, & iure optimo, tanti habetur, ab ignobilitate cœpit. Fallitur, qui putat, obſcurum non habuiſſe principium. Reuoluat auos, proauos, & atauos, & abſque dubio inueniet primum, qui egregiis facinoribus nobilitatis dedit ſtemmata. Hæc retuli, vt nemo pluſquàm æquum eſt, de ſuis glorietur maioribus, alios paruifaciens, putans ſe ſolum habere generis claritatem. Et quid dicam de illo, qui cùm ad culmen dignitatis euehitur, cæteros aſpicere dedignatur? Profectò tanti muneris dignitate ſe prædicat indignum, cùm alios paruipendet. E contrà verò, vt Ennodius ait lib. 4. epiſt. 7. *Qui faſtum in ſublimitate caſtigat, docet, ſe meruiſſe, quod adeptus eſt.* Hic verè eſt magnus, & tanto munere dignus: Hic eſt admirabilis, ſi dignitatis ſublimitatè abiecti principij temperat recordatione.

S. Thom.

Ennodius.

53. Aliquoties animaduerti, Moyſem in Ægypto tot miracula patraſſe, & etiam in deſerto, virgâ tanquam inſtrumento vtentem. Eâ Nilum, & omnia flumina in ſetrum conuertit ſanguinem, Exodi 7. num. 22. Ipsâ fecit tonitrua, grandinem, & fulgura diſcurrentia, Exodi 9. num. 23. Non aliâ mare diuiſit, Exodi 14. num. 21. eâdem aquas maris iterum vniuit, vt omnem gentem Pharaonis ſepeliret in vndis, ibidem, num. 27. In Raphidim cùm populus ſiti opprimeretur, vt adaquaret eum, virgâ rupem percuſſit, & fluxerunt aquæ, Exodi 17. num. 5. Numerorum 20. num. 11. Pſalmo 77. num. 15. & 1. ad Corinth. 10. num. 4. Et alia innumera, quæ virgæ miniſterio fecit. Sed cur Deus, vt Moyſes tot mirabilia patraret, voluit, vt virgæ iuuaretur conſortio? Quid in hac virgâ erat, vt eâ Moyſes haud difficulter mirabilia efficeret? Noſter Abulenſis q. 14. in cap. 2. lib. 4. Regum, virgam hanc eandem putat eſſe, qua Moyſes in deſerto Madiam, gregem ducebat, & propterea ei ad tot miracula virtutem contuliſſe. Accipe Toſtatum: *Contulit Moyſi, quod operaretur miracula cum virga Paſtorali, & non cum alia re.* Sed adhuc ſupereſt, inquirendum: cur cum virga paſtorali, & non alio inſtrumento miracula patrauit? Ideo puto, quia Moyſes, tenens populi principatum, nunquam virgam deſeruit, qua paſtoritio munere fruens gregem ducebat, reuoluens ſemper in mente humilis Paſtoris officium. Quid ergo mirum, ſi paſtoralis virga miraculoſum redderet Moyſem, eam ſemper ob oculos habentem, & præteritæ fortunæ non oblitum. Nam qui in culmine dignitatis præteritæ abiectionis recordatur, per omnia exiſtit admirabilis.

Abulenſ.

54 Non erubuit Dauid, cùm aſcenſum proprium ad regnum refert Pſalm. 77. num. 70. humile Paſtoris officium recordari. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium; de poſt fœtantes accepit eum.* Quæ verba exponens Euthymius ſic ait: *Vide quomodo verè ac ſimpliciter beatus Dauid narrat, quæ ad ſe pertinent, quomodo fateri non erubeſcit, quod Paſtoris nomine nondum dignus erat. Nam, vt minùs idoneus fœtantes oues ſequebatur. Quinimò minora quæque de ſe aſſerere non puduit, & quæ maiora erant, omiſit, neque vires ſuas commemorauit, quas ant aduersùs feras ſæpe oſtendit, aut aduersùs Goliam.* Regio oleo inſignitus Dauid, non dedignatur, ſua referre principia, dicens: *Et ſuſtulit eum de gregibus ouium*: nec erubuit ſua exercitia narrare; *Et de poſt fœtantes accepit eum*: Fatetur, quod Paſtoris nomine indignus erat, ſiquidem non ducebat oues, ſed poſt eas gradiebatur. Sed cur Dauid ad tantam dignitatem euectus, quæ clariora erant, omiſit, & obſcura, ignobilia, & abiecta commemorauit? Vt ſic regio diademate fiat dignus, & neminem lateat meruiſſe, quod poſſidet, vt dicebat Ennodius: *Qui faſtum in ſublimitate caſtigat, docet ſe meruiſſe, quod adeptus eſt.* Nam ſic eſt regium, honoris ſublimitatem memoriâ abiecti principij temperare; vt nunquam dignior corona extiterit Dauid, quàm cùm in memoriam reuocat Paſtoris humile officium.

Pſal. 77. n. 70

Euthym.

55. Religione pariter, ac pietate Arca Domini Sacerdotum humeris portabatur, cùm de Sethim venerant ad Iordanem Iſraëlitæ. Vix Sacerdotum pedes aquarum vndæ tinxerunt, cùm Arcam, & Sacerdotes reuerentes ſteterunt ſupernæ, inferiores autem deſcenderunt in mare. Ioſuë 3. num. 16. *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes*, &c. Regius Pſaltes Pſalm. 113. n. 5. Hoc referens prodigium, non ſolùm Iordanis vndas, ait, ſtetiſſe, ſed etiam curſum reuocaſſe: *Quid eſt tibi mare*, inquit, *quod fugiſti? Et tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Sed miror, non mirari Dauidem, fluenta Iordanis ſtetiſſe, & ad inſtar montis intumeſcentes obſtupuiſſe ad Arcæ præſentiam, ſed ſolum earum regreſſum! An illud non erat mirabile, ſicut iſtud? Quis negabit? Cur ergo miratur regreſſum, dicens; *Et tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum*? Et non quòd ſteterint intumeſcentes inſtar montis? Contra aquarum curſum erat ſtatio, ſicut & retroceſſio. Ergo vtrumque mirabile. Quare ergo miratur Dauid de primo, & non de ſecundo? Quia mirabilior erat regreſſus. Nam aquæ, quæ Superiores erant, ſteterunt: quas verò ſacer textus inferiores appellat ad mare fluentes ſuo curſu finem quærebant. Miratur ergo Dauid non ſolùm aquas ſtetiſſe, ſed quod inſtar cryſtallini montis erectæ, & in tanta celſitudine conſtitutæ, tunc regrediantur, & originem, à qua fluxerint, recognoſcant. Hoc abſque dubio multò mirabilius erat. Pulchrè Diuus Ambroſius ſermone 23. hoc innuit: *Et mirum in modum*, inquit, *illic retrorſum conuerſus fluuius in originem ſuam reuertitur.* Mirabile erat (non negamus) aquarum ſtetiſſe fluenta, ſed multò mirabilius, gradum reuocaſſe, & in ſuam originem reuertiſſe, quaſi fontale recognoſcentes principium.

Ioſuë 3. n. 16

Pſal. 113. n. 5

Ambroſ.

Mariæ humilitas in ſupremæ dignitatis poſſeſſione, quæ puræ creaturæ poteſt conferri, hoc ipſum confirmauit. Ab Angelo ſalutatur, & Filium Dei prædicitur conceptura. Quid tunc reſponderit Virgo ſacratiſſima? *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* O beata Virgo, quid ais? Non in Domini Ancillam, ſed in Matrem, in Angelorum Reginam eligeris à Domino: cur eius te vocas ancillam. Pulchrè reſpondet Chryſologus ſermone 142. *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipſa ſe cognoſcit, & confitetur Ancillam. Quia deuotus animus inſulis beneficiorum creſcit ad obſequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam proſilit, non ad ſuperbiam pertumeſcit.* Quid illuſtrius? Maria ennunciatur Domina, ſed ipſa ſe cognoſcit, & confitetur ancillam, & in culmine maximæ dignitatis, & cùm Reginæ Angelorum offertur diadema, tunc abiectæ naturæ fatetur principium. O beata Virgo, quantus tibi eſt honor exhibendus, quæ in conceptione tua ſancta, in natiuitate illuſtris, & in toto vitæ progreſſu admirabilis, cùm ad ſummam peruenis dignitatem præ nimia humilitate teipſam confiteris ancillam! Profectò decuit, quòd Maria, quæ tot gratiarum ornabatur fluentis, & in quam diuinæ lucis ingrediebatur abyſſus, hac excellentia gauderet, nimirum, quod ad tantam dignitatem euecta propriæ naturæ agnoſceret famulatum, dicens: *Ecce Ancilla Domini.*

56.

Luc. 1. n. 38.

Chryſolog.

In illo maieſtatis ſolio, in quo Ioannes Dominum aquilinis, aut lynceis viderat oculis, inter alia, quæ refert, teſtatur vidiſſe quatuor animalia oculis plena. Apocalyp. 4. num. 7. *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro.* Admirabilis viſio, & vndequaque arcanis plena! Omitto plura alibi daturus: & ſolum nunc ſcire deſidero; cur tot oculis ante & retro hæc animalia illuſtrantur? Si Dominus dicit Lucæ 9. num. 62. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei:* Quomodo hæc animalia plena erant oculis ante, & retro? Aut ad quid retro oculos habebant? Diuus Ambroſius ad cap. 4. Apoc. rationem reddit, dicens: *Sancti igitur retro oculos habent, quando audientes comminationem Domini dicemis: nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt Regno Dei: tota virtute laborant, ne in malis, quæ ſe aliquando egiſſe meminerunt, relabantur, quamuis ea ante mentis oculos ad humilitatis ſuæ cuſtodiam ponere non deſiſtunt.* Duo in his verbis docet Mediolanenſis antiſtes. Primum ſemper præcauendam eſſe præcedentium peccatorum viam, ne vlteriùs in ea relabamur: nam qui oculos ad viam iniquitatis conuertit, prope eſt, vt ad peccatum redeat, quo Regno Dei ſit ineptus. Sancti Viri aliquando præterita peccata mente deuoluunt, non vt iterum in ea incidant, ſed potiùs, vt ea plangant, & deteſtentur. Secundum, quod docet Ambroſius, Sanctos præterita peccata ante oculos proponere ad humilitatis cuſtodiam, & quando in Dei throno ſunt,

57.

Apoc. 4. n. 7.

Luc. 9. n. 62.

Ambroſ.

hoc

hoc est, diuina gratia, & aliis donis ornati, tantam celsitudinem temperent, oculos ad præterita conuertentes. Sic enim digni existunt, ornandi diuinum solium, & Deo velut nobiliores assistendi.

58. Sardius (teste Anastasio Nisseno præcedenti illatione, num. 51. citato,) vim habet ad pellendos tumores. Meritò ergo ornabat pectus Sacerdotis ad relegandum tumorem, qui ex tanta dignitate poterat oriri. Sed quomodo celsitudinis, & dignitatis pelleret tumorem? Recordatione abiectæ fortunæ. Sic Aaron tantum temperaret fastigium: sicque omnes fastum castigare debent, contemnentes neminem, omnes afficientes honoribus, vt sic ab omnibus honorentur.

Illatio CXXIII.

Maxima lucra, & vberrimos fructus inuicta patientia confert.

PAtientiæ adiutorio non solùm omnes virtutes, verùm omnium rerum causæ, & elementa indigent. Sic S. Zeno Veronensis sermone de patientia loquitur: *Dubium quippe cùm non sit, spem, fidem, iustitiam, humilitatem, castitatem, probitatem, concordiam, charitatem, omnes artes, omnesque virtutes, ipsa quoque elementa eius constare non posse sine eruditione, vel fræno.* Et paulò inferiùs: *Non virtutes possunt esse virtutes, non peremnes elementorum status, non tempora cognata connexione in solemnes reditus cõmearent, nisi rerum disciplinam conuersionemque quasi quædam solicita mater patientia custodiret.* Patientia Solem qui mira claritate alternas mundi metas illustrat, detinet, ne dilectam verecundamque anteuertat auroram, & duodenis spatiis, aut momentis horarum æquabiliter se partitur: Lunam quoque instruit curriculo menstruali solemnes suæ ætatis ignes erogare, & sui opificis moderationi deseruire. Mare ventis lacessitum, cùm irascitur, quamuis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cœlum, nunc requirentibus terram æstuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum sæuientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen quasi ius terræ cognoscens, ac violare deuitans, mira patientia in se frangitur, iisdemque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Hæc germinantibus pratis, messibus flauis, vitibus cutuis, semipallidis oliuis felicitatem præstat, & gratiam cùm vniuscuiusque temporis fœtus partu crudo in alterius contumeliam impatientia non sinit præcipitare. Quid auium diuersarum decora commercia, littoreaque. Quid arduis volatibus aëriæ grues? Quid piscium dissimilium cum suis sibi ductoribus gradatæ ætatis innumerabiles cunei? Nónne cum inuitationi temporum parent, solemnisque remigij specioso decursu vel aquas sulcant, vel aëra distinguunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt? *Solus homo præceps*, inquit Zeno, *solus impatiens prauis quotidie mobilitatibus gaudet; varietatibus studet: miserum se putat, si ipse sit, nec intelligit, rem dementiæ esse consimilem in statu suo non manere.* Vide, quomodo patientia res omnes modulatur, & regit: Vide etiam, quot lucra, quotque fructus affert. Ergo omnia illa indigent.

59. S. Zeno Ver.

Zeno.

Pretiosa lucra conferre patientiam, neminem latere potest, qui Christi verba audierit Discipulis suis aduersa multa prædicentis. *In patientia vestra*, inquit, *possidebitis animas vestras.* Lucæ 21. num. 19. Breuis sententia, sed profunda! Magnum lucrum in hoc inuenit Diuus Gregorius homilia 35. in Euangelium, dicens: *Per patientiam igitur animas nostras possidemus, quia dum nobismetipsis dominari dicimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Idcirco autem possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix, omnium custosque virtutum patientia est. Patientia verò est aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi.* Impatiens, animam suam, videtur, non possidere, quia sicut, qui ea caret, operatur, siquidem seipsum frænare nescit: atqui patientiâ decoratur, ipsum, quod est, verè possidet, quia sibiipsi dominari discit. Magnum lucrum est, seipsum possidere, & dominum sui existere: nam possessio dominium præstat possidenti. Hoc confert patientia. Satis acutè Caietanus ad hunc locum præfata Lucæ verba explicuit, dicens: *Eximium documentum possidendi, non agros, non opes, non regna, sed quod maius est omnibus, proprium animum virtute patientiæ.* Ergo lucrum inæstimabile præstat patientia.

60. Luc 21. n. 19.

Gregor.

61. Quamuis tantum lucrum patientia conferat, non contrahit manus ab aliorum bonorum largitate, siquidem patientem cumulat diuitiis multis. Testis sit protoparens humani generis, cùm ex eius costa Dominus ædificauit mulierem. *Immisit ergo Deus soporem in Adam; & cùm obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Genesis 2. num. 21. & 22. Aridum os obtulit homo, velut melius dicam, non obtulit, sed Deus abstulit, & tamen pro eo reddidit vxorem pulcherrimam, simulque totum orbem, vt fundum dotalem, vt sic maritalem agerent vitam. Dulciter hoc cecinit Dracontius in suo Hexameron. tom. 8. Bibl. ver. Patr.

Gen. 2. n. 21. & 22.

Dracontius.

Tunc Deus, & Princeps ambos coniunxit in vnum,
Et remeat sua costa viro, sua membra recepit:
Accipit, & fœnus, cum non sit debitor vllus.
His datur omnis humus, & quidquid iussa creauit,
Aëris, & pelagi fœtus elementa duorum
Arbitrio commissa manent his.

Valdè diues homo bonis perfruebatur terrenis, & pulcherrimæ vxoris simul gaudebat solatio. Sed vnde homini tot aduenerunt diuitiæ, & felicitates? Aut cur Adamo totius orbis confertur dominium? An quia costam contulit? Sed non ipse dedit, quia Deus abstulit. Quare ergo eius arbitrio terræ, pelagi, & aëris elementa commissa? Quia patienter tulit illius ossis spolium, nec conquestus fuit de defectu costæ. Patientia lucratus est tot bona, qui impatientia perdidit ea. Audi Zenonem loco citato: *Adam in arce cùm esset adhuc Paradisi*

Zeno Veron.

conſtitutus, beatiſſimuſque beati orbis imperio potiretur, tamdiu felix, tamdiu inexterminabilis vixit, quamdiu imperata regalis edicti continuit: at vbi ſiniſtro conſenſu inuidi ex lubricitate ſerpentis eſt impatientiam mutuatus, ſacræque arboris pomum male dulce delibauit, lachrymas reperit, dolores, & gemitus, ſpinas, & tribulos ſibimet comparauit: vltimoque ſudore turbatus poſteris hæreditatem indigeſtæ mortis, quæ homicidium mox peperit, dereliquit. Idem docuerat Tertullianus libro de patientia, cap. 5. vbi expendens ante impatientiam primum hominem nullam
Tertull. culpam admiſiſſe, ſic ait: *Aut quod crimen ante iſtud impatientiæ admiſſum homini deputatur? innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradiſi colonus. At vbi ſemel ſuccidit impatientiæ* (id eſt, *ſuccubuit*, vt ait Pamelius) *deſiuit Deo ſapere, deſiuit cœleſtia ſuſtinere poſſe. Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei iectus facilè vſurpari ab impatientia cæpit, in omne, quod Deum offenderet.* Ob hanc etiam cauſam Angelum tot amiſiſſe bona expreſſe fatetur, loco citato: *Quid primum fuerit ille Angelus perditionis malus, an impatiens? Contemno quærere: palam cùm ſit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auſpicatam; Deinde inter ſe conſpiraſſe, & indiuiduas in vno Patris ſinu adoleuiſſe.* Ecce quomodo Angelus potiebatur cœleſtibus, dum ſeruauit patientiam, & cùm primùm rebellionis audacia patientiam dimiſit, & impatienter tulit, Chriſti Domini humanitatem ad dexteram Patris collocandam; & ſuperbe tumens ſuper Aſtra Dei ſolium exaltare cupiuit; tunc omnia amiſit, & eiectus à cœlo, inferni carceribus torquetur infelix. Ecce quot bona conferebat patientia, quotque mala impatientia inflixit. Teſtes nobis ſunt Angelus, & homo; vterque principatu potiebatur dum patientiam amarunt.

62. Aliud lucrum patientia confert. Audeo dicere, tanti Deum facere patientiam, vt propter eam conferat patienti, velut ex iuſtitia, quod deſiderat. Tentauit Deus Abrahæ, & dixit ad eum, Geneſis 22. num. 2. *Tolle Filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Mira tentatio, quæ eum aut ſacrilegum faceret, ſi contemneret Deum, aut crudelem, ſi occideret Filium! Igitur ſtrenuus athleta Iſaac ſibi dulciſſimum Filium, Deo victimam dulciorem contemnit, vt ſeruet; deſtinat iugulare, ne iugulet, ſecurus illo ſe non poſſe diſplicere facinore, quod Deo gerebatur authore. Exerit ergo gladium Abraham, Iſaac ceruicem vno voto, vna deuotione. Hic lignum, quo cremetur, ſibi portat; ille Aram ſtruit, & ſub tanto humanitatis, imò potiùs ipſius naturæ metu, ambo læti ſunt. Soli pietati cedit affectus, pietas Religioni, Religio fauet vtriſque. Medius ſtupet gladius nullo impedimento ſuſpenſus, mactatione terribili
Ibid. n. 12. gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen. *Abraham, Abraham: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam.* Quid eſt hoc? Quis impedit holocauſtum, & Filium fere mactatum, viuum reddit parenti? Quis, niſi vtriuſque inuicta patientia? Sic ſanctus Zeno, à quo multa (non erubeſco) tranſcripſi elegantiſſima verba, loco nuper dato: *O nouum ſpectaculum,* inquit, *ac vere Deo dignum: in quo diffinire difficile eſt, vtrum ſit patientior Sacerdos, an victima! Non percuſſoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur, non demiſſi, non torui ſunt oculi. Nemo rogat; nemo trepidat, nemo ſe excuſat, nemo turbatur.* Patientia armatus Abraham, & ea cinctus Iſaac, amboque læti, ille offerebat, hic offerebatur. In ſpem contra ſpem credebat Pater, Filium non amiſſurum, quem deſiderabat habere: & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Et quomodo ad iuſtitiam reputatum? Quia vtrobique patientia. Nam Pater lucratus eſt Filium patienter offerens; Filius ſeipſum redemit, patienter ferens oblationem parentis: Et inuicta vtriuſque patientia, inuictum vtriuſque animum coronauit victoria, & vitam prolis deſideratam impertiuit vtriſque; ipſamque Deus quaſi de iuſtitia debitam alacriter reddidit. Tanti apud Deum, tanti habetur patientia, vt reddat de iure, quod deſiderat patiens. Zeno.

Huc pertinet, quod Annæ Samuëlis matri 63.
contigit, cùm à Phenenna contemneretur, eo quod liberos non haberet. Patienter Anna ferebat Phenennæ iniurias, & Dei implorabat auxilium: cumque quadam die Heli Sacerdos Annam orantem coram Arca Domini vidiſſet, putans temulentam eſſe acriter eam reprehendit; cui patienter Anna, & modeſte reſpondit, non ita Domine, ſed mulier infelix ego ſum. Hanc patientiam admiratus ait Heli ad eam: *Vade in pace: & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.* Caietanus ad 1. Reg. 1. n. 17
hæc verba dubius eſt: an imprecantis, an Prophetantis fuerint verba Heli? Puto Prophetiam fuiſſe de Filio futuro. Nam ex Hebræo legitur: *Et Heloë Iſraël dabit petitionem tuam.* Id eſt, iudex Iſraël dabit petitionem tuam. Sed Hebræus.
adhuc inquiramus: cur non dicitur Deus Iſraël, ſed Iudex in textu Hebræo? Ad quid *Dei*, vt Iudicis mentio fit? Quia Anna patienter ſuſtinuit ignominiam, quam iniuſte ei imputauit Heli. Merito ergo habuit Prophetiam futuræ prolis, quæ placate tulit iniuriam: & iure dicitur Deus Iudex, quando imploratur, vt Annæ votum adimpleat; innuens per hoc, Deum, non vt Deum, hoc eſt, vt liberalem, ſed vt Iudicem, id eſt, ex iuſtitia teneri patientibus, & læta fronte ferentibus iniurias elargiri, quod poſtulant. Habent ergo patientes in ſua patientia velut Prophetiam quandam comparandi quod poſtulant, & ius quoddam, vt Deus poſtulata concedat.

Inter Iob, & diabolum committitur præ- 64.
lium: his totis viribus pugnat; ille diſſimulando deuincit. Diabolus magnum, & opulentiſſimum cenſum vno momento diſperdit; cohortemque florentiſſimam dulcium liberorum atrociſſimo impulſu, tectis parietum cum ruina confuſis, nimia crudelitate feſtinus ſepelit, antequam iugulet, & quem diuitiis ſpoliauerat magnis, magnis veſtit vlceribus, quibus inſuper vermes immittit edaces. At Iob aduerſæ partis cunctas vires expectatione placida profligabat. Ob hoc Moyſes, vt tantam commen-

darer

daret patientiam, sic eius incipit historiam: Iob.1.n.1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob*, cap.1. num.1. Author Catenæ Græcæ sic legit ibidem: Author Catenæ Græcæ. Chrysost. *Homo quidam erat in regione Ausitide, cui nomen Iob.* Miratur Chrysostomus in eadem Catena, & ait: *Quid sibi vult proœmium, & quid causæ fuit, cur sic Scriptor exordiretur?* Accipe eius responsum satis patientiam commendantem. *Vitam illustrem*, inquit, *explicaturus erat, nostra viuendi ratione longe superiorem. Ne quis igitur certaminum, ac patientiæ spectata magnitudine incredibili, peregrina quadam, & non humana eum natura præditum arbitraretur; naturam primo ponit in conspectu, vt hominis institutum mirere, qui licet natura homo esset vnus è multis, virtute tamen multis antecelluit.* Admirabile patientiæ exemplum proponebat Moyses in Iobo; inconcussum animum explicabat; inuictum athletam exponebat, qui patientia accinctus tantum profligauerat inimicum. Ne igitur altioris, excellentiorisque naturæ fuisse arbitraretur, hominem eum expresse appellat, dicens: *Homo erat.* Si enim patientia extollit patientem, & velut ab humana extrahit naturam, vt sit opus dicere, hominem esse, qui æquo animo patitur iniurias; ne supra quod est, vel excellentioris existimetur naturæ.

65. Et quid mirum, naturam humanam, videatur patiens, transcendere, si patientia eum transferat in Filium Dei? Magnum præceptum, vtile tamen imposuit Christus Discipulis, & in eis omnibus fidelibus, Matth.5.num.44.& 45. Mat.5.n.44. & 45. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Difficillimo mandato magnum promittitur præmium. Filius Dei efficitur, qui inimicos diligit, eis benefacit, & pro eis preces effundit. De hoc infra annuente Deo dicemus: nunc libet, quærere: Quænam sit virtus, quæ tantum patrem acquirat? Posses respondere, dilectionem inimicorum nos elenare ad tantam filiationem. Non abnuo. Sed rursus inquiro: à qua virtute hæc dilectio sumat exordium? Vtique à patientia. Audi Tertullianum lib.de patientia, cap.6. expendens præfata verba Matthæi; Tertullian. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est*, sic ait: *Vides, quem nobis Patrem patientia acquirat? Hoc principali præcepto vniuersa patientiæ disciplina succincta est, quando ne linguæ quidem malefacere concessum est.* Ergo patientiæ adscribit Septimius tantæ filiationis dignitatem. Patientiæ est iniurias constanti animo sustinere, & obliuisci, & amore prosequi eum, qui iniuriam irrogat. Patientia nobis cœlestem patrem acquirit. Armemur ergo patientia, & ea, velut clypeo protecti inimicorum iacula retundemus; & sic vberrimos fructus metemus cum exultatione.

66. Celebris est Sardij proprietas quam referunt Plinius, & alij à nobis relati in hoc versu, numero 21. nempe, hanc gemmam tardius hebetari suffuso humore, quam alias; quasi illatam iniuriam aduersi humoris sustinentem; in quo patientiæ non obscurè inuenitur exemplar. Hinc non immeritò putarem, hanc gemmam in Rationali primum sibi vindicare locum: tum vt doceret Pontificem, iniurias patienter tolerare; tum vt excellentiam ostenderet patientiæ, ex qua fructus vberrimi sanctitatis, & lucra valde vtilia colliguntur.

ILLATIO CXXIV.

Reprehenduntur magi, arioli, diuini, malefici, incantatores, & qui pythones consulunt, & omne genus superstitionis.

QVam pernicioſa ſit, quantamque peſtem 67. in animas intulerit Magia, vt ſub vna voce comprehendamus ariolos, diuinos, maleficos, incantatores, & eos, qui pythones conſulunt, ſatis conſtabit ſacram Paginam euoluenti, in qua toties reprehenditur, & prohibetur hoc vitium. Leuitic. 19. num. 16. dicitur: *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Leuitic.19. n.16. Et ibidem, num. 31. *Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí, vt polluamini per eos.* Et Deuteronom. 18. à num. 9. ſic Moyſes exhortabatur populum Iſraël: *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Omnia prohibebat Deus, ne populus ſi in tanta ſcelera laberetur, deleret eum Dominus, & terræ promiſſæ occluderet introitum. Sed proh dolor! Humani generis malignus hoſtis per omnia Deo aduerſarius virulentus tantorum malorum diſſeminauit ſcandala, vt fidelium animas præſtigiis, mendaciis, & ſuperſtitionibus illuderet, ſimulque iram Dei in ſuum populum concitaret. Nam magicis fallacibus inſeruire, idem prorſus eſt, ac ſimulachris, vel idolis thymiamata adolere, & exhibere cultum.

Miſerat Balac. Moabitarum Rex Magum 68. Balam ad execrandum populum Iſraël, vt exinde ab eo reportaret victoriam. Sed incaſſum Magus verborum tela iaceret, ſiquidem Deus ſuæ protectionis clypeo populum protegebat. Poſt multa prodigiis plena, quæ ei in via acciderant vt refert ſacer textus Numer. 22. à numero 21. vſque ad 35. & cap. 23. Poſuit Dominus verbum ſuum in ore Balam, & maledictionem contra Iacob in benedictionem commutauit in conſpectu Balac, dicens: *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israël. Dominus Deus cum eo est, & clangor victoriæ Regis cum illo.* Expende cauſalem ob quam Balam non poſſit non benedicere Iacob: quia, ſcilicet, non eſt idolum in Iſraël. Noſter Abulenſis in cap. 6. Matthæi, tomo 3. quæſt. 41. ſic legit magnis verbis, & laudibus efferens populum Iſraël: *Magna laus*, inquit, *fuit Iudæorum viuente Moyse, quia non habuerunt ista genera diuinationum, Numerorum 23. Non est augurium in Iacob, nec* Numer.23. n.20.& 21. Abulens.

dini-

diuinatio in Iſraël. Perdifficilis videtur lectio Toſtati. Nam quid habet augurium cum ſimulachris; & diuinatio cum idolis, vt vbi ſacer textus habet; *Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſraël*, legat Toſtatus; *non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël?* Profecto; quaſi idem ſunt, idolis, & ſimulachris inſeruire, ac Magicis artibus, maleficiis, diuinationibus, & auguriis, quæ ope dæmonis perpetrantur, vacare. Æquiuocatur enim idololatria cum maleficiis, cum auguriis, & ſuperſtitionibus.

69. Rurſus, expende iterum Balami verba: *Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. Non eſt idolum in Iacob*, &c. ſeu vt Abulenſis citatus: *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël.* Quaſi diceret: Quia in Iſraël non eſt augurium, nec diuinatio, non valebat eum maledicere Baalam: innuens populum eſſe benedictum, qui Magicarum artium veneno caret peſtifero; ſicut maledictum, qui dæmonum inuocatione auguria permittit, & veneficia.

70. Præterea: populus, in quo eiuſmodi artes exercentur, non Dei, ſed diaboli eſt vocandus. Si autem Deus aliquando permittit hæc damna inter fideles, vt credamus eos ad Dei cætum ſpectare, opus eſt, diuino teſtimonio fatente, & confirmante talem populum à Deo recipi tanquam proprium. Leuitici vigeſimo, numero ſexto, contra ſectatores artium huiuſmodi hanc pœnam ſtatuit Deus:
Leuit.20.n.6 *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. Sanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego ſum Dominus Deus veſter.* Mortem minatur Deus contra res eiuſmodi perpetrantes: & ſtatim addit: *Sanctificamini, & eſtote ſancti.* Per hoc innuebat, quod ad expiandum tantum flagitium, duplex ſanctitas requiratur. Non quia quilibet gradus gratiæ habitualis non ſit ſufficiens ad maculam tanti criminis delendam; ſed vt oſtenderet magnitudinem, & grauitatem delicti; duplicem, id eſt magnam petiit ſanctitatem. Audi Heſichium Hieroſolymitanum ad hunc locum:
Heſic. Hier. *Oſtendens, quia quotquot illos ſecuti ſunt, polluti ſunt, & abominabiles, atque immundi, vtpote qui abominabilibus verbis, & prauis dogmatibus conſenſerunt.* Deinde addidit: *Quia ego ſum Dominus Deus veſter:* Vt oſtenderet, opus eſſe diuino teſtimonio declarante, populum huiuſmodi flagitia committentem ad Dei populum ſpectare. Quamobrem, alienum debet eſſe à fidelibus tam execrabile vitium.

71. Sed age iam: infame ſepulchrum, quo veneficorum cadauera humabantur, ſatis euulgat tanti ſceleris magnitudinem. Nam ſic legimus in Leuitico capite vigeſimo, numero vigeſimo ſeptimo vbi dicitur:
Leuitic.20. n.27. *Vir, ſiue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur, lapidibus obruent eos: ſanguis eorum ſit ſuper illos.* Sed cur venefici, & arioli immiſſis, & acerbatis lapidibus erant ſepeliendi? Profecto; in ignominiam flagitioſiſſimi criminis. Nam mos erat apud Hebræos obruendi lapidibus eos, qui aliquod magnum flagitium commiſiſſent; vt de Acham conſtat. Ioſuë capite ſeptimo: de Abſalon ſecundo libro Regum, capite decimo octauo. De illo ſic numero vigeſimo ſexto: *Congregauerunt ſuper eum acerbum magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem.* Ioſuë 7.n.26
De iſto numero decimo ſeptimo: *Tulerunt Abſalon, & proiecerunt eum in ſaltu in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum acerbum lapidum magnum nimis.* Id ipſum obſeruatum fuit apud prophanos, & Gentiles, vt ſatis erudite refert Pater Ioannes Euſebius Nierembergius de origine ſcripturæ, libro tertio, capite octauo. Igitur cadauera lapidibus obruebantur propter magna ſcelera, vt ſepulchrum, quod aliis ſeruit ad honorem, ſceleratis immiſſis, & acerbatis lapidibus eſſet dedecus, & maior ignominia. Magis ergo, & veneficis non ſolum ignominioſa infligebatur mors, verum etiam infame præparabatur ſepulchrum. 2. Reg. 18. n.18. Euſebius.

Tandem contra veneficos concludamus, 72.
maiori affici pœna Magos, & incantatores, quam tyrannum Pharaonem, qui indurato corde, & temeraria audacia contra Dei iuſſionem detinebat populum in Ægypto. Suffragatur huic themati plaga illa veſicarum turgentium, quibus tota laborabat Ægyptus. Tunc ſit ait ſacer textus de maleficis, & incantatoribus: *Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera, quæ illis erant, & in omni terra Ægypti.* Exodi nono, numero vndecimo. Sed cur non de Pharaone, ſed de maleficis ſpecialiter dicitur, quod non poterant ſtare coram Moyſe, & quod maiori vlcerum dolore affligebantur? Rex enim eam qui populum dimittere recuſabat: quare ergo Rex, ſicut malefici, non torquebatur vlceribus? A Regis arbitrio pendebat populi manumiſſio, non à maleficis. Ergo ille merebatur maiori affici dolore. Cur ergo vlcera magis maleficos affligebant, quam Regem? Noſter Toſtatus rationem reddit his verbis: *Malefici in malitia obſtinati ob hoc contra niti non deſtiterunt: merito ergo nunc grauiora ipſi, quam cæteri vlcera tolerabant, & duriores veſicarum turgentium punctiones. Sentiebant enim malefici, quod dum plus ſtabant coram facie Moyſi acriter cruciabantur, fugerunt ergo à conſpectu eius.* Quaſi diceret: malefici, & incantatores obſtinati ſemper Magicis artibus nitebantur, ſimilia prodigia facere illis, quæ à Moyſe patrabantur, Regem, & Ægyptios decipientes. Ideo ergo turgentioribus, & grauioribus cruciabantur vlceribus, quam Pharao, qui populum affligebat. Vt exinde agnoſcas, maleficorum crimen ſeuerius à Deo puniri, quam Regis obſtinatam inobedientiam. Cauenda ergo eſt maleficiorum mortifera peſtis, quæ in animas ſæuiens, corpora etiam dedecore, & doloribus afficit. Nec ob aliam cauſam Sardius (qui vt refertur, maleficiis reſiſtit) in Pectorali primam ſedem obtinebat, niſi vt admoneret Pontificem quanto ſtudio, cura quanta hoc venenum peſtiferum à populo relegare tenebatur, ſiquidem ex Exod.9.n.11 Abulenſ.

eo tot damna, & incommoda patitur Respublica.

ILLATIO CXXV.

Sancti Philippi Apostoli, cui Sardius correspondet, quædam encomia.

73. ANdreas Cæsariensis in Commentario in Apocalyps. cap. 66. Expressis verbis asserit, Sardio, qui primo loco fulgebat in pectore Sacerdotis, vt constat ex hoc versu 17. Exodi, & sextum erat fundamentum cœlestis Hierusalem, correspondere beato Philippo Apostolo. Audi eum. *Per Sardium, qui fuluo, pellucidoque colore ignem æmulari, & vim tumores, & vulnera per ferrum inflicta sanandi sortitur, virtutis pulchritudinem Apostoli Philippi designari, arbitror.* Idem docuit Aretas in Apocalyps. cap. 67. dum ait: *Sextus est Sardius. Hic fuluo colore prosiliens, Philippum propter ignitum erga Christum affectum demonstrat.* Sed quid Philippus cum Sardio? Recole huius gemmæ proprietates, & omnes fulgentioribus radiis inuenies in Philippo.

Andr. Cæsar.

Aretas.

74. Prima Sardij virtus est, *Gaudium accendere.* Hoc præstitit Philippus cum audita Christi voce dicentis; *Sequere me.* Ioan. 1. num. 44. statim quæsiuit fratrem Nathanaël, quo inuento, summo cum gaudio dixit: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ; inuenimus Iesum filium Ioseph.* Ibidem 45. Non minori lætitia Nathanaël Dominum quæsiuit, & inuenit. Hunc effectum Caietanus Beato Philippo tribuit tanquam diuini Verbi instrumento: *Perspice*, inquit, *fructiferos Discipulos. Andreas trahit Petrum: Philippus trahit Nathanaëlem.*

Ioan. 1. n. 44.
Ibid. n. 45.

Caiet.

75. In hac sancti Philippi conuersione nescio quid magnum splendet, quo caruit Petri, & Andreæ conuersio. *Credidit Andreas* (inquit Chrysostomus homilia 22. in cap. 8. Matthæi, in 2. tomo,) *sed præsignante sibi Ioanne, & dicente: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Credidit autem Petrus, sed euangelizante sibi de illo Andrea, & dicente; inuenimus Messiam. Credidit & Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanaël dixit, quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ inuenimus Iesum à Nazareth.* Aliquid amplius addidit Chrysost. tom. 3. homil. in cap. 1. Ioannis. *Quare nulla iam iam me admiratio tenet, cur Philippus Christum secutus sit. Andreas enim audito Ioanne, Andreæ Petrus, hic nemine, sed tantum Christo dicente: sequere me, quam primum credidit, & secutus, aliis factus est Prædicator.* Vbi expendo; Philippum fuisse tertium Christi discipulum. Primus fuit Andreas: secundus Petrus: tertius Philippus, vt manifeste constat Ioan. 1. Item animaduerto, excellentiorem fuisse Philippi conuersionem: Nam Andreas audito Ioanne; Andreæ ministerio Petrus; Philippus vero tantum Christo dicente. Ergo excellentior fuit vocatio Philippi. Vel solo Christi verbo sequutus est eum, vt expendit noster Tostatus quæst. 37. in cap. 9. Matth. cum dixit: *Ad Philippum non dixit Christus, nisi sequere me.*

Chrysost.

75. Ioan. 14. n. 8. Contra hoc opponi potest: quia dicens Philippus Christum alloquens: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Ioan. 14. num. 8. eum reprehendit Christus his verbis: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt, & Patrem*, ibidem, num. 9. Non ergo perfecte credebat. Diuus Bernardus sermone 32. in Cantica obiectionem soluit. Nam cùm dixisset, viros perfectos, & Dei amicos semper habere votum augendi in perfectione virtutis, sic ait: *Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem: nec est omnino in omnibus apothecis sapientiæ, à quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidos veritatis, vanitatis non conscios. Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo: inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Talis Philippus, qui sibi, & suis condiscipulis Patrem flagitabat ostendi. Talis & Thomas, qui nisi suæ manu tangeret vulnus, & fossum latus, credere recusabat.... Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent, obtinent.* Et paulò inferiùs postquam dixit; Moysem consecutum Dei aspicere vultum, prosequitur: *Philippo quoque secundùm petitionem cordis sui ostensus est Pater in Filio, meo proculdubio, quod in continenti audiuit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, & quia ego in Patre, & Pater in me est.* Ex mente ergo Bernardi, Philippus ex magnanimitate cordis, & feruenti credendi, & proficiendi in fide desiderio æternum Patrem desiderabat videre: quod & Christus ei concessit, nam sui perfecta cognitione Pater cognoscitur æternus. Si ergo meruit, tantam Theologiam edisscere, proculdubio ex magnanimitate cordis sibi, & suis condiscipulis hunc desiderabat profectum.

Ibid. n. 9.

Bernardus.

Sardius *timorem depellit.* Hæc proprietas 76. etiam in Beato Philippo radiat. Constanti enim animo, & diuinitus audaci Hebionitarum hæresim reprehendit, qui asserebant, carnem Christi domini non veram, sed phantasticam. Vt refert sanctus Antoninus Florentiæ Archiepiscopus prima parte historiæ, titulo 6. capite 11. Rursum cùm à Paganis tentus ad statuam Martis duceretur, vt ei diuinum honorem, & cultum exhiberet: eò vt ventum est, draco inusitatæ magnitudinis ex vase statuæ erupit, Pontificisque filium, qui ignem ad sacrificium ministrabat, duosque Tribunos, qui Prouinciæ præerant, quorum satellites Philippum comprehensum habebant, certo quodam impetu vulneruit, multosque flatu oris in grauem morbum præcipitauit. Philippus tunc omnibus exposuit, si consilium eius sequi vellent, fore, vt non solum ij, qui draconis flatu in morbum incidissent, conualescerent, verum etiam ij, qui iam extincti essent, ab inferis excitarentur. Quin etiam se Dei sui nomine draconem, qui eis tam pestifer esset, fugaturum promisit, si Martis statuam deiecissent, & in eius loco crucem Iesu Christi collocassent, quam venerarentur, & colerent. Acquieuerunt Philippo, & qui antea ei fuerant infesti, scelerum suorum pœnitentes, Christum verum Deum confessi sunt. Tunc Philippus draconi imperauit Christi nomine, vt eò abiret, vbi nemini nocere posset, & omnes sanati sunt,

Antoninus.

& qui mortui fuerant, reuocati sunt ad vitam, & timore depulso in Fide Christi roborati sunt.

77. Hæc gemma *mentem acuit.* Virtus hæc etiam congruit Beato Philippo. Nam teste Diuo Hieronymo in cap. 3. Marc. sic de nostro Apostolo ait: *Et Philippum, qui est os lampadis, qui illuminare potest, ore, quod corde concepit. Cui dedit Dominus apertionem oris illuminati. Scimus hunc modum locutionis proprium scripturarum esse diuinarum, quando Hebræa nomina ad aliquod mysterium significationis sunt posita, quod nunc Dei Euangelista ex Dei persona vehementer affectans, interserit.* Id ipsum ex Remigio, & Cyrillo docuit noster Tostatus, quæst. 35. in cap. 10. Matth. his verbis: *Remigius dicit, & Cyrillus, quod Philippus interpretatur, os lampadis, siue lampadarum, quia lumen, quo illuminatus est à Domino, mox inuento fratri Nathanaël per officium oris studuit, propinare.* Idem docuit sanctus Antoninus citatus: *Philippus interpretatur os lampadis, vel os manuum.* Ex his manifestè patet, huic Apostolo excellentiori modo, quam Sardio conuenire, hoc quod est, acuere mentem, quia fratrem illuminauit, & quia ipsa nominis interpretatio hoc declarat. Sed placet expendere: cur ab Antonino non solum *os lampadis* interpretatur, sed etiam *os manuum?* Quia vocem, & manus habebat, hoc est, quia quod voce prædicabat, confirmabat opere, & exemplo.

Hieron. Abulens. Remigius. Cyrillus. Antonin.

78. De Sardio refertur, quod maleficiis resistit. Hoc mirifice fulget in nostro Apostolo, qui Dei virtute tot homines à dæmonum oppressione liberauit; vt constat Actorum 8. num. 7. vbi dicitur: *Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant.* Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi. 7. hæc expendens sic ait: *In eadem virtute Spiritus sancti, & Philippus in nomine Christi in ciuitate Samariæ eiiciebat spiritus immundos magna voce clamantes.*

Act. 8. n. 7. Cyril. Hier.

79. Tandem de hac gemma prædicatur, inter omnes gemmas tardius suffuso humore hebetari, in quo patientiæ tribuitur exemplar. Hæc excellentia fulgentissime splendet in Philippo: de quo sic scribit sanctus Antoninus loco citato. *Et cùm esset annorum octuaginta septem infideles ipsum captum cruci, quàm prædicabat, affixerunt ad instar Magistri sui.* Patientia etiam floruit teste Chrysostomo homilia 19. in cap. 1. Ioan. Qui cùm expenderet Philippi studium, quo, viso Domino fratri Nathanaëli eius annunciauit aduentum, & responsum ab ipso Nathanaële nempe; *A Nazareth potest aliquid boni esse?* In quo modestia prudens Nathanaëlis splenduit, fratrem non acribus, sed blandis verbis reprehendentis; non prætermittens Philippi patientiam fratris obiurgationem sustinentis, sic ait: *Necnon & Philippus prudenter quidem non indignatur, non agrè fert, vtpote parum creditus, sed expectat virum, vt ad Christum adducat, & ab ipso principio Apostolum gerit.* Cùm ergo Sardij proprietates clarioribus radiis fulgeant in Philippo, diuino consilio tanto Apostolo hæc gemma accommodatur.

Ioan. 1. n. 45.

De gemma Topazio.

Gemma, quæ topazius dicitur secundo loco fulgebat in pectore Pontificis. Hebraïcè dicitur, *Pitdah* teste Montano, & Oleastro. Circa huius gemmæ colotem variant authores. Anastasius Nissenus, quæst. 38. Andreas Cæsarien. cap. 66. in Apolyps. & alij topazio rubrum colorem adscribunt. Ille sic ait: *Topazius est quidem rubeus plusquam lapis carbunculus; nascitur Pazi, quæ est vrbs Indiæ:* Iste sic de topazio loquitur: *Per topazium, qui rubri est coloris, neque carbunculo absimilis,* &c. Montanus viridis esse coloris, & æmuli smaragdo. Idem docet Ribera libro tertio de vestibus sacerdotalibus, capite vndecimo, Dionysius Afer, Orphæus, Theophrastus, apud Alcazar in caput vigesimum primum Apocalypsis notatione vigesima quinta, Diuus Isidorus libro decimo sexto etymologiæ, capite septimo, hæc scribit: *Topazius ex virenti genere est, omnique colore resplendens: inuenta primum in Arabiæ Insula, in qua Troglodytæ prædones fame, & tempestate fessi, cùm herbarum radices effoderent, eruerunt.* Et post pauca prosequitur: *est autem amplissima gemmarum, eadem sola nobilium limam sentit.* Plinius libro trigesimo septimo, capite octauo. sic ait: *Egregia etiam nunc topazio gloria est suo virenti genere, & cum reperta est, prælata omnibus. Id accidit in Arabiæ insula, quæ Chitis vocatur: in quo Troglodytæ prædones cùm diutius fame, & tempestate pressi, herbas radicesque effoderunt, eruerunt topazion.* Et statim causam reddit, cur sic appelletur: *Topazum enim Troglodytarum lingua significationem habere, quærendi.* Idem Plinius ait, topazij fulgorem esse porri succo similem: non quia topazius sit similis succo, qui ex porro extrahitur, sed alicui liquori, cui idem est color, quem folia porri habent. Ita Alcazar citatus, qui etiam docet ex Ambrosio in Psalmum centesimum decimum octauum. Vincentio, & Berchorio, topazium omnium gemmarum superare claritatem. Abulensis ad caput vigesimum octauum, sic de topazo scribit: *Iste est lapis habens colorem commixtum ex auro, & cæsti, vt ait Isidorus Etymologiarum 16. & ante Solem positus super cateras gemmas lucet.* Sed in Beato Isidoro, quem præ manibus iam habeo, non certè extat, quod de topazio refert noster Tostatus.

80. Anast Niss. Andr. Cæsar. Montanus. Ribera. Dion. Afer. Orphæus. Theophr. Isidorus. Plinius. Alcazar. Abulens.

Plinius citatus multa huius lapidis refert genera, viliora tamen, & minus lucida. Idem tradit Iubam Mauritaniæ Regem inuenisse Insulam Topazon in mare rubro stadiis trecentis abesse nebulosam, & ideo quia quæsitam à nauigantibus nomen accepit, & inde gemmam, quia in ea repertam topazij nomen accepisse. Alij, teste ipso Plinio, hunc lapidem in Thebaïda nasci in oppido, quod dicitur, *Alabastrum*, docent: sed pretiosissimus est, qui reperitur in Carmania inter altissimas rupes, & post adamantem durissimus. De eo Augustinus ad illa verba Psalmi 118. *Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazium*, ait esse lapidem valde pretiosum, vbi

115.

Titelmanus per topazium omnem lapidem pretioſum intelligit; quaſi diceret Dauid. Dilexi mandata tua ſuper aurum, & omnem lapidem pretioſum. Quare Diuus Ambroſius ibidem ait auro ſimilem eſſe topazium, maxime cum Solis ſplendore perutitur. Georgius Agricola aſſerit, colorem topazij eſſe auro viridi ſimilem.

Ambroſ.
Georg. Agr.

82. De hac gemma in annotationibus Andreæ Baccij cap. 4. de gemmarum naturis refertur. Topazium magnitudine cæteras gemmas præcellere. Nam ex eo (teſte Iuba) Arſinoæ Ptolomæi Philadelphi vxori, quatuor cubitorum ſacrata fuit ſtatua. In topazio, (teſte Andrea Baccio) quem Neapoli habet Adrianus Guillelmus hæc litteris antiquis Romanis inciſa ſunt.

And. Bacc.
Iuba.

Natura deficit.
Fortuna mutatur.
Deus omnia cernit.

83. Huic gemmæ magnæ inſunt virtutes: Anaſtaſius Niſſenus loco citato ſic de illa ſcribit: *Conducit ad vitia oculorum, & hydromanias, ſi bibatur, & quæ ex vnda marina furore corripiuntur.* Abulenſis citatus: *Valet contra fræneſim, & morbum lunaticum, vt ait Dioſcorides: in hoc erat ſcriptum nomen Simeon.* Valet contra iram, illam cohibendo, aut ſedando, luxuriam reprimit, & triſtitiam depellit. Sic Vincentius, Berchorius, & alij. Inſuper Vincentius, Arnoldus, Berchorius, Rueus apud Alcazar vbi ſupra docent, topazio attemperari feruentis aquæ ebullitiones, nec eam efferueſcere pati, quantumuis plurimum admoueatur ignis. Quibus addit Vincentius; *Si ſupra rem bullientem ſuſpenditur, ceſſant ampullæ.* Quin etiam Rueus tradit; *Si annulum ex topazio effectum quiſpiam in manu teneat, poſſe eum intra feruentis aquæ lebetem manum ſecure iniicere.* Quod an verum ſit, non ſum expertus, imò nec credibile iudico, topazium tanta frigiditate pollere, vt feruentis aquæ calorem deuincere poſſit. Tandem Berchorius, & Vincentius affirmant, topazium eſſe pulcherrimam gemmarum, & in theſauris Regum nihil pretioſius inueniri, quod videntur, dicere propter antiquam de topazio æſtimationem, nam teſte Plinio cùm repertus eſt, omnibus gemmis Prælatus fuit.

Anaſt. Niſſ.
Abulenſ.
Vincent.
Berchorius.
Arnold.
Rueus.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CXXVI.

Maiora ſunt beneficia, quibus nos inimici iniuriis obſtringunt, illis, quibus amici obſequiis nos obligant.

84. PAradoxa videbitur propoſiti thematis aſſumptum. Nam amici obſequiis nos obligant, & honoribus afficiunt: inimici autem iniuriis nos lacerant, contumeliis deuenuſtant. Ergo amicis gratias deferre debemus; inimicis, ad ſummum ſat erit, indulgere. Diſpendium ergo erit, inimicis illatas iniurias grato animo compenſare. Sic iudicat mundus, non ſic dictat Philoſophia Chriſti, imò & Gentilis Senecæ confirmat teſtimonium de pœnitentia, capite ſexto: *Miſerum te iudico, quod non fuiſti miſer, tranſiſti ſine aduerſario vitam.* Miſeriæ indicium eſt, vitam tranſiiſſe abſque inimico: obſcuræ, & abiectæ virtutis eſt argumentum, inimicorum telis non agitari. Ergo, ſi cùm quis inimicorum infeſtatur inuidia, magnæ ſe comprobat eſſe virtutis; & cum verbis, aut factis, iniuriis afficitur, (patienter ſi tolerat,) felicem ſe prædicat: proculdubio gratias debemus referre inimicis, qui nobis tantæ felicitatis opportunitatem tribuerunt. Sic Dorotheus Abbas doctrina, 7. *Initiatus proficere, ſtudeat, videbitque debuiſſe magis ſeſe fratri illi gratias, quàm iniuriam referre, qui tantæ ſibi fuerit vtilitatis occaſio.* Non iniuriam, ſed gratias referendas eſſe famam lædenti, docet Dorotheus: quia indulgendi præbuit opportunitatem. Hanc non confert amicus, à quo obſequia, non iniurias recipimus. Ergo maiori titulo inimicis pro iniuriis, quàm amicis pro beneficiis gratias referre debemus: ſiquidem illi indulgendi opportunitatem nobis præbent, iſti non indulgentiæ, ſed gratitudinis conferunt occaſionem.

Senecæ.
Dorotheus.

85. Non latuit huius Philoſophiæ excellentia cœleſtem illum rubinum, inuictum athletam, & primum Chriſti ſigniferum, qui Euangelij vexilla ſuo purpurauit cruore, Stephanum dico, cùm inter lapidum turbines quateretur. Audi ſacrum Oraculum Actorum ſeptimo, numero quinquageſimo nono: *Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* Sic pro ſe orabat ſtrenuus, & inuictus Dux. Auſculta qualiter pro lapidantibus preces effunderet: *Poſitis autem genibus, clamauit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Ibidem, numero ſexageſimo: Mirabar iamdiu conſiderans, Stephanum ſtantem, & ſummiſſa voce orantem pro ſe: pro lapidantibus autem flexis genibus preces effundentem. (Hoc denotat illud, *Poſitis autem genibus*, nam tanquam nouum, & diſtinctum ſuperadditur,) & voce magna clamantem, hoc eſt, maiori conatu. Hoc abſque dubio admiratione dignum erat: nam ſat eſſet, æquali animo pro inimicis, & pro ſe preces emittere. Cur ergo Stephanus cùm pro ſe orat, ſtat; cùm pro lapidantibus genuflectitur? Profecto, ſeipſum poſtponit in precibus lapidantibus; quia iniuriis, quas inferebant, non ſolum ei indulgentiæ præbuerunt opportunitatem, ſed orationis. Tantum enim lucrum ex inimicorum indulgentia prouenire conſpexit; vt propter hoc grato animo, quam ſuppliciter potuit, pro perſequentibus Deum rogaret, eos vel ſibiipſi anteponens. Perbelle Auguſtinus ſermone primo de ſancto Stephano: *Qui ſtando ſuum ſpiritum commendauit Domino: pro illorum delicto fixo genu orauit.* Extollit Aurelius Stephani erga perſequentes amorem: quia maiori anxietate pro illis, quam pro ſe orauit. Sed rem

Act. 7. n. 59
Ibid. n. 60.
Aug.

hanc expressius docuit Bernardus sermone de sancto Stephano, cuius cogitatus extitit au-
Bernard. thor: *Positis genibus*, inquit, *quia vera & humili simplicitate pro se orans stat, & erigitur: pro lapidantibus flectit genua. Quis audiuit vnquam talem? Et quis vidit huic consimilem? Plus dolet persequentium peccatum, quam sua vulnera: illorum iniquitatem, quam suam mortem.*
Pet. Damian. Diuus Petrus Damianus sermone de sancto Stephano eisdem fere verbis, quibus Bernardus hoc ipsum confirmat, Vide quomodo ex mente horum Patrum sibiipsi strenuus athleta inimicos præposuit, plus dolens eorum peccatum, quàm suam mortem, & eorum iniquitatem, quàm sua vulnera: quia lapidum immissione habuit opportunitatem indulgendi. Ergo si propter hoc non dubitauit Stephanus, seipsum inimicis postponere; proculdubio maiori nos constringunt obligatione inimici, cùm nos iniuriis afficiunt, quàm amici, qui nobis præstiterunt obsequia.

86. Miser ille auarus, cum flammis torqueretur æternis, refrigerij guttam à patre Abrahamo petebat ardenter, & impetrare non poterat, Lucæ decimo sexto, numero vigesimo quar-
Luc. 16. n. 24 to: *Pater Abraham*, inquit infelix, *miserere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Satis erat auaro (si auaro potest, esse satis) permissionem petere, vt aliquis ex hæredibus, quibus opes, quas congregauerat auarè, reliquerat deuorandas, non guttam tantum, sed poculum chrystallinum, & frigidum ad sitis propinaret leuamen: Cur ergo Lazarum mitti, quem toties epulo impius despexit immaniter, petit ad flammatæ sitis refrigerium? Pete, ô miser, aliquem ex sodalibus, ex hæredibus aliquem, non Lazarum iniuriatum, non pauperem, quem fame toties, & contumeliis affecisti. Quænam tibi ratio persuasit, vt magis fideres exoso, quàm hæredibus familiaribus? Non stultè, sed cordatè satis se gerebat damnatus. Aquæ leuamen viribus totis cupiebat, vt linguæ temperaret cruciatus: Videbat hæredes, quibus opulentissimas reliquerat gazas, diuitiis plenos; aspiciebat Lazarum affectum iniuriis, sed iustum, & beatum: quapropter vtrorumque tale formabat iudicium. Illi ni sint ingrati, & beneficiorum obliti, forsan præstabunt sitis refrigerium. Pendula erat mens: namsæpe, qui maioribus beneficiis perfruuntur, ingratitudine compensant. Dubitabat ergo de his. De paupere Lazaro nec minimum dubium illi occurrit, ex eo solum, quod eum iustum, & beatum existimabat. Putabat ergo maiora à Lazaro accepturus obsequia, ex eo quod toties eum offendisset. Forsan Saluianus libro tertio ad Ecclesiam Catholicam patronus nobis existit, cùm de
Saluian. diuite epulone loquitur: *Tangi tunc ab eo desiderat, quem etiam videre antea despexerat.* Quod est dicere: ex eo quod diues pauperculum Lazarum despexerat, ob id desiderat, ab eo contingi, & guttulæ aquæ accipere refrigerium. Nam ea est iustorum conditio, vt damna, iniurias, & contumelias beneficiis, & obsequiis soluant: Ideoque dilues potius expectauit à Lazaro sitis leuamen, quam ab hæredibus; quia iniuriis illatis occasionem præbuit indulgendi.

Ioannis 15. numero 13. suam Discipulis 87.
Christus intimans voluntatem, sic ait: *Hoc* Ioan. 15.
est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut n. 13.
dilexi vos. Nec tacuit ipse huius eximij amo-
ris excellentiam; nam statim subdit: *Ma-* Ibid. n. 16.
iorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Sed ni fallor, adhuc videtur latere præstantioris amoris excellentia. Nam inimicorum amor præstantior est absque dubio amicorum dilectione. Docuerat id Augustinus sermone quin-
quagesimo nono de tempore, his verbis: *Plus* August.
diligendi sunt inimici, quàm amici. Qui enim inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia; quia carnalia nostra, & terrena rapiunt, cœlestia nobis, & spiritualia congregant. Nónne magis diligendus est, quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes? Amici vero carnis nostræ præparant æternam mortem. Succedat Doctor Angelicus 2. 2. quæstione 27. articulo 7. in corpore: ibi enim nostri thematis exquirens veritatem, sic inter vtrumque amicorum, & inimicorum amorem constituit discrimen, hunc præponens illi. Audi rationem Angelici: *Quia dilectionis* S. Thom.
amici potest esse alia ratio, quam Deus: sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Cum ergo dilectionis erga inimicos motiua ratio sit Deus: erga amicos autem possit esse alia ratio, nempe, obsequia, beneficia, &c. absque dubio excellentior est inimicorum amor. Si ergo, vt patet, affectus erga inimicos præstat amicorum amori: quomodo Christus, quando proponit Discipulis diligendi præceptum, ait: *Maiorem hac dilectionem nemo ha-* Gregor.
bet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis? Potius enim deberet dicere; vt animam ponat pro inimicis, siquidem erga inimicos dilectio multò præstantior est, vt vidimus ex Thoma, & Augustino, erga amicos dilectione. Elegantèr, & acute Diuus Gregorius homilia 27. in Euangelium dubitationi occurrit, cuius verba sunt: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Mori etenim Christus pro inimicis venerat, & tamen positurus pro amicis animam dicebat: vt profecto nobis ostenderet, quia dum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, & ipsi amici sunt, qui persequuntur.* Inter amicos reputandi sunt inimici; quia quamuis contumeliis nos derrectent, iniuriis nos affligant, opprobriis nos deuenustent, cùm tamen magnum lucrum ex amore erga ipsos percipiamus, eos amicos existimare debemus, & vt talibus gratias exhibere. Ergo inimici amici nõstri sunt; imò plus quam amici, quia dum corpori aduersantur, animæ præparant æterna premia, & dum carnalia nostra, & terrena rapiunt, cœlestia nobis, & spiritualia congregant; at amici carnis nostræ (vt cum Augustino loquar) præparant æternam mortem.

Non longe abhinc abest Beatus Paulus, 88.
cum eximium suæ charitatis ardorem explicaret, dixit ad Romanos 9. num 3. *Optabam enim* Ad Rom. 9.
ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. num. 3.

Doctor

S.Tho. Doctor Angelicus ibidem pro illo, *optabam*; legit, *optanerim*, id eſt, ſimili fuiſſet permiſſum, optarem anathema eſſe pro fratribus meis. Sed quid in hoc loco intelligendum ſit per hoc verbum, *anathema*, variant Doctores. Phocius, & Chryſoſtomus ibidem homilia 16. putarunt, tanto amoris incendio cor Pauli flagraſſe, vt piè prodigus propter fratrum ſalutem cœleſtia bona relinqueret: *Optabam ego ipſe anathema eſſe pro Chriſto. A Cœlorum Regno libens exciderem, & ab illa arcana gloria.* De amiſſione gratiæ id explicat Æcumenius ibidem: *Optat ſeparari à dilectione Dei, vt dilectionem adaugeat.* Sed videre reſtat pro quibus hæc tanto ardore optaret Apoſtolus? Auguſtinus ſermone 59. de tempore, vbi Vulgatus textus legit: *Pro fratribus*; legendum putat: *Pro perſecutoribus*, ſic dicens: *Paulus anathema eſſe cupit pro perſecutoribus.* Mirum eſt, Auguſtinum ſic legiſſe, & fratres perſecutores appellaſſe. Sed ne mireris; cum inter fratres (Proh dolor) ſoleat, vel bonorum cupiditas, vel honoris ambitio, tot lites, & diſcordias diſſeminare, vt frater contra fratrem ſit infeſtior hoſtis. Paulus autem inimicos reputat fratres. His poſitis, liceat, inquirere: cur Paulus pro perſecutoribus, ſi fas eſſet, gratiam, & gloriam amittere optaret ardenter? Si tanto erga amicos arderet amore, haud eſſet difficile: at erga perſecutores, & inimicos, inauditum videtur, & arduum. Sed quid mirum? Nam ſic Paulus ſtrenuus Chriſti miles in Euangelica Philoſophia erat inſtructus, vt maiori conatu, & intenſiori affectu perſecutoribus bona deſideraret, quam amicis. Quia ab iſtis commoda, obſequia, & honores; ab illis probra, contumelias, & detractiones ſuſtinebat. Cùm ergo perſecutores, & inimici irrogando iniurias, Paulo opportunitatem præberent indulgendi, pro his potius, quam pro illis anathema eſſe cupiebat, quaſi gratias referens pro tanto beneficio. Vide nunc quomodo gratiores erga inimicos, quam erga amicos iuſti ſe exhibent, & perfecti. Falluntur ergo iniurias vindicantes, cùm potius pro illis gratias deberent referre; quia ab eis accipiunt indulgendi opportunitatem.

Phocius. Chryſoſt.

Æcumen.

Auguſt.

89. In topazio ſecunda gemma Pectoralis Simeonis nomen erat ſculptum tanquam in antidoto contra iram, & furorem. Scitum eſt namque Simeonem propter ſtuprum ſororis Dinæ tanto arſiſſe furore contra Sichem, & patrem eius Hemor, & contra omnes maſculos ciuitatis Salem, vt vna die interfecerit omnes maſculos, vt conſtat Geneſis 34. Rurſus, (vt prænotauimus ſupra numero 83.) topazius virtutem habet ad ſedandum iræ phræneticum ardorem. Simeon ergo, qui acriter, & vſque ad ſanguinis effuſionem illatam iniuriam vindicauit, in topazio ſcribitur; vt diſcat Sacerdos, iram refrænare, iniurias remittere, & propter opportunitatem indulgendi, quam præbuerunt, gratiores gratias referre perſecutoribus, quam amicis. Iſti namque non remittendi, ſed gratificandi opportunitatem offerunt; illi tanti lucri, vt qui iniurias remittit in altiori ſede videatur collocari, & ad diuinam filiationem euehi. Quod ſequenti illatione erit perſpicuum.

Illatio CXXVII.

Qui diligit inimicum, efficitur filius Dei

90. GRatias referendas eſſe inimicis pro contumeliis illatis, ſatis ſuperque illatione præmiſſa demonſtrauimus; quia nobis præbent indulgendi opportunitatem, quæ magni ſemper habenda eſt. Nunc ad maiora veniamus. Dico ergo ita excellentem eſſe erga inimicos amorem, & remiſſionem iniuriarum, vt generet filios Dei perſecutorum amantes, & inimicis parcentes. Non tacuit hoc ſacrum Oraculum Matth. 5. ſed audi Auguſtinum ſerm. 5. de ſancto Stephano: *Per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei: imò non ſolum amicus, ſed etiam filius, ſicut ipſe Dominus dixit: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Auguſt.

91. Transfiguratur Chriſtus in Thaboris vertice coram electis, & dilectis teſtibus; & ſuæ gloriæ radios ſpargens in corpus, veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix, & facies eius reſplendens ſicut Sol. E cœlo Pater intonuit dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 17. num. 5. A Thabor veniamus ad Caluarium, ibique Chriſtum inueniemus clauis confoſſum, ſpinis redimitum, immaniſſimis verberibus flagellatum, conſputum, deſpectum, & à Patre derelictum, ſicut ipſe conqueritur, Matth. 27. num. 46. dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* O Pater luminum! Cur Chriſtum prædicas Filium in Thabor, quem derelinquis in cruce? Illic apparuit glorioſus, & à Moyſe, & Elia veneratur vt Dominus, & vt Deus: in cruce tot contumeliis affectus, plagis tot vulneratus, vix ab amicis agnoſcitur. Ergo in cruce teſtimonio Patris indigebat, non in excelſo monte, in quo ſe oſtendebat glorioſum. Quare ergo Pater Deus in Thabor teſtimonium perhibet de Filio, & in cruce non ſolum tacet, ſed eum derelinquit? Quia in cruce pro perſecutoribus exorauit: dicens: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Luc. 23. num. 34. Quia pro inimicis interpellat, paterno in cruce non indiget teſtimonio, vt vere credatur Filius Dei. In ipſa hora, poſtquam Chriſtus è cruce pendens pro inimicis, & perſecutoribus orauit: Tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram, vſque in horam nonam, & obſcuratus eſt Sol velut tenebrarum cupidus, lucis cùm ſit parens ſplendidus, lugubri veſte obſcuratur Creatoris mortem deplorans: vel vt dixit Athanaſ. Magn. lib. de incarn. Verbi: *Vniuerſa rerum fabrica confitebatur eum, qui in corpore apparebat, & ſupplicia patiebatur, non hominem ſimpliciter, ſed Dei Filium, ac Saluatorem eſſe omnium.* Obſcuratus eſt ergo Sol, & elementorum perturbatur concentus, audito illo: *Pater dimittis illis*, &c. vt Chriſtum vere Filium Dei fatererentur, qui pro perſecutoribus exorabat. Teſtificabantur ergo inſenſibiles creaturæ, quæ vſque tunc tacuerant, Chriſtum eſſe Filium Dei, qui tanto erga inimicos ardebat amore. Mat. 17. n. 5. Mat. 27. n. 46. Luc. 23. n. 34. Athanaſius.

92. *Dimittite, & dimittemini*, dicebat Christus Lucæ 6. num. 37. Dorotheus Abbas hæc verba expendens Doctrina 14. sic ait: *Videtur enim Deus nobis potestatem dedisse dimittendi peccata inter nos commissa.* Difficilis videtur hæc expositio. Nam quî fieri potest, vt homo si laïcus, sit, peccata dimittat, etiamsi remittat iniurias, & diligat inimicos? Peccatorum funes disrumpere proprium munus, & potestas est Sacerdotum, qui vt Dei ministri tanta gaudent dignitate: at laïci quantumuis diligant inimicos, absoluendi à peccatis potestatem non habent. Quomodo ergo Dorotheus ait, Deum remittentibus iniurias quasi dedisse potestatem remittendi peccata inter nos commissa? Et crescit difficultas, quia peccata dimittere, diuinæ solum est potestatis. Ob hanc causam, cum Christus apud Pharisæum hospitaretur, & dixisset Magdalenæ, remittuntur tibi peccata tua, murmurabant discumbentes intra se, & dicebant: *Quis est hic, qui peccata dimittit?* Lucæ 7. numero 49. & Matthæi 9. numero 2. quando dixit paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Quidam de scribis dixerunt intra se, hic blasphemat.* Ergo peccata dimittere solius diuinæ potestatis est elogium, aut Sacerdotum Dei, cuius vices feliciter gerunt. Quomodo ergo à Dorotheo asseritur, remittentes iniurias peccata inter nos commissa condonare? Accipe sententiæ leporem. Quia iniurias dimittere, in tantam dignitatem eleuat hominem, vt diuina perfruatur filiatione. Cùm ergo, qui filius Dei naturalis est, potestatem habeat peccata dimittendi; & qui inimicos diligens iniurias remittit, filius Dei fiat adoptiuus, videtur, posse absoluere à peccatis. Non quia à peccatis absoluat, ni sit Sacerdos; sed quia cum iniuria nascatur ex peccato, qui illam remittit, peccatum videtur expiare. Si ergo, qui peccata dimittit, se comprobat filium Dei, (ô dignitas Sacerdotum!) qui iniurias condonat, quæ tantam connexionem habent cum peccato, videtur habere potestatem peccata dimittendi, non quoad culpam, sed quoad iniuriam. Ergo Dei filius comprobatur.

Luc.6.n.37. Doroth. Luc.7. n.49. Matth.9.n 2.

93. Quæritur inter Theologos: cur ex tribus Personis Verbum nostram naturam assumpsit? Si vt humani generis repararetur lapsus, & damna soluerentur, tantum fuit patratum mysterium: quælibet ex diuinis Personis superabundantem pro nobis exhiberet satisfactionem. Cur ergo filius assumpsit nostram naturam? Dixere multa multi, sed ea referre non est præsentis instituti. Ad nostrum ergo responsum audi. Deliquerat homo à serpente deceptus, putans ad diuinam, & incomprehensibilem naturam eleuandum fore; *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Genesis 3. num. 5. in quo directe contra diuinum Verbum eleuabat vexillum (nam in Verbo diuinæ scientiæ thesauri positi sunt,) & Imaginem Dei homo arroganter vsurpare præsumpsit. Ergo cùm Verbum sit Imago Patris, contra Dei Filium homo se erigebat superbè. Vt ergo notum sit apud omnes æternum, & incommutabile verbum diuina gaudere filiatione, nostram assumpsit naturam, & in ea pro peccato protoparentis nostri satisfecit, & sic æterni Patris Filium se ostentet gloriosè. Nam pro iniuria non solum indulgentiam, sed admirabilem, superabundantemque satisfactionem exhibens, absque dubio Filius Dei crederetur. Adest Bernardus sermone primo: *Super Missus est*, loquens nomine Christi: *Ecce occasione mei creaturas suas Pater amisit, Angelos perdidit multos, homines vniuersos: ergo vt sciant omnes, quod ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodo per me amissse videtur.* Tam homo, quàm Angelus superbè contra Dei Imaginem conspirant. *Similis ero Altissimo*, dixerat Angelus: homo credidit vane eandem similitudinem possidere posse. Ab vtroque diuinum Verbum, & Imago Patris, & figura substantiæ eius extitit iniuriatum. Pro peccato ergo hominis satisfecit, nostram naturam assumens, vt amorem erga offendentem ostenderet, & se verum Dei Filium comprobaret apud homines. Tanta excellentia gaudet erga inimicos dilectio! Disce ergo ex his, iniurias remittere, & inimicos amare, si ad diuinam gratiæ filiationem, & adoptiuam Dei similitudinem cupis ascendere, aut eleuari desideras. Perbelle Origenes homil. 2. in Psalm. 38. *Si non solum amicis tuis benefacis, sed etiam inimicis reddis bona pro malis: sicut Pater cœlestis Solem suum oriri facit super iustos, & iniustos; imago in te cœlestis est.* Expende hæc vltima verba: *Imago in te cœlestis est.*. Imago Dei est æternum Verbum, Dei Filius, & figura substantiæ eius. Eris ergo adoptione gratiæ Dei filius, & imago Patris, si diligas inimicum, & iniurias, & detractiones remittas.

Genes. 3.n.5. Origen.

94. Vix sine Beato Stephano huius perillustre exemplar præsentis thematis possumus concludere assumptum. Cùm lapidantium quateretur furoribus, in cœlum intendens ait: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Actor. 7. num. 59. & statim nullis interiectis prosequitur inuictus Christi miles, & imitator. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Miror: quia in his non videtur Stephanus recto ordine processisse. Nam prius Dominum deprecatur, vt suum accipiat spiritum, & statim: pro lapidantibus orat: cùm è conuersò dicere teneretur: Domine ne statuas illis hoc peccatum; & exinde, suscipe spiritum meum. Si prius orasset pro inimicis, confidenter posset dicere; suscipe animam meam, cum inimicorum amori absque dubio tanta retributio corresponderet, vt in sinu Dei anima parcens requiesceret, vt notauerat Augustinus sermone 5. de Beato Stephano expendens illud, *Et cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino*, Actorum 7. num. 6. his verbis: *Felix somnus, & requies vera. Ecce, quid est requiescere: pro inimicis orare.* Ergo aptiorem seruaret stylum, si prius pro inimicis oraret, & statim deprecaretur animæ suæ susceptionem, & requiem. Cur ergo inuertit ordinem? Pro hac obiectione soluenda multa, nec inutilia se offerunt. Primo: possumus dicere; ideo hoc fecisse Stephanum, vt declararet, non mori, sed quiescere, qui inimicis indulget, & pro eis orat. Secundo: vt ostenderet, non terræ, sed cælestis patriæ

Act.7.n.59. Act.7.n.60. Act.7.n.60. August.

patriæ esse incolam, qui diligit inimicos. Tertiò: quia iniurias remittere ita magnum est, vt ad hoc non valeat, nisi spiritus in sinu Christi requiescens. Tandem: vt neminem lateret, ita proprium esse filij Dei, iniurias remittere, vt Stephanus ad suas condonandas inuellet, suum Spiritum à Christo Domino possideri, denotans in hoc, Spiritum Christi habere, & filij Dei, qui inimicis indulget, eos diligit, & pro persecutoribus deprecatur.

95. Nec solum amicus, & filius Dei efficitur, qui diligit inimicos: verum etiam ipsius Filij Dei aliquo modo pater nominatur. Non semel tantum, sed sæpe sæpius æternum Verbum dicitur Deus Abraham, Isaac, & Iacob in sacro eloquio, vt constat Exod. 3. num. 6. Exod. 4. num. 5. & alibi. Similiter dicitur Deus Dauid. 4. Reg. 20. num. 5. In Euangelio Christus Dominus filius Abraham & Dauid prædicatur à
Matth. 1. n. 1 Matthæo cap. 1. num. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, cap. 9. n. 27. cap. 15. num. 22. Filius Dei viui appellatur, Matth. 16. num. 16. Marc. 5. num. 7. & alibi passim. Sed cur Christus, qui in veteri testamento Deus Abraham, Isaac, & Iacob dicebatur; in Euangelio quanuis filius Dei nuncupetur, non erubescit Abrahami, & Dauidis filium appellari, cum tamen Isaaci, & Iacobi filium nusquam legamus scriptum? Si ex eo quod ab Abrahamo, & Dauide ducebat originem; eandem sumpsit ex Isaac, & Iacob. Quare ergo Isaaci, & Iacobi non prædicatur filius, sicut Abrahami, & Dauidis? Quia vterque amicitiam amarunt, rixas, & seditiones extinxerunt, & inimicos amore ardenti prosecuti sunt. De Abrahamo dicitur Genes. 13. num. 8. Lotho cessisse, ne inter vtrumque esset iurgium, optionem dans, vt eligeret terram, vel ad dexteram, vel ad sinistram. De Dauide legimus. 2. Reg. 18. num. 5. persecutorem, & parricidam Absalonem ardenter amasse, quando hic feraliter mortem patris machinabatur ambitione regnandi: & cap. 19. num. 33. magno fletu Absalonis infaustum exitum deplorauit: & alibi multoties de Dauide narratur beneficiis accumulasse inimicos. De Isaac, & Iacobo nihil tale legimus. En tibi ob quam causam, Deus, qui olim dicebatur Deus Abraham, Isaac, & Iacob; filius Abraham, & Dauidis nuncupetur. Quia ille pacem seruare, euitare iurgia totis viribus contendebat, & Dauid ardenter persecutores amabat. Quinimo specialius, & frequentius Christus Dominus Dauidis dicitur filius ob insignem erga inimicos amorem, & ob eundem omnibus præfertur in auorum Christi serie. Vide iam nunc inimicis parcentes, aduersarios amantes non ad filiorum Dei eleuari dignitatem, verum etiam ipsius filij Dei vocari parentes.

Illatio CXXVIII.

Deum habet vindicem iniuriarum, qui patienter tolerat iniurias.

96. NVllibi est securus, qui alium offendit: nam ipsa iniuria illata offendenti incutit timorem. Ergo felicior est, qui eam patitur, quam qui eam intulit. Nam ille accepta iniuria secure viuit, iste semper timore concutitur. Non hæc prælibaui, vt animos excitem ad vindictam (absit hoc ab omnium fidelium corde) sed vt potius eos reuocem à vindicta. Sciat, qui iniuriam patitur, supremum habere vindicem, si eam patienter tolerat, & à vindicta desistit.

97. Deuteronom. 32. num. 35. sic Deus suos à vindicta reuocat: *Mea est vltio, & ego retribuam eis.* Tertullian. lib. de patientia cap. 10. sic legit: *Vindictam mihi, & ego vindicabo. Id est; patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.* Perdifficilis est lectio Tertulliani; quia patientiam cum vindicta confundere videtur. Quid enim habet patientia cum vindicta, vt confundantur à Tertulliano, cum potius sibi vnaquæque videatur contrariari? Ec cur Deus patientiam exoptat, cum de vindicta instituit sermonem? Profecto: nihil aliud, nisi vt ostendat, constituere se vindicem iniuriarum, quæ tollerantur patienter. Deut. 32. n 35. Tertullian.

98. Contra Magdalenam murmurauit Pharisæus, simulque contra Christum euomit venenum linguæ. Lucæ 7. num. 39. dicens. *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Et quid mirum, quod Pharisæus detrahat Magdalenæ honori, si discipuli Iesu, si vel ipsa Martha murmurarunt. Illud Matth. 26. n. 8. & illud Lucæ 10. num. 40. Omnia hæc patienter sustulit Magdalena. Quid inde? Pro ea Pharisæo respondit Christus, & peccatricis amorem commendauit; discipulis dixit, bonum opus operatam; & Marthæ optimam partem elegisse Mariam. Sed cur Dominus pro ea respondit? Quia patienter tollerauit iniurias. Sic Bernardus sermon. 3. de Assumptione, dum ait: Vide prærogatiuam Mariæ, quæ in omni causa Christum habet aduocatum. *Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror, & discipuli murmurant, vbique Maria tacet, & pro ea loquitur Christus: optimam partem elegit Maria.* Quia Magdalena tacet, hoc est, quia patienter tolerat iurgia, ideo Christum habet aduocatum, & optimam partem elegit. Et quæ est hæc optima pars, quam sibi elegit Maria? Tacere potius, vel sustinere iniurias, quam vel solo verbo vindicare. Ob hoc ergo Christus Dominus causam eius agit libenter. Luc. 7. n. 39. Bernardus.

99. Parricidali impulsu nefarius Caïn contra fratrem insurgit, & occidens eum, morti ianuam aperuit, vt in hominibus possessionem acciperet. *Cumque essent in agro consurrexit Caïn aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Genes. 4. num. 8. D. Ambros. lib. 2. de Abel cap. 8. loquens de agro illo, vel loco, in quo tantum scelus fuerat patratum sic ait: *Locus nudus gignentium eligitur.* id est, non herbæ tegumento ornatus, non florum varietate pulcher, nec arborum amænitate consitus; sed nudus, sine herba sine floribus, sine planta. At cur infæcunda sterilitate terra illa vegetatiuo caruit ornatu? Respondeat Ambrosius: *Præsagiens natura tanti sceleris loco germina denegauerat.* Natura ipsa quasi præuidens parricidium, terram, in qua committendum erat, germini- Genes. 4. n. 8. Ambros.

bus ſpoliauit, vindicans tantum nefas. Domus, in qua crimen læſæ maieſtatis fuit patratum, demolitur, & ſolum ſale conſpergitur in tanti criminis vindictam, vt infæcunditatem à ſale mutuans prorſus ſit ſterilis: non aliter natura, vel Deus ſupremus gubernator tantum nefas præſagiens, loco, in quo fuit commiſſum, germina denegauit, vindicans ſanguinem iuſti iniuſte effuſum. Vide, qualem vindicem habeant iuſti, patienter iniurias tolerando!

100. Inuaſerat ſpiritus Dei malus Saül, & melancoliæ (vt cum Caietano ſentiam) nimio laborabat affectu: Dauid autem, vt regi aliquod præſtaret leuamen, pſallebat manu ſua ſicut per ſingulos dies. Quid inde? *Tenebatque Saül lanceam, & miſit eam, putans, quod configere poſſet Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius ſecundo. Et timuit Saül Dauid, eo quod Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet.* 1. Reg. 18. à num. 11. ſatis ingrate Saül leuamen muſicæ compenſabat Dauidi. Non nouum, etſi indignum, reges pro obſequiis moleſtias, exilia, mortem reddere. Sed diſquirere oportet; cur rex timebat Dauidem: *Et timuit Saül Dauid?* Immiſerat Saül contra Dauidem lanceam: at iſte telum non retorquens, ſed iniuriam remittens, euaſit. Non ergo timuit Saül, Dauidem hanc offenſam vindicaturum, ſed Deum vindicem timebat videns Dauidem patienter iteratam offenſam ſuſtuliſſe: ob idque ad eum transferendum regnum; nam qui parcit purpura dignus eſt. Nec id tacuit Caietanus ibidem, cum dixit: *Non timuit Saül malum inferendum à Dauide perſonæ ſuæ, ſed priuationem ſucceſſionis in regno inferendam, ex eo, quod Deus erat cum Dauide.* Fugiebat Dauid, & tamen cor regis formidabat, non à Dauide malum aliquod inferendum, ſed à Deo; quia vindex iuſtus eſt illorum, qui iniurias tolerant, & remittunt.

1. Reg. 18. à n. 11.

Caiet.

101. Tyrannicè, impiè, & parricidali macula fœdus princeps Abſalom mortifero animo Dauidem patrem inſectabatur: fugit rex, palatium deſerit, & campeſtria, & montana diſcurrens confidens in Domino felicem exitum expectabat. Quid inde, vt multa omittam? Accidit, vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo: cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum, & terram mulus, cui inſedebat pertranſiuit. Cumque Ioab vidiſſet Abſalonem, tulit tres lanceas in manu, & infixit eas in corde Abſalonis, & tandem occiſus fuit à ſeruis Ioab. Chuſi diligenter profectus peruenit ad Dauidem & ait: *Bonum apporto nuncium, Domine mi rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui ſurrexerunt contra te.* 2. Reg. 18. num. 9. Sed cur, cum geſta narrat Chuſi, Deo tribuit vindictam, quam Ioab ſumpſerat de Abſolone? Saluianus Maſſilienſ. lib. 2. de prouident. Sic reſpondet. *Eundem* (id eſt, Dauidem) *cum fugaſſet è regno filius perſecutor, iudex in breui Dominus vindicauit. Nec vindicauit tantum, ſed cumulatius vindicauit, quam ipſe voluit, qui vindicabatur: vt oſtenderet ſcilicet Deus grauiorem ſibi eſſe iniuriam iniuſta tolerantium, quam tolerantibus ſuam.* Iniuſte Abſalon patrem perſequebatur; at iſte etſi à regno expulſus, ſemper in corde, in viſceribus ſemper Abſalonem tenebat, præcipiens duci, & militibus, ſeruate, & cuſtodite mihi puerum Abſalon; hîc num. 5. En tibi cauſa, ob quam Deus vindicauit Dauidem: quia illatas à filio iniurias patienter ſuſtulit. Merito ergo Deus cumulatius vindicauit Dauidem, quam ipſe cupiebat.

2. Reg. 18. n. 9.

Saluianus.

Cum ergo Deus (vt vidimus) iudex, & vindex iniuriarum conſtituatur; felicior eſt, qui eas patienter tolerat, quam qui eas intulit iniuſte. Sed audi S. Zenonem Veronenſ. ſerm. in Pſalm. 128. vt iniurias diſcamus remittere, & inferentibus indulgere. *Omnes humanæ iniuriæ*, inquit, *quæ religioſis viris inferuntur, non eoſdem habent auctores, quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt, ſed diaboli inſtinctus eſt.* Et ſtatim proſequitur: *Neque iraſcendum eſt hominibus alienæ inſtigationis operariis: ſed potius in his deteſtandi officij interceſſio fœda, miſeranda eſt, quod ſint vaſa diaboli, Sathanæ miniſterium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ, ac nequitiæ paritores.* Id ipſum dixerat Origenes. Homil. 3. in Pſalm. 36. *Omnes peccatores, in quibus diabolus loquitur ſagittæ diaboli dici poſſunt. Si quando ergo te videris, per os peccatoris ſagittis diaboli vulnerari, illius quidem miſerere, qui ſe ad hoc opus exhibet diaboli miniſtrum.* Diſce ergo ex his, iniurias deſpicere, remittere opprobria, perſecutores diligere, illorumque miſereri, qui diabolo infeliciter inſeruiunt, vt tibi iniurias irrogant.

102.

Zeno. Veron.

Origenes.

ILLATIO CXXIX.

Beati Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, cui topazius cor reſpondebat, quædam elogia.

ANdreas Cæſarienſ. Comment. in Apocal. cap. 66. ſic de topazio ſcribit: *Per topazium, qui rubri eſt coloris, neque carbunculo abſimilis, lacteumque liquorem, qui iis opitulari, fertur, qui ex oculis laborant, emittit, beatus Matthæus ſignificatus videtur. Nam is diuino zelo fuit inflammatus, & ſanguine propter Chriſtum fuſo dignus eſt habitus, qui per Euangelium eos, qui corde cæcutiebant, illuminaret, modoque genitos fidei lacte potaret.* De eodem Apoſtolo id ipſum pronunciauit Arethas in Apocalipſ. cap. 67.

103. Andr. Cæſar.

Matthæus binomius fuit. Leui vocabatur, vt conſtat, Marc. 2. num. 14. *Et cum præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium*, &c. Et Lucæ 5. num. 27. *Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui ſedentem ad telonium.* Ecce vnum nomen. En tibi alterum: *Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine*, &c. Matth. 9. n. 9. Quæ nomina infra expendemus: hic aduertere non deſinam, quod annotauit Anaſtaſius Synaita lib. 8. in Hexameron in fine, vbi comparans quatuor Euangeliſtas cum totidem fluuiis, qui è paradiſo voluptatis egrediebantur, de B. Matthæo ſic ſcribit: *Nam Matthæus quidem*

104. Marc. 2. n. 14. Lucæ 5. n. 27. Matth. 9. n. 9.

Anaſt. Synai.

dem interpretatur mandatum altissimi. Et paulo inferius prosequitur: *Primus ergo Matthæus, qui dicitur, Physon, quod quidem interpretatur oris alteratio. Nam cum Matthæus scripserit Euangelium sermone Hebraico fuit alteratus, & interpretando transmutatus sermo oris eius à Luca, & Paulo in vocem Græcam.* Abulensis q. 15. in cap. 2. Genes. de fluuio Physon scribens sic
Abulens. ait: *Physon quasi mutatio oris, quia faciem suam, id est, apparentiam mutat in tribus, scilicet in colore, quia alicubi clarus, alicubi turbidus; in quantitate, quia alicubi diffusus, alicubi strictus: & sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus.* Hæc non incongrue beato Matthæo adaptari possunt: nam cum turbidus esset tenebris vsuratum, clarus apparuit postea cum eas deseliquens secutus est Christum: Cum antea rapinis deditus strictus esset, post vocationem omnia diffundebat, & erogabat: Tandem cum ad telonium sedens algeret erga proximos; postea diuini amoris accensus igne omnes ardenter amabat. Aliam huius nominis Physon interpretationem adducit noster Tostatus loco relato his verbis: *Vel dicitur Physon, id est abundantia, quia piscibus abundat, vel quia terram per quam transit abundantem facit.* Sic Matthæus innumeros pisces diuinæ prædicationis hamo Christo cæpit: & Æthiopiæ regnum abundare fecit Euangelij fœcunditate, obinde-
Hugo Caress. que ab Hugone Carensi *Matthæus, id est à Deo donatus* interpretatur ad cap. 9. Matth.

105. Vidisti num. præcedenti à Marco, & Luca Matthæum non hoc nomine, sed Leui cognominari, ab ipso vero proprio nomine. Notauit hoc Victor Antiochenus ad cap. 2. Marci, his
Vict. Antio. verbis: *Et quidem B. Marcus, & Lucas nomen, quod illi familiare erat, primæua appellatione obnubunt. At ipse vero Leui dum Euangelij historiam contexit, palam, quæ ad se pertinebant, denunciat, ait enim: cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine.* Sed cur Matthæus proprium exprimit nomen, quando illud obnubunt Marcus, & Lucas? Respondet idem Victor: *Quò enim medici artem impensius admireris, suum ipse vulnus aperit.* Voluit Matthæus Christi erga eum misericordiam ostendere: quia quantumuis in iniquitatum fœcibus immersus iaceret, à Domino clementer inuitatus, & ardenter vocatus fuerat. Aliam rationem adducit Abulens. q. 35.
Abulens. ad cap. 9. Matth. *Dicendum*, inquit, *quod Matthæus ex humilitate hoc facit, illi autem ex vrbanitate. Primum patet, quia Matthæus ex humilitate non vult abscondere ignominiam suam: erat enim publicanus, & quando scripsit hoc, cognoscebatur sub hoc nomine Matthæus, & ita de cætero à toto sæculo agnoscendus erat: illud autem nomen Leui abierat in desuetudinem. Si ergo sub hoc nomine Leui de se loqueretur, cum sic à raris agnosceretur, videretur occultare ignominiam suam. Et ideo Matthæum se nominauit, vt omnes agnoscerent, quod de se loqueretur, seipsum quantum ad priorem statum accusando.* Sed ad quid suam ignominiam explanabat? Vel cur obliuione non sepeliuit vilem teloneatij statum? Quia pluris fecit diuinam ostendere largitatem, quam suos occultare defectus. Referens proprium nomen, & publicani exercitium, cum iam esset Christi Apostolus, & Euangelista, maximè commendabat diuinam misericordiam, qua à miserrimo statu ad tantam celsitudinem fuerat euectus. Hoc expendens Chrysostom. homil. 14. in Marcum sic ait: *Non quod publicanus sit* (supple, se publicanum appellat) *sed quia de publicano factus sit* Chrysost.
Apostolus: nomen autem remanet pristinum, vt virtus appareat saluatoris. Præponit Christi gloriam proprio honori, vt simul quanto amore Christus eum diligeret, & quanto ab eo prosequeretur ostenderet.

Sed quid dicam de nostri Apostoli conuersione? Non mentiar, si miraculosam vocem. 106.
Notastine, Matthæi, conuersionem miraculis fuisse circumseptam? Lege eiusdem caput 9. & inuenies eius vocationem inter miraculum illud; quod Dominus paralyticum iacentem in lecto curauit, & mulierem profluuio sanguinis laborantem; & quod mirabilius est, quando principis filiam reuocauit ad vitam. Sed cur Matthæi conuersio inter miracula refertur? Quia conuersio hominis sedentis in telonio, & authoritate publica furantis grande miraculum est. Audi Glossam in Catena S. Thom. ad cap. 9. Matth. *Matthæus enim vo-* Glossa.
cationem suam refert inter miracula. Magnum enim miraculum fuit, quod publicanus factus est Apostolus.

Adhuc restat huius admirabilis conuersionis 107.
aperire excellentiam, vt exinde nostri Apostoli sanctitas magis eluceseat. Diuus Bernardus Epist. 8. ad Brunonem Colonienſem Episcopum electum, cum expendisset diuinæ gratiæ largitatem, qua subito à perditionis via ad salutis tramitem non pauci peruenerunt; sicut felix ille latro, qui è cruce paradisum inuenit; & Magdalena, in qua subito superabundauit gratia, &c. Matthæi conuersionem mi-
Bernard. ratus sic scribit: *Video tamen Matthæum de telonio ad Apostolatus culmen assumptum, sed hoc me rursus conturbat, quod non prius audierit cum cæteris Apostolis suis, ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, quam egerit pœnitentiam, multo tempore, ac labore sequendo dominum; permanens cum eo in tentationibus suis.* Nota, quæ post hæc scripsit Bernardus: *Sed aliud est celerem adipisci veniam peccatorum: & aliud de ipsis sceleribus ad infulas mox pro-uehi dignitatum.* Magna absque dubio misericordia fuit, Matthæum veniam consequi peccatorum: at de ipsis sceleribus ad Apostolatum extolli, gratiæ fuit prodigium. Hoc admiratur Chrysostom. homil. 14. ex variis Matthæi
Chrysost. dum de eo sic scribit: *In profundo malignitatis erat, & vsque ad verticem virtutis conscendit, vt nobis ostenderet, neminem debere desperare salutem, quia naturalis malignitas non est.* Magdalenam lego obtinuisse gratiam, latronem paradisum: at illa Christum quæsiuit discumbentem in domo Pharisæi; iste patientiam Domini admiratus eum confessus est. Matthæus autem sedebat in telonio, in vsuratum exercitio, in rapacitate. Ecce prodigium magnæ misericordiæ. Vocatur Matthæus, cum diuinæ gratiæ obicem ponebat. Rara benignitas, & futuræ sanctitatis non insipiens fiducia.

Contra Christi asseclas iter faciebat Saulus: 108.

Actor.9.n.3. *Et subito circumfulsit eum lux de cœlo*, &c. Actor.9. num.3. Vocatur Saulus, & fit Paulus, vt portet nomen Christi coram Gentibus, & regibus, & filiis Israël. Sed quid est, quod Paulus tunc vocatur, cum accensus ira in Sanctos Dei tendebat in Damascum? Vt exinde virtus vocantis innotesceret. Audi Chrysostomum rem hanc expendentem, & cum Matthæi conferentem vocatione. Homil. 31. in Matthæum, qui cum prius interrogasset, *Sed cur dixit, in telonio sedisse?* Sic dubium soluit. *Virtutem vocantis voluit ostendere, qui non imposito adhuc fine prauo publicanorum quæstui, è medio malorum ipsum abstraxit; sicut beatum Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Ecclesiæ inferentem ad Galatas scribens expressit, cum dicat: Audistis, fratris, conuersationem in Iudaismo, quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam ipsam.* In vtraque vocatione maximè splendet diuina misericordia: siquidem vterque vocatus est, cum prorsus ea erat indignus. Matthæus adhuc in telonio sedens, & prauis quæstibus deditus: Paulus cum Ecclesiam persequebatur. Diuinam ergo consequi gratiam, cum non solum demeretur propter peccata præcedentia, sed etiam propter præsentia maximum diuinæ largitatis est argumentum. Ex his non vulgarem beati Matthæi excellentiam possumus deducere, nempe Pauli vocationem adinstar sancti publicani factam. Huius enim vocatio fuit cum adhuc inteloneo sederet; Pauli etiam cum Ecclesiam persequeretur. Cùm ergo in hoc similes existant, & Matthæi illam præcesserit; non immerito Pauli adinstar Matthæi factam affirmamus.

Chrysost.

109. Miraculorum audisti Matthæi vocationem; accipe etiam non sine miraculo eius obedientiam, & promptitudinem. De hac scribens noster Tostatus quæst.37. in cap.9. Matth. sic ait agens de conuersione Petri, Andreæ, Iacobi & Ioannis comparata cum conuersione Matthæi: *In Matthæo autem adhuc fuit maius: quia cum sederet in ardoribus auaritiæ lucra terrena captans in telonio, Christo vocante omnia deseruit, quæ habebat, & quæ habere poterat, & quod maius est, quæ habere cupiebat. Nam pro his totum studium erat. Hæc autem mox vocatus, quod subito desereret, miraculum erat, & inter miracula ponendum.*

Abulens.

110. Victor Antiochenus ad cap. 2. Marci expendens illud; *Sequere me*, sic ait: *ille vero* (id est Matthæus) *animæ salutem cæteris omnibus potiorem ducens, cunctis desertis, se totum è vestigio, vocantis nutui, & voluntati mancipat, neque morosa dilatione Christum vocantem contristat.* Ecce animi promptitudinem, & obedientiam. Hanc expendens Abulens. q.44. in cap.9. Matth. notat, vix dixisse Christum, *Sequere me*, cum, *relictis omnibus secutus est eum.* Ex his aperte colligitur, & vocantis virtutem, & prompram sequentis obedientiam. Insuper inquirit: *Quare Matthæus non petiuit à Christo licentiam ordinandi rationes suas, & disponendi de rebus suis antequam sequeretur eum?* Huic quæsito sic respondet. *Matthæus noluit hoc petere: tanta enim mutatio fuerat facta in corde eius, quod hæc omnia contempserat, ita vt nec extimaret dignum esse aduertere ad illa, ad hoc quod disponeret de eis. Vel forte quasi alienatus à mente hæc omnia obliuiscebatur: hoc autem Christus facere voluit ad ostendendam potestatem suam, quia vario genere miraculorum diuinam in se virtutem Christus ostendebat. Nec erat dubium quin omnes hoc videntes miraculum reputarent. Nam quod ille, qui ante hoc ardenter lucris illicitis inhiabat, subito omnia desereret sui ipsius oblitus, non poterat humanitus fieri, sed diuinæ virtutis erat, quæ poterat corda mutare, & ita Christus nunc mutauit cor Matthæi potenter eum ad se trahens, vt sicut ille à cæteris vectigalia accipiebat, ita Christus ab eo ipsum totum acciperet. Sic dicit Theophylus, ab accipiente censum à transeuntibus Christus censum accepit, non quidem eius accipiens pecuniam, sed totaliter eum transferens ad suum consortium.* Chrysologus sermon.29. sic de nostro Apostolo scribit: *Generosus animus, qui sic ea quæ magna putarat facile, & quasi nulla contempsit: apparet illum per ignorantiam lucra ante præsentia conquisisse, à quibus, vt se sensit, & vidit liberum, sic raptus est ad diuina.* Grande miraculum est, non solum terrena bona renunciare, sed eorum desiderium non admittere. Hoc nisi generosus animus præstare nequit. Merito ergo beatum Matthæum à terrenorum desideriis expeditum appellamus prodigiosum, qui sic ea contempsit, quæ magna putarat, quasi nulla essent.

Vict. Antio.

Chrysol.

111. Vix ab hac rara Matthæi mutatione possum discedere. Grande conuiuium Christo parauit, nec soli Domino, sed discipulis, & quod magis est publicanis. *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.* Matth.9. num.10. Sed cur Matthæus hoc præparauit conuiuium? Chrysol. sermon.30. respondet his verbis: *Hodierna Euangelica lectio Matthæum publicanum sic in Apostolum commutauit, vt qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor: & de impietatis schola ad pietatis magisterium perueniret, fieretque doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor.* Pulchra sane ratio: sed audi Glossam ordinariam ad præfata verba Matthæi. *Publicani enim vocantur, qui publicis negotiis implicantur, quæ sine peccato vix, aut nunquam possunt tractari, & pulchrum fuit præsagium, quia qui Apostolus, & doctor gentium erat futurus, in prima sua conuersione peccantium gregem post se trahit ad salutem, & vt iam proficeret exemplo, quod perficere debebat, & verbo.* Aliam rationem affert Victor Antiochenus citatus cum ait: *Verum ob vocationis beneficium gratum se declarat: nam magno mox conuiuio in domo sua instructo, tum Christum ipsum, tum cæteros omnes familiaritate coniunctos benigne ad illud inuitat. Facit id autem, ne ipse solus beneficium accipiat, sed reliqui omnes, qui vocati ad epulum venerant.* Gratum, & beneficum in conuiuio se ostendit Matthæus. Gratus fuit erga Christum, & beneficus erga amicos. Idem docuit noster Tostatus quæstione quadragesima octaua, in caput nonum Matthæi, qui insuper aliam tradit rationem his verbis: *Matthæus ergo magnum conuiuium fecit, vt ostenderet se maiori*

Matth.9. n.10.

Chrysol.

Glos. Ord.

Vict. Antio.

maiori iucunditate huius sæculi diuitias deserere, quam alius eas assequeretur.

112. Ni fallor, iam oportet, pauca de nostri Apostoli magisterio in medium adducere. Primus fuit Euangelista. Nam cum secutus esset Christum vsque ad mortem mansit cum cæteris Apostolis aliquanto tempore in Iudæa: Cum autem iturus esset in Æthiopiam Nubianorum, quæ ei sorte prædicationis contigerat, Euangelium Iudæis conuersis scripsit. Vnde ipse primus Euangelium scripsit, Hebræa quidem lingua. Sic tradiderunt D. Hieronym. in lib. de scriptor. Ecclesiasticis. In Comment. Isaiæ. 6. Et Oseæ cap. 11. & in Præfatione Euangeliorum ad Damasum Pontificem. Eusebius lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 1. Papias antiquissimus apud Eusebium lib. 3. cap. vltimo Origen. apud Nicephorum lib. 5. cap. 6. Epiphan. hæresi 51. Dorothæus in sinopsi. Augustinus lib. 1. de consensu Euang. cap. 2. Theophylactus in Matth. Chrysost. homil. 1. in Matth. Abulensis quæst. 36. in cap. 9. Matth. Adonis Viennensis in Chronico ætate. 6. anno Christi 40. S. Antoninus tit. 6. cap. 12. & alij. Hinc non inepte infero beatum Matthæum excellentissimum esse saltem in eo quod attinet ad munus Euangelistæ. Non est animus aliquid excellentiæ Ioannis derogare: nam velut regia aquila vsque ad Patris sinum leuauit volatum: solum est sermo de excellentia primatus. De S. Elia sic refertur Ecclesiastic. 48. num. 4. *Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari? Qui sustulisti mortuum ab inferis.* Ex quibus haud difficulter colligitur, Eliam inter omnes Prophetas obtinere primatum. Sed hinc resurgit dubium: nam Elisæus plura, & maiora patrauit miracula. Ergo Elias non est omnium Prophetarum præcipuus. Insuper Elisæum maiorem habuisse spiritum quam Eliam ex eo constat, quod illum duplicatum accepisset. Ergo potiori iure Elisæus maximus omnium Prophetarum videtur. Dubium hoc soluit noster Abulens. quæst. 16. in cap. 2. lib. 4. Reg. his verbis: *Elias tamen glorioſior est omnibus Prophetis: quia ipse fuit primus, qui suscitauit hominem à mortuis. Ignotum enim erat hoc sæculo ante Eliam, & ideo recte dicitur Ecclesiast. 48. Quis potest tibi similiter gloriari? Qui sustulisti mortuum ab inferis. Id est, fuisti primus, qui eduxisti mortuum ab inferis.* Tota Eliæ excellentia manauit ex primatu: & alta Matthæi prærogatiua ex eo quod primus Euangelium litteris commendauit, non obscure prouenit.

Hieron. Euſebius. Papias. Origenes. Epiphan. Doroth. Auguſt. Theophyl. Chryſoſt. Abulenſ. Eccleſ. 48. n. 4. Abulenſ.

113. D. Antoninus Archiepis. Florent. tit. 6. cap. 12. refert B. Matthæum Egippi Regis Æthiopiæ filium defunctum iterum ad vitam reuocasse. Quo facto stupefactus rex omnes primates regni conuocauit, vt Matthæum tanquam Deum venerarentur. Cumque aureis coronis redimiti nostro Apostolo, vt vero Deo, sacrificia vellent offerre, his verbis obstitit Matthæus: *Viri fratres quid facitis? Ego Deus non sum, sed seruus Domini Iesu Christi.* Expendas quæso, Matthæum Deitatem oblatam renunciasse. De Baptista nunquam satis celebratur, oblatam dignitatem Messiæ à Leuitis, & sacerdotibus, vt eorum fallax opinio aboleretur, qua putabant eum esse Christum, dixisse: *Non sum ego Christus.* Ioan. 1. num. 21. Quæ verba expendens Gregorius homil. 7. in Euang. sic ait: *Negauit plane quod non erat, sed non negauit, quod erat, vt veritatem loquens eius membrum fieret cuius sibi nomen fallaciter non vsurparet.* Membrum ergo Christi fit Ioannes, quia hominem se purum confessus est; cum Leuitæ, & sacerdotes Deum esse putabant. Magna profecto humilitas Ioannis Deitatem oblatam recusare: & magna eius excellentia, quòd Deus putaretur. Perbelle S. Thomas lect. 12. in cap. 1. Ioan. ait. *Ponitur Ioannis responsio. Ideo autem Euangelista ingeminat hoc, quod dicit: & confessus est, vt ostendat humilitatem Ioannis; quia licet esset tantæ authoritatis apud Iudæos, vt eum crederent Christum, non tamen honorem sibi non debitum vsurpat: Imo confessus est veritatem, quia dicit se non esse Christum.* Totum hoc præstitit Matthæus: nam cum à rege Egippo, & à toto regno acclamaretur vt Deus, non tamen honorem, sibi non debitum vsurpauit, sed confessus est veritatem dicens: *Ego Deus non sum, sed seruus Domini Iesu Christi.* Deinde: Matthæo vt Deo gentes illæ sacrificia offerre tentabant; quæ à Leuitis, & sacerdotibus Baptistæ non fuerunt oblata: in quo absque dubio ex parte offerentium promptior erat animus, & tamen Matthæus religiosè, & viriliter restitit. Ergo quodammodo maior fuit Matthæi resistentia, quam Baptistæ. Nam hic (iuxta communem Patrum sensum) cognita intentione quæsiti, tu quis es? Licèt palam diuinitas non offerretur, respondit, non sum Christus: ille autem Deitate oblata expresse, sacrificiisque paratis, prompto animo respondit: *Ego non sum Deus.*

Antoninus. Ioan. 1. 1. 21. Gregor. S. Thom.

114. Tandem teste Hypolito libello de 12. Apostolis, *B. Matthæus est victima virginitatis*; quia, vt refert Cardin. Baron. in annotation. Martyrologij. 21. Septemb. propter Iphigeniæ virginitatem ab Hirtaco rege interfectus est. Cum Iphigeniam ducere vellet vxorem, Apostolum cuius opera virginitatis voto illa se obstrinxerat, in eaque constanter perstabat, ad aram sacrum facientem impius rex vita priuari iussit. A conuiuio cœpit Matthæus, & in conuiuio vitam sanctissimam amisit. A conuiuio, inquam, cœpit, quod ipse Christo exhibuit; in conuiuio animam efflauit, quod Christus ipse præbuit. Cum in ara cum Christo suauissime epularetur, Christique potaret sanguinem pro magistro dilectissimo proprium effudit sanguinem. Cumque cœlestem agnum immolaret, pro agno, quem immolabat, immolatus est. Eadem scribit S. Antoninus loco citato. Topazio, vt diximus correspondet Matthæus. Hæc gemma, teste Anastas. Nisseno, Abulensi & aliis, conducit ad oculorum vitia medenda: sic noster Apostolus (vt placet Andreæ Cæsarensi citato num. 103.) per Euangelium eos, qui corde cæcutiebant illuminauit. Topazius etiam valet contra freneſim: sic Matthæus Egippi, & primatum regni frenesim repressit, cum ei Dei cultum voluerunt, exhiber. Topazius iræ cohibet impetum, & effrenem reprimit luxuriam: sic noster Euangelista virginitatem Iphigeniæ defendens, regis

Hypolitus. Card Baron.

iræi,

irati, sanguine pro ea effuso, iram extinxit, & lasciuum animum illusit. Quid plura? Nam si topazius, vt num. 80. ex Isidoro, & Plinio inter prædones inuentus est, ob indeque huic gemmæ topazij nomen fuit impositum: Matthæus inter prædones publicanos inuentus est, & quæsitus à Domino: quamobrem aptissimè ei nomen huius gemmæ accommodare possumus.

De gemma smaragdo.

115. Smaragdus tertium locum sibi vendicauit in pectore sacerdotis; & eundem inter gemmas splendentes obtinet, teste Plinio, Isidoro, & aliis. Audi Isidori verba lib. 16. Ethymo. Isidorus. cap. 7. *Omnium gemmarum virentium smaragdus principatum habet, cui veteres tertiam post Margaritas, & vniones tribuunt dignitatem.* Hebraicè, *Barachet* dicitur: à *Barach*, quod est fulgurare, seu fulgorem emittere, ortum habet, quia radios emittit instar fulguris, vt consentiunt Montanus de vestibus sacerdot. Montan. Et Oleaster ad hunc lucum. Hic probat suam Oleaster. mentem ex Psalm. 144. vbi in Hebræo dicitur: *Beroch barach*, id est, *fulgura fulgur.* Et Ezechiel. 1. de igne egrediebatur barach, id est, fulgur, seu splendor: quia Deuteronom. 32. accipitur pro splendore, vel acie splendida politi, & tersi ferri. Ibi dicitur: *Si acuero Barach*, id est, *aciem gladij mei, seu splendorem, aut fulgur gladij mei.* Hæc Oleaster. Propter hanc significationem fulguris, aut imitationem radiorum eius, putauit Montanus, esse illam Chrysoliri speciem, quæ topazius aureus vocatur, quam narrat Strabo ex Arthemidoro in insula Ophiade reperiri, pellucidam, & splendore auri refulgentem, quanquam quæ propriè Chrysolitus est, fulgur verius referat.

116. Communi consensu omnium, qui de hac gemma scripsere, smaragdus viridi radiat colore. Id Plinius his verbis affirmauit lib. 37. Plinius. cap. 5. *Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.* Interlin. Glossa Interlinealis ad hunc locum viridissi- Isidorus. mum appellat smaragdum. D. Isidorus lib. 16. Ethymol. cap. 7. sic scribit: *Omnium gemmarum virentium smaragdus principatum habet. Smaragdus à nimia viriditate vocatur.* D. Hieron. epist. 128. ad Fabiolam. & epist. 8. de virgini- Hieron. Abulens. tate seruanda cap. 5. Abulens. in expos. litte- Anast. Nisse. ræ. Anastas. Nissenus quæst. 38. Ribera de ve- Ribera. stibus Aaronis lib. 3. cap. 11. & alij quam plurimi. Noster Abulensis loco relato dissertissimis verbis non solum docet smaragdum viridi radiare fulgore super omnes herbas, & lapides pretiosos excellentissimo, sed tanta gaudere viriditate, vt sibi adiuncta eo colore inficiat. Id docuerat Plinius citatus quod non sic intelligendum est, vt sibi apposita intingat, Pagninus. sed (vt optimè explicat Pagninus in Isagoge lib. 8. cap. 23) ita translucere, vt appareant viriditate affecta.

117. Circa virtutes, & proprietates huius gemmæ multa dixere multi, quæ forsan fabulosa sa sunt. Abulensis ex Dioscoridè sic scribit: Abulens. Dioscorid. *Valet contra morbum caducum, sanguinem fluentem sistit, reddit persuasoria verba, memoriæ confert, visum acuit, valet contra phantasticas illusiones, dæmones fugat, vt ait Dioscorides, & in hoc erat nomen Leui.* De hac gemma refert Plinius. Plinius, esse inter omnes iucundissimam, visuique gratissimam, oculos solam non molestare, imo visum hebetem, aut lassum propter varietatem obiectorum eius aspectu reddi clariorem. Insuper refert, scalpentes, qui nimis laborant propter duritiem in sculptura eius, ita viridi lenitate mulceri, vt eius aspectu labor non molestet. Peregrinas impressiones non patitur: nam in luce, in Sole, in vmbra, in igne eodem modo mittit & lenem, & suauem splendorem. Idem Plinius, quem sequitur Diuus Isidorus, asserit, Neronem gladiatorum principem pugnas spectasse per smaragdum. Sic nefarius, & crudelis imperator immanitatem suam augebat, delectamenta præbens oculis, ne cruoris effusione excitarent pietatem. Communiter refertur hunc lapidem rerum venerearum esse impatientem. Quare teste Pierio Valerian. lib. 41. Pierius. Smaragdus virginitatis est symbolum: quia in patranda re venerea, quod experimento compertum est, si quis hunc lapidem attingat, eum sponte frangit. Hoc ipsum confirmat Gaspar de Morales multorum authoritate, & Morales. exemplo à pluribus recepto, nempe quod rex Vngariæ cum vxore rem habens, smaragdus, quem in annulo portabat, in tres diuulsus est partes. Sic enim amicitiam cum castitate habet smaragdus, vt vel coniugales abhorreat amplexus. Insuper addit hic auctor, selectissimum, & prestantissimum smaragdum conseruare suum splendorem, etiamsi proiiciatur in ignem: aliàs erit parui habendus.

118. Smaragdi colliguntur (teste D. Isidoro) in commissuris saxorum flante Aquilone: tunc enim tellure deoperta intremicant, quia his ventis arenæ maximè mouentur. Præstantissimi sunt, qui in Scythia reperiuntur, tum substantiæ puritate, tum viriditatis illecebra. In altissimis montibus, ac in metallis aureis nascuntur: Vnde non sine magno negotio, ac discrimine colliguntur propter Gryphos alites ferocissimos in auro nidificantes, & illos defendentes, sed ab Arimaspis (sic dicuntur quidam homines vnico in fronte media oculo insigniti) armatis auri, & smaragdorum cupiditate nimia congregantur. Secundam dignitatem sibi vendicant smaragdi Bractiani. Tertiam Ægyptij: quanquam in Britania maiori, quæ nunc dicitur Anglia, non ignobiles reperiantur. Tandem Plinius citatus duodecim huius gemmæ refert species: sed iudico smaragdum, qui in pectore sacerdotis tertio loco radiabat, fuisse præstantissimum, vtpote à Deo electum ad ornatum Pontificis. Selectissimus est smaragdus, qui viridissimus, lucidissimus, ac purissimus existens, suo virore oculos constanter explet, satiatue; ita vt vicinum aërem quasi proprio tinctu inficiat, vt neque soli, neque vmbris, seu lucernis cedat, quin potius perpetuo contumacique virenti fulgore semper irradiet, sui semper præbeat conspectum, substantia pertinaci, atque durissima. Mirum, est, quod de hac gemma refert Andreas Vaccius Andr. Vacci cap. 5.

cap.5. de gemmar. natur. nempe ſmaragdum ſerpentis oculos diffluere, ſi diutius intueantur. Nec fabuloſum hoc putarem, cum Diuus Ambroſ. lib.6.Hexam.c.4. in fine dixerit: *Ieiuni hominis ſputum, ſi ſerpens guſtauerit, moritur.*

Ambroſ.

119. Genuæ vas amplum habetur ex ſmaragdo, pulcherrimum quidem, & pretio carens. Hoc traditione tenent Genuenſes eſſe patinam, ſeu catinum in quo Chriſtus Dominus panem conſecrauit. Sic ſentiunt Primus Cauilonenſis, & Eraſmus, Stella, Vrreta, & Salmeron, quos citat & ſequitur Granados tom.5. in 3.p. tract.1. de Euchariſt. diſp.6.n.3. & alij.

Primus Cauilon, Eraſmus. Stella. Vrreta. Granados.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CXXX.

Doctor, præſul, & concionator docendo reprehendat, & reprehendendo doceat.

120. GRaue nimis eſt docendi, regendi, & concionandi onus: difficilemque aſſumit ſibi prouinciam, qui alios docet, dignam tamen magna compenſatione, ſi vt debet, tantum munus adimpleat. Duo in primis tenetur non omittere, qui ad tanti muneris aſcendit faſtigium: videlicet, & docendo reprehendere, & reprehendendo punire. Haud facilè eſt hoc: nam plurimi principatus clauem, & doctoratus lauream ad lenocinium principum aſſumunt, & dum vitia tacent, diuinũ verbum adulterant, magiſterium, & dominium in miſerã redigentes ſeruitutem. Luceant ergo præſul, & doctor ſanctitate vitæ, vt poſſint quaſi fulgur, & lucere doctrina, & poteſtate vitia comburere. De Baptiſta eximium prædicatur præconium, dum ſic alter Ioan. ait c.5.n.35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens:* hoc eſt, lucebat, & ſua doctrina comburebat vitia. Quia, vt optimè Bernardus ſerm. de natiuitate Ioannis Baptiſtæ: *Erat lucerna ardens, & lucens: eſt enim tantum lucere, vanum: tantum ardere parum: ardere, & lucere perfectum.* Sit ergo fulgur, ſit ignis doctor, præſul, vel concionator, vt ſic reprehendat docendo, & reprehendendo doceat. Neminem timeat, qui ab omnibus formidari debet.

Ioan.5.n.35.

Bernard.

121. Seipſum Chriſtus in ſecundo aduentu fulguri comparauit, Matth.24.n.27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidẽtem: ita erit aduentus filij hominis.* Sed cur Dominus non Solis, Lunæ, nec Stellarum claritati comparatur; ſed terrificæ, & formidabilis luci fulguris? Tunc abſque dubio cum poteſtate magna, & maieſtate veniet: ergo fulgentior, & illuſtrior eſſet eius aduentus, ſi fulgeret claritate ſolis, ſplendore Lunæ, aut varietate ſtellarum. Quare ergo venturum inſtar fulguris ſe prædicat? Poſſem reſpõdere: quia tunc Dominus venturus eſt, vt ſtrictiſſimus iudex: ideo fulguri comparatur. Origenes tamen alia via reſpondet homil.30. in Matth. nempe; quia Chriſtus eſt Verbum, & æternum Verbum: *Chriſtus*, inquit, *Verbum eſſe, & veritas, & ſapientia oſtenditur à primo initio creaturæ mundi, vſque ad nouiſſimam Apoſtolorum ſcripturam.* Quod eſt dicere: quia diuinum erat Verbum, non claritati Solis, non Lunæ aut Stellarum ſplendori comparatur, ſed fulguri oſtendens diuinum Verbum non præſtare claritatem quomodolibet, & quæ auditorum mentes demulceat, ſed fulminis, quæ audiẽtium animos deterreat, cõpeſcat, & caſtiget. Hoc modo diuinũ Verbum eſt annunciandum.

Matth.24. n.27.

Origenes.

Ad fabricam, & ornatum tabernaculi non inuitè, ſed libenter filij Iſraël obtulerunt aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccumque bis tinctum, vt apertè conſtat Exod.25. à n.1. *Hæc ſunt, quæ accipere debetis: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum*, &c. Orig. hom.13. in Exodum pro illo: *Coccumque bis tinctum*, ſic legit: *Et coccum duplicatum.* Dixerat antea per hyacinthum aërem; per purpuram aquam; per byſſum terram; & per coccum ignem deſignari, in quo non pauci, nec infimæ notæ doctores conueniunt. Sic docent D. Hieron. epiſt.128. ad Fabiolam. Ioſephus lib.3. Antiq.c.11. in fine. Beda lib.3. de tabernaculo c.10. Rupert. in Exod. c.21. S. Thom. 2.2.q.102.art.10. Guillerm. Duran. in ſuo Rationali lib.3.c.19. Barrad. tom.2. lib.3.cap.50. Ribera de veſtibus ſacerdotalibus à c.9. & alij. Exinde inquirit Origenes: cur deſideratur coccus duplicatus, & alia tametſi ſimplicia ſint, ſufficiunt? Reſpondet Adamantius; quia per coccum ignis deſignatur, in quo, comburendi, & illuminandi duplicata virtus exiſtit. Inſuper addit idem Origenes, per ignem, eximium Eccleſiæ ſignificari doctorem. Voluit ergo Deus duplicari coccum, vt ſciat doctor, quod ſi Eccleſiam, hoc eſt fidelium mentes ædificare cupit, lucere debet, & ardere; illuminare, & comburere. Accipe verba Origenis: *Si doctor es, extruis tabernaculum, ædificas Eccleſiam Dei. Dicit ergo ad te Deus, quod ad Ieremiam dixit: ecce dedi verba mea in os tuũ, id eſt, ignem. Si ergo docens, & ædificans Eccleſiam Dei, increpes tantummodo, & arguas, & caſtiges, & peccata populi exprobres, nihil autem conſolationis proferas de ſcripturis diuinis, obſcurum nihil explanes, nihil ſcientiæ profundioris attingas, nec aliquid intelligentiæ ſacratioris aperias, obtuliſti quidem coccum, ſed non duplicatum. Ignis enim tuus incendit tantummodo, & non illuminat. Et rurſus, ſi docens myſteria legis aperias, ſecretorum arcana diſcutias, peccantem vero non arguas, negligentem non corripias, ſeueritatem diſciplinæ non veneas, obtuliſti quidem coccum, ſed non duplicatum. Ignis enim tuus tantum illuminat, non accendit. Qui ergo recte offert, & recte diuidit, coccum offerat duplicatum, vt cum ſcientiæ lumine igniculum ſeueritatis admiſceat.* Hæc Origen. quæ ita perſpicua ſunt, vt expoſitione nõ indigeãt: quare illi ſuperſedeo.

122. Exod.25. à n.1.

Origenes.

Hieron. Ioſephus. Beda. Rupertus. S.Thom. Durand. Ribera.

Origenes.

Depingit regius vates Chriſtum Dominum inter omnes homines pulcherrimum, verborumque elegantia facundiſſimum, & ait. Pſ.44. n.3. *Speciоſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis,* Vix hæc protulit cum addidit: *Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime.* Ibidem num.4. ſed cur Dauid cum Chriſtum Dominum tanta facundia præditum deſcribit, abſque vlla intermiſſione eum deſiderat ad bellum enſe præcinctum? Quid enſis cum labiorum gratia? Aut quod belli, & elegantiæ commercium? Miles nimis loquax non ſtrenuus, non fortis, ſed ignauus, aut debilis reputatur. Quare ergo Dauid Chriſtum ad

123. Pſ.44.n.3. Ibid.n.4.

bellum proponens accinctum ei de labiorum gratia blanditur? Profecto: quia deſcribebat eum doctoris, & præſulis munus exercentem. Accinctus ergo ſit enſe, eumque minaciter vibret; vt oſtendat non verborum gratia ſolum, quæ demulceat, aut conductoria eloquentia, quæ delectet, ſed enſe debere doctorem, animos auditorum ferire. Accipe Tertullianum lib. contra Iudæos c. 9. vbi per enſem ſermonem
Tertullian. diuinum intelligit, cuius hæc ſunt verba: *Nam Apoſtolus Ioannes in Apocalipſi enſem deſcribit ex ore Dei prodeuntem bis acutum, præacutum, quem intelligi oportet ſermonem diuinum duobus teſtamentis.* Eadem habet lib. 3. contra Marcionem c. 14. ſed adhuc inſto. Quid eſt, quòd gladius ille ab ore Chriſti procedens bis peracutus ſermonem diuinum deſignat duobus teſtamentis fulcitum? Fallor, ſi in hoc noſtri thematis non relucet robur, & confirmatio. Vetus teſtamentum rigorem; nouum lenitatem continet. In illo Deus, vltionum Deus prædicatur: in iſto pater miſericordiæ, & Deus totius conſolationis dicitur. Eſt ergo diuinus ſermo ex vtroque teſtamento acutus, vt per hoc doctoris, & præſulis munus explicetur. Enſe ergo præcingitur Chriſtus eximius veritatis prædicator, & elegans labiorum gratia; vt præſules, & prædicatores inſtruat, quod non ſolum verbis, ſed gladio etiam tenentur regere, & gubernare, hoc eſt, expandentes lucem doctrinæ, & vitia acriter increpantes.

124. In prima ſerie gemmarum Pectoralis ſmaragdus, qui fulgur ſignificat, radiabat, & inter eius luces micabat nomen Leui. Sed cur hoc nomen erat inciſum in gemma, quæ ſignificat fulgur? Quia in Leui præſulum, doctorum, & ſacerdotum proponebatur exemplar. Meritò ergo nomen Leui, qui ſacerdotum fuit parens ſcriptum erat in ſmaragdo, aut in fulgure; vt exinde diſcerent doctores, ſacerdotes, & præſules docere fulgurando, & fulgurare docendo. Abſit: abſit à Doctore Euangelico mercenaria oratione auditorum animis blandiri. Doceat, & illuminet: comburat animas, eas purgans à vitiorum rubigine.

ILLATIO CXXXI.

Maiorum exemplum valde efficax.

125. Ambroſ. *Sanctorum vita* (inquit Ambroſ. lib. de Ioſeph c. 4.) *cæteris viuendi norma eſt.* Regula, qua ſubditi ſuas metiuntur actiones regentium, & maiorum eſt vita. Non ſic leges, & edicta imperatorum ſenſus humanos valent inflectere ac dominantium exemplum. Ardua, ſi à maioribus videantur, exerceri, libenti animo, & abſque difficultate à ſubditis amplectuntur.

126. Exod 3. n. 2. Ex ſpinoſa, & inualida frutice Moyſem Deus alloquitur. Exod. 3. n. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Admiratur paſtor, & nouitate allectus diſquirere cupiebat viſionem, at Deus ſic ad eum: *Moyſes, Moyſes....* Ibid. n. 5. *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis*, &c. O bone Deus! ſi ſtudio ſingulari, & tanta beneuolentia te Moyſi mirabiliter manifeſtas: cur ei iubes, vt depoſitis calceis inter ſpinas pungentes, & deſerti tribulos ſpinoſos diſcurrat indefeſſus? An vt religioſo cultu locum, quem habitas, veneraretur deuote? Sic dixere quam plurimi. Sed cur, hoc ritu potius, quam alio locus ille venerandus proponitur? Difficile abſque dubio hoc videretur paſtori, quem ex ſuo munere, nunquam ſiſtere, oportebat. Veneretur ergo locum, ſed non tanto labore: nam ſpinatum punctionibus pedes Moyſis ſenſibilia, tametſi non magna vulnera paterentur. Quare ergo deponenda ſunt calceamenta, res ex loci circumſtantia minimè facilis, & maximè laborioſa? Expende viſionem, & exinde colliges haud difficile eſſe præceptum. Apparuerat Deus in rubo, & inter ſpinas eius. Opportunè ergo Deus illi calceos deponere imperat, etiamſi eremus tribulis, & vepribus ſcateat. Nam ſi Moyſes prius Deum dominantium Dominum inter ſpinas vidit; tanto excitatus exemplo ſuper eas, veluti ſuper purpuras, aut albicantes roſas alacriter ambularet.

Egregium Gedeonis facinus contra Madia- 127.
nitas pugnantis huius thematis non contemnendam adducet confirmationem. Trecentis viris ſtrenuus, & inuictus dux certamen non dubitat inire cum innumeris Madianitis, non ſuis viribus fretus, ſed Dei promiſſione armatus. Cumque iam propius ad inimicorum caſtra acceſſiſſet, tubas in manibus, & lagenas vacuas, ac lampades intra eas ferrent ſui milites, dixit ad eos Gedeon: *Quodcumque me facere* Iudicum 7.
videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, n. 17.
& quod fecero ſectamini. Iudicum 7. n. 17. Ingreſſus eſt igitur Gedeon, & trecenti viri cum eo, & clangentes buccinis fregerunt lagenas, hoſtes viriliter aggrediuntur, & tandem victoriam reportant. Non miror Gedeonem inuicto animo ſolis trecẽtis viris in hoſtes irruiſſe, cum ei prædixiſſet Deus ibid. n. 7. *In trecẽtis viris, qui* Ibid. n. 7.
lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madiam. Quod mirabile eſt, trecentos milites abſque metu, & animo conſtanti impetum in hoſtes innumeros feciſſe. Vnde ergo eis tanta fiducia? Fortitudo tanta vnde? Nam diuina promiſſio eos latebat, quæ Gedeoni ſoli facta fuit, vt ex textu liquet. Quomodo ergo tantum facinus aggrediuntur: S. Nilus lib. Aſcetico compendiolam tribuit rationem: *Hic autem* S. Nilus.
(loquitur de Gedeone) *opus commune primus aggreditur.* Quod eſt dicere: Gedeon trecentorum virorum dux primus hoſtium acies irrupit: quod ergo mirum, ſi eius milites inimicorum non timeant phalanges: dum vident ducem viriliter eos adoriri. Res ſatis ardua erat, trecentos innumeram multitudinem non ſolum deuincere, ſed inuadere: at poſtquam conſpexerunt Gedeonem ducem hoſtes aggredi, haud difficulter eum ſunt ſecuti. Non rethoricis verbis ſtrenuus dux eos ad certamen excitauit, ſed ſui exempli muta, validiſſima tamen eloquentia dicens: *Quodcumque me facere, videritis, facite.* Hoc enim modo milites vel maiora ſubirent pericula, vel deſperata non recuſarent certamina.

E contra vero ſi dux exiguo animo ſit, mi- 128.
lites magnopere exanimat. Quanti momenti ſit ducis excellentia, & animi magnitudo ſatis ſuperque oſtendit Dauid Iſraëlitici populi in pace, & in bello rex per omnia cordatiſſimus. Scitum eſt egregium eius facinus, cum vrbs

Betheleem

Bethleem occuparetur à Philisthæis. Nescio, an siti oppressus, vel an allectus suauitate aquæ cisternæ, inuictus rex illam desiderabat, imo & desiderium explicuit, dicens: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem iuxta portam.* 2. Reg. 23. n. 15. Vir tres fortes Israël sitientis regis audierunt verba, cum magna animi præstantia irruperunt castra Philistinorum, & haurientes aquam de cisterna attulerunt ad Dauid. *At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino*, &c. Sec cur prudentissimus rex noluit, bibere aquam tam ardenter desideratam? Magno consilio id factum putat Ambrosius Apolog. 1. in Dauid c. 7. Audi ipsum: *Vicit naturam, vt sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus, tolerare sitim disceret.* Sitiebat rex, & ob hoc aquæ explicuit desiderium. Si Dauid aquam biberet, constaret, siti succubuisse, exindeque exercitus forsan siti oppressus regis exemplo etiam siti succumberet. Noluit ergo desideratam aquam bibere, etiam sitibundus, vt suos instrueret ad sitim tolerandam. Sic namque præsulis actiones subditorum animos excitant, vt quod ab eo fieri, conspexerint, alacri animo, etiam si molestissimum sit, imitari non dubitent.

2. Reg. 23. n. 15.

Ambros.

129. Pugnauerat Saül contra Agag regem Amalec, ipsumque comprehendit viuum, & contra Dei mandatum non interfecit. Propter hoc reprehenditur à Samuele, & regni prædicitur spoliatio. Post multa autem, quæ inter vtrumque acta fuerunt, Samuel diuinæ iustitiæ minister interfecit Agag, & cadauer eius diuisit in partes: *Et in frusta concidit eum.* 1. Regum. 15. n. 33. Caietanus ibidem acute notauit, scriptorem sacrum quid factum fuerit de frustis huius regis, tacuisse: *Nihilque dicitur de frustis.* At cur, scriptura locum, in quo Agag frusta fuerint iniecta, alto prætermittit silentio? Quia cum Agag regio esset diademate redimitus, prolapsus fuit in idololatriam, & alia scelera. Æquum ergo fuit, vt nefarij cadaueris frusta ignorarentur: ne si locus in quo essent recondita, signaretur, adhuc mortuus, & in frusta discerptus, eius memoria aliorum animos ad similia excitaret. Nam ita efficax est regis exemplar, vt vel vita priuatus ad eius moueat imitationem.

1. Reg. 15. n. 33.

Caiet.

130. Non deest huius veritatis alia confirmatio ex D. Ambrosij amæniissimo viridario. Nam expendens lib. de dignitate sacerdotali cap. 6. illa verba Matthæi c. 6. n. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit:* sic ait: *Id est: si Episcopus, qui lumen promeruerit præesse in corpore, simplicitate est sancta, & innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis radiatur.* Rursus ibidem exponens sequentia verba Matthæi eodem cap. num. 23. *Si autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tuum tenebrosum erit:* Sic prosequitur: *Id est, si Episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate: quid cætera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? id est: quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis, ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi prouocauerit, vt nulli iam, iamque illicitum esse videatur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur.* Quid illustrius? Expende singula, vt prælatorum animos instruas, vt semper bona, mala nunquam perpetrent.

Matth. 6. n. 22.

Ambros.

Ibid. n. 23.

Ambros.

131. Acte expendit Nazianzenus orat. 39. dæmonis calliditatē, qua Gentes deceperat, vt ipsum tanquam Deum adorarent in plantis, in elementis, in astris, in metallis. Sed sua malitia male contentus hominibus persuasit, vt Iouem, & Venerem lasciniæ parentes; Martem iniuriarum vindicē, & alios vitiorum abyssum, Deos venerarentur. Ad quid autem dæmon cultum, quem sibi arroganter desiderabat, aliis exhiberi voluit? Audi Nazianzenū: *Vt peccatum non modo crimine careat, sed etiam diuinum censeatur, ad ea videlicet, quæ pro Diis adorantur, defensionis causa confugiens.* O feta, & diabolica calliditas! cultum, quem sibi vsurpauit, in alios transtulit, vt scelera diuina faciens, ab omnibus committerentur tanquam honesta. Nam, qui Iouem, vt Deum adoraret, & eum videret lasciuientem, absque dubio putaret, lasciuiam esse virtutem. Ad sacra ergo confugit dæmon, vt vitia defenderet, & vt putarentur diuina. Nec aliud vult, cum prælatos impellit ad iniusta. Quia cum ex munere vitia plectere debeant, & virtutem defendere: cum subditus præsulis actiones intuetur, persuasum sibi habet, eas iustas esse. Vnde maius nocumentum præstat gubernator, si illicita perpetret, quam totius populi multitudo: quia ille deprauatis actionibus illicitum approbat, & veluti iustum prædicat.

Nazianz.

132. Hinc videre licet, quam apte in smaragdo Leui nomen erat scriptum. Leui namque sacerdotum, & prælatorum pater extitit: Rursus, smaragdus (vt ex Plinio, Isidoro, & Abulensi vidimus supra n. 16.) tanta gaudet viriditate, vt sibi adiuncta colore viridi inficiat. Merito ergo sacerdotum tribus in smaragdo scribitur, vt sciant sacerdotes (in quibus omnes præsules admonentur) tanta debere animi puritate pollere, vt omnes ad sui prouocent imitationem. Nam præsul est omnium norma. Ergo si à ratione deuiat, populi multitudo eius vestigia sequens à ratione etiam deuiabit. Quia iam, iam nulli illicitum videbitur, quod à præsule, quasi licitum perpetratur.

ILLATIO CXXXII.

Prodigium est, si paternos mores non imitantur filij.

133. LIbenti animo in præsentiarum boni aut mali exempli prælatorum efficaciam prosequar; vt ad illud exhorter, & ab hoc dominantium, parentumque animos auertam. Quod vt exactius præstem, probandum propono: Prodigium esse, si subditi præsulis, aut filij parentum non imitentur mores. Nemini non constat miseranda tragædia vxoris Loth, quæ cum oculos ad Sodomam conuerteret, in salis statuam conuersa est. Genes. 19. n. 26. *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Chrysost. hom. 44. ad hunc locum legit: *Facta est columna salis.* Pater Ioannes de Pina vir religione, & doctrina præclarus Ethologia 10. n. 5.

Gen. 19. n. 26.

Chrysost.

in c.1. Eccleſiaſt. aſſerit, ſal ſymbolum eſſe æternitatis, ac proinde præfata verba Geneſis: *Verſa eſt in ſtatuam ſalis*: ſic exponit: *id eſt in ſimulachrum ſempiternum.* Vnde ſtatua illa ſalis, in quam vxor Loth ob ſuam inobedientiam (vt tenet noſter Abulenſ. ad hunc locum) aut quia à recta vita animum reuocabat (vt docet Lyranus ibidem) ſecundum Chryſoſt. columna erat; vel vt Piña docet, ſimulachrum ſempiternum. Columna apud antiquos aliquando quid inſolitum, & præter mores, & vſum hominum deſignabat. Sic Traianus pro ſepulchro columnam coclydem intrinſecus gradibus peruiam ædificauit, quod imperatorum nulli conceſſum eſt, oſtendens eius inſolitam excellentiam, teſte Eutropio, qui ſic de Traiano loquitur: *Solus omnium imperatorum intra vrbem ſepultus eſt:* (quam vere hoc dixerit hic auctor, viderint alij) *Oſſa eius collocata in aurea vrna in foro, quod adificauit ſibi: columna ibi poſita cuius altitudo centum quadraginta pedes habet.* Columna ergo aliquid rarum, aut inſolitum deſignabat. His ergo prælibatis liceat, inquirere: cur in columnam ſalis vxor Loth conuerſa ſit? An in hoc aliquid inſolitum deſignatur? Non hoc erit, quia retro reſpexit: cum id fœminis ſatis ſit vſitatum, quæ non ſolum retro, ſed quocumque oculos conuertunt. Quare ergo tanquam aliquid rarum, & inuſitatum, in ſalis columnam infelix illa fœmina conuertitur? Quia ea retro aſpiciente filiæ eius, quæ ſimul cum ipſa è Sodoma exierant, oculos ad ciuitatem non conuerterunt contemnentes maternum infauſtum exemplar. Hoc enim dignum erat, vt non in ſalis, ſed æris, aut marmoris columna futuris ſæculis traderetur, tanquam quid inauditum, inſolitum, & præter humanum curſum. Nam ſic filij proni ſunt ad paternos mores imitandos, vt ſi aliquando aliquis eos non imitetur, quaſi miraculum, & prodigium proponatur.

Piña. Abulenſ. Lyra. Eutropius.

134. Datham, & Abiron principes populi ſurrexerunt contra Moyſem, & Aaron in ſeditione Core: Et aperiens terra os ſuum deuorauit Core morientibus plurimis, quoniam combuſſit ignis ducentos quadraginta viros: *Et factum eſt grande miraculum, vt Core pereunte filij eius non perirent.* Numer. 26. n. 11. ſed quale fuit hoc miraculum, vt ab ſcriptura grande prædicatur? Si ex eo, quod parente mortuo filij non perierint? Quid mirum, cùm iſti paternæ non conſenſerint ſeditioni? In quo ergo tanti miraculi conſiſtit magnitudo? Caietanus ad hunc locum duplicem affert rationem: ſed omiſſa priori, quia ad rem noſtram non attinet, his verbis poſteriorem adducit: *Altera vero manifeſtat, filios Corach non fuiſſe complices patris ſui: & propterea non fuiſſe mortuos cum patre, & familia eius.* Quod perinde eſt, ac ſi dicat: filij Core, tametſi pater eorum ambitione, aut inuidia deceptus vexillum leuaſſet contra Moyſem, & Aaron, eius ſeditioni non conſenſerunt. En ergo miraculum, & non qualecumque, ſed grande. Nam filios paternos mores non imitari, miraculum magnum reputatur. Pereunte Core filios non periiſſe, hoc eſt, pœnæ non deciſſe cauſam, quia patris contempſerunt exemplar: inſolitum eſt, & inauditum, & abſque dubio magnum miraculum.

Numer. 26. n. 11. Caiet.

Cant. 4. n. 11. cœleſtis ſponſus ſic ſponſæ labia celebrabat: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Miror, ſponſum fauo ſponſæ labia comparaſſe! Quid fauus aureus cum labiis purpureis? Rara, & inaudita videtur hæc comparatio. Quid eſt in fauo, propter quod labiis ſponſæ ſimilis perhibeatur? Non ignoro, ita factum, vt labiorum dulcedo exponeretur: nam per illa, dulcia verba, & charitatis plena in aures ſponſi mittebat ſponſa. Hæc cum vera iudicem, aliam nihilominus, & non vulgarem excellentiam in fauo inuenio. Ea eſt: fauus apum cura, & labore indefeſſo conſtruitur, & elaboratur, dulcedine plenus, & amaritudinis expers. Apes (vt ita loquar) faui parentes ſunt: attamen fauus apum non imitatur naturam. Apes namque pungentia ſunt animalia, & moleſtiam maximam inferunt cum pungunt: fauus autem dum guſtui inſeruit, exhibet iucunditatem, & delectationem. En ergo tibi rara excellentia faui, parentes non imitatur. Meritò ergo fauo labia ſponſæ comparantur ob inſignem excellentiã, qua à parentum rigore deuiatur. Sic enim parentum mores, & proprietates filiis inſeruntur; vt filius eos non imitans, tanquam quid rarum, & excellentiſſimum habeatur apud omnes. Ob hoc Leui nomen erat inciſum in ſmaragdo: quia ſacerdos, qui pater omnium debet eſſe mores ſuos in populum transfundit (quemadmodum ſmaragdus appoſitis iuxta viriditatem communicat) tanta vi, & efficacitate, vt ſi aliquis eos non imitetur, prodigium iudicandum ſit.

135. Cant. 4. n. 11.

ILLATIO CXXXIII.

Difficile eſt, vincere peccandi conſuetudinem.

136. MVltum laborat animus cum ab inueterata, non bona conſuetudine reuocatur; quia mos longo tempore confirmatus vim quodammodo obtinet naturæ. Appoſitiſſimo exemplo hoc explicuit Dorotheus Abbas. Doctrina 11. *Aliud eſt enim (vt ſæpe dixi) euellere paruam herbam, & teneram, quæ ſtatim extirpatur, & aliud magnam arborem eradicare.* Abſque magna difficultate poteſt quis diuinæ gratiæ auxilio adiutus animum reuocare ab vno, aut altero peccato: at ſi per longum tempus allectus falſis illecebris peccandi, habenas ad peccata relaxet, ſummo labore, ac difficultate maxima à praua peccandi conſuetudine reuocabitur. Ob hoc Fauſtus Lerinenſ. ſerm. vnico dicebat: *Si non ſtatim me pœnituit, grauiter me fuiſſe præuentum; iam de die in diem libentiſſime me rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat, atque obruit intellectum aſſiduitas delinquendi.* Hanc difficultatem medendi peccata vſu iam recepta exemplo non contemnendo explicuit Origenes homil. 9. in Numeros: *Iam vero,* inquit, *ſi accidat, vt in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum, & ſæpius quis vulneretur, frequentiuſque frangatur, quantis hoc pœnis curari, & quantis poteſt cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, ſi tamen potuerit, ad ſanitatem perducitur; & vix aliquando*

Dorotheus. Fauſtus Leri. Origenes.

ita curabitur, vt vel debilitatem corporis, vel fœditatem cicatricis effugiat. Transi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. Quid illustrius? Caueamus ergo, & peccandi fugiamus consuetudinem, quæ difficulter obliteratur, quia quodammodo transit in naturam.

137. Cœlesti pane, & omne delectamentum habente vescebantur Israëlitæ, hoc est, Manna, & tanto beneficio ingrati cepas, & allia Ægypti
Numer. 11. n. 5. desiderabant. Numer. 11. num. 5. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.* & cap. 21. n. 5. Manna cibum suaNum. 21. n. 5 uissimum contempserunt, dicentes: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Sed cur Manna fastidiunt tanta sua vita confectum, & cepas, & allia desiderant? Manna, vt dicitur Sapient. 16. n. 20. & 21. continebat omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, & iuxta comedentis voluntatem sapiebat, vt exAugust. plicat August. tom. 2. epist. 118. dicens: *In primo populo vnicuique Manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat.* Si ergo Manna erat cœlestis cibus, & Angelorum panis: quomodo terrestrem, & vilem alimoniam desiderabant Hebræi? Chrysost. hom. 3. de pœnitentia dubio satisfacit, tanti erroris in causa fuisse depraua-
Chrysost. tam consuetudinem, quam habuerunt in Ægypto. *Manna*, inquit, *comedebant Iudæi, & cepas de Ægypto quærebant consuetudine ducti. Tam adeò turpis est res consuetudo pessima, quæ non statim potest abiici nec tempore breui.* Ita difficile est, turpissimam vincere consuetudinem, quòd quia Hebræi in Ægypto assueti erant rusticis, & vilibus alimoniis, à praua consuetudine ceparum, & alliorum attracti Manna cibum cœlestem, & suauitatem omnem continentem contempserunt. Non potuit delicatissimus cibus pessimum illum vsum abolere, vt ad cibos viles non conuerterent appetitum.

138. Exod. 7. num. 10. *Tulit Aaron virgam coram*
Exod. 7. n. 10 *Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Inquiram: cur hæc virga in serpentem potius, quam in aliam rem conuertatur? Si in fulmen horribile verteretur, contremisceret Pharao, & diuinam formidaret iustitiam: quare ergo in colubrum transmutatur? Putarem ego cum Augustino in quæstion. in Exodum q. 64. ad cap. 17. Moysis virgam indistinctam prorsus esse ab Aaronis baculo. Sic Augustinus diserAugust. tis verbis: *Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ primum dicta est virga Aaron; postea vero virga Moysi.* De virga Moysis dicitur, Exod. 4. n. 3.
Exod 4. n. 3. *Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Ecce, cur in colubrum vertitur, quam in rem aliam: quasi antiquam retinens consuetudinem.

139. Mirabiliter Baldad Suhites Iob c. 18. n. 8. de
Iob 18. n. 8. impio sic ait: *Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat.* Quid est, impiũ pedes misisse in rete, & in maculis eius ambulare? D. Greg. l. 14. Moral. c. 5. per rete peccatum consuetudineinueteratum intelligit. Accipe eius verba: *Qui*
Gregor. *pedes in rete mittit, non cum voluerit, eiicit; sic qui in peccatis se deiicit, non mox, vt voluerit, surgit. Et qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat, & cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet, obligatur.* Vidisti, passerem incautum misisse pedes in rete? Toto conatu illos educere, nititur, sed quo magis, se implicat. Non aliter peccator: quo magis in rete ambulat peccati, difficilius se expedit; imo impossibilem reddit libertatem. Quod est dicere: quo magis consuetudine deprauata peccata repetit, magis se implicat in rete peccatorum; & cum se ad bona opera expedire nititur, ne se expediat obligatur. Fugiamus ergo tam graue damnum; ne difficile, ne dicam impossibile habeamus remedium. Placet verbis aureis Aurelij hanc illationem coronare. Sic ait Augustinus in sermone Dominicæ 4. aduentus: *Nolite, fratres mei, contemnere pec-* August. *cata, in quibus forte consuetudinem iam feciſtis. Omne enim peccatum consuetudinis vilescit, & fit homini quasi nullum sit, obduruit iam, dolorem perdidit, & valde putre est, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur, & dolet, aut sanum est; aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum.* Quid pulchrius?

Si verum est, quod retulimus num. 117. de 140. smaragdo, non inutilem nostris moribus præstabat doctrinam. Smaragdus ergo contra morbum caducum, & inueteratum plurimum valet. Ergo iure optimo in hac gemma nomen Leui sacerdotum parentis erat sculptum. Quia sacerdos, & præsul peccata consuetudinis inueterata, quæ animæ præparant æternam mortem, curare, & præseruare debet.

ILLATIO CXXXIV.

Diuina exigitur virtus ad consuetudinem aliquam deuincendam.

EX prælibatis præcedenti illatione satis 141. superque constat, quanta vi polleat peruersa peccandi consuetudo: placet nunc, non expendere eius efficacitatem, & quam difficulter eradicetur ab anima (de hoc iam egimus) sed rem hanc altius tractare. Asserimus ergo diuinam exigi virtutem ad deprauatam consuetudinem relegandam. Nam, vt D. Basilius docuit in Psalm. 1. *Animæ enim morbus, vbi vetu-* Basil. *stuit iam, mali item exercitatio simul atque occalluit diuturnitate: vix vllam admittit medelam, aut certè immedicabilis fit prorsus.* Si ergo peccatum, quod diuturnitate occalluit, est prorsus immedicabile, & nullam admittit medelam; non immeritò diuinam desideramus potentiam ad inueteratam peccandi consuetudinem deuincendam.

Vt amicum Lazarum reuocaret ad viram, 142. Christus Dominus venerat in Bethaniam: cumque multa cum Martha, & ipsa cum Iesu de fratris infirmitate, & morte egissent locum sepulchri disquirit Dominus, non quia ignorasset, quem nihil latet, sed occasionem tribuens circumstantibus, vt tantum miraculum conspicerent, & vt oculares testes, negare, non possent. Igitur cum ad locum peruenissent monumenti, & lapis esset superpositus, ait Dominus: *Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror* Ioan. 11. *eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet: qua-* n. 39.

triduanus est enim. Ioan. 11. num. 39. Prætermittere non licet: cur Christus Dominus ad Lazari excitationem, lapidem iussit, amoueri; cum posset illo etiam superposito, & ad vitam reuocare defunctum, & in conspectu omnium palam manifestare viuentem? Rursus inquiro: quare Martha quasi parum fidens, fætidum, & quatriduanum opponit fratrem? Nam, vel credit, Christum posse, eum ad vitam reuocare, vel secus? Si primum: quid obstabit, quod quatriduanus sit, vel fætidus? Si secundum: futilem adduxit rationem. Quia si Christo deesset potentia (quod absit) etiamsi tunc spirasset frater, non posset eum ab inferis resuscitare. Quare ergo Martha eum quatriduanum, & fætidum proponit? Martha adhuc tenera erat in fide (vt ex eius cum Christo colloquio num. 21. vsque ad 28. constat) & non satis Domini fatebatur omnipotentiam. Proponit ergo sepulturæ tempus, & defunctum horroribus, vermibus, & squalori assuetum, diuinam desiderans omnipotentiam ad vim, & efficaciam illius consuetudinis deuincendam. Sed quid immoror? Vel ipse Christus per omnia potens, vt tantum patret miraculum, lapidem remoueri iubet, in quo vis dura consuetudinis designatur: indicans inueteratam, & diuturnam consuetudinem, vel diuinæ resistere omnipotentiæ. Patronum tanti cogitatus accipe Augustinum super Ioannem serm. 44. de verbis Domini tom. 10. rem hanc subtiliter, & admodum mirabiliter exponentem: *Moles illa imposita sepulchro ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima nec resurgere, nec respirare permittitur: dictum est autem quatriduanus est. Reuera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde; secunda consensio: tertia factum: quarta consuetudo.* Expende singula, ex quibus fructus vberrimos in auditorum animis poteris recondere. August.

143. In horologio regis Achaz huius veritatis aperta luce inueniemus exemplar. Ezechiæ regi promiserat Isaias non solum vitam, sed vsque ad quindecim annorum terminum prolongatam. At rex Prophetæ verbis non firmum præbens assensum (vel quia regibus raro veritas reuelatur; vel quia vitæ desiderio propriæ felicitatis diffidebat. Cordati namque facilius aduersis, quam secundis rebus credunt) signum petit, vt veritatis certitudine sit securus. Propheta tunc ei hanc dedit optionem. Vis, quod vmbra illius horologij ascendat decem lineis; an vt totidem reuertatur? Cui rex respondit 4. Reg. 20. n. 10. *Facile est, vmbram crescere: neque hoc volo, vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus.* Ex his verbis non leue dubium exurgit. Nam dubitari nequit, miraculosum esse, vmbram illius horologij decem horis, aut decem gradibus ascendere. Quia hoc non est aliud, quam solis motum regulatissimum versus Occasum decem horis accelerare. Cum ergo hoc esset præter ordinem præscriptum à natura, & rarum, mirabile esset absque dubio: sicut statio solis à Iosuë facta, vt admirabilis prædicatur. Quare ergo putauit Ezechias facilius vmbram posse ascendere versus Ocasum, quam retrocedere versus Orientem? Vtrumque est contra cursum naturalem solis: ergo æque difficile. Cur ergo rex optione data, tanquam mirabilius elegit, solem versus Orientem retrocedere decem horis, non tamen eas versus Occasum accelerare? Quia solem velocius, quam assolet, Occasus metas attingere, quamuis velocitas esset præter morem, tamen iter non erat inusitatum, cum quotidie in eo radiorum suorum flammantia imprimat vestigia. Hoc enim non erat valde difficile: & præter vsitatum morem, imo contra naturalem cursum flammantem illum repedare apparatum, difficilius erat, quia in eo præscripta consuetudo deuincebatur. Ergo hoc absque dubio mirabilius fuit. Quia vim consuetudinis deuincere, non solum miraculum, sed miraculorum valde mirabile debet prædicari. Audi Glossam ad hunc locum: *Quod rex maluit, quia maioris poterat esse miraculi, si Sol contrarium suo mori cursum ageret, quam si consueto processu incedens.* Inueteratam tot sæculis consuetudinem deuincebat Sol cursum repedando. Ergo hoc maius miraculum. 4. Reg. 20. n. 10. Glossa.

144. Ob hoc Dauid sic diuinam deprecabatur pietatem, Psalm. 118. num. 29. *Viam iniquitatis amore à me: & de lege tua miserere mei.* Notari oportet non dixisse Dauid, *Iniquitatem amoue à me*, sed *viam iniquitatis.* Quare ergo non tam ab iniquitate, quam ab eius via separari postulat? D. Ambros. in præfata verba dubium excitauit, & nodi tribuit elegantem solutionem his verbis: *Et pulchrè viam dixit, iniquitatis, non iniquitatem, eo quod non quasi naturalis iniquitas sit nobis, sed maiorum post peccata currentium sit attrita vestigiis. Merito, quia vulnus grande, ac vetus est, & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans, vt Domini legitima miseratione curetur.* Ac si diceret Ambrosius: Viam iniquitatis à se amoueri deprecabatur Dauid: quia iniquitatis via peccantium attrita vestigiis, consuetudinem inueteratam peccandi designabat. Peccata enim repetita, & assuefacta viam faciunt iniquitatis; quemadmodum via ciuitatis est, quæ attrita vestigiis itinerantium ducit ad ciuitatem. Cupiebat ergo Dauid, vitare peccata, sed præcipue viam iniquitatis, id est, vt ei via peccatorum occluderetur, ne iterum per illam incedens, inueteratam gigneret consuetudinem. Ob id neque addit: *Et de lege tua miserere mei*, id est, *legitima miseratione.* Quasi miseratio legitima, & perfectius medicinæ remedium adhibendum sit, vt vetusta, & inueterata mala eradicentur. Nam sicut esset miraculosum viam, quæ ducit ad aliquam ciuitatem amouere: ita esset mirabile viam iniquitatis, hoc est, peccandi consuetudinem. Psalm. 118. n. 29. Ambros.

ILLATIO CXXXV.

Sacerdotalem, & regiam dignitatem deuenustat luxuriantis animi vita turpis.

145. CArnis turpitudo abominabile vitium est: vel ipse, qui peccat libidine allectus, nisi amens sit, aut nimis procax, erubescit, tantum peccatum admisisse. Nec ob aliud vitio dediti tenebras diligunt, lucem fugiunt putantes famam

famam, & honorem obtenebrare, si eius fragilitas esset nota. Hæc in priuatis hominibus, & sæcularibus negotiis irretitis. Quid esset, in sacerdotibus, qui ex proprio munere cælestibus vacare debent? Quid in Rege, aut Proconsule, cui regni, & ciuium omnium cura commissa est? Certè (quod absit, si aliquis libidini infeliciter deseruiret, turpissimam tantæ dignitati tribueret ignominiam; indignusque tanti culminis haberetur. Nam castitatem seruans, sibi imperat, quia carnis reprimit stimulum: castitatem, & pudicitiam violans, aliis imperare erubescet. Ergo indignus est, alios regendi, qui ad carnis illecebras inuerecundus libidinis laxat habenas.

146. Confugit Dauid tanquam ad sacram anchoram ad Achimelech Sacerdotem, & præ famis angustia panem, aut alium cibum petiit ab eo; cui respondit Sacerdos: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri maximè à mulieribus.* 1. Regum, 21. num. 4. Sed cur Sacerdos non de Dauidis, sed puerorum inquirit castimonia? Caietanus ad hunc locum respondet: *Non interrogat de ipso Dauide explicite, sed de iis, qui cum eo erant, honoris gratia.* At cur de Dauide non interrogat honoris gratia, an fuerit custoditus à mulieribus? Quia, vt constat, 1. Regum 15. num. 13. iam Dauid fuerat vnctus à Samuële in Regem. Merito ergo Sacerdos de Solis pueris, non de Dauide, interrogat, an mundi fuerint à mulieribus, in hoc regiam Dauidis dignitatem honorans, cùm nec dubitare ausus fuerit de Regis futuri castitate, ne vel leui dubio obscuraret regium diadema.

1. Reg. 21. num. 4.

Caietan.

147. Audierat Herodes miracula Christi Domini, & in animo suo fixit indubitanter: dicens: *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis surrexit.* Marci 6. num. 16. Flagitium suum profert Rex impius: at sceleris tacet occasionem. Erras, (ô tyranne!) Nam si Ioannes surrexit à mortuis, & vt putas, tot miracula patrat, iniuste caput eius pulcherrimum obtruncasti. Quare ergo si tantum nefas narrare non erubescis, aliquam eius non affers excusationem? Aut cur causam non exhibes, ob quam immane illud flagitium commisisti. Audiant Principes Regni, & in ciuium notitiam veniat, quam tibi causam dedit Baptista, vt eius amputares caput, quando tu ipse tantum scelus proprio fateris ore. Cur causam taces? Quia nulla extitit, nisi quod Ioannes Herodi dicebat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Si namque Herodes, vt suam excusaret culpam, causam proferret in medium, ob quam diuini Verbi vocem, & præcursorem occidit, ni à veritate deflecteret, diceret absque dubio, ob id feciisse, quia incestuosum, & nefarium reprehendebat adulterium, in quo ipse seipsum turpem inhonestum, & corporis voluptatibus maxime deditum accusaret. Voluit ergo Rex impuis potius tantum crimen inexcusatum relinquere, quam excusationem exhibendo, libidinosi animi nota regiam deturpare maiestatem. Expresse Chrysologus sermone 173. pro nobis est his verbis: *Quod decollauit Ioannem dicit; quare decollauerit, tacet: ne potestatem regiam tanti facti confunderet turpitudo.* Sed adhuc difficultas crescit, si verba Chrysologi premamus, & penitius consideremus. Ex illis enim manifeste colligitur, Herodem non tacuisse homicidium, subticuisse tamen adulterium, ne tanti facti turpitudo potestatem regiam confunderet. Sed, ô Chrysologe, dormitasse videris! Nam homicidium adulterio præstare videtur in malitia: aut saltem non se excedunt specifice, cum per vtrumque violetur iustitia. Ergo si adulterium tacuit tyrannus, ne regiam fœdaret maiestatem, non minori dedecore eam macularet homicidium. Quare ergo adulterium tacet, & profert homicidium? Tene mentem Chrysologi: Quia indignius putabat Herodes regiam dignitatem libidinis maculari spurcitiis, quam sanguinis innocentis riuulis purpuram iterum tyrannice tingere. Quamuis enim turpe fuit homicidium, turpius iudicabat adulterium, & regio diademate indignius.

Marc. 6. n. 16

Chrysol.

148. Lasciua, inhonesta, & turpis Puthipharis vxor castissimi Iosephi inuasit, sed non vicit castimoniam. Inuerecunda, non verbis ambiguis, vt præpositi decebat vxorē, sed expressis, & inhonestis ne suæ libidinis amitteret opportunitatem petulanter dicebat: *Dormi mecum.* Genes. 39. num. 7. cui, vt refert sacer textus ibidem num. 8. proposuit Ioseph non sui animi pudicitiam, ne libidinosæ fœminæ flammem accenderet, sed tot à Domino suo beneficia accepta, vt simul tacite eam reprehenderet, siquidem ingrata fidem violabat mariti. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario dixit ad eam*, &c. Diuus Ambrosius lib. de Ioseph. cap. 1. pro illis verbis: *Dixit ad eam*, legit: *Et dixit vxori Domini sui.* Notatu dignum est, sacrum textum lasciuam fœminam non appellasse dominam, sed contemptibili voce: *Dixit ad eam*: ac si Hispanè diceremus: *La tratò de ella.* At cur non dicitur domina; sed vt legit Ambrosius, *Vxor Domini sui?* Si domini Ioseph erat. Quare ergo dominæ titulo non insignitur? Perbelle Ambrosius: *Recte vxor domini, non ipsa domina dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habet affectum, quæ disciplinam dominæ non tenebat, quæ seruulis libidinis incentiua præstabat? Ille dominus, qui amantis non excipit faces; qui lenocinantis vincla non sentit.* Quid pulchrius? Lasciuam fœminam non dominam, sed vxorem domini vocauit Ambrosius, imò sacer textus contemptibili voce, siquidem, *la tratò de ella.* Nam quæ lasciuiens seruo præstabat libidinis incentiua, digna fuit, vt dominæ titulo honorifico priuaretur. Solus ergo ille est dominus, qui amantis non excipit faces: hic in seipsum habet imperium. Ergo qui inhoneste, & turpiter viuit, non dominus aliorum existit, etsi dominandi fulgeat dignitate; quia suæ libidinis comprobatur seruus.

Gen. 39. n. 8.

Ambros.

149. Quanta animi pudicitia clarere debeat, qui dominandi suscipit onus, expressit Paulus 1. ad Timoth. 3. num. 2. dicens: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ*

1. ad Tim. 3. num. 2.

domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Vix inueniri poterit Præsul his omnibus ornatus. Nescio, quid putant, qui tantum onus suscipiunt? Diuus Ambrosius libro de dignitate Sa[illegible] mirifice omnia hæc expendit, legito, dum vacet. Nunc ad rem nostram expendamus attente cum Ambrosio illud: *Suæ domui bene præpositum.* Quid est, Episcopum bene præesse domui suæ? Audi Antistitem Mediolani: *Domui suæ bene præesse potest, qui corporis sui seruat castitatem.* Sed adhuc crescit dubium. Nam vnde tanta connexio inter dominium, & castitatem, vt putet Ambrosius, illum bene præesse, qui castitatem seruat in corpore? Prosequar eius verba, in quibus latitat cogitatus lepor. *Domui, inquit, hoc est corpori suo imperioso iure dominetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in desiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur; sed potius filios suos suo castitatis exemplo ad pudicitiæ regulam doceat.* Si Episcopus, si Præsul, si Sacerdos incontaminatam seruet castitatem, & sui corporis habet imperium, sibi imperat; & qui sibi imperare nouit castitatem seruando, etiam aliis præcipere scientia comprehendet. At qui violat castitatem, nec sibi legem imponit, nec aliis iubere audebit. Ergo connexa sunt inter se castitas, & imperium. Ergo qui castitate non fulget, dignus est ab imperio deponi, sicut qui dignitatem deturpat.

Ambros.

150. De smaragdo refertur venerearum rerum esse impatientem, & maximam cum castitate habere amicitiam, vt diximus numero 117. In smaragdo Leui nomen erat inscisum; quia Leui Sacerdotum fuit parens: in quo innuebatur, Sacerdotes, & Præsules candore castitatis ornari debere. Nam quamuis Sacerdos, & Præsul virtutum omnium ornatu clarere debeat ex munere, præcipuè gemma castitatis debet radiare. Hæc enim est, quæ tantam exaltat dignitatem: E contrà verò libido eam obumbrat, & deuenustat.

ILLATIO CXXXVI.

Sacerdotum studium sit, lites, & discordias Reipublicæ sedare, & omnium animos in concordiam redigere.

151. VNiuersali charitatis præcepto tenentur omnes lites extinguere, & discordias sedare Reipublicæ: sed præcipuè qui Altissimo altaris ministerio inseruiunt, & sacerdotali dignitate potiuntur. Nam cum ipsi mediatores sint inter Deum, & homines, non solùm zizania seminare, non debent; sed fidelium corda totis viribus in veram pacem, & charitatem redigere.

152. Ascensurus Christus in Cœlum, promissumque Spiritum sanctum inde missurus, vt suæ absentiæ Discipulis præberet solatium, ait illis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ioannis 14. num. 27. Caietanus hîc sic exponit: *Non dicit, pacem mando vobis, sed legat testamenti iure, dicendo, pacem relinquo vobis.* Hoc est, pacem tanquam hæreditatem relinquit. At cur pax est Apostolorum hæreditas? Quia Sacerdotum patrimonium est pax. Nam sicut hæres ex bonis testamento legatis familiares, & seruos alit; ita Apostoli, quos Christus pacis instituerat hæredes, fideles pacis alimonia sustentarent. *Nec moriturus Iesus* (prosequitur Caietanus,) *Pater Apostolorum reliquit illis agros, domos, aut curam propriæ sepulturæ, sed tantummodo pacem: ac si apertius dixisset; quamuis non agros, & huiusmodi temporalia bona, quamuis nec corpus proprium relinquam vobis, sed resumam illud, pacem tamen relinquo vobis.* Pretiosa hæreditas est pax, siquidem bonorum omnium temporalium supplet defectum; imò ipsius corporis Iesu Christi lenit absentiam (hoc enim denotant illa verba: *quamuis nec corpus proprium relinquam vobis, sed resumam illud.*) In pace enim totius testamenti Christi continetur legatum, imò & hæreditas: sic dixerat Caietanus: *Relinquitur tanquam pretiosa hæreditas. Hoc est enim testamentum Iesu.* Ideo ergo Apostoli pacis instituuntur hæredes (in quibus omnes Sacerdotes ad tantam vocantur hæreditatem) vt summo studio, omnique diligentia fidelium animos in mutuam gratiam, & concordiam restituant. Nam licèt omnes fideles hoc præstare teneantur; tamen maiori iure, & ex officio Sacerdotes veluti pacis hæredes ad hoc tenentur.

Ioannis 12. num. 32. Iudæis dixerat Chri- 153.
stus Dominus: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans, quamorte esset moriturus.* Manifestum est, vt communiter hîc Patres exponunt, sermonem esse de exaltatione Domini in Cruce: Vnde, in illa prædicit Dominus omnia ad se tracturus; id est (vt explicat August. ad hunc locum) ex omni genere hominum, viles, & nobiles; infantes, & adultos; magnos, & paruos. Hinc liceat inquirere: cur Christus Dominus in Cruce, & non in præsepio, aut in alio loco fidelium animos adunari voluit? In præsepio cum tenellus iacebat infantulus valde amabilis erat: in Cruce, vt malefactor suspensus (innocentissimus cùm esset) verberum plagis liuidus, spinarum aculeis lancinatus, & vndequaque despectus. Quare ergò in cruce omnium animos adunare, & sibi sicut membra capiti viriri voluit? Quia (vt inquit Chrysostom. tom. 3. homil. de Cruce, & latrone.) *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus, & immolatus in excelsa Cruce. Nouum altare constitutum est, quia & sacrificium nouum, atque omnibus inopinatum: nam & ipse sacrificium fuerat, & Sacerdos. Sacrificium secundum carnem, Sacerdos secundum spiritum sanctitatis:* Voluit ergo Christus in Cruce, homines & sibi, & inter se adunare; quia in Cruce seipsum immolans, Sacerdotis fungebatur officio: innuens per hoc, Sacerdotum studium fore, lites extinguere, discordias sedare, & omnium animos in veram concordiam restituere.

Ioan. 12. n. 32.

Chrysost.

Nisi me propria fallit cogitatio, propter 154.
hanc causam puto, Christum Dominum pendentem in Cruce de Patre fuisse conquestum, cùm dixit, Matthæi 27. num. 46. *Deus meus, Deus meus: vt quid dereliquisti me?* Difficilia

Mat. 27. n. 46.

sunt

ſunt verba hæc,& quæ multorum Patrum torſerunt ingenia. Multa apud ſacros Expoſitores inuenies.Hilarius in Matthæum huius clamoris cauſam Verbi à corpore ſeparationi tribuit. Audi ipſum: *Clamor verò ad Deum corporis vox eſt recedentis à ſe Verbi Dei conteſtata diſſidium.* Videbatur, corpus vereri Verbi ſeparationem, non quia corpus fuerit ſeparatum à Verbo (nam iuxta communeaxioma Theologorum: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.*) Sed quia ſeparandum erat ab anima. In triduo namque diſſolutæ fuerunt partes: at quælibet Verbo manſit vnita. Diuus Ambroſius in cap. 23. Lucæ hoc expreſſit, dum ait: *Clamauit homo diuinitatis ſeparatione moriturus.* Hoc eſt, clamauit humanitas, quia moritura ſeparanda erat à diuinitate. Certum eſt enim in triduo non manſiſſe humanitatem: quia nexus ille, quo corpus, anima Chriſti Domini inter ſe vinciebantur, fuit diſſolutus; tametſi anima, & corpus ſtrictiſſimo, & ineffabili vinculo vnionis hypoſtaticæ verbo manſerint vnita. Itaque querela illa aut corporis, vt putauit Hilarius, aut totius humanitatis, vt ſenſit Ambroſius, fuit abſque dubio. Sed ob quam cauſam, aut corpus conqueritur, aut tota humanitas habebat querimonias? Hilarius, & Ambroſius diſſidio, & ſeparationi animæ à corpore hanc tribuunt querelam: nam mors eſt carnis, atque animæ ſeparatio, teſte Tertulliano libro de anima, cap. 52. *Hoc igitur,* inquit, *opus mortis ſeparationem carnis, atque animæ ſepoſita quæſtione fatorum, & fortuitorum, bifariam diſtinxit humanus affectus in ordinariam, & extraordinariam formam.* Eſt ergo mors diſcordia inter vtramque partem, & animæ, & corporis nexus diſſolutio. Querebatur ergo Chriſtus in Cruce pendens, & ſe à Patre derelictum clamat:quia proſpiciebat, imminere iam corporis, & animæ vnionis diſſolutionem. Quia, vt numero præcedenti ex Chryſoſtomo notabamus,Chriſtus in ara Crucis non ſolum victima, ſed Sacerdos fuit. Præuidit ergo partium humanitatis ſuæ diſcordiam, & ſeparationem, doluit; & qui nec verbera patiens, nec clauorum crudelem transfixionem ſuſtinens clamauerat, vocem,& querelam emiſit, dicens: *Deus meus, Deus meus; vt quid dereliquiſti me?* Maiorem ſentit dolorem propter diſſolutionem partium,quam propter iniurias, flagella, & clauos. Nam cum Sacerdotis fungeretur officio diſcordiam partium appellauit derelictionem: quia Sacerdotis munus eſt diſcordias,& lites impedire. Studeamus ergo,qui tanta potimur dignitate,non ſeminare zizania, ſed diſcordes animos,cruentatas voluntates in veram pacem, & vnitatem redigere.

Hilar.

Ambroſ.

Tertullian.

155. Inter ſmaragdi propria refertur virtus ad ſiſtendum ſanguinis fluxum. Non fortuito in hac gemma Leui nomen, qui Sacerdotum erat pater, erat ſculptum; ſed vt Sacerdotes diſcerent, tantam imitari virtutem, & ſanguinis effuſionem euitarent, relegarent diſcordias,ſedarent lites, omnium animas ad verum conſenſum, & charitatis vinculum reſtituentes. Tale debet eſſe munus Sacerdotum, hæc eorum cura, hoc ſtudium.

ILLATIO CXXXVII.

Magnanimi pectoris virtus in aduerſis, & ſecundis rebus ſtabilis perſeuerat.

NOn eſt magnanimus, qui rerum immutatur ſucceſſione: egregio, & excellenti animo præditus, ſiue à proſperis in aduerſa deueniat, ſiue ab aduerſis in proſpera, eodem modo ſtabilis perſeuerat. Niſi in abiectum, ac puſillum animum non cadit, mutare aſpectum, moreſque innouare, cùm ab infima in altiorem euehitur fortunam. Similiter nimis anguſti, & enetuati animi eſt, cùm infeliciter deiicitur à ſolio, roboris pati deliquium. Præſtantiam enim animi, & excellentiam æqualitas, & conſtantia tam in aduerſis, quàm in ſecundis rebus maximè commendat. 156.

Cùm ſanctus, & inuictus Iob tribus ſagittis à diabolo ſagittaretur, tolerantiæ, ac fidei ſcuto ſe protegens, tranſiit illibatus. Orbatur bouibus, ouibus, & aſinis, pueris, camelis,& omni ſuppellectili, & patienter ſuſtulit: orbatur liberis, & ait ſacer textus: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua.* Iob. 1. num. 20. Sed cur ſanctus Iob, qui conſtanti animo, & æquali vultu bonorum omnium iacturam audiit; cùm de liberorum nece fit certior, veſtimenta ſcidit? Reſpondet Origenes lib. 1. in Iob his verbis: *Surrexit animo, ſurrexit fide, ſurrexit veritatis ſtudio, ſurrexit ad prælium, ſurrexit ad virtutem, ſurrexit ad officium conſtantiæ.* Et ſtatim poſtquam dixiſſet, Syros nudo pectore ad durum prælium venire, & cum furore, & indignatione contra aduerſarios currere, proſequitur: *Sic itaque admirabilis Iob conſcindens veſtimenta ſua, atque omnia deponens impedimenta, nudus; atque audax ſtetit in ſpirituale prælium. Aut adhuc conſcidit veſtimenta ſua, ſine mora ſemetipſum ad ipſas præparans plagas. Ecce inquiens dorſum nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate, ego autem ſuſſeram. Vos verberate, ego autem ſuſtineam.* Non ſurrexit Iob audita liberorum infelici nece, vt inimicum fugeret, eius tela formidans, nec ſcidit veſtimenta puſillo animo deſperans: ſed vt ſtrenuus, & fortis miles præſtanti, & excellenti robore ſurrexit ad prælium, pectus denudans & inimicum ad certamen prouocans. Vel ſemetipſum ad ipſas præparans plagas, vt animi celſitudinem oſtenderet; ſiquidem aduerſitas, & tot ærumnarum copia præſtantem ſui animi fortitudinem minime labefactare potuerunt. Oſtendit ergo Iob animi conſtantiam ſubitò à proſperis in aduerſa mutatus, & immutatus cordis ſeruans æqualitatem. 157. Iob. 1. n. 20. Origenes.

Olympiodorus in catena Græca ad præfata verba Iob; ideo ſurrexiſſe affirmat,& veſtimenta conſcidiſſe, ſentit, vt oſtenderet, præ nimio dolore affici maxima triſtitia, & tamen animi conſtantiam non amiſiſſe. Nam ſi Iob tot rerum iactura, torque chariſſimorum liberorum pignoribus orbatus acerbitatem animi, quam (etſi patienter) intus patiebatur,veſtium ſciſſione non exprimeret, per omnia inſenſibilis videretur, quo & ſuæ patientiæ, & conſtantiæ 158.

ſtantiæ multum detraheret. Triſtitiæ ergo & moleſtiæ ſigna præbuit, vt ſimul patientiam, & animi celſitudinem commendaret. *Neque enim*, ait Olympiodorus, *Victoria quis idcirco potitur, quia non patitur, ſed ideo, quia cum patitur, animo perfert inuicto.* Si Iob in tantis moleſtiis conſtitutus, nulla doloris præberet ſigna, inſenſibilis videretur, nec certaminis triumpho dignus exiſteret, ſiquidem abſque dolore pati, non eſt glorioſum: at magna affici acerbitate, & abſque patientiæ iactura viriliter mala ſuſtinere, præſtantis, & excelſi eſt animi. Ideo ergo veſtimenta ſcidit, vt dolorem oſtendens, animi celſitudinem declararet, inuictus exiſtens inter proſpera, & aduerſa. Hæc enim eſt fortis, & magnanimi conditio, æquo animo, rerum non immutari viciſſitudine. Olympiod.

159. Placet, ſubtiliori calamo rem hanc illuſtrare. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Ioannis 3. numero 14. Sed in quonam Chriſtus Dominus in Cruce pendens æneo ſerpenti eſt aſſimilatus? In Cruce Chriſtus prædicatur Dei Filius à Centurione. Matthæi 27. num. 54. In cruce tanquam è ſolio excelſo Rex annunciatur ibidem numero 37. Quomodo ergo, aut in quo, qui tanta fulget maieſtate æneo ſerpenti aſſimilari potuit? Iſaïas Abbas oratione 25 expendens quanta pro nobis Chriſtus pertulit, ſic reſpondet: *Qui propter nos hæc omnia paſſus eſt, neque tamen immutatus eſt, neque ira commotus in eos, à quibus tot iniuriis, & contumeliis afficiebatur, nihil reſpondens, ſed ad æneiſerpentis ſimilitudinem immobilis manens.* Sed adhuc vrget dubium. Quid intereſt, quod Chriſtus in Cruce pendens nec immutatus ſit, nec commotus, & velut æneus immobilis permaneret; vt inter tot glorias, quas acquiſiuit in ligno, æneo ſerpenti ſimilis perhibeatur? Dicerem: quia ſicut æneus ille coluber in deſerto percuſſos ab ignitis ſerpentibus ſanabat, vt conſtat Numerorum 21. numero 9. Ita pius Dominus ab ignito, & callido illo ſerpente peccatorum morſibus mortifere vulneratos liberauit. Sit ita. Sed ad rem reſpondeo. Ideo ergo inter Crucis glorias æneo ſerpenti comparatur; quia æquo animo, conſtantique robore probra, ſpinas, clauos, & iniurias tolerabat, ac ſi æneus eſſet. Hiſpanè diceremus: *Eſtuuo tan ſufrido, como ſi fuera de bronze.* Id explicuit Iſaïas citatus: *Ad æneiſerpentis ſimilitudinem immobilis manens.* Tanti Chriſtus fecit animi conſtantiam, tanti virtutis fortitudinem, vt quando in Cruce Deus credebatur, & Iudæorum comprobabatur Rex, voluerit æneo aſſimilari ſerpenti, vt animi conſtantiam commendaret. Ioan. 3. n. 14. Iſaïas Abb.

160. Singulari ſtudio, & beneuolentia reſpexit Deus Ioſephum filium Iacob, ſiquidem, quod nulli fratrum eius conceſſerat, duarum tribuum Ephraïm, & Manaſſes meruit parens vocari. Geneſis 41. numero 50. & capite 46. numero 20. & capite 48. numero 5. Sed cur Iacob filio Ioſeph, Deo ita diſponente, tantam contulit excellentiam excluſis aliis filiis, qui ſolùm vnius tribus parentes fuerunt appellati? Forſan ob eximium candorem caſtitatis. Sed Hieronymum audi epiſtola 9. ad Saluinam de virginitate ſeruanda, cap. 2. ſic loquentem: *Ioſeph, qui in egeſtate, & in diuitiis dedit experimenta virtutum, qui & ſeruus, & Dominus docuit animæ libertatem, nonne poſt Pharaonem regiis ornatus inſignibus, ſic Deo carus fuit, vt ſuper omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret.* Ioſeph animi conſtantia, & fortitudine omnibus fratribus anteibat, æqualique animo in egeſtate, & in diuitiis; ſeruus, & Dominus dedit experimenta virtutum, & docuit animi libertatem non immutatus in proſperis, & aduerſis. Merito ergo, qui tanta potiebatur fortitudine cæteris antefertur germanis, vt ipſe ſolus pater, & caput duarum tribuum conſtitueretur, & in Ægypto poſt Pharaonem regiis ornaretur inſignibus, & non ſolum Ægyptiis, verum & fratribus imperaret. Nam qui tanto pollebat robore, tamque conſtanter inter aduerſa, & proſpera ſe geſſit; iure optimo tantam excellentiam fuit conſecutus. Hieron.

Smaragdi perpetuo contumacique virenti fulgore ſemper irradiant: ſiue ſint in tenebris, ſiue in luce, ſiue proiiciantur in ignem ſemper ſplendidi, ſemper fulgentes & immutati manent, & in eis aliquid ſculpere fere eſt impoſſibile, vt ſupra numero 117. diximus, cum eorum proprietates notabamus. Inſuper in ſmaragdo Rationalis inciſum erat nomen Leui Sacerdotum parentis, vt eos inſtrueret, & Præſules, & Nobiles, in hiſque omnium hominum genera, quanta conſtantia, & animi æqualitate ſe debeant gerere ſiue in ignem aduerſitatum, & tribulationum proiiciantur, ſiue luce proſperitatis ſplendeant, ita vt in eis nihil ſculpere ſit poſſibile. Qui enim ſecundis rebus immutatur, aut aduerſis animi patitur deliquium, à magnanimitate diſcedit: at quem rerum varietas, & ſucceſſio non elidit, magnanimus, fortis, dignus ſummis honoribus prædicatur. 161.

ILLATIO CXXXVIII.

Subditorum crimina Præſuli imputantur.

162. SÆpè in præcedentibus obſeruauimus, quantis periculis ſint obnoxij, qui aliorum tenent gubernaculum: nunc, quæ damna ſuſtineant Præſules, placet expedire; ſi ſubditi, quorum curam gerunt, in peccata miſerabiliter declinent, & eos à vitiorum via in ſalutarem tramitem virtutis non reducant. Eleganter hoc explicuit Saluianus Maſſilienſis lib. 7. de Prouidentia. *Poteſtas quippe magna*, inquit, *& potentiſſima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat, debere fieri, ſi ſciens patitur, perpetrari. In cuius enim manu eſt, vt prohibeat, iubet, ſi non prohibet, admitti.* Subditorum ergo crimina, cum minime latent Præſulem, ſi ea non inhibeat, approbare videtur: quare meritò eius imputantur incuriæ. Saluianus.

163. Sub mari illio fuſili, quod fecerat Salomon, duodecim erant boues ænei. 3. Regum 7 à numero 23. *Fecit quoque mare fuſile .... & ſtabat ſuper duodecim boues.* Hoc vas propter eius capacitatem appellatum fuit mare more Hebraïco: nam Hebræi congregationem aquarum mare appellant, vt notat noſter Toſtatus ad hunc locum. Sanctus Nilus libro Aſcætico, per boues, ſuper quos peluis firmabatur, Præſules 3. Reg. 7. n 23.

in

intelligit, in quorum humeris onus ſubditorum conquieſcit. *Boues autem ſub pelui declarant eos, qui ſubeunt onus eiuſmodi* (intelligit gubernandi, aut docendi,) *nihil reſpuere, aut auerſari debere, ſed & onera, & ſordes inferiorum perferre.* Quod puto, non abſque myſterio factum. Nam in illo vaſe Sacerdotes lauabant manus, & pedes, vt dignè ſacrificia ad expiationem populi offerrent, in quo oſtendebatur, Sacerdotes ſordes contraxiſſe ex peccatis ſubditorum, quia populares non lauabantur, quando pro eis offerebantur ſacrificia, ſed ſolus Sacerdos. Inſuper ſordes in vaſe illo manebant. Denotauit ergo Salomon maculas illas, quæ derelictæ fuerant in vaſe, cui ſuſternebantur boues, (in quibus Præſules, & Antiſtites ſignabantur) ſuper iſtos cadere, eoſdemque inficere. Nam cum crimina ſubditos maculant, etiam Prælatos inficiunt. Audi ſanctum Nilum: *Qui enim aliorum actiones puras eſt effecturus, is quin aliquam ipſe ſordem contrahat, vix fieri poteſt. Siquidem & peluis emundans eorum, qui lauantur manus, ſordes illorum ſuſcipit.* Tanta cura, tantoque conatu Sacerdos, aut Præſul tenetur ſubditorum crimina inhibere, vt iſtorum ſcelera, ſi non prohibet, videatur admittere. Quapropter, vt Præſules ad magnam curam ſubditorum excitaret Salomon, mare illud æneum ob oculos propoſuit, ſuper duodecim boues requieſcens, in quo ſordes, & maculæ populi ſeruabantur, vt aduertant Antiſtites, quod ſi in populo ob ſuam incuriam ſcelera committuntur, ſuper ipſos ſunt imponenda.

Nilus.

164. Bis de monte, in quo Moyſes cum Deo ſermonem familiariter habuerat ſicut ſolet amicus cum amico deſcendit. De primo deſcenſu ſic ait ſacer textus, Exod. 32. num. 15. *Et reuerſus eſt Moyſes de monte portans duas Tabulas teſtimonij in manu ſua ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini.* Glorioſior fuit ſecundus deſcenſus, ſiquidem tanta radiorum lucis copia ex Moyſis facie oriebatur, vt vix ad eum aſpicere, auderent Iſraëlitæ. Exodi 34. numero 29. *Cúmque deſcenderet Moyſes de Monte Sinai tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Vel vt ex Hebræo legitur: *Non cognouit, quod reſplenduiſſet cutis faciei eius*: Septuaginta: *Moyſes non ſciebat, quia glorificatus eſt aſpectus cutis faciei eius.* Chaldaï: *Moyſes autem neſciebat, quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui.* Abulenſis in hæc verba quæſt. 25. quærit: cur facies Moyſis in primo deſcenſu non ſplenduit, ſicut in ſecundo? Nam ſi ex conſortio ſermonis Dei facies eius reſplenduit, cùm ſecundò deſcenderet de monte; etiam cùm primum aſcendit cum Deo familiariter fuerat conuerſatus. Quare ergo in ſecundo deſcenſu vultus eius glorificatus apparuit, & non in primo? Reſpondet noſter Toſtatus in fine quæſtionis relatæ: *In prima vice cùm Moyſes deſcendit de monte Deus erat iratus populo, quia coluerat vitulum, & tunc actualiter colebant: ergo non debuit eos tunc honorare, ſed potiùs pœnis afficere. In ſecunda autem vice erat Deus reconciliatus populo precibus Moyſi, vt patet in iſto capite, & præcedenti, & Deuteronomij 9. capitulo. Ergo in ſecunda vice dare debuit hunc honorem, vt faceret Principem eorum radijs refulgentem.* Ex mente ergo Toſtati in primo deſcenſu vultus Moyſis non reſplenduit, quia populus nefarium illud ſcelus commiſerat, vitulo aureo tribuens cultum. In ſecundo autem deſcenſu, iam populus Moyſis precibus Deo fuerat reconciliatus: vnde Moyſis aſpectus glorificatus fuit. Quid habuit populi crimen, vt à Moyſe lucem auferret; & quid populi pœnitentia, & cum Deo reconciliatio, vt Moyſis aſpectum redderet refulgentem? Quia Moyſi tanquam duci populi illius cura fuerat commiſſa: & quamuis non incuria Moyſis, (nam iubente Deo in montem aſcenderat,) populus tantum flagitium commiſerat; tamen quia Præſul erat priuatur fulgoribus radiorum; non quia exiſteret culpabilis, ſed ob hoc quod populi idolo cultum conferentis gerebat Ducatum. Nam ſic ſubditorum crimina Præſulem inficiunt, vt etiam quando abſque eius incuria perpetrantur; ei videantur imputari.

Exod. 32. n. 15.

Exod. 32. num. 29.

Hebræ.

Septuag.

Chald.

Abulenſ.

Semel in anno, vt conſtat Leuitici 16. n. 34. orabat Sacerdos intra ſanctuarium pro expiatione peccatorum totius populi: & quando ingrediebatur, vt ex eodem cap. liquet, numero 12. & 13. periculum mortis ei imminebat, quam ob cauſam iuſſit illi Deus, vt ſumeret thuribulum de prunis altaris impletum: *Vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, & non moriatur.* Sed quid eſt, quod quamuis Sacerdotes quotidie thymiamata offerrent in altari, eis non imminebat mortis diſcrimen; & quando Sacerdos ſemel in anno ingrediebatur in ſancta, indiget aromatum vaporibus obumbrari, vt non moriatur? An quia indigne miniſtrabat? Non ob hoc, cùm à Deo ſic eſſet ſtatutum, cùm tamen alio tempore non liceret ingredi. Propter quod ergo mortis periculum imminet Sacerdoti? Acutè ſatis Caietanus ad caput primum Lucæ: *In quotidiano enim vſu*, inquit, *Sacerdotes adolentes thymiamata non ingrediebantur in templum abſolute, ſed in primam partem templi, & ideo non imminebat eis timor moriendi. Sed in feſto expiationis ingrediebatur ſummus Sacerdos in templum abſolute ad expiandum totum templum ab iniquitatibus filiorum Iſraël, & propterea imminebat ei periculum mortis.* Quod eſt dicere: quia in die expiationis orabat Sacerdos pro peccatis filiorum Iſraël, quorum cura ei fuerat commiſſa; ideo ei periculum mortis imminebat. Nam licèt Sacerdos peccatis eorum non conſenſiſſet, ſi tamen eſſent peccata in populo, ipſi quoddammodo attribuebantur, & ideo indigebat vaporibus aromatum obumbrari, ne forte è vita decederet propter crimina ſubditorum. Hoc enim eſt formidabile onus dominantium: hoc Prælatorum periculum.

165.

Leuitic. 16. num. 13.

Caietan.

Ob hanc rationem nomen Leui in ſmaragdo erat ſcriptum: quia (vt ſupra num. 117. diximus,) hæc gemma viſum acuit; in quo Sacerdos, & Præſules inſtruuntur, vt ſummo ſtudio ſubditorum vitas debeant ſpeculari, & ſcrutari viſu acutiſſimo, vt ſi in aliquo à recto tramite diſceſſerint, in veram frugem conuertantur.

166.

tantur. Ob hanc etiam cauſam, per multi ſmaragdo tribuunt, vt ibidem prænotauimus) verba tribuere perſuaſoria. Si hoc verum eſſet (abſit omnis ſuperſtitio) debent Prælati efficacibus, & perſuaſoriis verbis, quos vitiorum catenis innexos compeditos, expedire, à peccatis auertere, & in viam ſalutarem dirigere; ne ſubditorum crimina Rectoribus imputentur.

ILLATIO CXXXIX.

Diuinus ſermo magno terrore dæmones afficit, & fugat.

167. FOrtis eſt ſermo Dei, viuus & efficax, vſque ad diuiſionem animæ pertingit, teſte Apoſtolo ad Hebræos 4. num. 11. Hic dæmones terret, ac fugat. Iuda Duce, & diaboli inſtinctu nefarij milites miſſi à Principibus Sacerdotum comprehenderunt Ieſum, & quem cœli capere non poſſunt, manibus tenetur ſacrilegis. Tunc patientiſſimus Dominus ait ad eos: Mat. 26 n. 55 *Quotidie apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis.* Matthæi 26. num. 55. & apud Ioannem cap. 8. num. 20. Cùm Dominus ſeuerè Scribas, & Phariſæos increpaſſet, nemo apprehendit eum: Ioan. 8. n. 20. *Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophilacio, docens in Templo, & nemo apprehendit eum.* Sed, cur, ſi deprauatus Scribarum, & Phariſæorum animus totis viribus cupiebat, Chriſtum è medio tollere; cum quotidie in Templo frequentem haberent opportunitatem non ſunt auſi comprehendere: & in horto, & audacter inuadunt, & ſacrilege ligant, & tandem comprehenſum in domum Caïphæ ducunt? Vbi eſt, dæmon, tua calliditas; vbi tua fortitudo? Animos eorum inducis, vt Chriſtum capiant, & ad hoc vires præſtas: ſed in templo non audes, quod in horto perficis. Quid times in templo; & cur non formidas in horto? Proculdubio dæmon diuino ſermone fuit perterritus in Templo, & ideo ibi exequi non eſt auſus, quod in horto perfecit. In templo docebat Ieſus, & verba proferebat ſalutaria; in horto autem tacebat. En tibi cauſam, ob quam dæmon ab eo fugit in templo, & eum in horto non formidat. Adeſt Origenes homi- Origen. lia 18. in Ioan. dum ait: *Valentiora enim erant verba eius, his, qui eum apprehendere deſiderabant: Ideo ſi loquitur, non tenetur; ſi tacet, tunc tenetur. Denique dum Pilatus eum inquirit, dum flagris cedit, tacet; niſi enim taceret in Crucem ex infirmitate ſublatus non eſſet, quandoque infirmitas non ineſt in eis, quibus verbum loquitur.*

168. Hanc diuini ſermonis efficaciam ſatis explicuit ipſe vitæ Dominus cum iam proximus morti in ſolitudinem receſſiſſet Gethſemani; illucque perfidus ille Diſcipulus cohortem militum duceret, vt innocentiſſimum comprehenderent Magiſtrum. Quem quærant, interrogauit Ieſus: cumque Ieſum Nazarenum reſpondiſſent: ſtatim dixit Ieſus: *Ego ſum.* Vt Ioan. 18. n. 6. *ergo dixit eis: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Ioan. 18. num. 6. Vix Chriſtus Dominus verbum protulit, cùm eius hoſtes metu perterriti ceciderunt in terram. Sed quid eſt, quod armatorum militum frangit animos? & quomodo qui armorum præſidio erant accincti tam ſubitò animo cadunt? D. Ambr. in c. 22. Lucæ diuini ſerm. robori hanc victoriam tribuit, dicens: *Locutus eſt, & ceciderunt retror-* Ambroſ. *ſum. Ioan. 18. Quo mihi legiones Angelorum? Vox Domini ſola plus terret. Hanc ille ad demonſtrandum diuinæ Maieſtatis indicium, qui in pectore Chriſti recumbebat elegit.* Suo ſermone munitus Dominus plus dæmones, & eius milites terruit, quam ſi legiones Angelorum conuocaſſet. Domini vox ſufficit, vt ponat antiquum hoſtem, & eius aſſeclas Iudæos ſcabellum pedes eius. Ideo ergo ſi loquitur non tenetur, comprehenditur ſi tacet. Vox ergo Domini dæmonem fugat, & eius milites proſternit.

In ſingulare certamen animoſus Dauid, non 169. ſuis viribus, ſed diuina miſericordia fretus paratur contra Goliath Philiſthinorum Ducem, qui quotidie exprobrabat, & terrebat exercitum Regis Saül. Arroganter Philiſthæus illudebat Dauid, & deſpiciebat eum. At Deus, qui ſemper ſuperbos deiicit, & humiles exaltat tantam animi fortitudinem Paſtori infudit, vt primo lapide Gigantem proſterneret, & tandem prævalens interficeret, 1. Regum 17. numero 49. *Tuliſque vnum lapidem, & funda* 1. Reg 17. *iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in* num. 49. *fronte: & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Dubium, quod hîc ſe offert eſt: quomodo Dauid funda, & quinque lapidibus, quos tulerat de torrente, auſus eſt cum hoſte lorica armato, galea protecto, enſe præcincto, & ſtatura procero certamen inire? Diuus Ambroſius in cap. 6. Apocalypſis nodum ſoluit. Per quinque lapides quinque libros Moyſis intelligit, per Dauid Chriſtum, & per Goliath diabolum: & proſequitur, *Et ſicut Dauid funda lapidem iecit, &* Ambroſ. *Goliam interfecit: ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus lingua ſanctæ Scripturæ teſtimonia pertulit, & diabolum ſuperauit.* Ideo Dauid quinque lapidibus, & funda non dubitat cum Golia inire certamen, quia lapides quinque ſacram Scripturam deſignabant, & funda linguam diuinum Verbum annunciantem præferebat. Quid ergo mirum, quod diabolus ſuperetur in Golia præfiguratus? Nam quid magis deterret, & exterminat diabolum, quàm diuinum eloquium? Propter hoc Chriſtus Dominus, cùm à dæmone in deſerto impetitur, noluit ſua potentia vti, vt callidiſſimum, & audaciſſimum hoſtem ſuperaret, ſed ſacri eloquij teſtimoniis munitus eum fugauit. Sic Ambroſius loco relato: *Saluator noſter ſcientiam quin-* Ambroſ. *que librorum æqualiter poſſedit, ſed ex vno, id eſt, Deuteronomij, tria teſtimonia aſſumpſit, ex quibus tres tentationes diaboli denicit.* Nulla armatura fortior, quàm ſacrum eloquium ad dæmonem effugandum, & deuincendum.

Smaragdus (vt illatione præmiſſa, n. 166. 170. notabamus) verba perſuaſoria præbet: inſuper, ſi multis credimus) fugat dæmones, & phantaſticas illuſiones. Si hoc eſſet verum, non inutilem noſtri thematis confirmationem præberet. Nam cùm in hac gemma Leui nomen Sacerdotum parentis eſſet ſculptum, denotabat,

bat, verba Sacerdotum, diuinam doctrinam annuntiantium, persuadere fidelibus, à vitiis faciem auertere, & virtutem indefesso animo colere. Hoc si præstiterint ministri Altaris absque dubio dæmones procul relegabunt. Quia nihil magis eos exterminat, quàm diuini eloquij pronunciatio.

ILLATIO CXL.

Tam tener, & delicatus est virginitatis flos, vt vel tenui libidinis afflatu eius candor marcescat.

171. FRequenter à sanctis Patribus candor virginitatis cognomento floris appellatur. Sic Diuus Cyprianus, Diuus Gregorius, & alij. Sed quid floris fragilitas cum constantia virginitatis? Si è cœlo accersiuit, vt vocaretur in terris: cur flori comparanda est, quæ in cœlis habuit incunabula? Quia virginitas, vel cœlestis est flos, vel terræ stella. Sed ad rem respondeo: quia sicut flos æstiuo calore deperit; sic virginitatis puritas, quæ flos est, vel tenui libidinosi ardoris flatu marcescit.

172. Inuaditur, non vincitur ab adultera Ioseph castitas: quia impollutus iuuenis libidinis tela retundit, & frangit: instat lasciua, & adinuenta opportunitate vi eum prouocat ad luxuriam: fugit Ioseph, quem vt teneret, pallium
Gen. 39. n. 12 apprehendit fœmina: *Qui relicto pallio egressus est foras.* Genes. 39. num. 12. At cur Ioseph vestem reliquit, quæ testis posset esse adulterij, & adulteræ crimen operire. Gilbertus Cistercienſis in supplemento operum Diui Bernardi sermone 45. in Cantic. reddit hanc
Gilbertus. rationem: *Mundi ornamenta velut magna onera fugit Ioseph sentiens fomitem.* Sed adhuc instо: In quo Ioseph alias castissimus, ex eo quod adultera pallium eius apprehenderet, poterat luxuriantis affectum sentire, aut experire fomitem? Quid aliud esset, si Ioseph consentiret tentamentis, aut seruiret impudicitiæ? Castitate assuetus non facile immutaretur à lasciuæ fœminæ contactu præsertim remoto per vestis apprehensionem: quomodo ergo asserit Gilbertus, ideo pallium reliquisse Ioseph hum: quia sentiebat fomitem adulterantis fœminæ? Quam belle. Quia Ioseph tunc non solùm castus, sed & virgo erat. Vestem ergo à fœmina inhonesta attactam dimisit, putans iam infectam veneno luxuriæ, ac proinde virgini non aptam. Quoniam cùm virginitas pulcher, & tener sit flos veretur, vel remotum, & longe dissitum luxuriantis animi contactum, pati non sustinens, vel in filis vestium minimam lasciuæ fœminæ tactionem. Ac si Hispanè diceremus: *No ha de llegar cosa deshonesta aun al pelo de la ropa de quien es virgen, tan scrupulosa es esta virtud.* Meritò ergo Ioseph pallium dimisit à lasciua fœmina attractum, iudicans indecens esse amictum ad virginem ornandum, qui ab inhonesta fuerat attactus.

173. Supra montem Sion viderat Ioannes centum quadraginta quatuor millia habentes nomen Agni, & nomen Patris eius in frontibus suis, canentes ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & insuper explicans, quinam essent isti quadraginta quatuor millia, sic ait: *Hi sunt, qui cum mulieribus* Apoc. 14. n. 4 *non sunt coinquinati. Virgines enim sunt.* Apocalypsis 14. numero 4. Tertullianus de resurrectione carnis, capite vigesimo septimo: sic legit: *Hi sunt, qui vestimenta sua non coin-* Tertullian. *quinauerunt cum mulieribus, virgines scilicet significans.* Præter rem primo aspectu videtur versio Tertulliani. Nam, quid habet, non coinquinari cum mulieribus, cum hoc quod est, non maculari vestimenta sua cum illis? Si virgines sunt hi, scitum est, à mulieribus abstinuisse: at ex eo quod virgines essent, non coinquinasse vestes suas cum mulieribus, non videtur, recte intulisse Tertullianus. Sed quam profundè, si attendas virginitatis conditionem. Flos tenerrimus est virginitas, mollis, & delicatus, qubibetque libidinis flatu marcescit. Meritò ergo Septimius, vt huius pulcherrimi floris explicaret naturam, non solùm virgines à mulierum concubitu proposuit immunes, sed etiam vestes earum tanto candore micare, vt in eis nullam libidinis maculam admitterent. Quia virginitatis stola ita albicare debet, vt qui puritatis flore candescit, nec in vestibus aliquid impurum permittat. Tertulliano succedat Hieronymus epistola octaua ad Demetriadem, capite quinto: meo videri apertè nostrum cogitatum confirmans: *Sponsus*, inquit, *pascitur inter lilia,* Hieron. *& inter eos, qui vestimenta sua non coinquinauerunt: Virgines enim permanserunt, audieruntque præceptum: candida sint semper vestimenta tua, & quasi author virginitatis, & princeps loquitur confidenter: Ego flos campi, & lilium conuallium.* Flos est ipse author virginitatis: lilia sunt virgines: flos est etiam ipsa virginitas. Meritò ergo exigitur, vt qui virginitatem colit, non solum à carnis illecebris abstineat; sed vt toto animo caueat, ne vestimenta maculet carnis fœditate.

174. Ad hæc. Ita tenuis aura libidinis integritatem lædit, vt vel futuri sponsi visus eam videatur deprædari. Viderat eminus Rebecca futurum sponsum Isaac, quem antea nusquam viderat: Et ait sacer textus Geneſis vigesimo quarto, numero sexagesimo quinto: *At illa tollens cito pallium suum, operuit se.* Gen. 24. n. 65 Percontari liceat: cur tanta cura, & celeritate viso eminus futuro sponso Rebecca vultum operit; cum hilari, & serena facie ipsum deberet suscipere? An quia ipsum contempsit, vel cum eo sponsari recusabat? Neutiquam. Quare ergo festinanter se operit Rebecca? Et cur cum tanta celeritate negat aspectum, cui tradiderat voluntatem? Tertullianus libro de velandis virginibus, capite vndecimo, respondit his verbis: *Despon-* Tertull. *sata quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ cùm ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse quem de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ col-*

lustrationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa, quod senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginitatem velata. Eminus viderat futurum sponsum Rebecca, cum quo nullum fecerat verbum, & tamen ex eo, quod illum viderat, velauit se, confessa, quod spiritu nupta amisit virginitatem. In præsentiarum notandum iudico, quod in sententia Tertulliani, vt ex eius verbis apertè constat, velamen non virginibus, sed nuptis erat ornatus; quamuis aliis in locis senserit, (vt eruditè probat Ioannes Sopranius digressione prima, §. sexto,) velamen innuptis, & virginibus proprium fuisse. Sed redeamus ad verba Tertulliani, & mentem eius exponamus. Velamine, ait, confessam fuisse Rebeccam, & spiritu nuptam, & virginitate spoliatam. Sed cur, quæso, hoc in mentem venit Rebeccæ? Virgo enim erat honestissima: hoc denotat sacer textus cùm de ea ait ibidem, numero decimo sexto: *Virgo pulcherrima, & incognita viro.* Quod non est vulgare virginis encomium, cum pulcherrima sit, viris esse incognita. Quî ergo fieri potuit, vt seruatam (suo videri,) virginitatem amisisset? Non aliunde, quam eo quod eminus sponsum inspexisset futurum. Tertullian. Nam, vt optime idem Tertullianus: *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm seipsam, etiam fœminarum oculos pati non vult.* Si ergo virginitas fœminarum oculos pati non sustinet: quid mirum, si ad futuri sponsi conspectum festinanter marcescat. Est enim flos pulcherrimus, viola candida, & tenera, quæ vel minima concupiscentiæ aura flaccescit.

175. Smaragdus (vt numero centesimo decimo septimo prænotauimus supra,) castitatis est amicissimus, & virginitatis symbolum: Quare siquis in patranda re venerea hanc gemmam attingat, eam sponte frangit, cùm tamen alias ad sculpendum sit durissima. Sed solo attactu patrantis rem veneream sponte frangitur? Quia virginitatis est symbolum. Virginalis enim pudor, etsi cœlos transcendat, vel tactu impuro marcescit. Et quid dicam tactu? Subtili visu animi impuri euanescit, & perit.

ILLATIO CXLI.

Mira inter Eucharistiam, & castitatem concordia.

176. IPsa institutio ineffabilis Sacramenti Eucharistiæ nostri thematis præbet apertam confirmationem. Corpus, & sanguinem suum nobis Christus confert in hoc altissimo Sacra- Ioan.6.n.55. mento. Sic enim ait Ioan. 6. num. 55. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Sed cur carnem, & sanguinem ex vi verborum, non autem animam, diuinitatem, aut hypostasim, nisi per concomitantiam nobis dedit in Eucharistia? Respondet Augustinus in Augustin. Psalm. 98. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam dedit.* Et sermone de assumptione Virginis, cap. 5. *Caro Christi, caro est Mariæ.* Et statim: *Caro Christi, quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria.* Eusebius Emissenus homilia 1. de natiuitate Domini, ait: *Sanguinem, quem etiam pro* Euseb.Emis. *matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Sed rursus inquiro, cur in Eucharistia ex vi verborum corpus, & sanguinem, quæ Mariæ sanctissimæ fuerunt pignora, Christus contulit? Vt ostenderet, quanta sit connexio inter Eucharistiam, & virginitatem. Ex matre virgine corpus, & sanguinem assumpsit: & quia ex matre virgine, hæc nobis contulit, vt ad virginitatem, & castitatem alliciat.

In sepulchro nouo Christi Domini corpus 177. sepelitur. Lucæ 23. num. 53. *Et posuit eum in* Luc.23.n.53 *monumento excisо, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Sed cur Dominus in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat sepelitur? Diuus Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, cap. 17. explicans verba illa Cantic. 4. Hieron. *Hortus conclusus soror mea sponsa, fons signatus,* sic ait: *quod clausum est, atque signatum similitudinem habet matris domini, matris, & virginis. Vnde, & in sepulchro Saluatoris nouo, quod in petra puríssima fuerat excisum, nec ante, nec postea quisquam positus est.* In sepulchro nouo in quo nec postea quisquam positus est, sepelitur corpus Domini, vt exinde constet, sepulchrum illud fuisse virginem. Adhuc instо: cur sepulchrum est virgo in quo deponitur corpus Domini? Quia ad recipiendum sacrosanctum illud corpus exigitur virginitas, vel saltem castitas. Ex Matre Virgine natus fuit Dominus; in sepulchro Virgine sepelitur; corpus, & sanguinem Virginem confert in Eucharistia: ergo virgines, & castos desiderat suscipientes.

Inter alios ritus, quos Deus præcepit ser- 178. uandos filiis Israël cum agnum Paschale erant comesturi, legimus Exodi 12. num. 11. *Re-* Exod.12. *nes vestros accingatis.* At cur agnum comeden- num.11. tes circa renes sunt præcingendi? Diuus Ambrosius libro de Paradiso, cap. 3. respondet, his verbis, *Lex data est Israëlitis, cùm essent in* Ambros. *Ægypto constituti, vt ex Ægypto recederent, & succincti lumbos ederent agnum, quod insigne est temperantiæ. Castos enim & sanctificatos oportet Domini Pascha celebrare.* Si adhuc desideres: Cur à castis Pascha est celebrandum? In promptu est solutio: quia agnus ineffabile Eucharistiæ Sacramentum præfigurauit, quod nisi à castis non digne celebratur, nec sumitur. Ob hoc non absre putarem, hoc Sacramentum à Dauide Psalmo 77. numero 25. dum ait: *Panem Angelo-* Psal.77.n.25 *rum manducauit homo*: hoc est, eorum qui puritate, & castitate de Familia Angelica deputantur. His cibus Euchatisticus præparatur.

Amore languens sponsa dicebat, Cantic. 2, 179. num. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui* Cant 2.n.16. *pascitur inter lilia.* Transl. ex Hebr. Sanct. Hebræ. Pagnin sic legit: *Dilectus meus est meus, & ego sum illius, qui pascit inter lilia.* Similiter Vatablus. Septuaginta sic: *Qui pascit in li-* Vatabl. *liis.* Summa varietas videtur inter has versio- Septuag. nes, si comparentur cum nostra Vulgata. Hæc namque legit: *Qui pascitur inter lilia.*

Illæ

verterunt: *Qui pascit in liliis.* Hæc videntur opponi. Nam aliud est, pascere; aliud, pasci. Quomodo ergo si cœlestis sponsus pascit, dicitur, pasci? Non immeritò, hæc de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento possunt, intelligi. Quia in eo Christus pascit, & pascitur. Illud, opiparum conuiuium nobis præbens: istud, quia anima iusta, quæ tantum Sacramentum recipit, Dominum pascit: vnde verè potest dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Rursus expendo; Dominum pascere, & pasci in liliis, aut inter lilia. Sed cur non inter rosas, violas, aut alios flores? Quia, cum hæc de Christo pascente in Eucharistia intelligamus, & aptiora sunt lilia, quàm alij flores. Lilia namque virginitatem, & castitatem significant. Voluit ergo sponsa ostendere, tanti sponsum facere virgines, & castos, vt in ipsis tantum conuiuium præparet: *Qui pascit in liliis.* Insuper in liliis pascitur, vel inter lilia, hoc est, in castis, vel virginibus: quasi castitas, & virginitas Domini in Eucharistia latentis sit cibus iucundissimus. Vide ergo quanta sit connexio inter hoc Sacramentum, & virgines.

180. Catinus, in quo Christus Dominus panem consecrauit) vt supra num. 119. retulimus ex multorum consensu) fuit ex smaragdo, qui cum castitate maximam init amicitiam: quod non absque mysterio factum putarem, vt exinde, quantam cum castitate Eucharistia habeat connexionem, agnoscamus.

ILLATIO CXLII.

De Beato Ioanne Euangelista, cui smaragdus correspondebat, quædam encomia.

181. ANdreas Cæsariensis Comment. in Apocal. cap. 66. sic ait de smaragdo, & Beato Ioanne Euangelista: *Per smaragdum, qui viridem colorem sortitur, necnon perspicuitatem, & venustatem ex illo mutuatur, Ioannis Euangelistæ prædicationem insinuari arbitramur. Hic enim animi deiectionem ex peccato ortam, diuino oleo serenat, excellentique Theologiæ gratia assiduum fidei vigorem nobis præstat.* Eidem Apostolo hanc gemmam accommodat Aretas in Apocalyps. cap. 67. Quamobrem in præsenti pauca de tanto Apostolo prælibabimus, nam vt optimè Diuus Petrus Damianus sermone 64. de hoc Apostolo loquens: *Qui diuinæ laudis præconia meruit, ad eius digne collaudanda merita humanæ linguæ fragilitas non assurgit. Ipse quippe eius est laus, qui & illi olim pretium, & nunc factus est præmium.*

Andr. Cæsar. Aretas. Petr. Dam.

182. Idem Petrus Damianus loco citato sic de B. Ioanne Euangelista: *Dei os, lingua Spiritus sancti, cedrus paradisi, lux Ecclesiæ, decus orbis, præco cœli, lumen mundi: sydus hominum, specimen Angelorum, lapis viuus, speculum lucis, logotheta diuinitatis, forma fidei columna cœli, architectus veri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo. Nam & Cherubin iure perhibetur, qui scientiæ plenitudinem ex ipso Redemptoris pectore percipisse cognoscitur.*

Pet. Damian.

183. Nihil non magnum in Ioanne: in ipso namque vnita sunt, quæ in aliis videmus dispersa. Ad Ephesios 4. num. 11. refert Paulus militantis Ecclesiæ Hierarchias: *Dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Inter multos hæc munia diuisit Christus; quia vnus videbatur non posse, omnia adimplere. At hæc omnia mirificè reperiuntur in nostro Sancto. Audi Petrum Damianum serm. 64. citato, de nostro Ioanne loquens: *Apostolus siquidem in Epistolis: Euangelista in Euangelio: Propheta in Apocalypsi. Propheta, inquam, & non qualiscumque, sed mirabilis ad similitudinem alterius Ioannis plusquam Propheta.* B. Petrus fuit Apostolus, sed non fuit Euangelista: B. Marcus fuit Euangelista, sed non Apostolus: B. Laurentius martyrio coronatus est, sed non doctoratus laurea insignitus: B. Augustinus Doctor eximius, sed martyrij gloria non fulsit. At noster Ioannes his omnibus fuit ornatus. Fuit ergo Propheta, Apostolus, Euangelista, Martyr, Doctor, Confessor, & Virgo. In Ioanne ergo recapitulantur omnia, quæ in cæteris sunt diuisa. Cùm igitur hæc munia Deus inter multos diuiserit, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: id est, vt singuli ministerium suum adimplentes Ecclesiam, quæ Christi corpus est ædificarent; & hæc omnia in Ioanne splendeant: solus Ioannes præstitit, quod omnes vix præstare poterant.

Ad Ephes. 4. num. 11. Pet. Damian.

184. De seipso, licet suppresso nomine, modestiæ, & humilitatis gratia, ait Ioannes capite 21. num. 20. *Conuersus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Idem dixerat cap. 13. num. 23. *Erat ergo recumbens vnus ex Discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Arnoldus Carnotensis tractatu de septem verbis Domini hæc expendens sic ait: *Discipulus, qui in cœna Domini ceruical sibi in pectore Magistri aptauerat.* Mira excellentia! Supra pectus Domini requiescit Ioannes, & exinde profundiora hausit mysteria. Audi Bernardum sermone 8. in Cantic. *Hausit Ioannes de sinu Vnigeniti, quod de paterno hauserat ille.* Sed quî intelligi potest, Ioannem ex sinu Christi hausisse, quod ipse de paterno hauserat sinu? Vnigenitus Deus de sinu patris hausit diuinitatem per generationem æternam: Quomodo ergo Ioannes hoc potuit haurire ex sinu Christi? Si mentem calleas Bernardi, dubium euanescet. Meditatur mellifluus, Ioannem supra pectus Domini recumbentem, non solum fruentem tot deliciis, sed etiam profundissima haurientem mysteria, præsertim æternæ generationis. Ob hoc ergo dixit, idem hausisse Ioannem ex Christi pectore, quod Christus hauserat ex paterno sinu. Ex hoc incommutabile Verbum diuinitatem, & hypostasim hausit: hoc ipsum & Ioannes ex pectore Christi accepit cognoscens Christum Verbum simul & Deum, Christo in sinu Patris existenti communicat. Patet diuinitatem, & attributa, ipsumque vt Verbum generat: Ioanni supra pectus Domini

Ioan. 21. n. 20. Ioan. 13. n. 23. Arnol. Carn. Bernard.

recumbenti Christus communicauit tanti mysterij notitiam. Ergo idem hausit Ioannes ex sinu Christi quoad cognitionem, quod hauserat Christus ex paterno pectore, quoad esse. Quod expendens Petrus Damianus ser-
Pet.Damian. mone 63. sic ait: *Ad tantum scilicet gratiæ proiectus est priuilegium, vt omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quò non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso mundi primordio cognoscatur in carne positus aspirasse.*

185. Aduersus Diui Petri Damiani assertum posset quis, obiicere, Beatum Petrum Vicarium Christi, & Ecclesiæ caput confitentem Chri-
Mat.16.n.16 stum Filium Dei viui. Matthæi 16. num. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quod non à seipso, sed reuelante Patre locutus est Petrus, vt idem Christus fatetur ibidem, num. 17. Ergo æternæ generationis habere notitiam, non est speciale Ioannis priuilegium. Dubio occurrit
Petr.Dam. idem Damianus sermone 63. his verbis: *Plane vterque Discipulus protulit de Sacramento Dominicæ fidei, quamquam profundissimum sit, atque omnino diuinum, vtrumque pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur in excellentia dignitate diuersum, quod eodem est spiritu dictante prolatum. Illud tamen Beati Ioannis singularitatis locum sibi vindicare conspicitur, quia neque ante illum, neque post illum hoc idem scripsisse, aliquis inuenitur.* Ioannes Euangelium suum scripsit, & in eo Verbum Patri consubstantiale prædicauit errores Cerinthi, & Ebionis confutans: quando autem Petrus Christi confessus est diuinitatem, varias hominum sententias circa eius personam reiecit, non tamen sicut Ioannes tantum mysterium scripsit. Ecce ergo in quo Ioannes sibi singularitatis locum vindicauit, & singularem obtinuit prærogatiuam.

186. Nunquam satis expenditur à sanctis Patribus quanto amore à Christo dilectus fue-
S.Th.Villan. rit Ioannes. *Pendebat Christus in Cruce moriturus, & disposuit testamentum: Patri spiritum, Ecclesiæ corpus, peccatoribus sanguinem, latroni regnum, militibus vestes, Petro Ecclesiam, Apostolis Paracletum, electis charismata liberaliter distribuit: aderat ibi dilectus,*
Ioan. 19. n.26. *quid sibi legaretur expectans. Quid tibi ô dilecte legabo: quid in vltimis dabo tibi? Ecce mater tua: hæc omnium, quæ possideo charissima, & pretiosissima gemma, hanc tibi trado, hanc*
Ioan.19.n.27 *dono. Et ad matrem conuersus: Mulier, ait, ecce filius tuus. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam, exultans, & gaudens, quia talem sibi hæreditatem eius dominus reliquisset.* Ita sanctus Thomas Villanoua sermone de sancto Ioanne Euangelista. Diuus Petrus Damianus relata verba Ioannis expendens ser-
Pet.Damian. mone sexagesimo quarto, sic ait: *Sicut enim dixit Mariæ, hic est filius tuus, ita dixit Discipulis: Hoc est Corpus meum: & tantus fuit in illis verbis effectus, vt illico panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim, & omnia facta sunt; mandauit & creata sunt. Ex quadam itaque similitudine si dicere audeamus, & beatus Ioannes non solum filij potitus est nomine, sed propter verba illa Dominica quoddam maius necessitudinis Sacramentum apud Beatam Virginem meruit obtinere.* Nimis videtur audere Damianus, sed piè audet. At sanctus Thomas Villanoua loco citato, cùm dixisset, præfatis verbis impressisse Dominum cordi virgineo amorem quemdam maternum in Ioannem fortiorem, & ardentiorem, quam soleat matribus natura tribuere: visceribus etiam Apostoli reuerentiam filialem in virginem inseruisse, prose-
quitur: *Atque ita sicut dicendo, hoc est corpus meum, verum corpus suum fecit ex azymo: sic etiam dicendo, hic est filius tuus, amore filium fecit ex cognato, non tamen naturâ, sed gratiâ, altiori tamen modo, quàm lex, & adoptio filios efficere queat.* Sed audi Origenem præ-
S.Th.Villan. fatione in Ioannem, sic loquentem: *Mulier ecce filius tuus. Perinde est, ac si dixisset. Ecce hic est Iesus, quem genuisti. Etenim quisquis perfectus est, non amplius viuit ipse, sed in eo viuit Christus. Cumque in ipso viuat Christus, dicitur de eo Mariæ: Ecce Filius tuus Christus.* Nihil exaggeratius! Sed expende verba Adamantij, vt eius mentem calleas. Non intendit suadere Ioannem esse Iesum. Absit hoc: infinite enim distant inter se. Solùm ergo vult ostendere eximiam Ioannis dignitatem ex eo quod Mariæ factus sit filius. Quasi sic argueret Origenes: Maria vnum tantum filium habuit, qui est Iesus Redemptor noster. Sed Ioannes est filius Mariæ. Ergo Ioannes est Iesus genitus à Maria: Non natura, sed dilectione. Quia cùm in Ioanne Christus viueret per amorem: Ioannes non viuebat, sed Christus. Ergo Ioannes per hanc eximiam filiationem videtur esse Iesus; non natura, neque personalitate, sed filiatione Mariæ, & dilectione erga Christum.

Origenes.

187. Adhuc supereſt in præfatis verbis aliquid scrutandum: Ioanni dixerat Christus: *Ecce*
Ioan.19.n.26 & 27. *mater tua*. Mariæ; *Mulier ecce filius tuus*. Aduerte, prius constituisse Ioannem Mariæ filium, quam Mariam matrem Ioannis. Non quia filius intelligi possit sine matre (relata enim simul natura sunt,) sicut nec è contra mater sine filio: sed quia Ioanni virgini virginem matrem commendaturus erat, voluit eum honorare, eum prius filium Mariæ vocans, quàm Mariam matrem Ioannis. Vel dicito ideo ita factum fuisse, quia tanto ardore diligebatur à Christo Ioannes, vt videatur sanctissimæ Matris obliuisci, vt Ioannis haberet memoriam. Non quia matri virgini anteponeretur (absit, sed vt ostenderet dilecti Discipuli sanctitatem.

188. Ausus est Ioannes in cœna vltima supra pectus Domini recumbere: *Erat ergo recum-*
Ioan.13.n.23 *bens vnus ex Discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Ioannis 13. numero 23. *O miram audaciam!* (exclamat sanctus Thomas Villanoua loco citato,) *Non audet Baptista Sacrum Domini verticem contingere: Magdalena cum timore, & tremore pedes tangit, Thomas nisi iussus manum non mittit ad latus: Ioannes dilectus, non iussus, non petita venia, confidenter recumbit super pectus Domini. Amor fecit: hoc est enim supra modum audax dilectio.* Et post pauca subdit: *Non vtique Sacrum Domini contingere pectus Ioannes auderet, nisi fidu-*

S.Th.Villan. Mat.3.n.14. Luc.7.n.38. Ioan.20. n.27.

fiduciam illi præstaret amor, qui latebat in pectore. His verbis videtur sanctus Thomas præponere Baptistæ nostrum Ioannem. Nam si Baptista ausus non fuit Sacrum contingere verticem: & noster Ioannes non iussus, non petita venia confidenter recubuit supra pectus Domini: Et hoc fecit amor. Ergo plus videtur Christus dilexisse Ioannem Euangelistam, quàm suum Præcursorem.

389. Aufugientibus omnibus Discipulis in nocte Dominicæ passionis, solum Ioannes, & Petrus cum Domino manserunt. Petrum multoties ministri Sathanæ quærendo infestant, Ioannem verò nullus interrogat. Astat in Palatio, astitit in Prætorio, adest etiam patibulo, & coram omnibus lachrymatur, dolet, gemit, & Magistri sui deplorat mortem; & nullus eum interrogat, quid ploras? Nullus criminatur, dicens: Discipulus es, fautor es? Si dicas: quia erat notus Pontifici: hoc omnibus constabat. Quare ergo Petrus interrogatur; secus autem Ioannes? Respondet sanctus Thomas à Villanoua loco citato:

S.Th.Villan. *Mira vtique amoris dispensatio fuit, vt terribilibus Domini sui cruciatibus dilectus adesset, & calicem passionis ad pedem crucis cum dilecto potaret, Christo Domino sic disponente, vt nemo illi obsisteret, nemo contradiceret, vt vel ex hoc Ioannes agnosceret, quia cùm in vita dilexisset illum, in morte amplius dilexit eum.* Cùm ergo solus Ioannes inter omnes Apostolos Christum fuerit comitatus, omnes videtur antecellere.

180. Si autem opponas B.Petrum omnium Apostolorum verticem: audi Arnoldum Carnotensem tractatu de vltimis verbis Domini

Arnol.Carn. sic dicentem: *Petro commendatur Ecclesia, tibi* (loquitur cum Ioanne) *Maria: illi: tumultuosa negotia; tibi pacifica, & quieta: illi atria, & vestibulum, & altaria sanguinum; tibi commendantur altare incensi, & sancta sanctorum. Ad culmen mysterij tui nullus tecum admittitur; solus illi assistis propitiatorio, solus illud vas aureum continens Manna, illud diuinæ Legis scrinium Pontifex destinatus obseruas. Loco filij positus es, & vt vicem in matre suppleas ordinaris; nec abnuit te Mater sancta Vicarium licet imparem, & inferioris tituli; tamen quia sic visum est Filio amplectitur successorem.* Quid illustrius? Videtur ergo in hoc, Ioannem præferri Petro.

191. Senex, & plenus dierum Ioannes, cùm iam iam mortis suæ diem adesse cognouisset, conuocatis Discipulis, & populo Ephesino, sepulchrum aperiri iubet, & ingressus ibi non quasi moriturus, sed quasi discessurus populum deuotissime alloquitur, salutarem tribuens doctrinam. Et ecce subito lux de cœlo fulgentissima tumulum circumfulsit, cunctorumque oculos nimio fulgore perstrinxit, quæ cum ibidem aliquantulum permansisset, postmodum cunctis videntibus disparuit, accurrentesque ad tumulum, nihil ibidem inuenerunt, nisi scaturiens Manna, quod longo postmodum tempore, ibidem velut ebulliens arena fontium, scaturire visum est. Ita refert san-

S.Th.Villan. ctus Thomas Villanoua loco citato. Illud quod refertur de Manna, quod è Ioannis sepulchro emanat expendens Petrus Damianus sermone sexagesimo quarto, sic ait: *Veniant igitur omnes nationes gentium, & obstupescant miraculum omnibus vbique sæculis inauditum. Veniant, inquam, & admirantes aspiciant, quia in sepulchro quod procul dubio domus est vermium panis nascitur Angelorum.* Ex hoc non terrenum, sed cœleste videtur beati Ioannis sepulchrum, non solum propter fulgentissimam illam lucem qua splenduit, sed etiam ex eo quod Manna pane cœlesti scaturiret. Sed priusquam ab eius discedamus sepulchro placet expendere quod vno ore referunt Diuus Antoninus 1.parte, tit. 6.cap. 6. Sanctus Petrus Damianus, & sanctus Thomas Villanueua, videlicet, corpus beati Ioannis Euangelistæ disparuisse è sepulchro. De corpore Moysis refertur Deuteronomij 34. numero 6. Dei singulari prouidentia fuisse occultum, quia de eius sepulchro dicitur: *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Lyra ibidem rationem exhibet cur Deus Moysis sepulchrum occultauerit, his verbis: Et non cognouit homo sepulchrum eius. *Quod factum est à Deo, ne Iudæi colerent ipsum propter magnitudinem, & multitudinem signorum.* Ita excellens fuerat Moyses in patrandis miraculis, vt posset vereri Deus, ne populus idololatriæ propensus coleret tanquam Deum: & ideo voluit, quod sepulchrum, in quo Moysis iacebat corpus, hominum cognitionem subterfugeret. Ioannes Euangelista magnitudine, & multitudine miraculorum fuit excellentissimus: doctrina, & sanctitate celeberrimus: Vnde, forsan eius corpus disparuit, ne ab Ephesinis vt Deus coleretur. Tanta erat sanctitas nostri Ioannis.

Antonin. Pet.Damian. Villan. S.Thom. Deut.34.n.6 Lyran.

192. Verum, quia diximus, Ioannem in patrandis miraculis fuisse admirabilem, quædam mirabilia referemus. Noster Abulensis quæstione tertia, in cap. 4. lib. 4. Regum de nostro Ioanne sic loquitur: *Beatus Ioannes Euangelista cùm haberet quosdam Discipulos, qui iam contristati erant, quia venditis omnibus, quæ possidebant, sequebantur Christum; iussit eis tollere lapides limpidissimos de littore maris, & virgas de arboribus, & conuertit lapides in gemmas pretiosissimas, & virgas in aurum purissimum, vt inde emerent diuitias magnas, quas pro Christo vendiderant: vt patet in legenda beati Ioannis.* Idem Tostatus quæstione quinquaginta, in caput quartum, libro quarto Regum, sic ait: *In vita beati Ioannis Euangelistæ legitur, quod datum est sibi venenum, & bibit, nec nocuit sibi: & datum est quibusdam indicatis ad mortem, & illico mortui sunt, & Præses nolebat credere eis, quæ dicebantur à Ioanne nisi suscitaret illos extinctos veneno, & tunc Ioannes dedit tunicam suam illi Præsidi, vt poneret super mortuos, & suscitarentur, & illico factum est.* Grande prodigium: grande miraculum! Siquidem fit per manus infidelis. Matthæi vigesimo primo, numer. 21. Cùm admirati essent Discipuli. Videntes ficulneam arefactam, dixit eis Iesus:

Mat.21.n.21. *Amèn dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed etſi monti huic dixeritis, tolle, & iactate in mare, fiet:* & Lucæ 17. num.6. fidem commen-
Luc.17.n.6. dauit his verbis: *Si haberetis fidem ſicut granum ſinapis, & diceretis huic arbori moro. eradicare, & tranſplantare in mare: obediet vobis.* Ex his ergo conſtat, requiri fidem ad patranda miracula. Quomodo ergo ille Præſes infidelis cùm eſſet, ea patrauit: cùm nullum peccatum magis repugnet operationi miraculorum, quàm infidelitas, & diffidentia? Quia pallio ſancti Ioannis ea patrabantur. Talis enim eſt noſter Euangeliſta vt per manus infidelis poſſit patrare miracula.

193. In hoc facto noſter Ioannes abſque dubio ſuperat Eliſæum. Miſit hic Propheta Giezi famulum cum baculo ſuo, vt ſuſcitaret filium Sunamitis, & ait Sacer textus, 4. Re-
4. Reg. 4. n.31. gum 4. numero 31. *Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus.* Abulenſis loco citato inquirit: cur Giezi miſſus ab Eliſæo cum baculo ſuo, vt puerum illum reuocaret ad vitam, non id præſtare potuit: & Præſes ille infidelis, cui beatus Ioannes Euangeliſta pallium ſuum præſtiterat, vt tot homines veneno extinctos ſuſcitaret; vix Ioannis tunica eos tetigit, cum deuicta fugit mors, & ſpiritu vitæ fruuntur? Reſpon-
Abulenſ. det Toſtatus: *Quia cùm non eſſet Eliſæus æqualis beato Ioanni Euangeliſtæ, non conceſſit Deus, quod Giezi, quem mittebat Eliſæus cum baculo ſuo, poſſet, ſuſcitare mortuum.* Non potuit Eliſæi baculus fidelis famuli Giezi miniſterio puerum ad vitam reuocare: & Ioannis tunica per manus Præſulis infidelis tot homines ſuſcitare potuit: quia Ioannes Eliſæum antecelluit.

194. Smaragdus Euangeliſtæ Ioanni correſpondet, vt ex Andrea Cæſarienſi, & Areta notabamus num. 181. Inſuper ſmaragdus, vt ex Pierio aduertimus, numero 117. caſtitatis eſt amantiſſimus. Meritò ergo Ioanni adſcribitur hæc gemma, qui virginitatem ſemper coluit, cui propter eximiam caſtitatem Virgo virginum commendata eſt, & qui admirabili modo beatiſſimæ Virginis Filius prædicatur. Perbellè Arnoldus Carnotenſis tractatu de
Arnol Carn. vltimis verbis Domini. *Vnum igitur contubernium Ioannis, & Mariæ virginitas accipit, & vnius moris in domo vnum integritatis propoſitum, vnam habitationem meretur communemque conuictum.*

Verſ. XVIII. In ſecundo: Carbunculus, Sapphyrus, & Iaſpis.

De Gemma Carbunculo.

1. SEquitur gemmarum Rationalis ſecundus ordo, vel ſecunda ſeries. Carbunculus in hac ſerie primo, in Pectorali quarto gaudebat loco. Carbunculus Hebraïcè dicitur: *Nophech*, vt tradunt Montanus in deſcriptione ſacrarum veſtium, & Montan.
Oleaſter ad hunc locum. Ille tamen per *No-* Oleaſter.
phec, non carbunculum, ſed ſmaragdum intelligit ſecundùm Paraphraſtem Chaldæum: iſte hoc nomen *Nophech* apud Hebræos ignotam habere ſignificationem, affirmat, quamuis plures carbunculum reddant. Rabbi Da- Rab. Dauid.
uid in libr. radicum in lexico, eſſe lapidem nigri coloris, quod etiam refert Montanus citatus, fortaſſis quia carbunculus ignito, & nimis accenſo fulgore irradiet. Diuus Hieronymus epiſtola 128. ad Fabiolam. Abulenſis hîc, & communiter Interpretes Vulgatam amplectentes editionem, legunt carbunculum.

Omnium gemmarum ardentium principatum tenent carbunculi; ita dicti, quod igniti ſint vt carbones, quorum fulgor nec nocte vincitur. Lucent in tenebris adeò, vt flammas ad oculos vibrent Ita Plinius libro 37. Plinius.
cap. 7. Interlinealis ad caput 28. Exodi. Diuus Iſidorus libro 16. etymolog. capite 14. Iſidorus.
De hac gemma ſic ſcribit Abulenſ. ad hæc ver- Abulenſ.
ba capite 28. Exodi: *Carbunculus, qui ſuper alios lapides, vt carbo ignitus irradiat, ita vt tenebras noctis vincat oculos fulgore reuerberans, vena lactea cinctus, vt ait Plinius, in quo nomen Iudæ ſcriptum erat.* Quamuis Iſidorus loco citato non carbunculo, ſed antraciti carbunculo ſimili venam lacteam tribuat. Sed quia puto antracitem ſpeciem eſſe carbunculi, paruum videtur hoc diſſidium. Mardobæus Gallus in ſuo lapidario naturam, & proprietates carbunculi explicuit, cùm cecinit:

Ardentes gemmas ſuperat carbunculus omnes. Mardobæus
Nam, velut ignitus radios iacit vndique carbo, Gallus.
De omnibus vnde ſui cauſam traxiſſe videtur,
Lingua, ſed Græca, lapis idem dicitur antrax,
Huius nec tenebræ poſſunt extinguere lucem,
Quin flãmas vibrans oculis nitet aſpicientium.

2. Anaſtaſius Nyſſenus, quæſtione trigeſima octaua de hac gemma ſic ſcribit: *Carbunculus eſt forma quidem admodum puniceus; naſcitur autem Carthagine vrbe Lybiæ, quæ dicitur Aphrica. Dicunt autem eam inueniri non interdiu, ſed noctu; nam procul ſcintillans inſtar lampadis, aut carbonis, deinde ceſſat. Dum geſtatur, qualibuſcumque tectus ſit veſtibus, ſplendor eius extra amictum apparet.* Anaſt Niſſ.

3. Huius gemmæ plura genera refert Plinius loco relato: ſecundùm Iſidorum duodenario numero clauduntur. Nonnulli carbunculos maioris peſpicuitatis gratia *Carbones*, præcipueque ex his grandiores appellarunt: qui vero colore magis ſcintillant, vocarunt, *Rubinos:* quibus ſuccedunt, *Granatæ*, longe obſcuriores, atque minus grato colore, quod fulgeant, ſimileſque ſint mali punici, ſeu Granati, ſic appellatæ: Obſcuriores, & exiliores dicuntur. *Rubineti*: qui vero colore rubro, & prælucido plus cæteris nitent, carmeſinum vulgo dictum colorem fulgore quadam tenus referentes, *Balaſij* appellantur, quaſi ſint palatium, vel arx, vnde Rubinus generatur. Teſte Plinio carbunculus in marem, & fœminam diſtinguitur,

stinguitur, pro acriori, aut languidiori ipsorum fulgore: quorum extremus igniculus si in violam exeat, hunc carbunculum Amethystinum cognominat. Qui languidius, & liuidius lucent, Æthyopicos, vel Ceraunios appellat. Pretiosissimus Carbunculus non solum regiæ, aut imperatoriæ maiestatis, verum etiam Pontificalis pectoris dignus extitit. Indicus, vel Arabicus aureas guttas continet veluti stellantes Hyadum stellarum & numero, & serie disseminatas. Hæc semper in eius profunditate non in superficie apparent, teste Plinio vbi supra, cui partim assentitur D. Isidorus, expresse Franciscus Rueus lib. 2. de gemmis cap. 14. Gaspar de Morales in suo lapidario lib. 2. cap. 14. & alij. Omnium gemarum cariissimi sunt carbunculi, & eorum eadem est cum reliquis gemmis comparatio, quæ auri ad cætera metalla. Hæc gemma teste Rueo, omnibus virtutibus, quibus aliæ gemmæ præditæ sunt, pollet; quamobrem omnium nobilissima reputatur. A Lybia apud Trogloditas gentes feraciissimas, & serpentum carnibus alitas originem ducit fulgentissimus Carbunculus, & omnium pretiosissimus, teste D. Isidoro, qui asserit, quod Iactatus in ignem, ceu mortuus, & languidus compareat: at superfusa aqua carbonibus extinctis, è vestigio priori gratia ceu rediuiuus colore gloriabundus resplendet, & exardescit.

4. Carbunculi plures sunt vires, & virtutes. (vt à multis referuntur) Aërem venenosum, & pestiferum fugat: luxuriam reprimit: sanitatem corporis inducit, ac præseruat, malas cogitationes aufert, amicorum lites conciliat, reddit felicem gestantem. Sed plura ex his difficilia, imo falsa videntur. Nam malas cogitationes auferre, voluntates conciliare, & felicem aliquem reddere, non subest gemmæ alicuius virtuti, sed summi Dei prouidentiæ, qui omnia suauiter gubernat. Verum ex his proprietatibus multa ad nostros mores valde vtilia possumus deducere,

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CXLIII.

In quanto honore, & pretio debeant esse parentes apud filios.

5. QVantus parentibus honor exhibendus sit, & ratio naturalis dictat, & diuina lex præcipit: Exod. 20. num. 21. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Deuteron. 5. num. 16. Matth. 15. num. 4. & alibi sæpissimè. Itaque de obsequio, & honore parentibus exhibendo non disputamus, sed supponimus. Hoc enim nec animum Gentilem, aut barbatum subterfugit: nec bruta rationis expertia hoc omittunt. Pulchrè Cassiodorus lib. 2. variar. epist. 14. in exemplum pietatis proponit ciconiam, his verbis: *Ciconia redeuntis anni iugiter nunciatrix, eiiciens tristitiam hiemis, latitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum. Nam cum parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem ales grandæua redierit, pia vicissitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt. Et ideo non immerito longa vita seruantur, qui pietatis officia non relinquunt.*

Exod. 20. n. 21.

Cassiodor.

Id ipsum cecinit Alciatus emblemate. 30. Alciatus.

Aëreo insignis pietate ciconia nido,
In vestes pullos pignora grata fouet.
Taliaque expectat sibi munera mutua reddi
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Ex his satis liquet, naturam dictare pietatem erga parentes exercendam. Non est præsens thema hoc rationibus confirmare; solummodo noster animus est, expendere quanto studio, quantoque conatu id præstandum sit.

6. Adest pro nobis, qui omnibus adest, optimus filius erga optimam matrem curam, studium, & honorem ostendens. Crucifixus pendebat è cruce, cum sui quasi immemor, matris non amisit memoriam dicens: *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. num. 26. Si tamen quæras: cur eam non appellat matrem, sed mulierem? Respondet Caietanus ibidem: *Non dixit, mater, ne dolorem exaggeraret.* Matris cognomen tenerrimum est absque dubio: si tunc Christus Mariam vocaret matrem vtriusque, & filij & matris exaggerasset dolorem. Sed aliquid profundius verba continent Caietani. Exaggeratio hæc doloris referri potest ad Christum, & ad Mariam. Quis dubitare potest, Domini creuisse cruciatus, cum vidit matrem constanter afflictam iuxta crucem. Tacuit ergo matris nomen, ne vno verbo vtriusque corda transfigeret. Ne ergo Christus dilectissimæ matris augeret dolorem, sibi eum reseruauit, matris tacendo cognomen. Se solum pati cupiebat, & aduentitij doloris ex materni tituli recordatione prouenientis Mariam dilectissimam esse expertem. Christus ergo tunc eam mulierem appellans aperte ostendit, nihil materno honori detraxisse, sed eam prosequi ardentiori affectu, quam seipsum; siquidem proprio cordi, illo silentio reseruauit cruciatus, ne dilectissima mater plures pateretur angustias. Merito ergo Caietanus protulit, maternum nomen subticuisse, ne dolorem exaggeraret, hoc est, ne matris auggeret dolorem. In quo aperte, vt constat, satis probauit Christus, quanti fecerit sanctissimam matrem.

Ioan. 19. n. 26.

Caiet.

7. Notatu dignum est, à Matthæo, Luca, Marco mirabilia, quæ Christo in cruce pendenti euenerunt, summo studio scriptis mandari. Matthæus cap. 27. num. 45. ait: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Id ipsum refert Marcus cap. 13. num. 33. Nec tacet Lucas cap. 23. num. 44. dicens: *Erat autem fere hora sexta: & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam, & obscuratus est Sol.* Insuper referunt, velum templi induas partes scissum à summo vsque ad deorsum; terram fuisse moram; petras scissas; monumenta aperta; surrexisse corpora, & venisse in sanctam ciuitatem, & apparuisse multis, teste Matthæo ibid. num. 51. vsque ad 53. & Luca loco relato. Hæc omnia, vt inquit Athanasius lib. de incarnat. Verbi, Chri-

Matth. 27. n. 45.

Lucæ 23. n. 44.

Athanasius. ſtum verum Deum fatebantur: *Vniuersa rerum fabrica*, inquit, *confitebatur eum, qui in corpore apparebat, & supplicia fatebatur, non hominem simpliciter, sed Dei filium, ac Saluatorem esse omnium.* Ioannes autem qui ſedulò Chriſti Domini diuinitatem explicandam aſſumpſerat, nihil refert, vt conſtat cap. 19. Hinc non leue dubium inſurgit, videlicet, quare Ioannes hæc prætermiſit, quibus Chriſti diuinitas maximè eluceſceret; cum ſibi, ex munere Deitatem exponere, propoſuerat? Quia retulit pium ſtudium, & ſtudioſam pietatem erga matrem Ma-
Ioan. 19. n 27. riam; dicens: *Mulier ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: ecce mater tua.* cap. 19. num. 27. Quibus verbis virginem virgini commendauit, vt communiter ſentiunt Sancti Patres, & interpretes. Tanti ergo valoris eſt, erga matrem in illa hora exercere pietatem, curam, & ſtudium habere, vt ex hoc Ioannes commendaret diuinitatem Chriſti, magis quam ſi referret illa, quæ ab aliis Euangeliſtis narrantur. Ni fallor, patronum habemus D. Ambroſ. in
Ambroſ. cap. 23. Lucæ dicentem: *Dominus pendens in cruce, qui ſua pericula contemnebat, pio matrem commendabat affectu. Quod non otioſe Ioannes pluribus proſequutus eſt. Alij enim mundum deſcripſere concuſſum, cœlum tenebris obductum, refugiſſe ſolem.* Et poſt pauca proſequitur: *Solus ergo* (ſcilicet Ioannes *me docet, quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce poſitus appellauerit matrem, pluris putans, quod victor ſupplicium, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quam quod regnum cœleſte donabat.* Hoc eſt, manifeſte dicere: Alij Euangeliſtæ tertificum illum terræ motum narrent; lapidum concuſſionem referant, ſolis obſcuritatem non prætermittant, nec mortuorum ommittant reſurrectionem in teſtimonium patientis, & vt eius diuinitatem declararent: at Ioannes, cui, diuinitatem commendare, incumbebat ex munere, ſolum refert eius pietatem erga ſanctiſſimam matrem; quia ex hoc magis eſſe Deum probabat, quam ex vniuerſi inuſitata perturbatione. Ita diuinum videtur erga parentes obſequium.

8. Ex præmiſſis ſatis conſtat, quantum obſequium filij parentibus exhibere debeant: nunc libet oſtendere, hanc curam ſemper in animis filiorum quaſi innatam, à natura inſitam eſſe debere, vt nuſquam ab eis, vel in ſomnis ſeparetur. Somniauerat Ioſeph fratrum manipulos cultum, & reuerentiam exhibere ſuo manipulo; qui cum patri Iacobo ſomnium retuliſſet, nihil ei durum reſpondit. Somniauit inſuper, Solem, & Lunam, & Stellas vndecim ei flectere genua; quod cum etiam patri narraſſet, in-
Gen. 37. n. 9 crepauit eum dicens: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* Notatu dignum eſt, Iacobum, qui vtrumque ſomnium à Ioſepho audierat, audito primo eum non increpuiſſe, ſecus autem relatione ſecundi. Vtrumque ſomnium imperium futurum prænotabat: quare ergo cum primum retulit Ioſeph, non reprehenditur, & referens ſecundum grauiter ſuccenſetur? Quia primum, ſolum continebat, quod Ioſeph fratribus erat imperaturus: ſecundum, quod parentes eius obſequium erant exhibituri filio. Arguitur ergo de ſecundo Ioſeph, quia filij tenentur honorare parentes, & illis obedire, non contra, & tanto ſtudio id præſtare debent, vt ſi filij ab hac cura vel in ſomnis animum ſuſpendant, aut parentes eis obedire, vel hunc honorem exhibere ſomniauerint, digni ſint magna reprehenſione. Sic prænotauit Philo Hebr.
lib. de Ioſepho dicens: *Grauiter autem obiurgauit filium timens, ne quid ille peccaret. Poteſt ne, inquit, vt pater, materque, & fratres adoremus te? Nam per Solem patrem, per Lunam matrem, per vndecim ſtellas fratres ſignificare videris. Quod caue, ne vnquam in mentem tibi, mi puer, veniat, trade potius oblinioni viſiones iſtas.* Nunquam in mentem venire debet, quod pater filio ſubmittatur. Indeliberatos motus, quales in ſomnis contingunt, ſi fieri poteſt, impedire tenentur filij, ne ſomnient, à parentibus venerari. Quod à natura innatum eſt omnibus, & lex diuina præcipit, eſt, quod filij magnis honoribus parentes afficiant, non autem, quòd parentes filiis obſequium, & obedientiam præſtent. Philo Hebr.

In carbunculo, qui inter omnes gemmas 9.
radiantes tenet principatum, Iudæ nomen erat inciſum, vt communiter docent interpretes. At cur in pretioſiori gemma nomen Iudæ, qui inter filios Iacob quartum habuerat locum, erat ſcriptum? Cur non in Carbunculo nomen Rubem, qui erat primogenitus? Si dicas, quia inceſtuoſo concubitu paternum maculauit ſtratum, vt refertur Geneſ. 35. num. 22. & cap. 49. num. 4. Leuitica tribus, à qua ſacerdotes duxerunt originem, digna extitit tanto honore. Quare ergo Iudas omnibus antefertur, & radiantioris gemmæ gaudet cælatura? Quia à Iuda Deus homo ſecundum carnem erat naſciturus, prouidit, auum affici tanto honore: vt hinc nos inſtrueret ad honorem exibendum parentibus, & auis.

Illatio CXLIV.

Quam felix eſt, qui à Deo non diſtat; & quam infelix, qui à tanto bono eſt longè diſtitus.

FElix eſt, & vere felix, qui nunquam à Dei 10.
diſcedit conſpectu; hoc eſt, qui omnia ſic agit, vt in regis præſentia decet. Deum quis præſentem habet, cum conſiderat iugiter, diuino ſemper obtutui adeſſe. Magna profecto felicitas eſt, creaturam ſuo adhærere creatori, ei eſſe propinquam, vel Dei habere aliquod pignus: ſicut ſumma infelicitas à Deo eſſe longè diſſitam, & remotam.

Ter Chriſtus Dominus, poſtquam Patrem exoraſſet in horto, inuiſit diſcipulos, qui ſo- Matth
pore potius quam curis oppreſſi, in vtramuis n. 40. 26.
aurem dormiebant. In prima vice, ſic Petro, quem Eccleſiæ caput elegerat ait Matth. 26. num. 40. *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Abiit poſt hæc iterum ad Patrem oraturus: cumque ſecundo veniret, diſcipulos inuenit arcte, & grauiter dormientes, & relictis illis in ſomno, abiit iterum, vt oraret. Tandem tertio venit ad diſcipulos, & ait illis:

Dormite

Ibid.n 45.& 46. *Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus.* Ibid. num. 45. & 46. Difficilia videntur hæc: nam quî fieri poteſt, vt hæc inter ſe non diſconueniant? Primum dixerat Dominus: *Vigilate, & orate:* deinde: *Dormite, & requieſcite.* Quomodo ſtare poteſt; quod tandem ſubeſt: *Surgite eamus?* Si aliquid temporis præteriiſſet, haud difficulter hæc componerentur: at ſimul conuocare diſcipulos ad ſomnum & quietem, & ad inimicorum occurſum, pugnare inter ſe videntur. Vel ſomnum captent diſcipuli, & requieſcant, vel vigilent, & inimicis occurrant: nam vtrumque non facile compatitur. Drogo Hoſtienſis lib. 1. de Sacrament. Dominicæ Paſſionis, his verbis ſoluit nodum: *Qui enim vigilat in te, ſuauiter dormit, & ſilet, & ſomno ſuo requieſcit.* Verum eſt, Chriſtum, cum diſcipulos excitauit, ad ſomnum, & quietem inuitaſſe: quia vigilare in Chriſto, eſt, dormire ſuauiter, & requiem inuenire: & iter cum Chriſto arripere, eſt, quiete feliciſſima perfrui. Sic Dei vicinitas, & ſocietas oppoſita conciliat, vt iter ſit quies, vigilia ſomnus, periculum ſecuritas.

Drogo.Hoſt.

12. In ſe reuerſus imprudens, & audax ille iuuenis cognomento prodigus in domum paternam reditum deſiderabat, dicebatque: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnus de mercenariis tuis.* Lucæ 15. num. 18. & 19. Legito attente parabolam, & inuenies, prodigum, cum paterna limina ſalutauit, & pius pater ei occurrit, ac inter brachia ſuſcepit ſolum dixiſſe: *Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Ibidem n. 21. Omiſiſſe autem illud: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis,* Ergo non ex æquo adimpleuit quod promiſerat. Quare ergo mercenarij dedignatur cognomen, cum in paternam rediuit domum? Quia quando mercenarij deſiderabat ſtipendium longè erat diſiunctus à patre; cum autem paternæ domus ingreſſus eſt atria, benignus pater ei obuiam occurrit, ſalutauit oſculo pacis, atque brachiis ſuis tenerè ſuſcepit, & ab eo non erat ſeiunctus. Quod ergo mirum, quod nunc mercenarij reſpuat vile cognomen? S. Eligius homil. 8. adducit hanc rationem: *Cum adhuc longè eſſet* (inquit) *& patrem non haberet, cupiebat, vel mercenarius eſſe; at poſtquam patris oſculo meruit honorari, generoſiſſimè iam dedignatur mercenarius eſſe.* Propinquitas, vel longinquitas prodigi mutauit intentionem, variauit deſiderium. Cum longè à Deo diſtaret, ita infelix erat, vt quamlibet, vel mercenarij admitteret conditionem: at in paterna domo ſuſceptus, & inter Dei brachia requieſcens mercenarij reſpuit ſeruitutem, non iam ſe infelicem, & infauſtum iudicans, ſed felicem, & beatum.

Lucæ 15. n. 18. & 19.

Ibid.n.21.

Eligius.

13. Deſcendit ſecundo Moyſes de monte, cuius vultus tanto coruſcabat fulgore, vt in eum intueri, non auderent filij Iſraël. *Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Exod. 34. num. 29. Sed cur non ſic fulſit in primo deſcenſu? Rabbi Salomon citatus ab Abulenſi quæſt. 25. ad præfata verba ſic reſpondit: *Ideo factum hoc fuiſſe, quia Dominus poſuit manum ſuam ſuper oculos eius, vt patet in fine præcedentis capitis, & ex eo contactu facies eius reſplenduit.* Dixerat ſacer textus Exod. 33. num. 22. & 23. Sic Deum Moyſi promiſiſſe: *Cum tranſibit gloria mea ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec tranſeam,* &c. Ex diuinæ manus attactu Moyſes tot fulgoribus eſt ditatus: nam vel contactus diuinus ſat eſt, vt quis ſplendoribus repleatur.

Exod. 34. n.29.

Rabbi Salo.

Exod. 33. n. 22. & 23.

Aſpice Dominum cum Iacobo luctantem; ſolidatur in corpus, prouocat ad certamen, non enſe, non telis, ſed brachiis ſtringit, & amplectitur. Quid inde? *Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.* Geneſ. 32. num. 25. Inſuper ipſe Deus velut deuictus à Iacobo adhuc vulnerato exorat ſuppliciter: *Dimitte me iam enim aſcendit aurora. Reſpondit, non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Ibi num. 26. Vide Dominum à ſeruo, creatorem à creatura ſuperatum ſed vnde Iacobo tanta fortitudo, vt deuinceret Deum exercituum? Quia ſtrictiſſimo amplexu Deum inter brachia tenebat, quando cum eo luctabatur: exindeque Iacobo tantæ vires ſunt infuſæ, vt Deum ipſum poſſet ſuperare. Pulchrè Chryſolog. ſermon. 147. *Hinc eſt, quod Iabob fugientem ſolatur in ſomnis, redeuntem pro certamine prouocat, luctatoris conſtringit amplexu, vt amaret partem certaminis, non timeret.* Prouocat Deus infinite potens Iacobum ad certamen; timet creatura cum creatore contendere: & tamen ſi Deum luctatoris conſtringit amplexu præualet contra Deum creatura. Nam ſi Deus infinite potens Patriarcham aggreditur, idem Deus Iacobum defendit, cuius amplexu ita valide munitur, vt Deum ipſum poſſit, ſuperare. Nec longe abhinc abeſt Angelicus Doctor ad præfata verba ſic ſcribens: *Angelus ſeu Deus in ſpecie hominis ſibi apparens precibus, & attractinis manibus, & amplexibus tenebatur à Iacob: dumque fingebat, ſe omnino velle diſcedere impellendo ſe ad receſſum, tunc Iacob firmius tenebat, & ad ſe trahebat, quaſi nitens ipſum apud ſe retinere, vſquequo preces, quas pro ſaluatione ſui, & ſuorum ab Eſau ſibi porrigebat exaudiret. Et hoc ſonant verba, quæ Deus ſubdit dicens: Dimitte me. Et quod Iacob dicit: non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet.* Præualuit contra Deum Iacob; finitus contra infinitum, creatura contra creatorem: non quia ex ſe Iacob validior eſſet quam Deus: ſed quia Dei amplexibus fruens in lucta, diuinas accepit vires, vt non ſolum cum Deo poſſet luctari, ſed & reportare victoriam. Ita potens eſt ad Deum approximatio.

14.

Geneſ. 32. n. 25.

Ibid.n.26.

Chryſol.

S. Tho.

Premamus adhuc hoc ipſum, vt innoteſcat virtus diuinæ vicinitatis. Auſim dicere, tantam eſſe felicitatem à Dei latere non recedere, vt vel peccator, qui ſe ſua culpa reddit infelicem, ſi in Dei conſpectu committat delictum, habeat auſpicium felicitatis. Non quia quà peccat felix eſſe poſſit; nam ſumma miſeria eſt peccatum, eo quod ſummo bono priuet, ſed quà vicinus eſt Deo, qui in conſpectu Dei committit

15.

committit flagitium. Adsit Dauid, qui pœnitens non erubuit, confiteri peccata, cum eru-
Psal.50. n.5. buerit committere. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, ait Psalm. 50. num. 5. humiliter veniam postulans à Deo. Si rem hanc penitus consideremus, videtur Dauid veniam demereri, eo quod delictum commiserit in conspectu Dei. Sic qui in templo, vel in altari, vbi Deus adest specialiter, crimen aliquod committit, magis peccat, vel agrauat delictum ex loci circunstantia, quia coram Deo deliquit: sicut etiam in humanis grauius reputatur flagitium coram rege commissum. Vnde ergo venit in mentem Dauidis dolentis ob homicidium, & adulterium Vriæ, humiliterque à Deo petentis veniam proponere, coram Deo tanta patrasse flagitia? Dubium fuit Origenis homil. 11. in
Origenes. Genesim sic dicentis, *Quid ergo plus habet, qui peccatum coram Deo facit?* Respondet Adamantius: *Illud profecto, quod continuo pœnitet, & dicit, peccaui. Qui autem discedit à conspectu Dei, nescit, conuerti, & peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergo interest, malum coram Deo facere, & à Dei conspectu discessisse peccantem.* Cordate satis peccata coram Deo commissa proposuit Dauid, cum eorum veniam petebat. Quia licet illa committere in conspectu Dei, est agrauare malitiam: nescio quid habet felicitatis coram Deo peccare, quatenus qui delinquit in eius conspectu, vicinior est pœnitentiæ: *Continuo pœnitet, & dicit, peccaui* Ergo aliquo modo felix, qui coram Deo deliquit, cum saltem corporaliter à Deo non discedat. Merito ergo Dauid, cum diuinam pietatem desiderat, peccasse coram Deo refert: quasi diceret; Infelix ego, O bone Deus, mandatum tuum præteriui, & imperij abutens potestate vxorem alienam rapui, & virum eius occidi: infauste satis me gessi: sed inter tot infelicitatis procellas, nunquam à tuo conspectu faciem abscondi; sed malum coram te feci. Miserere ergo Domine, miserere mei, ne dicant homines, me, qui semper fui iuxta te, pertulisse naufragium.

16. Hanc diuinæ proximitatis felicitatem, semper liuidus hostis nobis, conatur arripere. Confirmauit hoc, quod refert Matth. cap. 8.
Matth. 8. n.28. num. 28. *Cum venisset* (scilicet Iesus) *trans fretum in regionem Gena Zenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.* Sed placet, inquirere, in quo consistebat hæc dæmonum sæuitia? An quia homines ab eis obsessos inter horribilia mortis spolia, cogebant habitare? Vel an, qui ossa exhumabant, auorum eorum defectus detegentes? Si hæc facerent, sæui nimis essent: nam alicuius generis maculas diuulgare, dæmonis est officium, & sæuissimi dæmonis. At Chrysol.
Chrysol. serm. 16. nostrum confirmans institutum hanc rationem adducit: *Videtis, quia dæmones venientibus ad Christum præcluserant viam, transitum denegarant. Etenim dæmonum ista est cura, ne ad Deum homines possint reditum inuenire. Non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab authoris sui societate subducant.* Sæuitia dæmonum (teste Chrysologo) & maxima sæuitia erat, quia terrebant homines, ne viam attingerent, quæ ducebat ad Christum, vt sic ab eius societate eos disiungeret, & tot felicitates, quæ ex illa proueniunt, penitus auferrent. Sciunt enim dæmones quanta ex diuino consortio, & proximitate Dei homines lucra faciant. Viam ergo præcludebant, vt homines peruenire non possent ad Christum, & hoc modo miserè possiderentur à diabolo. Nam sicut felicitat animam, diuina societate gaudere; sic discedere ab eo in miserum infelicitatum pelagus immergit.

17. Ob hanc causam se Christus viti, nos palmitibus comparat. Ioan. 15. num. 5. *Ego sum,* inquit, *vitis, vos palmites. Qui manet in me, &* Ioan. 15. à
ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine n. 5.
me nihil potestis facere, Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Nullum est verbum in præsenti testimonio, quod felicitatem, qua perfruuntur, qui Deo adhærent, & miseriam, qua afficiuntur, qui à Deo discedunt, non explicet. Sed adhuc oportet, enucleare huius similitudinis mysterium. Ad quid ergo Christus se viti, & nos palmitibus comparauit? D. Augustin. tractat. 81. in Ioan. sub medium reddit rationem his verbis:
Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora, August.
si in vite non manserint, quanto gloriosiora, si manserint. Nota, quæ sequuntur: *Denique sicut de his etiam per Ezechielem Prophetam Dominus dicit, præcisa nullis agricolarum vsibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis, si in vite non est, in igne erit.* Quid illustrius? Præclare ergo Dominus hac similitudine explicuit, quam periculosum, & infaustum sit, à Deo discedere; & quam tutum, eius gaudere consortio. Sicut enim palmes dum est in vite, eius vita vegetat, viret, & fructificat; ab ea autem præcisus arescit, & emoritur, & igni destinatur: ita & nos dum adhæremus Christo, eius vita viuimus; sin autem, inutiles reddimur, & igni, & flammæ solum apti.

18. Duos homines legimus in sacra pagina à Deo translatos in paradisum sit alter Adam omnium protoparens, vt constat Genes. 2. num. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, &* Gen. 2. n. 15.
posuit eum in paradisum voluptatis. Alter fuit felix ille latro, cui Christus è cruce dixit: *Ho-* Lucæ 23.
die mecum eris in paradiso. Lucæ 23. num. 42. n. 42.
Sed quam disparem istæ translationes exitum habuerint, neminem latet. Nam primus parens male suasus diuinum fregit mandatum, se, & posteros eiecit è paradiso: at ille latro summam felicitatem inuenit. Si rationem desideras, ob quam latro tot lucra inuenerit in paradiso, in quo primus parens tantam est passus iacturam? Audi D. Ambrosium in Psalm. 29. melleo ore afferentem discrimen: *Pulchrè* Ambros.
subiunxit, mecum eris in paradiso. Hoc est; noli timere, ne, & tu cadas de paradiso, sicut cecidit Adam. Sed audi, quia mecum eris: quo præsente cadere non possis. Ceciderat caro in paradiso antequam susciperetur à Christo. Non dixerat Adæ, mecum eris quia sciebat esse casurum. Cum Christus latroni promisit paradisum, vereri

poterat

poterat latro, ne sibi contingeret, quod Adamo, qui inter tot delicias tantam inuenit miseriam: at Christus Dominus, procul fugauit timorem, dicens, hodie mecum eris in paradiso. Nam si primus parens in eo fecit iacturam, ex eo fuit, quia Dei non fruebatur præsentia. Abierat enim Deus ab Adamo, quod ex eo mihi constat, quia post hominis lapsum, illum quærit Deus. Genesis 3. n. 8. Quid ergo mirum, si pereat Adam, à quo Deus recesserat? Constat ergo ex his, sine Dei præsentia, hominem adhuc felicissimo innocentiæ statu perfruentem, non esse securum; & cum ea latronem immunem esse à discrimine.

19. Carbunculus inter omnes gemmas tenet primatum, vt notauimus numero secundo: insuper omnium gemmarum gaudet excellentiis, vt aduertimus numero tertio: in eoque Patriarchæ Iudæ nomen erat sculptum. Sed cur Iudæ assignatur gemma virtutibus prædita aliarum gemmarum? Quia à Iuda Christus secundùm carnem ducturus erat originem. Habebat enim Iudas Christi futuri pignus ex patris Iacobi Prophetia. Genesis 49. numero 10. dicente: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Felicitauit ergo Iudam Christi Domini, vel remota natiuitas. Ita efficax est diuinum consortium, vt vel à longè valeat omnes felicitates impendere. Adsit Dei societas, vel futura sit, Et sat erit ad omne infaustum exterminandum: absit diuinum consortium & bene infinitæ superuenientcaamitates.

Genes. 49. n. 10.

Illatio CXLV.

Peccatorum gemitus magna est tempestiuitas ad Eucharistiam suscipiendam.

20. Panis ille cœlestis omnium felicitatum compendium, & in quo Dominus noster Iesu Christus diuitiarum suarum thesauros velut effudit; vt nostræ profit vtilitati, non melle, aut lacte, sed cordis lachrymis suauescit; gemitibus, & suspiriis præparatur ad esum, vt anima suauissimos eius percipiat prouentus. Viderat Ioan. Apocalyps. 22. à num. 1. fluuium aquæ vitæ splendidum tanquam chrystallum, procedentem de Sede Dei, & Agni, & ait: *In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Videamus nunc: quid sibi vult, quod lignum vitæ sit ex vtraque parte fluminis? Non vacat mysterio: nam teste Ambrosio ad hunc locum: *Hic per vnum vitæ lignum, vnus Christus designatur, qui est vita cunctorum fidelium.* Non ineptè per hoc lignum Christum in Eucharistia latentem intelligemus duodecim fructus reddentem, id est, sempet, & affluenter donantem. Positum etiam refertur hoc lignum vitæ iuxta flumen, vt fructum afferret vberrimum. Quod est dicere: Vt Christus in Eucharistia latitans verum lignum vitæ semper nobis tanti Sacramenti beneficia conferat oportet, vt sit in vtraque parte fluminis, hoc est, vt irrigemus illum vtroque fonte, oculorum riuulis, suspiriis, & lamentis pro nostris peccatis: sic profecto saluberrimos conferet fructus. Nam lachrymæ fertilem nobis reddunt panem Eucharisticum, illis velut conficitur, aut conditur, vt nobis bene vertat.

Apoc. 22. n. 1.

Ambros.

Myslerio non vacat ritus ille, quo vsus fuit 21.
Moyses, vt Aaronem fratrem ornatu indueret Pontificis. Leuitic. 8. num. 7. vbi dicitur: *Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea*, &c. Sed cur Pontifex non induitur vestibus sacris nisi lotis manibus, & pedibus? Quia per illum ornatum designabatur Christus Dominus. Vt ergo denotaret, neminem Christum induere præsertim latétem in Eucharistia, ni prius lachrymarum riuuli præcesserint, quibus hic panis cœlestis conditur; meritò ante ornatum lotio præmittitur. Patronum habemus Origenem homil. 6. in Leuitic. *Considerate*, inquit, *diligentius ordinem dictorum. Primo lauat, postea induit. Non enim potes indui, nisi ante lotus fueris. Lauamini ergo, & mundi estote, & auferte nequitias ab animis vestris. Nisi enim hoc modo lotus fueris, non poteris, induere Dominum Iesum Christum.* In Eucharistia Christum induimus, sumentes corpus, & sanguinem eius. Oportet ergo, vt prius lauemur, vt digne tantum induamur ornatum.

Leuit. 8. n. 7.

Origen.

Pungitur Christi latus à milite mucrone diro lanceæ; & hoc referens Ioannes cap. 19. num. 34. ait: *Et continuo exiuit sanguis, & aqua.* Chrysostomus homilia ad Neophytos in tomo 5. prius aquam, deinde sanguinem fluxisse, asserit, his verbis: *Mortuo enim Iesu, & adhuc in Cruce pendenti approximauit miles, latus lancea percussit, & exinde aqua fluxit, & sanguis. Vnum baptismatis symbolum, aliud Sacramenti: & ideo non ait, exiit sanguis, & aqua, sed exiit aqua primum, & sanguis: quia prius baptismate diluimur, & postea mysterio dedicamur.* Hoc modo etiam legerat Tertullianus libro de Baptismo, cap. 15. dicens: *Hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, vt qui in sanguinem eius crederent, aqua lauarentur: vt qui in aqua lauissent, etiam sanguinem potarent.* Sed cur hi Doctores affirmant, prius aquam fluxisse, quàm sanguinem è latere Christi? Quia tanta puritas requiritur, ad digne sumendum calicem Eucharisticum, qualem habet homo, qui ascendit è sacro fonte baptismatis. Quod intelligendum de puritate à mortalibus: nam venialia non pugnant cum gratia, & amicitia Dei. Ad nostrum institutum non erit operosum Tertulliani, & Chrysostomi accommodare sententiam. Priùs ergo è latere Christi mortui aqua fluxit, quàm sanguis, vt nobis innotesceret, poculum Eucharistiæ lachrymarum fluentis confici, vt vitam nobis conferat. Diuus Ambrosius in Psalm. 41. ad illa verba; *Fuerunt lachrymæ meæ mihi panes*, &c. Nostrum confirmat cogitatum. *Hic panis* (loquitur de Eucharistia,) *ibi vinus, vbi lachrymarum fletus est pœnitentiæ.* Non quia panis ille cœlestis, qui caro est Christi, vita careat, si desint lachrymæ suscipienti, (viuit vtique Chri-

22. Ioan. 19. n. 34. Chrysost. Tertullian.

stus

ſtus in Euchariſtia, tametſi indignè ſuſcipiatur,) ſed quia irreuerenter ſumentibus vitam non confert, vita carere videtur. Tanti piiſſimus Ieſus noſtram vitam facit, vt propriam putet: Vnde, ſi nos vita caremus, ſibi, quaſi non viuere, videtur. Viuit ergo hic panis cœleſtis, quando viuunt ſuſcipientes; & quando lachrymæ noſtri cibi ſunt. Ergo lachrymis conditur hic panis ſuperſubſtantialis, & cœleſtis.

23. His fauet, quod ſacer textus refert Numer. 11. num. 9. loquens de Manna: *Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra, ros deſcendebat pariter, & Mam.* Ex Hebræo legimus: *Deſcendebat ſuper eum Mam.* Nota, priùs Deum terram fœcundare rore, vt diſponeretur ſic ad ſuſcipiendum Mam. Sed cur Deus erga populum liberaliſſimus, qui non ſolum indigentiæ, ſed & deliciis guſtus conferebat Manna, tanto cibo rorem præmiſit, vt ex Hebræo legitur? Quia Manna, vt omnium patrum probat conſenſus, Euchariſtici panis erat vmbraculum, & figura: populus Hebræorum deſignabat ſuſcipientes hoc venerabile Sacramentum. Iure ergo optimo ros præcedebat Manna, vt intelligamus, Euchariſtiæ cibum rore, hoc eſt, lachrymis conditi, vt vitam præſtet æternam. Lachrymis ergo ad tantum diſponimur beneficium: fletibus, & ſuſpiriis pro peccatis commiſſis hic præparatur panis.

Num. 11. n. 9. Hebr.

24. Vinum defuerat in nuptiis, ad quas Chriſtus, & Mater eius aderant inuitati: orat Maria filium, vt illum defectum ſuppleat: ſed ne venerandam Matrem verecundia afficeret, precibus eius aſſentitur: ſex hydrias aqua iuſſit repleri, quam ſtatim conuertit in vinum. Ioan. 2. numero 9. *Vt autem guſtauit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam.* Quid ſibi vult Chriſtus maternis precibus acquieſcens, cùm imperat, hydrias aqua repleri, vt in vinum eam conuertat? Poterat tunc vinum ex nihilo producere, ſicut in exordio rerum, omnia ex nihilo creauerat. Cur ergo in præſenti aquam deſiderat in vinum conuertendam? Ideo factum puto, quia vinum illud poculum Euchariſticum deſignabat, (ſic communiter ſenſere Patres:) Indicauit ergo Chriſtus ex aqua vinum producens, calicem Euchariſticum, aqua, hoc eſt, lachrymarum tiuulis ſuauiter præparari, vt ſuſcipienti tribuat vitam æternam. Qui enim fructum tanti Sacramenti deſiderat percipere, præparetur aqua profluente ex intimis cordis: nam ea huius ſacroſancti Conuiuij fruetur deliciis.

n. 2. n. 9.

25. Nec ſolum lachrymis, & ſuſpiriis cœleſtis Euchariſtiæ cibus conditur, & viuit ad noſtram vitam: verumetiam tanti facit Chriſtus peccatori conuerſi lachrymas, & ſuſpiria, vt ipſe Dominus ſe præferat, pœnitenti tantum beneficium conferre. In ſe reuerſus, rediit prodigus in domum paternam, & lachrymis madefactus, & ſuſpiriis plenus patri dicebat: *Pater peccaui in cœlum, & coram te.* Lucæ 15. num. 21. Vix clementiſſimus pater conuerſum, & pœnitentem viderat filium; cùm pietatis memor, & iniuriarum oblitus, ait ſeruis ſuis. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Non miror, patrem hunc non amiſiſſe pietatem, quantumuis filius obedientiam amiſerit: ſed valdè mirabile eſt, præparaſſe vitulum ad conuiuium. Si tamen audias Origenem homilia prima in Leuiticum, ceſſabit admiratio. *Homo ergo iſte, qui perierat, & inuentus eſt, quoniam nihil habuit propriæ ſubſtantiæ, quod offerret, cuncta namque dilapidauerat viuendo luxurioſè, inuenit iſtum vitulum cœlitus quidem miſſum.* Quod eſt dicere: filio pœnitenti, nullis præmiſſis precibus, libenter pater offert vitulum ſaginatum: quia iſte vitulus illum cœlitus emiſſum deſignabat, nempe, Chriſtum Dominum latentem in Euchariſtia. Quid ergo mirum: ſi piiſſimus pater filio pœnitenti, & contrito, etiam non rogatus, tantum conuiuium præparet? Quia pœnitentibus, & ad Deum conuerſis tantus cibus libentiſſime Chriſtus confert. O bone Deus, quis tantis affluereret lachrymis, vt dignum tanti hoſpitis eſſe poſſet hoſpitium!

Luc. 15. n. 21. n. 22. Origenes.

26. In carbunculo nomen Iudæ Chriſti progenitoris erat inciſum. Hanc gemmam omnium eſſe Principem, & pretioſiſſimam, ab omnibus prædicatur; Chriſtumque Dominum animarum cibum in Euchariſtia, præſignaſſe credimus, ob magnum ardorem, quem ibi erga homines oſtendit, & ob venam lacteam accidentium, qua & cingitur, & tegitur in altari. Supra enim cùm de carbunculo egimus, prænotauimus numero ſecundo, hanc gemmam vena lactea cingi: quod non ineptè Chriſto in Euchariſtia latenti maxime quadrat, propter rationem dictam. Quod autem Chriſtus in altari carbunculo comparetur, multorum Patrum poſſem teſtimoniis roborare: vnum, aut alterum adducam. De calculo illo, quem refert Iſaïas cap. 6. num. 6. ſeu vt Diuus Hieronymus legit, *de carbunculo*, ſic ait Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 14. Carbonem vidit Iſaïas. *Carbo autem non ſimplex lignum. ſed vnitum igni: ſic panis communis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati.* Idem docuit Nizetas Dauid in vita Ignatij Conſtantinopolitani: *Diuinus panis, velut cœleſtis carbo gratiæ radios ſpargebat.* Ex his dubium inſurgit: cur Iudæ nomen ſculpitur in gemma, quæ tantum præfigurabat myſterium? Aut quid Iudas Patriarcha cum Euchariſtiæ conuiuio? Philo Hebræus libro primo. Allegoriarum legis aliquantulum à medio, nomen Iudæ ſic interpretatur: *Itaque Iudas confitentem ſignificat.* Cùm ergo carbunculus denotet Euchariſtiam; & Iudæ nomen ſignificet confeſſionem peccatoris: meritò in carbunculo hoc nomen erat inciſum, vt exinde omnibus innoteſceret, quanta ſit connexio inter peccatoris confeſſionem, & ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum. Nam qui dolet de peccatis, qui confitetur crimina, qui conteritur, dignam offert tempeſtiuitatem ad tanti Sacramenti percipiendos fructus.

Damaſcen. Nizetas Dauid.

ILLATIO CXLVI.

Eucharistia omnium bonorum est compendium.

NVnquam Deus multum adhibuit studium, vt parua faceret; imo magna vel ludens fecit; sic huius opificij varietatem in lucem protulit. Quantam autem curam adhibuerit ad instituendam Eucharistiam, satis superque indicant vmbræ, quæ illam præcessere, ne incredibile tantum mysterium videretur. Indicarunt vitæ arbor, sacrificium Melchisedech, Manna cœlestis, panes propositionis, Agnus Paschalis, & alia innumera, quæ in sacro eloquio referuntur. Cum ergo tanto studio benignus Deus hoc obumbraret mysterium, absque dubio magna in eo nobis contulit beneficia, & quid dicam magna? diuitiarum suarum est thesaurus. Quia sub speciebus panis, & vini caro, & sanguis Christi latet, quibus diuinitas est vnita in supposito verbi? ergo adest Verbum, & diuinitas. Cumque diuinitas indistincta sit à Patre, & Spiritu sancto; vterque etiam adest. Igitur in Eucharistia totus Deus est: licet ex vi verborum caro, & sanguis Christi; per connexionem autem quidquid Deus est. Monstrauit ergo Christus, in hoc sacro conuiuio omnium

29. felicitatum dari compendium quid aliud denotauit Zaram in vtero matris adhuc existens, cum fratri Phares nascendi tribuit optionem? *Instante autem partu* (inquit sacer Textus Gen. 38. num. 27.) *apparuerunt gemini in vtero: atque*

Gen. 38. num. 27. *in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: iste egreditur prior. Illo vero retrahente manu egressus est alter.* Non vacat mysterio, Zaram, qui paulo antea cum fratre puo viribus contendebat prioritatem in ortu, vt in domo paterna haberet primatum, atque propter hoc manum protulit, subito fratri cessisse, vt prior nasceretur, & apud patrem iuribus frueretur primogeniti? cur Zaram, fratre fere deuicto, manum retraxit, iura primogeniti dereliquit, & paternam hæreditatem contempsit? aut cur Ligato coccino tot bona, & honores renunciauit? quid erat in coccino, quod huius infantis posset satiare desi-

Cyril. Alex. derium? profecto, quia vt docet Cyrillus apud Lippomanū, vitta illa coccinea Christi Domini sanguinem prænotabat. *Coccinum* (inquit) *sanctissimum Christi sanguinem signat.* Ideo ergo Zaram ambitionis repressit conatum, & qui paulò antea viriliter contendebat cum fratre, vt prior lucis pulchritudine frueretur primogenituræ allectus dominio; vix in vitta coccinea Christi sanguinis in Eucharistico poculo conferendi pignus accepit, cum omnia contemnens, paterna iura fratri dimisit: quasi dicens; tu, frater mi, esto paternæ domus successor, & hæres; ampla domo, diuitiarum thesauris, pretiosa suppellectili fruere feliciter, mihi autem sat est coccinum, in quo Eucharisticī poculi pignus accipio. Tanta ergo Christus beneficia aggregauit in Eucharistia, vt maiora non possit conferre. Quid mirum si vel eius vmbra ambitiosum, & contendentem Zaræ satiaret affectum, sedaret animum?

29. De illo Iosepho, qui audacter à Pilato petiit corpus Iesu, ait Lucas cap. 23. num. 50. *Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus, & iustus*, &c. Matthæus sic scripsit, cap. 27. *Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph.* Diuus Ambrosius ad lucæ præfata verba notauit, appellasse Matthæum Iosephum diuitem, quem Lucas iustum vocauit. Mira est hæc diuersitas; nam inter iustum, & diuitem maximum est discrimen. Frequenter enim, cui abundanter opes suppetunt, non est bene ditatus iustitia. Quare ergo de isto Iosepho, & quod diues, & quod iustus esset, affirmant Euangelistæ? respondet Ambrosius: *Hunc Ioseph iustum Lucas dixit, Matthæus diuitem, & meritò diues hoc loco dicitur, vbi corpus suscipit Christi.* Iustus erat Ioseph (erat enim discipulus Iesu, nec consenserat consilio, & actibus Iudæorum) diues erat, non quomodoliber, sed omnium diuitiarum nobilitate clarus, siquidem corpus Christi susceperat felicitatum omnium compendium: & quia iustus erat, suscipiens tantum thesaurum omnes sibi opes comparauit.

Luc. 23. n. 50. Matth. 27. num 57. Ambros.

Summa illa felicitas beatitudinis omnem 30. pellit anxietatem, & omnem satiat appetitum: est enim summum bonum. Nihilominus cum hac summa felicitate Eucharistiæ compatitur desiderium: non quia beatitati desit aliqua felicitas, sed vt tanti Sacramenti pateat excellentia. Quod sic ostendo. Morti iam proximus, & erga suos charitatem ostendens Redemptor noster cum discipulis discumbens, vt tantum institueret Sacramentum, sic ait Lucæ 22. n. 15. *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum.* Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 4. sic legit: *Concupiscentia concupiui, hoc Pascha edere vobiscum.* Vbi Pamelius annotauit, tantum fuisse Christi desiderium instituendi Eucharistiam, vt habuerit honestam concupiscentiam. In quo doctus Apher dilucidè explicuit Christi desiderium. Nam sicut, qui bonum aliquod temporale concupiscit, velut rapitur à suo desiderio; non aliter Christus videbatur rapi à desiderio instituendi hoc sacramentum. Ex his non leue dubium insurgit: quia Redemptor noster à primo suæ conceptionis exordio beatitudinis perfruebatur deliciis, vt communiter docent Theologi cum sancto Thoma 3. part. quæst. 34. art. 4. quomodo ergo compatitur cum summa illa felicitate, quæ est omnium bonorum status aggregatione perfectus, ardentissimum desiderium instituendi Eucharistiam? beatitudo omnem pellit anxietatem, & omnem implet appetitum: quî ergo fieri potest, vt Christus à primo instanti beatus tanto Eucharistiæ ardeat amore? dicam in tanti mysterij gloriam. Verum est, Christum à primo suæ conceptionis instanti extitisse beatum diuinam essentiam clare, & quidditatiuè intuendo: similiter est certum, essentiam beatitudinis in hac clara visione sitam esse, & in ea bonorum omnium esse possessionem: attamen cum Christus tanto frueretur bono, Eucharistiam desiderabat, vt sic beareturduplicitet: primo modo per beatitatem; secundo per Eucharistiam. Illo totum Deum possidens; isto accipiens quidquid Deus est, sanctum Thomam habemus patronum 3. p. quæst. 81. art. 1. ad 3.

Luc. 22. n. 15. Tertullian.

qui cum docuisset, Christum Dominum in supremæ nocte cœnæ Eucharistiam sumpsisse, de eodem Domino sic ait: *Habuit quandam spiritualem delectationem in noua institutione huius sacramenti: vnde ipse dicebat Lucæ 22. desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Ecce qualiter Eucharistia sit omni felicitatum compendiū: cum Christus, qui vt homo ab exordio suæ conceptionis beatus extitit, illam desiderat ardenter, vt ex ea aliquam delectationem accipiat. Quid mirum, cum Eucharistia tanti valoris sit, ac ipsa gloria. De hoc sacramento canit Ecclesia, in eius festo: *Mens impletur, & satiatur, & futuræ gloriæ nobis datur pignus.* Quod pro aliquo oppignoratur, saltem tanti debet æstimari, quanti illud, cuius est pignus. Cum igitur hoc sacramentum pignus gloriæ prædicitur, sic animum debet satiare, ac ipsa gloria. Ergo cum hæc sit omnium bonorum compendium, sic hoc cœleste conuiuium. Præclarè hoc explicuit Matthæus Episcopus Vormacensis. Homilia de cœna Domini loquens de Eucharistia: *Futuræ iucunditatis amabile præludium, Ecclesiæ militantis cum triumphante suave glutinum, dum eandem dulcedinem, quā ista fruitur sine velamento, illa habet sub sacramento.* Quid illustrius?

X.

Mat. Vorm.

31. Euse. Nierē.

Pater Ionnes Eusebius Nieremberg. lib. 8. de origine sacræ scripturæ cap. 54. vertit in dubium: an Eucharistia futura sit æternum pignus noui testamenti? & quamuis hic vir omni eruditione clarissimus aliquas coniectiunculas referat, quibus apparere possit, hoc admirabile sacramentum nunquam cessaturum, sed in cœlo conseruandum in æternum; tamen in fine capitis relati, non audet rem hanc definire, sed tanquam incertam, aut sponte meditatam, aliorum relinquit censura taxandam. Prima coniectiuncula (vt ea, quæ ibi refert Eusebius in summam redigam) est: quia crux, eo quod nostræ redemptionis fuit instrumentum, seruanda est post consumationem sæculi, siquidem dominum iudicaturum præcedet, vt asserunt Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Ephrem, Leo, Theophylactus, & alij apud eundem auctorem: id ipsum canit Ecclesia in festis sanctæ crucis dum ait: *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Et addunt aliqui apud Bozium in suo opere de cruce cap. extremo, & Franciscus Suarez tom. 2. in 3. part. ad quæstionem 59. disputatione 57. sectione 2. crucem Domini in æternum seruandam esse in cælo, quod etiam significauit Chrysostomus homilia de cruce, & passione. Ex his hoc formatur argumentum. Quia si crux consumato sæculo seruanda est in æternam memoriam, & testimonium dominicæ passionis; idem videtur æquo iure dicendum de Eucharistia, quæ instituta est in memoriam eiusdem passionis filij Dei, & ad testimonium noui testamenti, quod per illam ratum, sanctum, & stabilitum habere voluit Deus. Secunda coniectiuncula est, quia Manna quæ fuit aptissima Eucharistiæ figura non solum in deserto vsi sunt Israelitæ, sed etiam post ingressum terræ promissionis, quando iam eius nullus futurus erat vsus id possiderunt: nam Dei iussu in arca, vel iuxta arcam asseruatum fuit. In quo videtur denotari post vsum, & sumptionem huius sacramenti, in terra promissionis, hoc est, in patria seruandam fore memoriam tanti beneficij. Tertia est: quia cum Christus Dominus gloriosus post resurrectionem duobus discipulis euntibus in Emaus panem fregit, & consecrauit, & eisdem impertiuit, credibile est, & ipsum Eucharistiam accepisse. Quod panem ibi consecrasset, tenent Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, & Beda. Si ergo Christus gloriosus sumpsit Eucharistiam, non videtur species illas sacramentales corrupturus. Ergo si non corrupit, in æternum conseruat. Quod multis non ineruditis placet, & vt refert idem Eusebius, quidam è publico suggestu pronunciauit cum multorum plausu, nunc in cælo adorari, & adorandam Eucharistiam in præcordiis corporis Christi, quia glorioſi transparentis veluti limpidissimi chrystalli, proponi. Hæc excitato auctore transcripsi, vt constet, aliqualiter hoc affirmari pie, & reuerenter posse. Si plura cupias, legito ipsum. si hæc vera essent, liceret inferri, tantum sacramentum in cœlesti patria asseruari, & asseruandum in æternum in beatorum solatium, qui tanto mysterio in via præbuerunt assensum, & in ipsius Christi gloriam saltem accidentalem. Insuper, quia cum hoc sacramentum omnium bonorum sit compendium, & quasi æmuletur felicitatem beatitudinis, ne in patria deesset tantum donum, diuina consuluit prouidentia, hoc asseruari conuiuium, quasi tanto bono (si fas est dicere) beatitudinem felicitans.

Hieronym. Chrysost. Hilarius. Ephrem. Leo. Theophyl. Bozius. Suarez.

His præmissis, quæ intellectui offerunt delectamenta, quamuis non inutiliter ad tanti sacramenti reuerentiam possint excitare voluntatem, concludamus assumptum superaddentes aliquid ad nostros mores. Summum bonum, vt diximus, in Eucharistia sumimus. Ergo, qui piger ad hanc sacrosanctam mensam renuit accedere, cum se tanta felicitate priuet, flere debet, sicut qui aliquam infelicitatem patitur. Quid aliud indicarunt Magdalenæ lachrymæ, cum ad Christi sepulchrum ardenter amans staret? his verbis hoc proposuit Ioannes cap. 20 n. 11. *Maria autem stabat ad monumentū foris plorans.* Si tamen ab ea inquiras; cur erupit in lachrymas? respondebit: *quia tulerunt Dominum meum, & nesio vbi posuerunt eum.* Conuersa igitur est in fletus Magdalena, quia dominicum corpus non inuenerat. Sed quid timebat Maria? ne Iudæorum rabies sæuisset in corpus Domini? forsan hoc verebatur: at Origenes homil. 1. ex variis aliam huius fletus causam adducit. *Metuebat* (inquit) *ne amor magistri sui in corpore suo frigesceret, si corpus eius non inueniret, quo viso recalesceret.* Timebat Maria cor suum pigrum, & frigidum fore: quia Magistri corpus non inuenerat. Ideoque profusis lachrymis ad monumentum stabat; timens, ne sibi aliquid infaustum contingeret, eo quod dominici corporis solatium non inueniret. Nam cum in corpore Christi omnium bonorum, quæ desiderium nostrum possunt implere, adsit compendium: qui tanti thesauri opportunitatem amittit, lugubri lamentatione, fletuque merenti debet flere, passum fuisse tantam iacturam. Hinc vellem excitare omnes ad corpus Domini suscipiendum, in quo bonorum omnium est summa.

32.

Io. 20. n. 11.

ib. num. 13.

Origines.

ma. Nam quis ita in seipsum sit male affectus, ne dicam crudelis, vt vltro se velit tanta felicitate priuare, & magnæ infelicitati se exponere?

33. Carbunculus (vt vidimus n. 3.) non solum inter omnes gemmas tenet primatum, verum etiam omnium gaudet virtutibus, sed quid est, quod natura prouidit, carbunculum ditatum omnium gemmarum excellentiis? certe, quia in carbunculo august. Eucharist. figuratur mysterium (vt præced. illat. n. 26. prænotauimus.) in quo omnium felicitatū reperitur cōpendium.

Illatio CXLVII.

Magnæ liberalitatis indicium est, beneficia conferre, & manum abscondere: hinc ingenium liberalitatis Eucharisticæ ostenditur.

34. PArum est, benefacere, si beneficium non conferatur, ita vt ab eo; qui illud accepit, non expectetur recompensatio. Hæc enim est generosi, & munifici animi conditio. Quapropter liberalis existimari non debet, qui ex beneficio externam laudem desiderat, cum iam aliquam acciperet retributionem. Ob hoc dicebat Ambr lib. 1. offic. c. 30. *Perfecta autem est* Ambros. *liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit.* Ergo beneficia conferre, & abscondere manum, quæ ea largitur, perfectæ liberalitatis est argumentum.

35. Celebrat Dauid pietatem, & liberalitatem Dei erga fugitiuum populum Hebræorum, & quomodo gens illa diuiso mari, & sicco pede Ps. 76. n. 20. portum attigerit, & accinit Psalm. 76. n. 20. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.* Vel vt notat Genebr. ib. *non cognoscebantur:* futurum vsurpans pro præterito, vt mos est apud Hebræos. Sed cur, cum tot mirabilia patrauit, nec leue eorum reliquit vestigium? diuisum fuit mare, eratque quasi murus ad dexteram eorum, & læuam: ingressi fuerunt Ægyptij; & reuersæ sunt aquæ, & operuerunt eos, vt refertur Exod. 14. Quare ergo via per quam Israelitæ ab Ægyptiorum furore liberantur, aperta non mansit, in tanti Euthymius. beneficij simulachrum? respondet Euthym. ib. *& vestigia tua non cognoscentur: quia scilicet mare iterum coniunctum, atque vnitum adeo in se est, vt nulla amplius vestigia apparerent.* Quod est dicere: cum Deus tot illi populo beneficia largiretur, & tunc præcipuè à Pharaonis tyrannide liberasset, floridum iter in mari aperiens, aquas iterum vniuit, vt nec leue tantæ munificentiæ appareret vestigium. Quia cum perfecta sit liberalitas, tegere beneficia, & necessitatibus singulorum subuenire occultè: voluit Deus, qui tunc munificentissimum se ostendebat, vel leue itineris abolere vestigium, vt sic suæ liberalitatis indubitatum conferret argumentum.

36. Si tamen contra hoc opponas, non sic se gessisse Deum, cum Iordanis diuisit fluenta, vt arca simul, & populus transmearet. Nam vt re- Iosue 4. n. 2. fertur Iosue c. 4. n. 2. sic Deus iussit inuicto gubernatori: *elige duodecim viros singulos per singulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria:* nec tacet sacer textus, ad quid huiusmodi lapides essent erigendi, cum ibidem subdat, n. 7. *Idcirco positi* Ibid. n. 7. *sunt lapides isti in monimentum filiorum Israel vs-* Ibid. n. 9. *que in æternū.* Insuper eod. c. n. 9. refertur: *Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, & sunt vsque in præsentem diem.* Vbi notat noster Tostatus q. 7. id factum fuisse in memoriam tanti beneficij. Si ergo Deus his titulis ad gratitudinē animos Hebræorum excitabat: immerito diximus, Dei esse conditionem conferendi beneficia ita occultè, vt eorum nec leue appareat vestigium. Fateor, Deum nos semper gratos desiderare: cum tamen nostra gratitudo nobis, non Deo, prosit; in hoc ipso suæ largitatis ostendit affectum. Sed adhuc dicito: lapides inter Iordanis fluenta, & inter tentoria (tametsi in memoriam suorum mirabilium erecti) diuinam non præiudicasse munificentiam. Quia cum lapides voce careant, muta instrumenta elegit, vt sine voce ob oculos proponeret beneficium. Ecce quomodo cum Deus à populo exposcit memoriam, & gratitudinem lapideo silentio operit bnneficium. Illo namq; signo Hebræorum excitabat memoriam, sed ita tacitus, vt exteri nullatenus intelligerent, quid lapides denotarent. Ergo tunc Deus se ostendit liberalissimum; quia solis Hebræis, quibus liberalissime subuenerat, hæc signa dedit, vt beneficij memoriam retinerent.

Huic diuinæ liberalitatis ingenio fauet, quod 37. in nostra euenit redemptione. Pendebat Christus è cruce, & cum iam iam spiritum exhalaret, & paternis commendaret amplexibus, ait Lucas c. 23. n. 44. *& tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Si tamen animum conuertas ad Luc 23. n. 44 eiusdem Saluatoris natiuitatē, inuenies, quod tametsi natus fuerit, cum quietum silentium continerēt omnia, & nox in suo cursu medium haberet iter, vt dicitur sapient. 18. n. 14. ab angelis annunciatam fuisse pastoribus, & claritate de cœlo missa prædicatam, Lucæ 2. n. 9. vbi dicitur: *& ecce angelus Domini stetit iuxta illos,* Luc. 2. n. 9. *& claritas Dei circunfulsit illos.* Quid est, quod in ortu Christi aer solaribus radiis illustratur, & lux de cœlo emissa pastores circunfulsit; cum autem è cruce pendet Dominus, totus terrarum orbis obscuratur tenebratum caligine? quia in cruce humanæ salutis consumabat remedium, voluit occultè illud dispensare, vt maiori munificentia largiretur. In præsepio, quanuis vel lachrymula Christi totum posset, expiare mundum (sine pretio enim pretium habebat infinitum) tamen merita Christi in cruce fuerunt consumata, & vsque tunc non acceptabantur à Patre. Quamuis ergo merita eius ab incunabulis haberent exordium, in cruce nostra redēptio consumata fuit. Ergo in cruce quidquid in nobis præbuit Christus, largitus est. Cum ergo in cruce pendens tot nos cumularet beneficiis, obscuratus est sol, & tenebræ sunt diffusæ super vniuersam terram, vt inter tenebrosam caliginem tantum impenderet beneficium, & suæ liberalitatis ingenium ostenderet.

Hanc artificiosam, & beneficam conditio- 38. nem, qua absque beneficij augmento liberalitatem auget, ostendit Christus latronem illum felicitans. Sic refert Lucas c. 23. n. 43. & 44. Luc. 23. n. 43 *Hodie mecum eris in paradiso: erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, & obscuratus est sol.* Vix Dominus latroni paradisi pollicetur delitias, & ex prædone mi- & 44.

ſcro eum ſibi amicitia coniunxit;cum ſolerter Euangeliſta nullo interiecto verbo tenebrarum vniuerſalem,& inuſitatam caliginem ob oculos opponit,& ſolis affert obſcuritatem. Quænam inter hæc reperitur connexio, vt illa connectat Euangeliſta?profecto,vt magnificam,& vberrimam Chriſti munificentiam oſtenderet. Adeſt

Chryſoſt. Chryſ.in cat.S.Th ad præfata verba:*attende*(inquit)*celeritatem à cruce in cœlum,à condemnatione in paradiſum, vt noueris non ad benevolentiam illius, ſed ad clementiam Dominum totum feciſſe.* Sed quid eſt, *totum feciſſe?* an quia vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia? non ſolum ob hoc;ſed quia latronem reconcilians,eiq; paradiſum promittēs, tenebræ effuſæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vt exinde ſingularis, & eximia Chriſti liberalitas erga latronem omnibus innoteſceret, quia occultè tantum beneficium conferebat.

39. Sub ſpecie linguarum ignitarum deſcendit Spiritus S vt Apoſtolorum corda igne ſui amoris accenderet,inſtrueret,& ſolidaret. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis,ſeditque ſupra ſingulos eorū,& repleti ſunt omnes Spi-*

Act.2.n.3. *ritu S.*&c.Act. 2.n.3.ſi tamen cupias ſcire,quo tempore,vel qua hora deſcendit, & diſcipulorum mentes illuſtrauit.Idem facer textus ſatis explicuit Nam cum omnes mirarentur, & ſtuperent diſcipulos magnalia Dei loquentes variis linguis; quidam irridentes dicebant,muſti ſunt pleni iſti:quibus Petrus reſpondit:*non ſicut vos æſtimaſtis,hi ebrij ſunt,cum ſit hora diei 3.*

Ibid.n.15. ib.n.15.Sed cur Spiritus S.qui ſub igne deſcendit obtectus non intempeſta nocte,ſed ſole lucem vibrante,in diſcipulos ſuperuenit? quia ſi deſcenderet, cum nox obſcura terras teneret, ignitæ linguæ ſub quibus latebat, ſplendidiùs micarent, & earum fulgor omnibus appareret lucidior:at hora diei tertia radiis ſolis illuſtrata ſplendorem ignis abſque dubio obſcurauit. Deſcēdit ergo Spiritus S.nitido die,& iam ſole radiis armato,vt ignitæ linguæ minus lucerent,& chariſmatum dona occultè daret; vt ſic ſuæ liberalitatis commendaret munificentiam, ſiquidem tot beneficia conferens non ſolum ipſe ſub ignis obtegitur velamento, verum igneum ſplendorem in lūce ſolis extingueret.

Ecumenius Non ſubterfugit hoc Ecumenium ad præfata verba dicētem:*hora tertia hæc eſſe facta non vulgariter intelligendum eſt:ſed quod tunc ignis ſplendor oſtenditur, quando eo neque ad opera vtuntur homines, neque ad parandum prandium, quando omnes in foro ſunt.* Quando igne homines ad opera non vtuntur; quando parum aut nihil lucet; & quando clarus eſt dies, ignitis linguis deſcendit Spiritus S.omnia chariſmata & linguarum dona conferens diſcipulis, vt ſic obſcurius ea concederet,&perfectam erga ſuos oſtenderet largitatem.

40. Myſteriis plenam quatuor animaliū ſimilitu-

Ezech 1.n.8. dinem viderat Ezechiel:& vt multa omittam, ſic ait Propheta de homine illo,qui apparuerat: *& manus hominis ſub pennis eorum &c.*c.1. n.8. D.Greg.Hom.3. in Ezech, per hunc hominem redemptorem noſtrum intelligit.Hinc dubium inſurgit,ſi Chriſtus extenſa manu tot bona largitur:cur manus,quibus largo ſuæ beneficentiæ imbre omnes aſpergit,pennis,ſtudet,obtegere? qui impertit beneficia;brachium extendit,non retrahit:quomodo ergo Chriſtus liberaliſſimus manus aliàs tornatiles pennarum velamine retrudit:an quia rubore ſuffunditur benefaciens hominibus?abſit.Nam nobis benefacere,eſt diuinitatis ſtemma.Quare ergo manus abſcōdit? vt perfectam erga nos liberalitatem oſtenderet. Qui enim beneficium confert,& recondit manum,qua benefacit, perfectiſſimæ liberalitatis gaudet honore. Vt ergo Chriſtus ſuā erga nos munificentiam oſtenderet,manum abſcondit, qua tot impertit beneficia,ne tāto benefactori deeſſet perfectiſſima liberalitatis conditio.

Vena lactea pretioſiſſimus cingitur carbunculus,in nocte ſuæ claritatis radios emittit, in quo,vt diximus præcedēti illatione n.33.Chriſtum Dominum ſub accidentium velo in Euchariſtia latentem intelligimus. Diuinus hic carbunculus luxit in nocte,id eſt,in nocte cœnæ,cum tantum inſtituit ſacramentum. At cur Dñs poſt ſolis occaſum,tantum inſtituit conuiuium.Vt eius benefica liberalitas magis, ac magis eluceſceret.Ob hoc etiā corpus, & ſanguinem ſuum,quibus animæ refectionem præparauit,& quidquid in Dei cōtinetur theſauris contulit,non aperte,ſed ſub velamine dedit:vt ſcilicet anima ſuſcipientis tantum beneficium experiens,manum non videret largitoris. Nec in ipſa Euchar. ſolum ipſe auctor pietatis hoc liberalitatis obſeruauit artificium,ſed etiam in eius vmbris,& figuris.Manna tanti myſterij celebris vmbra,non luce clara,ſed intempeſta nocte in circuitu caſtrorum diffundebatur. Arca fœderis etiam huius edulij figura certa, velata, & obtecta ſemper erat. Quid hoc præſignabat? profecto Chriſti munificentiam in Euchar.in qua ſummum confert beneficium, & manum, qua impertit,abſcōdit ſub velamine ſacramenti.Hoc ingenio liberalitatem ſuam confirmat, & ſe perfectè munificum oſtendit. 41.

Illatio CXLVIII.

Regiam maieſtatem oſtentat Chriſtus in Euchar.

QVanta erga nos munificentia Chriſtus Dominus in Euchariſtia liberalis exiſtat, præmiſſa illatione oſtendimus, ſiquidem tot beneficia conferens manus ſuas accidentium velamine recondit. Ex his non erit inopportunum deducere,Chriſtum in ea regiam oſtentare maieſtatem.Regum enim inſigne præclariſſimum eſt vberrimo beneficiorum imbre omnes aſpergere. Cum ergo Chriſtus Dominus ſub ſacramento latitans ſuæ liberalitatis diuitias velut effundat, abſque dubio in eo regio diademate redimitus proponitur. 42.

Breui alimonia Chriſtus in deſerto numeroſam turbam aluerat; cumque cognouiſſet ad excelſam,ob id, regis dignitatem euōcandum, fugit in montem.Ioan.6. num.15. *Ieſus autem cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Vide,qualiter Chriſtus regale contempſerit faſtigium.Non ſic apud Pilatum. Nam cum iniquus præſes ipſum interrogaſſet; an eſſet rex Iudæorum, confeſſus eſt, & non negauit. Marc.15. num.2. *& interrogauit eum Pilatus: tu es Rex Iudæorum? at ille reſpondens ait illi; tu dicis.* Sed cur apud Pilatum regium diadema non reſpuit, qui in ſolitudine tanto 43. Ioan.6.n.15. Marc.15.n.2

præue n

præuentus ſtudio fugit in montem, ne à turba efferretur ad ſummum honorem regis? multa huic quæſito poſſem reſpondere. Primo: quia tunc pro ſuis tot patiebatur iniurias: & ille, qui pro ſuis mala ſuſtinere, non recuſat, in ipſa perpeſſione malorum fulgentiſſima redimitur corona. Secundo: quia ſi in monte à turba regis honoraretur diademate; videretur non ob meritorum excellentiam, ſed ob præſtitam alimoniam, ad tantam dignitatem euectus: fugit ergo, vt omnem auferret ſuſpicionem. Vltimo ad rem noſtram reſpondeo, ob id regiam dignitatem in ſolitudine reſpuiſſe, eamque admiſiſſe apud Pilatum: quia quando vſque ad ſaturitatem afflictam turbam aluerat, nondum Euchariſtiæ inſtituerat conuiuium; at cum apud Pilatum teneretur, iam cœleſte hoc ferculum condiuerat. Quid ergo mirum, ſi in conſpectu præſulis iniqui admittat diadema, quod à grata turba ſuſcipere recuſauit, cum iam diuinam tunc Euchariſtiæ inſtituiſſet munificentiam? tanto enim iure Chriſtus ſub ſacris ſpeciebus latitans purpura regis ornatur, vt poſt tanti ſacramenti inſtitutionem, ſe, vel apud inuidos inimicos, fateri regem non erubeſcat.

44. Cant. 2. n. 2. *Sicut malum inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios*: de ſuo ſponſo prædicabat ſponſa. Cant. 2. num. 2. Primo aſpectu inutilis & impropria videtur hæc ſimilitudo. Nam ſi ſponſa dilectum ſuum omnibus præferre cupiebat, non malo, ſed arbori præſtantiſſimæ debuit eum comparare. Pulchriores, & gratiores in hortis vernant arbores: quare ergo malo potius, quàm aliis comparatur ſponſus? an quia malum omnium arborum gaudet imperio, & veluti ſuper omnes regnat. Regnat vtique, ſed ob quid malo tanta confertur prærogatiua? audi Philonem Carpathium ad hunc locum. Philo carpa. *Malum eſui aptum eſt, & potui: vt ergo myſticam lætitiam deſignaret, quàm ipſi ſponſæ elargitus eſt ſponſus dicens: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum; & accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum; propterea malum appellari puto. Tria enim bona malum continet. Eſum, per quem ſignificat corpus Chriſti: potum, quo ſignificatur ſalutaris Chriſti ſanguis, & odorem per quem fides exprimitur.* Satis apte malo comparatur ſponſus, vt regia maieſtas, qua in Euchariſtia gaudet, omnibus eluceſcat. Malum enim eſum, & potum ſubminiſtrans, Chriſtum præbentem corpus in cibum, & ſanguinem in potum deſignabat. Merito ergo malum omnibus antefertur arboribus, quia tanti ſacramenti perferebat inſigne, in quo Chriſtus regio redimitur diademate.

45. Cant. 1. n. 4. Damaſcen. Hoc imperium Chriſti in Euchariſtia celebrabat ſponſa Cant. 1. num. 4. cum dixit: *Introduxit me rex in cellariâ ſua.* Damaſcenus orat. 2. de natiuitate Virginis legit: *in domum vini.* Sed cur tunc ſponſus dicitur rex. Reſpondet idem Damaſcenus: *Quod perinde eſt, ac ſi diceret: introducite me in domum Eccleſiæ, in qua poculum ſalutaris lætitiæ Agni ſanguine temperatum proponitur.* Ideo ergo ſponſus appellatur rex ab ſponſa: quia domus vini, id eſt, Eccleſiæ, in qua Chriſti ſanguis proponitur, mentionem faciebat. Ergo Chriſtus regiam oſtendit maieſtatem latens in tanto ſacramento.

Inter omnes gemmas radiantes (teſte Plinio relato num. 2.) principatum habet carbunculus, nec immeritò (omitto innatum fulgorem, quo omnibus antecellit) cum ſit Euchariſtiæ vmbraculum. Nam chriſtus in Euchariſtia latens ignitus eſt carbunculus fidelium mentes inflammans, & illuſtrans. Tribuitur ergo carbunculo omnium gemmarum principatus, vt intelligamus, Chriſtum munificentiſſimum in Euchariſtia regis regum diademate redimiri. 46.

ILLATIO CXLIX.

Non videtur credibile, aliquem ita verecundiæ fines tranſiiſſe, vt ad ſacram ſynaxim, indigne, petulanter, & irreuerenter accedat.

MAgna nos Deus conſtrinxit obligatione poſt Euchariſtiæ cibũ, & grato animo ei debitas referamus gratias. Ingratitudinis nota mereremur inuri, ſi tanto benefactori non debitè ſolueremus. Debitas ergo gratias reddimus Chriſto, ſi hoc ſacramentum ſumimus reuerenter. Sin autem aliquis (ô quam infelix!) peccati lethalis labe denigratus tantum edulium accipere præſumit, magnam ingratitudinis culpam contraheret. Nam non ſolum datorem contemneret, ſed & ipſum reſpueret beneficium. Hoc enim eſt turpiſſimum genus ingratitudinis. Aptiſſime Tertullianus lib. de patientia cap. 3. hanc ingratitudinem increpabat, dicens: *Reſpuit datorem, cum datum deſerit, negat beneficium, cum beneficium non honorat.* Quotidie inter homines contra benefactores experitur ingratitudo; imo benefaciendi cauſa ingratitudinis eſt occaſio: at contra ipſum beneficium armari, eſt turpiſſima ingratitudo. Qui indigne ad Euchariſtiam accedit, non ſolum reſpuit datorem, ſed etiam contemnit beneficium. Hinc inferre liceat, tantam eſſe ingratitudinem cum peccati labe ad ſacram menſam accedere; vt non ſit facile creditu, aliquem ita verecundiæ metas tranſiliiſſe, vt ad eam indigne, petulanter, & irreuerenter accedat. 47. Tertullian.

Ioan. 12. num. 1. & 2. *Ieſus autem ante ſex dicis Paſchæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. Fecerunt ergo ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Lazarus autem erat vnus ex diſcumbentibus.* Notaui iam diu, ſacrum Euangeliſtam referre, Lazarum fuiſſe vnum ex diſcumbentibus, quando Chriſtum hoſpitem narrat apud Martham. Quid mirum, Lazarum diſcubuiſſe, cum eſſet Dominus illius caſtelli, in quo Chriſtus hoſpitabatur? id dictabat vrbanitas: nam cum Lazarus eſſet nobilitate clarus, debebat non eſſe comitatis oblitus, quæ nobilitatis eſt aſſecla. Ergo tenebatur diſcumbere cum Chriſto. Quare tam ſolerti ſtudio id refert Euangeliſta dicens: *Lazarus autem erat vnus ex diſcumbentibus?* Theodoretus in catena ſancti Thomæ ad præfata verba aureum annulum obtulit catenæ, quo ſoluatur dubiũ *Innuere autem volens* (ait Theodoret.) non eſt hic author *Theodoretus*, ſed *Theophilact.* Hoc velim monitum huius operis authorem: vt intelligat in aurea Catena nũquam 48. Ioan. 12. n. 1. & 2. Theodoret.

Theodoretum à diuo Thoma afferri, sed Theophilactum, sed quia nomen erat non omnino explicatum ideo fefellit & fallit quamplurimos, & in antiquis editionibus erat nomen *Theophili*, non *Theophilacti*, sed *Theophilactus* est nomen eius Theodoretus) *veræ resurrectionis Lazari signum, subdit: Lazarus autem vnus erat ex discumbentibus.* Sed vnde inferre potuit iste author, veram, & non phantasticam fuisse Lazari resurrectionem? aut quam vidit connexionem inter veritatem resurrectionis, & Lazari discubitum? certe, quia in illa mensa Christus epulabatur. Manum enim porrigere in mensam, in qua Christus conuiuatur, vitalis spiritus indicium est euidens, cum Christo namque discumbere, tantam vitalis respirationis arguit connexionem, vt vix credi possit, vita esse orbatum, qui ad dominicam mensam accedit: ingenio se ergo intulit Theodoretus, verè Lazarum ab inferis suscitatum, quia in mensa Domini discumbebat, si ergo in eadem mensa cibum materialem assumere veræ resurrectionis est signum: potiori iure vitæ erit efficax argumentum ad sacram illam mensam accedere, in qua non solum est Christus hilaris conuiua, sed epulum lautum, & splendidum sui sacrosancti corporis, & sanguinis instituit. Difficile ergo est creditu, inuenire aliquem ita petulantem, qui ad tantum conuiuium mortuus peccato audeat, accedere.

49 Matthæi 26. num. 29. dixit Iesus in nocte
Mat. 26. n. 29. cœnæ discipulis suis: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illum bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Per vinum, quod genimen vitis dicitur, sanguinem Christi intelligunt Origines, Cyprianus, Chrysostomus, Epiphanius, Hieronimus, Augustinus, Beda, Euthymi. & Theophylactus relati à Maldonato ad hunc locum. Per regnum Patris, idem auctor cælum intelligit. Hinc non leue dubium insurgit, videlicet: qui fieri possit, quod Christus cum omnibus discipulis, qui illic aderant, bibiturus sit suum sanguinem in regno Patris; cùm Iudas, qui præsens erat, ab illo regno esset excludendus? Glossa ad præfata verba in catena sancti Thomæ expresè tenet, relata verba nullatenus proditori fore accommodanda. *Sustinendo aliorum sanctorum*
Glossa. *sententiam* (ait Glossa) *quod, scilicet Iudas Sacramenta acceperit à Christo; dicendum est quod hic dicit, vobiscum; id plures eorum, non ad omnes referendum esse.* Cur ergo si non ad omnes; loquitur vniuersaliter, ita vt Iudam videatur comprehendere? profecto: quia proditor sacram synaxin acceperat. Vt igitur innueret, quàm difficile esset creditu, inueniri hominem ita audacem, qui ad tantum conuiuium peccati mortiferi labe maculatus accederet; cùm Iudas in sacra mensa accubuisset; *bibam vobiscum*, dixit, quasi omnes comprehendens, ne Iudas videatur excludi, nec omnibus innotesceret, perfidum assectam indigne tantum sacramentum succepisse. Maluit ergo Dominus denotare, omnes fore beandos, quàm Iudæ detegere prauitatem indignæ communionis.

50. Hoc ipsum confirmat stylus quo idem Do-
Mat. 26. n. 24 minus de Iuda loquens fuit vsus. De eo antequam Eucharistiam susciperet, dicebat, Matthæi 26. numero 24. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Hæc prædicebat Iudæ, vt pericula, quæ misero imminebant, ostentaret, & à tanto flagitio eius animum auerteret. Audi quanta lenitate, & dulcedine eundem alloquitur, cùm callidè ingratus infamem illam ducebat cohortem: *amice, ad quid venisti?* ibi- Ibid. num 50
dem, numero 50. Amicum vocat mansuetus Dominus proditorem. Notasti diuersitatem styli? illic Iudam deterret tot mala prædicens: hîc erga illum officiosissimus, ac si ab eo obsequia susciperet, amicitiæ vinculo in suam gratiam desiderat, restituere. Quid est hoc, bone Deus? proditorem perfidum vocas amicum in ipso limine proditionis? si quæ præcesserant, expendamus, cessabit admiratio. Eucharisticum cibum tametsi indigne, audacter acceperat: (vt multorum Patrum firmat consensus) insuper; in signum proditionis sacrilegis labiis osculo perfido Christi maxillam contigerat, in quo indigne accedentem ad sacram mensam præsignabat, ni fallor. Ob vtramque ergo rationem vocat amicum, ne cum tanto scelere ad sacrum conuiuium accessisse, præsumeretur.

Operosum non erit Dauidico testimonio §1.
sigillare nostrum assumptum, nam psalmo 40. numero 10. personam Christi gerens accinit regius Psaltes: *Etenim homo pacis meæ, in quo* Ps. 40. n. 10.
speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Querebatur Christus de Iuda proditore: ita docent Hieronimus, Magister sententiarum Titelman, & alij ad hunc locum. Hæc communia sunt, non sic quod addit Genebrardus. *Homo pacis meæ* (ait) Genebrard.
amicus meus, supplantationem. In cursu me supplantauit, mihi magnas fecit insidias, & fraudes, me egregiè fefellit, & circumscripsit. Dixerat sanctus Ambrosius in psalmo 40. *Persecutori-* Ambros.
bus deductis me tradidit, & fefellit me, in quo speraui. Sistamus hîc; quia videtur difficilimum, Iudam posse fallere summam Christi sapientiam. Nec minuitur difficultas si consulamus versiones. Nam pro illis verbis: *in quo speraui:* Aquila legit: *in quo confisus eram.* Sy- Aquila.
machus: *in quo confidebam.* At quomodo hæc Symachus.
inter se constare possunt? quis credet, nefandam Iudæ malitiam potuisse fallere superni Verbi sapientiam? aut qualem in proditore constituere spem, qui æternitatis specula præscit, & contemplatur futura? quid ais, ô Domine, Iudæ fidei te committis præsciens eius proditionem? quare ergo in eo confidis; aut cur te fefellisse pronuncias? Diuus Ambrosius Ambros.
loco relato excitauit, & soluit dubium, dicens: *Ideo ergo speraſſe se dicit, quasi iure præsumpserit, vt Apostolus superiora deponeret, anteriora sequeretur.* Sed non satis meo videri se explicuit diuus Ambrosius, si tamen mentem eius desideras penetrare, legito, quæ præmiserat. Ideo ergo ait, Christum in Iuda constituisse spem, non quia illius ignorasset proditionem, sed vt eum magis grauaret, in quo plurimum spei, & fiduciæ habuit. Sic enim nos iustiores habemus querimonias de aliquo, in quo magnam habuimus fiduciam, si postea spem nostram, opinionemque destituit.

Voluit

Voluit ergo Chriſtus, Iudam conſtringere fiducia, quam de illo habebat, vt à proditione animum auerteret. Sed altius inſuper rem hanc explicuit Ambroſius. Ideo ergo in Iuda Chriſtus conſtituit ſpem, quia præuidit in ſupremæ nocte cænæ corpus ſuum, & ſanguinem ſuſceptorum: quam putans hominem alium tanto conuiuio non poſſe nefariam committere proditionem. Audi iterum Mediolani antiſtitem: *Simul oſtendit, quanta vis diuinæ ſanctificationis ſit, quæ excludat malitiam, & deprauatum emendet ingenium, ſi forma propoſiti melioris accedat.* Antonomatice hîc, per *ſanctificationem diuinam*, Euchariſtiæ intelligitur Sacramentum, ſiquidem illud, *Sanctiſſimum* abſque addito vocitamus Hiſpani, in quo fons, & exigo ſanctitatis latitat. Nec hoc tacuit Ambroſius: nam per *panes meos*, Euchariſtiam intelligit. Mens ergo eius eſt: ideo Chriſtum Iudæ proditori fiduciam ſuam commiſiſſe, quia ſecum cæleſtem illum panem, qui de cæio deſcenderat, erat manducaturus. Tanta enim eſt vis diuinæ alimoniæ, vt non obſtante præſcientia infallibili de proditione diſcipuli, ſperare poſſet Chriſtus hominem ſacram ſynaxim ſumentem non eſſe proditurum magiſtrum, ſed deprauatum emendaturum ingenium. Non quia præſcientia ſit fallibilis: abſit: nec quia aliud præter præſcitum euenturum ſit; ſed vt doceamur, quantum committat flagitium, quantamque ingratitudinem perpetret, qui indigne accedit ad tantum conuiuium, *in quo* (vt cum Trident. loquar. ſect. 13. cap. 2.) *diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit Chriſtus, memoriam faciens memorabilium ſuorum.* Tam immanis eſt proditio, tamque execrabile ſacrilegium mortali labe admirabile hoc Sacramentum ſumere; vt vel ipſe Chriſtus, quaſi conſideret, Iudam tantum crimen non commiſſurum, nec proditurum magiſtrum. Quod eſt dicere: ſi Chriſtus, ſicut nos debemus, diſcurreret, putare poſſet, Iudam à proditione fore reuocandum, quia præuidit ſumpturum Euchariſtiam. Meritò ergo diximus, creditu eſſe difficile, aliquem ita petulantem inueniri, qui indigne Chriſtum ſuſcipiat.

Trident.

52. Sæpe ſæpius notaui, & meo videri omni attentione dignum, quod cum Chriſtus Dominus corpus in cibum verum, & ſanguinem in verum potum promiſit Ioan. 6. n. 55. & cum tantum Sacramentum inſtituit Matth. 26. n. 26. Marc. 14. num. 22. & Lucæ 22. n. 19. non ſtatuit determinatum ſupplicium indigne ſuſcipientibus. Nam licet Apoſtolus. 1. ad Corinth. 11. num. 27. dicat, reos eſſe corporis, & ſanguinis Domini: & ibidem num. 29. iudicium ſibi manducare, & bibere, tamen determinatam pœnam eis non conſtituit. Reos enim eſſe corporis, & ſanguinis Domini, vt explicat S. Thomas ibidem lect. 7. eſt contra Chriſtum peccare. Inſuper; manducare iudicium, condemnationem denotat, teſte eodem doctore Angelico, quod commune eſt omnibus culpis mortiferis, licet diuerſimodè pro diuerſitate peccatorum. Ergo Chriſtus, & eius Apoſtolus indigne ſuſcipientibus Euchariſtiam determinatum non aſſignarunt ſupplicium. Sed cur grauiſſimo ſacrilegio pœna determinata non adſcribitur? An quia tantum nefas manſurum eſt impunitum? Non, ſi adſit impœnitentia finalis: ſed ſilentio, tanti criminis exaggeratur malitia. Omittitur ergo eius pœna, quia videtur difficile creditu, aliquem ſic verecundiæ tranſilire metas, vt peccati mortiferi conſcius audeat ad tantam menſam accedere. Nam ſi inter Athenienſes à Solone (teſte Marco Tullio pro Amerino) nullum ſupplicium fuit excogitatum contra parricidas, eo quod videbatur incredibile, aliquem reperiri poſſe, qui mortem obtulerit parenti, à quo recoperat vitam: ſic Euchariſtiam indigne ſumentibus nullum Chriſtus determinauit ſupplicium, vt oſtenderet difficulter credendum, aliquem ita fuiſſe vecordem, qui indigne ad ſacram menſam auſus ſit, accedere.

ILLATIO CL.

Integrum tribunal concitat contra ſe, qui indigne ſuſcipit Euchariſtiam.

53. GRaue facinus, & ſceleratum crimen perpetrat, qui peccatorum labe fœdatus dominicum corpus præſumit accipere. Id explicuit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. num. 29. dicens: *Quicumque enim manducat, & bibit indigne: Iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Angelicus Doctor ad hæc verba per iudicium intelligit condemnationem. Si ergo qui indigne ad hanc menſam accedit, condemnationem ſibi manducat, & bibit; non inepte dicemus, integrum contra ſe concitare tribunal: Ipſe enim ſuimet iudex ſeipſum condemnat: ipſe Chriſto calamum miniſtrat, vt condemnationi ſubſcribat: tribunalque contra ſe parat, à quo vix admittitur appellatio.

1. ad Corint. 11. n. 29.

54. Impudenti, & ſcelerato homini, qui ad regis menſam ſine nuptiali chlamyde auſus fuit, accumbere, dicebat rex ille Matth. 22. numero 12. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Miror regem, cui ex officio incumbebat, delicta reprehendere, & audaciam punire, vocaſſe amicum vecordem illum, qui veſte inhoneſta regalis menſæ præſumpſit accubitum. Non reprehendo antiſtitum leniratem: hæc enim attrahit corda ſubditorum; ſed nimiam pręſulum condemno blanditiem. Contra ſceleratos, & rebelles, dure ſe gerat princeps, qui lenis ſit erga emendatos. Cur ergo prouidus iſte rex blandè, & nimis humaniter impudentem alloquitur, honorans amici titulo, quando in veſte oſtendebat venenum, quod latebat in corde? Aut quare eum non reprehendit. Hunc regem eſſe Chriſtum inuitantem ad Euchariſtiam; hominemque illum ſine veſte nuptiali impudenter diſcumbentem, animam peccatis fœdam accedentem ad ſacram menſam, communis doctorum firmat conſenſus. Rex ergo illum non reprehendit, vt oſtendat tantum commiſiſſe flagitium, vt eius conuictus, & propriæ cauſæ iudex conſtitutus ipſe in ſeipſum ferat ſententiam.

Matth. 22. num. 12.

Nam ſat erat, delictum ei proponere, vt ipſe ſeipſum damnet. Perbelle cogitauit Caietan. in hunc locum dicens: *Non contumelioſe increpat: non dicit, indigne, præſumptuoſe, imprudens. ſed amice: non quomodo auſus es, ſed quomodo huc intraſti: proponendo interrogatiue factum ſimplex, vt ipſe ſeipſum damnet.* Proponendo delictum ſuimet hunc hominem conſtituit iudicem rex ille, & iudicium ferre delinquentis commiſit arbitrio, vt ipſe ſeipſum condemnet, ſiquidem ita ſacrilegum eſt ad ſacram ſynaxim accedere indigne, vt nec ipſe delinquens ſeipſum à tanto crimine abſoluet.

Caietan.

55. Illudebant Chriſto apud Pilatum Iudæi, eo quod ipſorum, qui omnium erat, regem ſe prædicabat. Irriſorie purpura induitur; ſpinis pro regio diademate coronatur, & arundinem pro ſceptro dexteræ imponunt Matth. 27. num 29. *& plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.* Sed, ô perfidi, erratis ſine dubio! Nam ſi arundo ſceptrum ſignificat, non in dextera, ſed in læua poni debebat. Sceptrum enim læuam regis occupans, dexteram expeditam relinquit ad regia munia exercenda: quare ergo dexteræ arundinem miniſtratis? D. Hieronymus in catena. S. Thomæ ad hunc locum hanc rationem adducit: *Calamum tenebat in manu, vt ſacrilegium ſcriberet Iudæorum.* Quod eſt dicere: arundo illa non regale ſceptrum, ſed iudicis calamum prænotabat, quo Chriſtus Dominus ſacrilegium Iudæorum ſcribens, contra eos ferret iudicium. Arundine namque vtebantur antiqui ad conſignandum aliquid publicis monimentis. Mens ergo Hieronymi eſt, Iudæorum mentes ita obcæcatas fuiſſe, vt inſcite, quia nimia temeritate, & audacia effreni in corpus dominicum auſi fuerant, calamum miniſtrarunt, eumque inter pollicem, & indicem intexuerunt, vt ſtatim contra eos ſcriberet damnationem. Percuſſerant Iudæi Chriſti maxillas; pulcherrimam faciem ſputis immundis defœdauerant; caput illud aureum ſpinis lancinauerant, & tandem omnem ſæuitiam in eius coniuraue_rant corpus: quid ergo mirum, quod calamum dexteræ imponant, vt contra eos ſubſcribat ſententiam? ſic namque plectitur, qui Chriſti corpus tractat irreuerenter: ſic etiam punietur, qui ipſum indigne in Euchariſtia ſumit: calamum abſque dubio miniſtrat, vt contra eum ferat ſententiam.

Matth. 27. num. 29.

Hieronym.

56. Leni reprehenſione ſacerdos Heli filios redarguit diuina contemnentes, & ſacrificia furantes: propoſuit delictum, ſed molliter increpauit: grauitatem propoſuit criminis, ſed impunitum reliquit flagitium: ſic enim dixit. 1. Reg. 2. num. 25. *Si peccauerit vir in virum placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Caietanus hæc verba expendens ſic ait. *Nam ſic ſaluatur diſtinctio inter peccatum in hominem, & peccatum in Deum: penes hoc, quod peccatum in hominem expiatur per hominem, ſaltem per iudices facientes repenſari homini læſo: peccatum autem in Deum non poteſt per hominem repenſari, niſi forte ſupplicando. Sed quis inuenitur tam Sanctus, tam amicus Dei, vt audeat intercedere in cauſa contra Deum. Loquitur Heli humano more: rarus inuenitur tam amicus humani principis, vt in cauſa alterius contra principem audeat, apud principem intercedere.* Fere irremiſſibile viſum fuit Caietano peccatum filiorum Heli, vtpote contra Deum commiſſum ob rationem adductam. Iſtorum peccatum vt conſtat ex citato capite n. 17. erat grande nimis coram Domino, eo quod detrahebant de ſacrificio Domini victimas, & holocauſta. In hoc peccato irreuerentia, audacia, & ſacrilegium indigne ſumentium Euchariſtiam præfigurari exiſtimo: quia illa ſacrificia hoc incruentum, & Auguſtiſſimum præſignaſſe, nulli dubium eſt. Ideo ergo peccatum illud difficulter proponitur expiabile, vt diſcamus, ſacrilegium ſumendi indigne Euchariſtiam quanta ſit difficultate expiandum. Nam ſi qui aliquem principem affecit iniuria, inappellabile committit delictum, & nemo eſt, qui pro eo audeat, interpellare: qui corpus dominicum flagitioſe, & ſacrilege in Euchariſtia ſumit, crimen committit ab omni miſeratione alienum. Non quia expiabile non ſit (ſanguis enim Chriſti vel coccinea lauare poteſt peccata) ſed vt delicti innoreſcat malitia ex ipſa difficultate lauacri. En ergo tibi quantum committit flagitium, qui temere audax cæleſtem iſtum carbunculum tractat irreuerenter. Merito ergo contra ſe integrum concitat tribunal, vt tantum crimen non ſit impunitum.

Caietan.

1. Reg. 2. num. 25.

ILLATIO CLI.

Maiori reuerentia venerari deſiderat Chriſtus in Euchariſtia latitans, quam extra ipſam apparens.

57. GRato animo debent compenſari beneficia: ergo excellentioribus maior debet correſpondere gratitudo. Incarnationis myſterium, in quo fuit ipſius Dei cum carne comercium, quis dubitat, maximum fuiſſe beneficium: at Euchariſtiæ arcanum tanti myſterij fuit effuſio, ſiquidem per eam Deo totus cibatur homo. Hinc, ni fallor maior reſurgit obligatio tribuendi maius obſequium (liceat ſic loqui) Euchariſtiæ quam incarnationi: non quia maius ſit Sacramentum, ſed quia in illa impertitur Chriſtus, quod per incarnationem accepit. Vt ergo maiori beneficio (ſaltim quoad modum communicandi) gratiora correſpondeant obſequia, vult Chriſtus ſuo corpori in Euchariſtia latenti maiorem reuerentiam exhiberi, quam eidem exiſtenti extra ipſam. Hoc probare intendo, vt tanti myſterij reuerentia augeatur.

58. Naſcitur in ſtabulo Chriſtus, vixque creator lucis vagit in luce, cum brutorum anhelitu calefit reclinatus in præſepio. O mira dignatio maieſtatis, & vera humilitatis exaltatio! cuius ſedes eſt cœlum, & aſtra tapetum pedum eius, iacet in fæno. Inſuper; eſuriit in deſerto, & inter beſtias degit: tandem ignominioſa morte in cruce emiſit ſpiritum. Vidiſti iam, Chriſtum Dominum ſuo corpori non honores, ſed contumelias; non obſequia, ſed abiectionem

ctionem præparasse. Videas, quæso, eius studium, vt idem corpus nobis præberet in cibum. Refetur à Luca cap. 22. n. 12. cum enim de institutione admirabilis Eucharistiæ Sacramenti sermonem texeret, ait, tantam curam adhibuisse Christum, vt non vbilibet, sed in loco ornato factum præparauit conuiuium: *Ipse* (inquit) *ostendet vobis cœnaculum magnum, & stratum: ibi parate.* Sed quid est, quod Christus ad nascendum pro nobis non regale palatium, sed stabulum; non aurea incunabula, sed præsepe; non byssinas sindones, sed paleas elegerit? Deinde: vt sua morte mundum redimeret, non floridum lectum, sed durum, & ignominiosum lignum optauerit: & cum sacram instituit Eucharistiam, toto studio, & vigilanti cura discipulos instruxit, vt cœnaculum magnum & stratum perquirant? An non idem corpus, quod in præsepio iacuerat, Eucharisticis præbet sub accidentibus? Ita est. Quare ergo, vt illic nasceretur, non spernit abiectionem loci; & hîc tantam impendit curam, vt in loco pulchre ornato tantum instituat mysterium? Profecto: quia suo corpori in Eucharistia latenti reuerentius desiderabat obsequium, quam eidem existenti extra ipsam.

Lucæ 22. num. 12.

59. D. Thomas 3. p. q. 80. art. 4 vocat in dubium: an si quis mortali labe fœdus sumat Eucharistiam, mortale perpetret crimen? Respondet Angelicus, sacrilegij scelere maculari: quia quantum est ex se huic Sacramento imponit notam falsitatis. Nam cum Dominus Ioan. 6. num. 56. dixisset: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* quod de sumentibus digne intelligendum est: qui mortali peccato tantum sumit Sacramentum; quantum est ex se ei falsita-tem imponit. Audi S. Thomam: *& ideo manifestum est, quod quicumque hoc Sacramentum cum peccato mortali sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit: & ideo incurrit sacrilegium tanquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.* Sad vt veritas huius doctrinæ magis eluceſcat, idem Aquinas sibi opponit hoc argumentum. Qui corpus Christi passibile, & in propria specie existens, etiam mortali peccato infectus contingebat, nullum committebat flagitium. Ergo nec qui in peccato tantum Sacramentum sumit. Audisti nodum, solutionem accipe ab eodem doctore. *Ad primum ergo dicendum: quod Christum in propria specie apparens, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis vnionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in Sacramento: & ideo peccatores eum in propria specie tangentes non incurrebant crimen falsitatis circa diuina, sicut peccatores sumentes hoc Sacramentum.* Docta, & Theologiæ consona responsio, & tanto doctore digna! sed adhuc instо. Corpus dominicum tam in propria specie apparens, quam latens in Eucharistia pretium continebat sine termino. Quare ergo in Eucharistia peccatores arcet ab eius contactu; cum non prohiberet peccatoribus attrectare in propria specie? Magdalena peccatrix erat, & tamen Christi pedes lachrymarum lauit fluentis: dubitanti Petro dexteram porrexit, vt è turgentibus vndis leuaret illæsum, & tamen reprehenditur à Domino. Quare ergo cum Christus in propria specie existens peccatoribus non prohibuisset attactum, in Eucharistia absconditus peccatoribus non permittit, attingi? Quia maiori cultu desiderat honorari sub Sacramento latens, quam extra illud existens. Non quia hîc corpus eius excellentioris, quam illic, sit pretij, sed vt tantum commendaret beneficium.

S. Thom.

Hoc innuit clarius cum post deuictam mortem ad eum accederet Magdalena. Vix pia fœmina dominum, quem Paulo antea hortulanum putabat, recognouit, cum ad eius pedes prona manibus attrectare, desiderat: cui ait Iesus: *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ioan. 20. n. 17. Admiratione non caret, sic Christum, qui diligentes se diligit, amantem mulierem despexisse. Nonne hæc est illa, cui apud Pharisæum, non solum permisit attactum, sed & laudauit obsequium Lucæ 7. Quare ergo nunc ab ea non permittit, contingi? illic erat recenter conuersa, & in amoris schola nouiter instructa, & tamen Christus non renuit, quod pedes eius tangeret, oscularetur, & tergeret; ergo potiori iure debuit hîc saluator ardentiora obsequia non prohibere. Quid ergo est, quod Christus negat hîc, quod illic concesserat? Quia iam Eucharistiæ instituerat Sacramentum, corpusque suum, quod toties contingendum permiserat, post tanti Sacramenti institutionem non sinit tractari, ostendens maius obsequium corpori, & sanguini eius exhibendum fore postquam delitescebant in Eucharistia.

60. Ioan. 20. num. 17.

Solue calceamenta de pedibus tuis (ait Dominus ad Moysem è trono rubi. Exod. 3. n. 5.) *locus enim, in quo stas, terra sancta est:* qui tamen cum eundem Moysem ad montis vocaret cacumen, vt ei legem traderet, nihil tale dixit. Exod. 20. & 33. sed cur Deus in rubo apparens Moysi iussit, deponere calceamenta, qui in vertice montis laturus legem, nihil curauit de calceamentis? Vtrobique idem erat Deus æterna maiestate splendens: quare ergo in rubo desiderat affici maiori reuerentia, quam in monte. Theodoretus ad præfata verba sic respondet. *Duas igitur res hoc loco significare mihi videtur. Primo: ipsum magis, ac magis religiosum, ac reuerentem his verbis Dominus Moysem reddit: tum etiam iam nunc eruditur, qua ratione sacerdotes in tabernaculo Deo ministrent. Nudis enim pedibus sacerdotale munus obibant.* Quod est, ac si diceret: in rubo apparuit Deus velut Deus velut in trono maiestatis, in tabernaculo, vel altari: in monte vt legislator inter fulgura, & tonitrua terribilis. Ideo ergo nudis pedibus accedere Moysem imperauit, vt eum magis, ac magis religiosum redderet. Cum igitur Deus in rubo velut in altari, quod Eucharistiæ erat vmbraculum, appareret, non mirum, quod maiorem cultum desideraret. Sic enim in hoc sacramento ardet diuinus carbunculus, sicque sub sacris speciebus beneficia confert, vt ob inde gratiorem, & religiosiorem animum desideret suscipientium.

61. Exod. 3. n. 5. Theodoret.

ILLATIO CLII.

Eucharistia luxuriam exterminat: castitas præuenit, & subsequitur Eucharistiam.

62. Zachar.9. num.17. MAgnum Elogium est Eucharistiæ, Virginum esse seminarium. Id accinit Zach.c. 9.n.17.dicens: *Quid bonum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quæ verba iuxta mentem Hieron. ibid. de hoc admirabili sacramento intelligenda sunt. Eucharistia ergo virgines germinat, nutrit, & alit. Hinc est, quod vel vmbra, aut recordatio tanti Sacramenti luxuriam exterminat. Quî enim fieri posset, vt cum virginitatis germine compatiatur luxuria?

63. Luxuriosè viuens miser ille prodigus totam substantiam cum meretricibus dissipauit, in tãtamque miseriam deiectus est, vt porcorum pasceret gregem. Quid tunc? *In se reuersus dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo! surgam,* Lucæ.15. num.17. *& ibo ad patrem meũ, &c.* Lucæ 25.n.17. Adhuc miser iste porcos pascens turpium cogitationem seruabat memoriam. Meretrices iam eum dimiserant, quia omnem substantiam dissipauerat; at ipse tametsi pauper, meretricum pascebatur blanditiis, dum porcos pascebat. Sed quid est, ô iuuenis, quod in domum patris te reducit, & animum ab spurcitiis reuocat? Profecto: vel sola recordatio paterni panis, in quo cælestis ille Eucharisticus præsignatur. Luxuriosum iuuenem non diuitiæ, non vestes auro micantes, sed paternus panis à Luxuria reuocat, & pristinæ castimoniæ induit stolam. Vide qualiter Eucharistia, vel in vmbra tantum, exterminet libidinem.

64. Fugerat Dauid à facie Saül: cumque venisset in Nobe vbi erat Achimelech summus sacerdos, præ famis Angustia petiit à sacerdote panes: cui respondit antistes; non habeo panes laïcos, sed panem sanctum, quem libenter conferam, *si mundi sunt pueri maximè à mulieribus.* 1.Reg.21. num.4. 1.Reg.21.n.4. omitto hîc plura, quæ in dubiũ possem reuocare. An scilicet peccasset sacerdos panem sanctum offerens laicis? Forsan putauit in extrema illa necessitate etiam immundis illũ posse licite porrigere, vt notat noster Abul. ad hunc locum q.13. sed quod magis ad nostrum institutum attinet, est: cur Achimelech à Dauide in tanto dispendio constituto inquirit, an mundi sint pueri, maximè à mulieribus, Si enim conferret panem sanctum, tametsi immundi essent: cur tam sedulò de munditia à mulieribus curat? Quia panis ille Eucharistiã præsignabat. Et quamuis aliàs sacerdos cõcessurus esset illum, tamen de munditia à mulieribus est solicitus, vt exinde cõstet, ad tantum Sacramentum, vel in vmbra, sine luxuriæ macula, & cum castitatis munditia accedendum fore. Accipe Tostatum nuper adductum. *Sicut* Abulens. *hîc specialiter inquisiuit Achimelech de immunditia, quæ est à mulieribus; ita & in susceptione dominici corporis obseruandum est. Non enim merentur carnem supra cælestem degustare, qui turpibus carnis illecebris immorantur.* Quælibet immunditia impediebat comedere licitè de sanctificatis, vt dicitur, Leuit. 22. tamen hic sacerdos solùm inquisiuit de immunditia à mulieribus ostendens, quòd licèt quælibet impediebat accipere panem sanctum, præcipuè quæ à mulierum concubitu contrahitur: vt exinde appareat quantum à mulieribus distare debeat, qui ad conuiuium corporis, & sanguinis Christi est accessurus. Nam tametsi mortalia omnia illicitam reddant eius susceptionem; nescio quid habet Eucharistia oppositionis cum luxuria, vt velut præcipue impediat mirabile hoc largitatis beneficium.

65. Exod.12. n.8. sic Deus ad Moysem loquitur, vt populum instrueret ad esum agni, & Exod.12. num.8. azymorum: *& edent carnes nocte illa assa igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Sed cur populus esurus est azymos, & agnum cum lactucis agrestibus? Eligius Homil.24. sic respõdet: Eligius. *lactuca quoque agrestis valde amara est, & in viris luxuriam reprimit: significat autem hoc, vt quando ad corpus Christi, qui & verus agnus est, sumendum accedimus; quamuis de redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus, vt dulcescat ex venia, quod amarescit ex pœnitentia: simulque refrenata luxuria seruetur corporis, & cordis munditia: ne forte, quod absit, incurrat aliquis illud damnationis periculum, quod modo nobis ex Apostoli dictis est ostensum: qui manducat, inquit, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quid clarius.

66. Sed antequam hinc discedamus, oportet premere verba Eligij Videtur enim hic doctor asserere, quod tametsi verba illa Apostoli: *Qui manducat, & bibit indigne, &c.* 1.ad Corint.11. 1.ad Corint. 11.n.29. n.29. omnes peccatores dãnet; specialiustamen vitio luxuriæ fædatos: quia cum huiusmodi libidini sint dediti, corporaque habeant carnalibus spurcitiis fæda, non diiudicant inter sua corpora, & corpus Domini, quod vallatum liliis virginitatis flore micat, à virgineq; matre in lucem prodiit. Ob indeque (prosequitur hic auctor) Exod.12.n.11. ad esum agni, & azymorum, in quibus obumbrabatur Eucharistia, renes accingi iubebat Deus: *Renes vestros accingetis.* Exod.12. num.12. Quasi diceret: reprimite carnis delectationes, & fugite omne impurum, si Eucharistiæ flagratis desiderio. Audi Eligium: *Renes* Eligius. *vestros accingetis: id est, delectationes noxias, & carnalium desideriorum fluxa restringamus.* Nullum peccatum magis abhorret Eucharistia, quam luxuriantis animi inquinamentum,

67. Iam diu, cum plurimis Eucharisticam conuersionem expendens prænotabam, substantiã panis & vini non in animam, nec in diuinitatem, nec in personam Christi, sed in corpus, & sanguinem eius fieri. Hoc enim ex vi sua verba efficiunt, & denotauit Ioann. 6.n.55. apud Ioan.6.n.55. quem Christus dixit: *Caro mea vere est cibus; & sanguis meus vere est potus.* Quæ non pronunciauit de eius anima, persona, aut diuinitate. Si tamen rationem desideres Ecclesiæ patres consulito, & apud ipsos inuenies; ideo ita factum, quia beatissima Maria mater, & virgo corpus, & sanguinem Christo ministrauerat. Sic docuit Aug. in Ps.98. dicens: *De carne Ma-* Augusſt. *riæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam dedit.* Et serm. de assumpt. Virginis

cap.5.

Richardus de S. Laur.

c. 5. ait : *Caro Christi caro est Mariæ.* Et statim *Caro Christi quanuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen manfit, quæ susceptа est de Maria.* Idem docuit Euseb. Emissen. Homil. 1. de natiuitate Domini. *Sanguinem* (inquit) *quē etiā pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Accedit etiam Richardus de Sancto Laurent. lib. 1. de laudib. Mariæ dicens : *Carne, & sanguine reficimur in altari. Caro enim, quæ ibi sumitur, caro virginis est, de cuius carne sumpta est portiuncula, de qua artificio Spiritus sancti formatum est Christi corpus.* Ob eximium amorem, quo Christus erga sacratissimam matrem ardebat, corpus, & sanguinem, quæ ab ipsa acceperat, ex vi verborum posuit in Eucharistia ; & nobis dedit in cibum. His prælibatis, inquirendum supereſt : an caro, & sanguis Christi ex vi verborum sub speciebus, vt ad Mariam referuntur in quantum matrem, vel in quantum Virginem ? Ad Mariam vt matrem referri non est dubium, vt ex præfatis patribus satis liquet : similiter ad Mariam vt Virginem comparari, nec dubitationi est locus : si quidem ita in Maria Virginitas, & maternitas connexæ sunt, vt vix possint concipi separatæ. Non raro hæc inuenies apud Sanctos Patres. Augustinus in Appendice de diuersis, Sermon. 25. in fine, dixit : *& generans Virginitas Mariæ ab Angelis est hodie collaudata.* Idem docuit Hugo de Sanct. Victor. Serm. 55. in institutio. Monast. *Beata Maria per florem suæ Virginitatis fructificauit Christum botrum nostræ redemptionis.* Ex mente ergo horum doctorum Mariæ integritas incomparabilis maternitatem, Verbi nacta est. Ad rem nunc si caro, & sanguis Christi quia ex Maria, præcipue, & ex vi verborum latent sub Sacramento : & Mariam non solum respiciunt vt matrem, sed etiam vt Virginem. Ergo Mariæ Virginitas tantum præuenit conuiuium : vt instruamur, ad tantum Sacramentum recipiendum non tantum mentis puritatem prærequiri, sed etiam castitatem illibatam. Quid mirum cum sit frumentum electorum, & vinum germinans virgines ? si est pretiosissimus carbunculus luxuriæ reprimens effrænatam libidinem ?

Augustin.

Hugo de S. Vict.

Illatio CLIII.

De Beato Andrea, cui carbunculus correspondebat, quædam Elogia.

68. Andr. Cæs.

Andreas Cæsarien. cap. 66. In Apocal. sic ait de carbunculo, & Beato Andrea Apostolo. *Hic lapis* (loquitur de Calcedonio) *Sacerdotali Rationali non inferebatur, sed carbunculus, cuius hoc loco nulla fit mentio. Spectandum est tamen ne forte Theologus per calcedonium carbunculum designauerit. Sunt enim eiusdem propemodum coloris. Carbunculus autem Beatus Andreas Apostolus vocari potest, vtpote Spiritus igne luculenter accensus.* Eidem Apostolo hanc gemmam accommodat Aretas capite. 67. in Apocalypsim dicens : *Porro carbunculus est Beatus Andreas tanquam in caligine vitæ legalis, & ipse sua luce nactus quæsitum Messiam, & sibi notis significans, ac demonstrans.*

Aretas.

69. Varie Doctores interpretantur hoc nomen, *Andreas.* Noster Abulens. ad cap. 3. Matth. tom. 3. quæst. 32. hæc refert : *De Andrea dicunt aliqui, quod vocatur Andreas, id est, virilis, quia secutus est Christum viriliter. Sic dicit Remigius : Andreas interpretatur virilis. Sicut enim apud Latinos à viro deriuatur virilis ; sic apud Græcos Andreas deriuatur ab Andros. Vnde virilis dicitur, quia relictis omnibus secutus est Christum, & viriliter in mandatis eius perseuerauit.* In sensu litterali non approbat Tostatus hanc interpretationem : quia hoc nomen, *Andreas*, vel est Hebraicum, vel Syriacum : vnde deriuatio adducta à Remigio non tenet in sensu litterali. Diuus Antoninus titulo sexto capite decimonono, sic interpretatur prædictum nomen. *Andreas*, inquit, *qui interpretatur decorus, vel respondens, seu virilis.*

Abulens.

Antoninus.

De Beato Andrea sic scripsit, Diuus Gaudentius tractat. in dedicatione Basilicæ Sanctorum 40. Martyrum : *Post hunc* (intelligit Baptistam) *habemus Andream Beatissimum, primum Ioannis ipsius discipulum ; deinde saluatoris, quem priorem Christus Apostolum scribitur elegisse.* Sanctus Petrus Damianus, sermone primo de Sancto Andrea, sic ait : *Andreas quidem in Apostolici Senatus Catalogo secundus ponitur, qui tamen agnitionem Domini tuxta Euangelicam fidem primus inuenitur.* Elias Cretens. ad orationem, 3. Nazianzeni idem asseruit his verbis. *Andreas rursum, qui primus à Christo vocatus est.* Tostatus loco citato numero præcedenti idipsum concluſit : *De Andrea dicendum est, quod iste est primus discipulus, qui ad Christum venisse legitur.* Cum ergo Andreas vocatione, & electione fuerit à Christo omnibus prælatus, non absque mysterio ei correspondet carbunculus, qui inter omnes gemmas primatum tenet, vt supra numero 2. prænotauimus.

Gaudent.

Petr. Dam.

Elias Cret.

Abulens.

71. Ex hoc quod Andreas fuerit primus discipulus, qui secutus est Christum, nostri Apostoli felicitas ostenditur. Sed accipe Petrum Damianum loco citato. *Magni certe mysterij baiulus Andreas extitit fratri, qui nimirum eum se reperisse testatus est, quem ab origine mundi omnes sancti cum magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerunt. Non hoc præstitum est Patriarchæ Iacob, qui dicebat : saltare tuum expectabo Domine. Non Abrahæ, cui diuina sponsio facta est ; quod in semine suo hæreditaret omnes gentes. O quanti hoc pretij æstimasset insignis ille Propheta Esaias, si ei ad spectaculum aspirare licuisset ! Nimirum cum tanti desiderij ardore succensus flagitaret mediatoris aduentum, & tanquam morosæ dilationis impatiens æstuans proclamaret : vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Hinc apparet feliciorem fuisse Andream omnibus Patriarchis, & Prophetis, siquidem vidit, & secutus fuit Dominum, quem illi toto animo desiderauerant.

Petr. Dam.

Gen. 49. n. 18

Gen. 22. n. 18

Isaias.

72. Andreas primus secutus est Christum, & fratrem Petrum ad ipsum adduxit, teste Ioanne, capite 1. num. 41. *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei : inuenimus Messiam, quod*

Ioan. 1. n. 41.

quod est interpretatum Christus, & adduxit eum
Chrysost. *ad Iesum.* Chrysostomus homilia 22. in caput 8. Matthæi sic ait: *Credidit Andreas, sed præsignante sibi Ioanne, ac dicente: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Credidit autem & Petrus, sed euangelizante sibi de illo Andrea, & dicente inuenimus Messiam.* Hanc Andreæ erga
Pet. Damian. fratrem Petrum charitatem expendens. Idem Chrysostomus in caput 1. Ioannis Homilia 18. sic scribit: *Andreas autem cum apud Iesum multa didicisset, non abscondit thesaurum, sed ad fratrem festinauit, accepta bona quamprimum communicaturus.* Non sibi soli voluit Andreas thesaurum illum, sed fratri, & aliis communicauit. Audi Petrum Damianum sermone 1. de sancto Andrea. *Ecce Andreas inter ipsa noui tyrocinij rudimenta fructificat, & veritatis iam prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus discipulus factus non est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet aliis prodere, furtum deputat illum sine consortibus possidere.* Tandem Hugo Cardinalis expendens illud, capitis 1. Ioann. *Inuenimus Messiam*, sic loquutus est: *In quo arguuntur, qui in venta sua non communicant aliis, &*
2. ad Cor. 1. num 4. *qui non consolantur desolatos, cum sint ipsi consolati, sicut dicitur 2. ad Corinthios 1. Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Exemplum dedit beatus Andreas communicandi bona à Deo accepta. Nemo putet sibi soli viuere, aliis etiam debet consulere: nam qui consolatur à Deo, tenetur consolari eos, qui in afflictione sunt. In hoc etiam assimilatur carbunculo noster Apostolus: nam sicut carbunculus lucet in tenebris, & sedentibus in vmbra noctis illuminat: ita beatus Andreas aduentum Christi beato Petro, & aliis in tenebris ignorantiæ sedentibus annunciauit.

73. Ex eo quod noster Apostolus beato Petro Christum annunciauerit, ad tantam excellentiam euectus est, vt nihil carnis, & sanguinis habere videatur, imo potius Patris æterni vices gerere. Confitetur Petrus, Christum esse Filium
Mat. 56. n. 17 Dei viui; cui respondit Christus Matthæi 16. num. 17. *Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Duo hîc disquirenda se offerunt. Primum: quando Pater æternus Petro reuelauit æternam Christi filiationem? id non referunt Euangelistæ: quod non tacuit Ioannes cap. 1. num. 41. est, beatum Andream annunciasse Petro, inuenisse Messiam, hoc est, Christum Filium Dei viui. Secundum, quod disquirendum restat, est: quomodo caro, & sanguis beato Petro non reuelauit, Christum esse Filium Dei; cum beatus Andreas, teste Ioanne loco citato, reuelauerit? vtrumque dubium in gloriam, & honorem nostri Apostoli dissoluendum est Dico ergo, Christum Dominum beato Petro dixisse, quod non à carne, & sanguine diuinæ filiationis accepisse notitiam; quia licet Pater æternus eam Petro præbuisset, id fuit, ministerio Andreæ, quando illi dixit, inuenimus Messiam: iuxta illud Chrysostomi numero
Chrysost. præcedenti relatum: *Credidit Petrus, sed euangelizante sibi de illo Andrea, & dicente, inuenimus Messiam.* Ergo ad manifestandam æternam Christi filiationem beatus Andreas æterni Patris gessit vices. Insuper: ideo beatus Petrus non à carne, & sanguine tantam accepit notitiam; vt denotetur, Andream, à quo illam accepit, quid excellentius esse carne, & sanguine. Non quia homo non sit, sed ex eo quod primus electus fuerit à Christo.

De carbunculo scribitur, vt prænotauimus 74.
supra num. 4. iuuare castitatem. Hæc excellentia altius fulget in beato Andrea. Primo: quia
Sophronius. semper floruit Lilio castitatis, sic docet Sophronius in 7. tom. Bibl. vet. Patr. his verbis: *Andreas cælibem ducens vitam, præcursoris Domini factus est discipulus.* Secundo: quia vt refert diuus Antoninus tit. 6. cap. 9. multa mira-
Antonin. cula edidit, vt aliquos effreni libidine luxuriæ deditos liberaret, & ad castam, & honestam vitam reduceret.

Crucis fuit ardentissimus amator, & ob 75.
hanc causam Egeas proconsul impius crucem assignauit pro patibulo, vt concors est doctorum sententia. Diuus Bernardus sermone 1.
Bernard. de sancto Andrea sic ait: *Desiderabat siquidem dissolui, & cum Christo esse, sed in cruce, quam semper amauerat. Desiderabat regnum intrare, sed per patibulum. Quid enim dicit illi amata suæ. Per te, inquit, me recipiat, qui per te me redemit.* Ex his satis constat, beatum Andream non solum cruci fuisse alligatum, sed eam ardentissimo amore desiderasse. Placet tamen his addere elegantissima verba Bernardi serm. 2. de sancto Andrea. *Videns ergo* (inquit) *paratam eminus crucem. ne quaquam (vt exigere, videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non stetere coma, aut vox faucibus hæsit: non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit; vt assolet, intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas, quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas, cum sibi paratam (vt dixi) crucem eminus cerneret, loquebatur? o crux, inquit, diu desiderata, etiam concupiscenti animo præparata: securus, & gaudens venio ad te, ita vt, & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te; qui a amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te.* Quid illustrius?

Ex hoc ardentissimo amore, quo beatus An- 76.
dreas crucem desiderabat, rem non vulgarem animaduertit Bernardus serm. 1. de sancto An-
Bernard. drea. Accipe eius verba. *Longe est vox ista ab eo, qui sustinet quidem, sed optaret omnino, si posset, non venisse in hanc horam. Denique (si non videor temerarius) longe est ab ea voce: Pater si fieri potest,*
Mat. 26. n. 39 *transeat à me calix iste.* Sed quid ais, doctor melliflue? Longè est vox Andreæ, qua Crucem salutauit, ab ea voce, qua dixit Dominus: transeat à me calix iste? An beatus Andreas ardentiori desiderio optabat Crucem, quam Christus desiderauit? Absit. Quomodo ergo audes dicere, longe esse vocem Andreæ? Quia Andreas exemplo Christi animum erexit ad desiderandam Crucem absque formidine. Certum est, à Christo vires accepisse robustissimas, & Andreæ vox fortior sonat, quàm vox Christi, quia Christi timore, quo mortem, & Cru-

cem

cem secundùm inferiorem portionem recusabat, confortatus est noster Apostolus. Et in hoc sensu verba Bernardi intelligenda sunt.

De gemma Sapphyro.

77. Sapphyrus, Hebraïcè, *Sappir*, (vt ait Oleaster) dicitur à radice. *Sappar*, eo quod significet, *numerare*. Et forte appellatur sic, quia est in magna abundantia: quamuis Oleaster putet, esse laspidem propter varietatem, & multitudinem colorum diuersorum lapidum, quam in se continet. Arias Montanus docet, Hebraïcè, *zzaphir*, dici, & à nobis sapphyrum, essèque gemmam coloris cœlestis. Ita sensêrant Hieronymus in cap. 3. Aggæi. Abulensis in cap. 28. Exod. in expositione litteræ aliique quamplurimi. Constat hoc aperte Exod. 24. numer. 10. vbi dicitur: *Et viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi cœlum cùm serenum est.*

Oleaster. Montan. Hieron. Abulens. Exod. 24. n. 10.

78. Nihilominus tamen variant Interpretes circa colorem huius gemmæ. Anastasius Nissenus quæst. 38. sic ait: *Sapphyrus autem purpurescit quidem, nascitur autem in India, & Æthiopia. Tritus autem medetur tuberculis si cum lacte illiniatur locis vlceratis: & lex, qua Moysi data est in monte apparuisse dicitur in sapphyro.* De hac gemma. Sic scribit Plinius lib. 37. cap. 9. *Sapphyrus enim, & aureis punctis collucet. Cæruleæ, & sapphyri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ.* Fere idem refert Diuus Isidorus lib. 16. Etymolog. cap. 9. his verbis: *Sapphyrus cæruleus est cum purpura, habens pulueres aureos sparsos, apud Medos optimus, nusquam tamen perlucidus.*

Anast Niss. Plinius. Isidorus.

79. Hebræi (vt refert Montanus) distinguunt sapphyrorum species per colores: aiunt, quosdam esse albos, eosdemque Adamantes vocari: quosdam vero cœlestem referentes colorem inter album, & cæruleum. Saadias sapphyros inter chrystallorum genera collocat. In Homelliariis Hebræorum (narrat idem Montanus) dicitur: Quidam, qui sapphyrum emerat Romæ, constituisse de pacto, si modo periculum fieret: factumque fuisse periculum gemmæ in incude malleo percussæ, quæ malleo incudeque læsis, tamen illæsa permansit, vnde consequitur, adamantem, qui huiusmodi ferri vim superet, sapphyri genus esse.

Hæbr. sent. Saadias.

80. Verum sapphyrus, qui pectorale ornabat Pontificis cœlestem referebat colorem, vt c. 28. Exod. num. 18. docet glossa Interlinealis. Abulensis ibidem multa refert de hac gemma. *Sapphyrus*, inquit, *gemma gemmarum dicitur cærulea, & lucida, & cœlo similis: habet in medio stellam refulgentem, vt ait Isidorus Etymologia 16. confortat cor, fluxui sanguinis resistit, valet contra timorem, contra venenum, contra antracem, visum confortat. Iste lapis apud antiquos Gentilium Deos in magna reuerentia fuit, vt sine eo responsa non darent; per hunc Magi mirabilia operantur, educit vinctos de carcere, tollit inuidiam, facit victorem, amorem castum diligit. Hæc Dioscorides: in quo nomen Dam scriptum erat.* Hæc Abulensis. In mari rubro pretiosissimus nascitur sapphyrus, qualis esset, qui pectus ornabat Aaronis.

Interlin. Abulens.

Cæruleo colore radiare sapphyrum, satis ex dictis liquet. Sed an cum hyacintho gemma confundendus sit propter affinitatem coloris, in dubium verti potest? Ni fallor, sapphyrus distinctus est ab hyacintho, quamuis vterque cæruleo fulgeat colore. Id manifestè deducitur ex illo Cantic. 5 num. 14. *Manus illius tornatiles, plenæ hyacinthis: venter eius eburneus distinctus sapphyris:* vbi aperta inter vtramque gemmam assignatur distinctio. Nam licet hyacinthus, & sapphyrus eodem colore fulgeant, quia ambo cærulei, non tamen eodem modo cum hyacinthus pelluceat, secus sapphyrus, vt Plinius, & Isidorus citati asseruere: quamuis Mardobæus Datilotheca capite 52. contrarium affirmet, cùm cecinit: 81.

Cant. 5. n. 14

Sapphyri species digitis digniſſima regum,
Egregium fulgens, puroque ſimillima cœlo.

Mardobæus

In hac re non dubitarem asserere, sapphyrum egregie fulgere, sed non ita præclare vt hyacinthum; alias perperam pectus ornaret Pontificis, cùm de aliis gemmis id dubitare, in nullius mentem venerit. Insuper: si sapphyrus perlucidus non esset, cùm in pectorali Pontificis inter radiantes gemmas habuisset situm, eius obscuritas magis innotescerer radiantium lapidum consortio. Ex quo non leuis deformitas sacro Rationali resultaret. Ergo perlucidus est sapphyrus, aut à ratione gemmæ, & Pectorali exterminandus. Hoc ipsum confirmare, libet, ex illo Ezech. 1. n. 26. vbi thronus Dei sapphyro comparatur. *Quasi aspectus lapidis sapphyri similitudo throni.* Quæ verba exponens D. Hieron. ad cap. 54. Isaïæ sic ait: *Ezechielis 1. quoque scriptura commemorat, quod locus in quo thronus Dei sit, sapphyri habeat similitudinem, & gloriam Dei, in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercœlestis.* Valde ergo obscurus esset Dei thronus, si sapphyro non fulgenti compararetur, nec satis perlucida eius exprimeretur maiestas, si obscuri sapphyri explicaretur exemplo. Ergo radiis nitidissimis fulget hæc gemma, vt decebat Dei solium, & Pectorale Pontificis.

Ezech. 1. n. 26. D. Hieron.

ILLATIO CLIV.

Quam maturo consilio teneatur iudex proferre sententiam; & quam sedulo habere in conspectu crimina, vt ea damnet.

82. IGnorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis: nam iudex, qui ignorat, multoties absoluet impium, & condemnabit iustum. Quapropter diligenti examine præmisso debet iudicium ferre, ne quod iustum omittens, iniustum proferat. Ob hoc clamabat Dauid Psalm. 2. num. 10. *Erudimini, qui iudicatis terram*: id est, attendite, discite, qui alios iudicatis, & regitis; ne temere sceleratos absoluatis, condemnantes innocentes.

Psal. 2. n. 10.

83. Viderat Ioannes Christum Dominum iudicem viuorum, & mortuorum; & inter alia, quibus ornabatur, sic ait: *Et habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius gladius vtra-*

Apoc. 1. n. 16

que parte acutus exibat, & facies eius ſicut Sol lucet virtute ſua. Apocalypſ.1. num.16. Dixerat Euangeriſta, apparuiſſe Dominum inter candelabra lucentia, habentem oculos tanquam flammam ignis,& pedes velut aurichalcum ardentem in camino. Ad quid hæc?Si dicas, ideo fuiſſe,quia pro tribunali ſedebat vniuerſaliter mundum iudicaturus, & omnium crimina, & pietates diſquirens : acquieſcam. Æquum enim eſt, vt, qui iudicis gerit munus, ſedulo habeat in conſpectu illa,circa quæ prolaturus eſt ſententiam. Sed adhuc inueſtigandum ſupereſt: cur dexteram ſeptem ſtellis, vel annulo fulgentiſſimo habebat ornatam,& ſiniſtræ tantum negauit fulgorem?Poſſem reſpondere cũ Bern.ſerm.51.in Cant.Ideo id factum: quia per dexteram miſericordiam,& regni promiſſionem;per læuam commonitionẽ ſupplicij denotatur; & in Deo quod ſplendidius fulget eſt pietas, & miſericordia. Bene. Sed ad rem dicendum exiſtimo : Ideo Chriſtum ſtellas radios mittentes in dextera habere; quia iudicantis agebat perſonam. Dextera ſubſcripturus erat hominum ſententiam : meriro ergo eius dextera fulget ſtellis, vt non tantum ſemel, ſed ſepties conſideret, quod prolaturus eſt. Non quia Chriſtum latere poſſet, quid homines mererentur, ſed vt inſtrueret iudices, ne ſententiam, aut iudicium proferant temere, & prætermiſſo ſufficienti examine. Siue enim condemnandum ſit, ſiue abſoluendum, oportet, ſemel, & ſepties rem accurate diſcutere, ne ob incuriam iudicantis, iuſtitia pereat innocentis.

84. Poſtquam Iehu percuſſerat filios Achab, venit in Samariam, & congregauit omnem populum, & dixit ad eos: Congregate omnes Prophetas Baal, & vocate ad me, nullus ſit, qui non veniat, quia ſacrificium grande præparo Baal. Venerunt ergo omnes ſerui idoli, & repletum eſt templum Baal à ſummo vſque ad ſummum. Cumque iam omnes ingreſſi fuiſſent templum, & ornati veſtibus præſignatis, vt immolarent ſacrificia, iuſſit Iehu cultoribus Baal, vt perquirerent, an inter ipſos eſſet aliquis de ſeruis Domini ? Et cum nullus eſſet, præcepit iterum militibus, & ducibus ſuis, quos elegerat, vt irruerent ſuper cultores Baal, & occiderent eos, & ait ſacer textus

4 Reg. 10. n.25. 4. Regum 10. num. 25. *Factum eſt autem cum completum eſſet holocauſtum, præcepit Iehu militibus, & ducibus ſuis : ingredimini, & percutite eos, nullus euadat. Percuſſeruntque eos in ore gladij.* Abulenſis ad hæc verba, quæſt. 33. inquirit: an peccauerit Iehu, cultores Baal inuitans ad illicita ſacrificia ? Huic quæſito negatiue reſpondet.Quia quamuis prima luce videatur, eos ad rem illicitam prouocaſſe, hoc fecit inſidioſe (vt ibidem teſtatur ſacer textus num.19.) vt diſperderet cultores Baal, quod Deus approbauit. Ignorabat enim Iehu, quinam eſſent illius idoli cultores, quos vt planè cognoſceret, congregari iuſſit, vt non temere,& abſque plena probatione criminis eos puniret, & ideo non peccauit Iehu. Audi To-

Abulenſ. ſtatum. *Quia Iehu voluit, habere pleniſſimum teſtimonium contra cultores Baal ad occidendos eos..... Ideo voluit Iehu, videre prius, an omnes colerent Baal, & poſtquam vidit hoc, dum fieret holocauſtum, habuit plenam probationem, & tunc iuſſit illos occidi.* Temere enim ſe gereret Iehu, ſi exacto examine prætermiſſo, & abſque aperto teſtimonio occideret ſeruos Baal. Sic namque haud difficulter poſſet, veri Dei cultores e medio tollere, cùm permixtim eſſent cum ſeruis Baal in Samaria. Prudentiſſimè ergo ſe geſſit Iehu illos in templum Baal congregans, vt victimas immolarent, ne cultores Dei veri interimeret, & falſæ Deitatis abſolueret.Nam qui iudicium profert exactiſſimo examine prætermiſſo, proculdubio in magno periculo verſatur abſoluendi ſontes, omnis culpæ expertes damnandi.

85. Nec ſolum qui iudicantis agit perſonam prudenti, & exacto examine præmiſſo tenetur ferre iudicium, ſed ita criminis plenum habere teſtimonium, vt reum de illo poſſit redarguere. Matth.22. num.12. Rex ille alloquebatur leniter hominem illum, qui regali menſæ indecenter diſcubuerat: *Amice, quomodo hùc intraſti, non habens veſtem nuptialem ?* Miror regis patientiam, & lenitatem ! Si homo ille petulanter, & indignè diſcubuit; cur eum Rex amicabiliter tractat dicens : *Amice ?* Forſan, quia illum damnaturus erat, vt ibidem conſtat num.13. *Tunc dixit Rex miniſtris : ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Iniquum enim eſt, & metas rationis egreditur, reum contumeliis affici à iudice, qui eum damnaturus eſt. Sat ſit pœna imponenda : abſit detrectatio, & conuitium. Inſuper amicum vocat, quamuis crimen ſit manifeſtum, vt ſciant iudices non abſque tali ſceleris probatione iudicium ferendum, quæ non ſufficiat reum reuincere. Vtrumque excogitauit Caietanus. Ibidem : *Nota*, inquit, *prudens Lector, duo. Primum, quod non contumelioſe increpat : non dicit indigne, præſumptuoſe, imprudens, ſed amice : non quomodo auſus es, ſed quomodo hùc intraſti ? proponendo interrogatiue factum ſimplex, vt ipſe ſeipſum damnet. Ad erudiendum nos, vt etiam in notorio facto non iudicemus inauditum, & examinemus abſque contumelia, abſque conuitio, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.* Non ignorabat Rex ille hominis petulantiam, & ſcelus; & tamen interrogat, quomodo hùc intraſti ? Vt ipſe ſeipſum damnet tanti criminis conuictus. Nec eum abſoluit Rex, ſed tenebris exterioribus addixit ligatis manibus, & pedibus, hoc eſt, poſt criminis plenum teſtimonium, & apertam ſceleris probationem tanto deſtinauit ſupplicio; in hoc erudiens Principes, & Prælatos, ne temere proferant ſententiam.

Matth.22. n.12.

Ibid. n.13.

Caiet.

86. In ſapphyro quinta gemma Rationalis nomen *Dam* quinti filij Iacob erat ſculptum. *Dam*, iudicium, vel iudicans interpretatur. Recte in ſapphyro, qui cœleſtem colorem refert, nomen iudicis inciditur : nam ſicut cœlo ſereno omnia clareſcunt; ſic iudicantis animus clarere debet, & iudicandorum cauſam patefacere, vt exactiſſimo examine præmiſſo inſonti dimittat, & reum condemnet. Iudices namque qui abſque pleno teſtimonio criminis,vel damnant,vel abſoluunt inique iudicant,

cant, & in sapphyro, qui cœlum repræsentat, non merentur scribi.

ILLATIO CLV.

Munerum acceptio ab strenuo iudice quanto studio fugienda sit.

87. EXecrabile malum, frequentissimeque in scriptura sacra reprehensum, iudices muneribus corrumpi, & propter dona deflectere stateram iustitiæ. Sic Isai. cap. 5. n. 23. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Et Prouerb. 17. num. 15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum abominabilis est vterque apud Deum.* Et Deuteronomij 19. num. 19. *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & peruertunt causas iustorum.* Sæpè enim iudices cupiditatis causa, aut differunt, aut peruertunt iudicium, nec partium terminantur negotia, quousque marsupia eorum, qui causantur, exhauriant. Cauenda ergo est iudici, velut pestis, munerum acceptio, ne iura peruertant, & iustitiam violent.

Isaï. 5 n. 23.

Prouerb. 17. n. 15.

Deuter. 16. n. 19.

88. Genesis 38. num. 27. Sic de Phare, & Zaram sacra narrat historia. *Instante autem partu apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: iste egredietur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter.* Absque dubio Zaram fuit, qui prior brachium extendit, in cuius manu obstetrix vittam ligauit coccineam: & tamen Phares primogeniti iura, & honores est adeptus: vt aperte constat ibidem, num. 30. & Matth. 1. num. 3. Sed cur Zaram, cùm prior manum protulerit, & in ea obstetrix coccineum ligauerit, velut primogenitum declarans, orbatur tanto iure, & Phares gaudet excellentia primogeniti? Duplex ratio se offert non contemnenda. Prior est: quia Zaram destitit ab incœpta natiuitate vitta coccinea contentus: qui enim ab incœptis in domo Dei retrocedit, Iacobi hæreditate indignus existit, & ineptus est, vt aliis imperet. Posterior ratio est: quia cum Zaram cum fratre Phare iniret certamen adhuc in vtero inclusus pro paterna hæreditate, cui gloriosum imperium erat annexum, & in manu, quam in victoriæ signum protulit, vt vexillum, ligari permisit coccinum; meritò primogenituram amisit. Nondum natus Zaram manum protulit, seu vt in Hebræo habetur: *Manum dedit coccino:* in quo manifestè apparebat, quam propensus esset ad munera. Ergo ineptus est imperio, qui ab vtero matris tantam recipiendi habet propensionem. Iure ergo paternam amisit hæreditatem, & primatum in paterna domo. Vix enim Zaram vittam coccineam ligatam sensit in manu, cùm eam retraxit: ostendens ab exiguo munere potius quam à fratre contendente deuictum. Igitur infans, qui ab vtero recipiendi munera dedit specimen, meritò excluditur ab hæreditate, cui Regis imperium erat annexum.

Gen. 38. n. 27.

Hebræus.

89. Turpe est, Præsulem non abstinere à muneribus. Sol viuentium est Pater; nam herbas, arbores, & bruta producit, lucem, & ardorem terræ impendens: si tamen suis radiis frigidam, & madefactam terram calefacit, ab ea vapores eleuat, qui in nubes condensati velut ingrati proprio authori, obtenebrant Solem. Sed cur Sol lucis, & radiorum pater à nubibus patitur caliginem? Quia cùm Sol diei Præsul à Deo fuerit constitutus, iuxta illud Genes. 1. num. 16. *Luminare maius, vt præesset diei,* & lucido, & radiante diei imperio gaudens à terra velut accepit vapores, ipsi tenebras Soli effundunt, & pulchritudo illa Solis vmbrarum funere sepelitur ex tenuissimi vaporis receptione. Non aliter Præsules, Rectores, & Iudices: nam vix à subditis munus accipiunt, cùm tenebras effundunt præfecturæ, & dominandi excellentiam maximo afficiunt dedecore.

Gen. 1. n. 16.

90. Quam cordate, & attente hoc præcauebat Elisæus cùm à Naaman Syro molla salsa exoraretur pro lepræ sanitate. Insatiabili, & molesta lepra laborabat Naaman, nec apud Syrios infestantis morbi inueniebat remedium. Quærit Elisæum virum omni virtute probatum, limina eius salutat, sed à viro Dei non inuisitur, sed per puerum suum, lauari septies inter Iordanis vndas instruitur, si à molestissimo morbo sanari cupit. 4. Regum, num. 9. *Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium Elisæi: misitque ad eum Elisæus nuncium dicens: vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua.* Non satis vrbanè videtur se gessisse Elisæus cum Naaman. Principi enim deberet obuiam processisse. Hoc dictabat vrbanitas: nam per nuncium seruum alloqui Principem, cùm dominus parum distat, inurbanitas, & rusticitas videbatur, quæ Naaman ad iram concitauit, vt patet ibid. n. 11. Quare ergo Elisæus vir alias Sanctus & Propheta inurbane se gessit cum Naaman? Comitas virtus est vndequaque laudabilis: cur de ea non curat Elisæus, Naaman honorifice tractans, eum salutãs, & alloquens, sed per seruum respondit? Quia hic Princeps magna munera, vt Elisæo conferret, præparauerat. Audi sacrum textum ibid. n. 5. *Qui cùm profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum.* Ideo ergo Propheta obuiam non exiuit Naaman, nec eum salutauit, ne crederetur, honorifice eum tractasse propter munera, quæ offerebat. Patronum habet hæc cogitatio S. Nilum in lib. Ascetico, sic dicentem, *Venit quondam ad Elisæum dux Naaman Syrus, multaque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obuiam? Statimne illi occurrit? An per puerum causam propter quam venerat aperuit; ne ad præsentiam quidem suam illum admittens, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse, videretur.* Ita vel leuem suspicionem exterminare cupiebat Elisæus, & in omnium cordibus figere suam integritatem, & auersionem à muneribus, vt nec ad limina domus suæ non exiuit, in quibus erat Naaman; ne vel visu solum munera accipere videretur. Integerrimus namque iudex non solum manus à muneribus, sed & visum abstinere studeat: Sic enim apud omnes indubitata erit eius integritas.

4. Reg. 5 n. 9.

Ibid. n. 5.

S. Nilus.

91. Prosequamur huius Principis Syriæ historiam, ex qua leue huius doctrinæ deduce-

mus argumentum. Septies Naaman in Iordanis fluentis tinxerat lepram, & de aqua penitus emerserat mundus. Quid inde? Reuersus ad Eliſæum ſummis precibus poſtulabat, vt munera, quæ ex Syria tulerat, & grato offerebat corde, dignaretur accipere: cui Eliſæus
4. Regum 5. n. 16. reſpondit. 4. Regum 5. num. 16. *Viuit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitùs non acquieuit.* Sed cur Eliſæus ita extranee ſe geſſit cum Naaman? Si hoc eſſet ante miraculum non mirarer, ne propter munera videretur patratum: at poſt lepræ munditiem, & ſanationem, nullum exinde eueniret incommodum. Eia, Prophetа, accipe ſi non totum, aliquid, ne gratum offerentis animum rubore ſuffundas. Viuit dominus, ante quem ſto, quia non accipiam; ait Eliſæus. Non quia peccaret ſi munera illa reciperet, (vt notat Abulenſis, ibidem, quæſt. 16. & multis confirmat rationibus,) ſed quia quamuis multa liceant, non expediunt. Nam ſi Eliſæus adhuc poſt patratum miraculum, vel paruum munus reciperet, poſſet ſuſpicari, ſanaſſe ſpe futuræ retributionis. Vt ergo omnino tollatur ſuſpicio, ſemper à muneribus manus ſubtrahat, qui cor in muneribus non habet. Qui enim Prophetarum clauem habebat, indignum putauit, vel gratificationis ergo aliquid recipere etiam poſt miraculum. Hanc rationem adduxit
Abulenſ. Toſtatus quæſt. 17. his verbis: *Quia Eliſæus erat Princeps omnium Prophetarum, & pertinebat ad modeſtiam ſuam abſtinere ab iſto munere, vt aliis auferret occaſionem quærendi munera.* Princeps, qui poſt beneficium impenſum; aut iudex, qui poſt iudicium prolatum munera recipit, ſubit ſuſpicionem de largitione beneficij, & de prolatione ſententiæ: nam munerum ſpe, & gratitudinis hypocriſi animi cupiditatem regere conatur. Meritò ergo Eliſæus abſtinuit à muneribus Principis Naaman etiam poſt tantum miraculum; ne adhuc titulo gratitudinis munera videretur accipere, qui omnium Prophetarum erat integerrimus Princeps: vt exinde diſcant Principes, & Prælati nullo colore ad munera manus extendere.

92. Nec tantum Princeps, vel iudex ſummo ſtudio à muneribus manus teneatur ſubſtrahere, ſed tanta integritate pollere, vt de illo nec minima ſuſpicio ſuboriri poſſit, aut leue dubium excitari; an muneribus ſit corruptus? Graui, & moleſto morbo laborabat Benadab Rex Syrorum; cumque Eliſæus ingrederetur Damaſcum miſit ad eum Rex Hazaëlem nuncium, vt conſuleret Eliſæum, an liber euaderet ab infirmitate ſua, ſimulque ei offerret magna munera, vt refertur.
4. Reg. 8. n. 9. 4. Regum 8. num. 9. *Iuit igitur Hazaël in occurſum eius, habens ſecum munera, & omnia bona Damaſci, onera quadraginta camelorum.* Iterum muneribus tentatur Eliſæus, vt eius integritas magis eluceſcat. Abulenſis quæſt. 18. inquirit: an Eliſæus hæc munera receperit? Sed egregius Doctor reſpondere non dubitat, munera repulliſſe. Sed vnde Toſtatus hoc intulit, cùm in ſacro textu nec verbum de hoc referatur? Multas rationes adduxit noſter Alphonſus, vt ſuum aſſumptum confirmet. Prima eſt: quia cùm Eliſæus à Naaman Syro (vt numero præcedenti vidimus) nec ante lepræ miraculum, nec poſt illud, nihil receperit, quamuis Naaman veneraturum Deum Iſraël promiſiſſet; multo minus à Benadab idololatra ea recepiſſet. Secunda ratio eſt: quia recipere poſt miraculum munera Naaman etiam titulo gratitudinis decens videbatur; at ea à Benadab recipere, quem non erat ſanaturus, rapina videretur. Ergo à Rege nullum munus recepit. Tertia ratio vrget: quia ſimoniacus videretur Eliſæus: ſi propter miraculum, aut prophetiam munera acciperet. Quarta, & vltima eſt: quia munera à Benadab oblata erant multò pretioſiora donis Naaman. Cùm ergo Eliſæus ab iſtis non ſolum manus, ſed oculos auerterit, vt Præſulis integerrimi illæſam ſeruaret integritatem, potiori iure ab illis manus cohiberet. Quapropter (inquit Toſtatus) ſcriptura non refert, iſta munera repulliſſe, vt certum ſupponens, dubitari non poſſe, virum alias iuſtum à muneribus abſtinuiſſe. Audi Abulenſem. *Ergo etiam repelleret* Abulenſ. *munera Benadab, Scriptura tamen non curauit, facere mentionem de hac repulſione: quia videbatur eſſe quaſi manifeſtum, quod non reciperet ea, cùm noluiſſet recipere munera Naaman.*

In ſapphyro nomen *Dam* erat ſculptum, 93.
ſculptum, quod iudicantis, vel Præſulis ferebat ſpeciem. Sapphyrus namque cœleſtem refert colorem. Meritò ergo in cœleſti colore iudicantis nomen inciditur, vt inſtruantur Iudices, Præſules, & Rectores manus à muneribus retrahere. Sicut enim cœlum, vtpote excellentiori natura præditum, non ſolum peregrinis non concutitur impreſſionibus; verum etiam à corporibus ſublunaribus nihil recipit; ſic iudicantis animus per omnia cœleſtis debet exiſtere, vt nullo metu, nullaque impreſſione concutiatur, nulliſque tandem corrumpatur muneribus. Nam iudex immunis à muneribus totus cœleſtis eſt. Et quemadmodum contra cœlum nulla inſurgit ſuſpicio, an dona recipiat à ſublunaribus; ſic de iudice nullus ſcrupulus, vel incerta opinio, an munera accipiat, debet ſuboriri.

ILLATIO CLVI.

Dei vicinitas omnem pellit timorem, & magnam ingerit fortitudinem.

NIhil timet, qui Deum habet vicinum; formidoloſam, vel contrariam rem negligit, qui Dei, vel minimum accepit attactum. Validum huius veritatis habebis teſtimonium, ſi conſulas cap. 17. Exodi, ibi enim num. 4. refertur, Moyſem ſatis timidum propter afflicti, & ſitibundi populi ſeditionem clamaſſe ad Dominum dicens: *Quid faciam populo huic?* Exod. 17. n. 6
Adhuc paululum, & lapidabunt me. Cui Deus reſpondit, ibidem, num. 6. *En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Oreb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecitque Moyſes coram ſenioribus Iſraël.* Vide iam Moyſem ex formidoloſo tanta animi fortitudine præditum, vt ſeditioſos contemnat. Hîc notare placet,

placet, Deum, cum procul pellebat timorem à ſeruo ſuo Moyſe, non dixiſſe: *Ne timeas Moyſes*; ſed: *Ego ſtabo ibi coram te.* Maiori, & excellentiori animi fortitudine cum Senioribus Iſraël inter ſeditioſos, & fere iam manus lapidibus occupatas habentes, vt eum lapidarent, verſaretur Moyſes Dei promiſſione munitus dicentis, ne timeas rebelles: quare ergo hoc non dixit, ſed ego ero ibi coram te? Nodum
Caiet. ſoluit Caietanus ibidem his verbis: *En ego ſtabo coram te. Demonſtrantis eſt locum, & promittentis propriam præſentiam.* Promittebat Deus ſeruo Moyſi ſuam præſentiam. Ergo ſuperfluum eſſet, ei pronunciare, ne timeas. Nam qui Dei feliciter vicinitate gaudet, procul à timore diſtat.

95. Turbationem Mariæ cœlorum Reginæ vt
Luc. 1. n. 30. Gabriel pelleret, ſic eam alloquitur: *Ne timeas Maria: inueniſti gratiam apud Deum.* Lucæ 1. num. 30. Quod eſt dicere: O Angelorum Domina! Ne timeas, quæ Deum tecum habes per gratiam. Gratia namque diuinæ naturæ eſt felix participatio: & in anima grata, & iuſta eſt Deus per gratiam. Meritò ergo Archangelus Mariæ trepidationem exterminat, gratam apud Deum annuncians, & diuinæ naturæ participem de-
Chryſol. clarans. Dixerat Chryſol. ſerm. 142. *Verum eſt, quia, qui inuenit gratiam, neſcit timere.* Hoc eſt; qui Deum ſecum habet fauore gratiæ, non ſolum non pertimeſcit, ſed ita à timore diſtat, vt timere neſciat.

96. Ita potens eſt diuinus contactus, vt fragilem, & tenuem arundinem ſolidam, & ſtabilem reddat. Matth. 27. num. 29. Iudæi perfidi illudentes, & vulnerantes Chriſtum, barbaro diademate caput eius redimentes, arundinem pro
Matth. 27. n. 29. ſceptro in eius poſuerunt dextera: *Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius.* Marcus c. 15. n. 19.
Marc. 15. n. 19. ait: *Et percutiebant caput eius arundine.* Miratur Ambroſ. in cap. 23. Lucæ, & inquirit: vndenam tanta arundini venerit ſoliditas, vt Chriſti caput continuo valeat percutere? Arundo ita fragilis eſt, vt, primo ictu non frangi, res ſit admirabilis. Quomodo ergo miſeri illi milites caput Chriſti inceſſanter percutiebant arundine? Audi Præſulem Mediolani rem hanc allegori-
Ambroſ. ce explicantem. *Arundo quoque, vel ſecundum Matthæum, comprehenditur manu eius, vt humana fragilitas, iam non ſicut arundo moueatur à vento, ſed operibus Chriſti corroborata firmetur: vel ſecundum Marcum, caput eius percutit, vt ſolidata diuinitatis attactu, noſtra conditio mutare non poſſit.* Duplicem ex verbis Ambroſij ſenſum decerpam, vtrumque ad noſtrum inſtitutum. Siue enim vt vox, *arundo*, ſonat, de ipſa id intelligas; dicam, ideo fragilem arundinem ita ſolidatam, quia dexteræ Domini habuit attactum: nam diuina propinquitas, vel leuem arundinem reddet firmiſſimam. Si tamen per arundinem humanam noſtram naturam intelligas, ex infirma ſtabilem, ex fragili tutam reddit diuinus attactus, vt iam mutari non poſſit.

97. Iratus eſt Dominus in populum, qui gloriam Dei mutauit in ſimilitudinem vituli co-
Exod. 32. n. 9. & 10. medentis fœnum, Moyſem alloquitur: *Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Exod. 32. num. 9. & 10. Omnipotens Deus à famulo ſuo Moyſe poſtulat, vt in rebellem populum iraſci permittat. Vbi eſt, bone Deus, tua omnipotentia, tua maieſtas, tuum imperium? A ſeruo Dominus, à creatura Creator permiſſum poſtulat, vt populum puniat? Quid aliud ſeruus poſtularet à Domino? His verbis ita expauit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. .....
Tertullian. vt auſus ſit dicere: *Satis & tunc puſillus Deus in ipſa etiam ferocia ſua, cùm ob vituli conſecrationem efferatus in populum de famulo ſuo poſtulat Moyſe, ſine me, & indignatus ira diſperdam illos.* Multum audes Aphricane! Puſilluſne eſt Deus, qui exercituum Dominus, gaudet cognominari? Ita: reſpondet Tertullianus. Non ſolum puſillus eſt Deus, quia iraſcitur; ſed puſillus eſt cum Moyſe. Sed vnde Moyſi tanta fortitudo, vt ſi Deus cum eo comparetur, videatur puſillus? Quia feliciter Moyſes Dei fruebatur conſortio, iuxta illud Exod. 3. num. 12. *Ego ero tecum:* Exod 3. n. 12.
& vt conſtat Exod. 32. diu cum Domino fuerat in monte; & cum Domino habebat conſortium. Quid ergo mirum, ſi à famulo dominus, à creatura creator, ab homine Deus poſtulet facultatem ad plectendum populum; & puſillus dicatur in ipſa ferocia ſua? Quia ex Dei conſortio ita homo redditur fortis, & ſtrenuus, vt vel ipſe Deus appareat puſillus: non quia diuinas vires excedat homo, ſed vt diuinæ proximitatis declaretur efficacitas.

98. Vix ad ripas Iordanis peruenere Sacerdotes Arcam Domini ferentes, cùm diuiſus eſt fluuius, & aquæ ſuperiores velut obſtupefactæ ſteterunt, deſcendentibus inferioribus in mare mortuum. Ioſuë 3. n. 15 & 16. *Steterũt aquæ,* &c. Ioſuë 3. n. 15
Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt. Nihil horum legimus, cùm Arcæ Dominus Chriſtus Ieſus, vt baptizaretur à Ioanne eiuſdem Iordanis conſecrauit fluenta Matth. 3. à n. 14. Nam vt ibi refertur, Chriſtus in aqua tinctus, & baptizatus, teſtimonioque cælitus delapſo à Patre Luminum declaratus filius, &c. aquæ tamen Iordanis nec ſtupuerunt, nec ſolidatæ ſunt, ſed certatim contendebant ſacra oſculari veſtigia. Admiratur Chryſol. & inquirit. *Quid eſt, quod* Chryſol.
Iordanis, qui fugit ad præſentiam Arcæ legalis, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit? Sic dubitat ſerm. 5. de Epiphan. In Iordane quondam Sacerdotes Arcam ferentes vix tetigere fluenta, cùm partim obſtupefactus Iordanis; partim ſe in fugam conuertens veneratus eſt Arcam: at cum indiuidua, & ineffabilis Trinitas eum ſua honoraret præſentia, nec fugit, nec ſtupuit. Si ibi ob præſentiam Arcæ timuerunt fluenta; quia in ea ſibi Deus ſedem parauerat: potiori iure hîc vbi non Deitatis vmbra, ſed ipſa Deitas, & Perſonarum Trinitas exſtitit, obſtupere debuerant. Quare ergo nunc Iordanis non refugit, nec ſtetit, ſicut tunc ſtetit, & fugit? Reſpondeat Chryſol. loco nuper dato. *Quid eſt? Quia pietate obſequitur, incipit non timere.* Quod eſt dicere: habuerat Iordanis legalem illam Arcam, eamque colens tanquam vmbram Dei ſicca arena Hebræorum populo præbuerat iter. Ex eo enim quod diuinæ præſentiæ, vel in vmbra tantum potitus eſt protectione, ita timorem excuſſit, vt deinceps iam vel ipſum Deum non ex-

paueat,eiusdem Dei munimine protectus.Nam si Deus ob suam sine fine magnitudinem,vel in vmbra solum tanto Iordanem affecit timore,vt sisteret stupidus, & fugeret timidus ; ipse Deus Ita à fluentis timorem excussit, & tantam eis fortitudinem (vt ita dicam) ingessit, vt cum rursus non in vmbra, sed vere ea honoraret præsentia, ignorarent pauorem. Sic namque Dei summi proximitas fortitudinem præbet, vt qui ea potitur, vel ipsum Deum timere nesciat, & contra Deum (liceat sic loqui)eodem Deo armatus prævalere possit.Nam si Deus quà aggreditur timorem incutit,quâ præsens pauorem expellit.

99. Sapphyrus,qui coloris cœlestis pulchritudine radiat, cor mirabiliter confortat. Non ob aliam causam (omitto huius gemmæ innatam virtutem à natura inditam, qua mirificè cor lætitia perfundit,) nisi quia cœlesti fulget colore.Qui enim in cœlo cor suum reponit, non modica perfruitur hilaritate. Insuper: Sapphyrus Dei est tapetum,vt constat Exod.24. n.10. *Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini.* Meritò ergo sapphyrus confortandi cor gaudet virtute, cum diuini pedis plantæ deseruiat, eiusque perfruatur attactu.Sic namque Dei vicinitas pellit timorem,& animos ad ardua erigit,vt qui ea fruitur, nesciat formidinem.

Illatio CLVII.

Non parua, sed magna; illustria, non obscura insectatur liuor.

100. INepte peccat inuidus; desperate sua iacula mittit; perperam clara turbare contendit;& tamen oculorum fascinatione laborans magna, & illustria insectari non dubitat. O miserum crimen, quod semper cum magnis certamen iniens victum, non victor, manebit postratum! Mirifico exemplo explicuit Plutarch.in Moral. hoc felicitatis,& inuidiæ continuum certamen: Plutarch. *Vbi nullum lumen,* inquit,*ibi nulla vmbra;ita vbi nulla felicitas, ibi nulla inuidia.* Et S. Maximus serm.54.in 5. tom.Bibl.vet.Patr.non aliter huius rei præbuit paradigma. S.Maximus *Quemadmodum iter facientes per Solem necessario comitatur vmbra: sic quoque incedentibus per gloriam comes est inuidia.* Et iterum ibid.*In Sole ambulantes necessario sequitur: in honore, & dignitate viuentes inuidia comitatur,* Absit dignitas, vel honor,& adsit abiectio, & peribit inuidia: è contra verò; esto excellens,& clarus,& hostes obarmabit liuor malignus.

101. Vtriusque thematis veritatem haud difficile erit sacro Oraculo confirmare. Illud constat ex illo Luc.c.9.n.46.*Intrauit cogitatio in eos* (id est Discipulos) *quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum,& statuit illum secus se, & ait illis qui minor est inter vos omnes, hic maior est* O mirum stratagema! Discipuli sunt de primatu,& maioritate solliciti, & ambitiosè disquirunt, quisnam inter eos excellentior fuerit: at Dominus elationis telum humilitatis retundit clypeo, dicens: *Qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* Sed cur Dominus eorum non respondit desiderio excellentiorem assignans, sed ad minaritatem recurrit? D.Cyprianus de zelo,& liuore sic soluit nodum. *Et idcirco, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis Zelo fratris in laqueum mortis incurreret; cùm eum Discipuli interrogarent, quis inter illos maior esset? Qui fuerit, inquit,minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam, & materiam mordacis inuidiæ eruit, abscidit.* Cyprian. Sed adhuc vrget difficultas. Vidisti secundum mentem Cypriani, Christi responsum omnem viam inuidiæ Discipulis occlusisse, cum illi in mente reuoluerent:quisnam inter illos maiori gloria splenderet. Respondit Christus: qui ita suum animum abiecisset, vt se minimum inter fratres iudicaret. At, quî intelligi potest, humilitatis gladio inuidiam amputasse, vt docuit Cyprianus? Quia inuidia semper alta petit, despicit humilia. Voluit ergo Dominus, cum discipuli sunt soliciti de maiori eorum,amputare omnem æmulationem, & omnem causam inuidiæ,dicens maiorem esse,qui minimus est inter ipsos;vt audito nomine minimi,maximum non persequatur inuidia. Liuor namque minimorum oblitus sublimia quærit: protegatur ergo maximus nomine minimi,vt à liuore sit liber. Sint ergo Christi asseclæ,quia humiles, minimi;vt sic liuori præcludatur aditus. Meritò ergo Cyprianus, inuidiæ meritum infert ex abiectione,siquidem non pauca,sed magna, non abiecta, sed illustria fascinat inuidia.

102. Alterum nostræ illationis assumptum non erit operosum confirmare.Præ cæteris filiis tenero amore Iacob prosequebatur Iosephum, quem etiam beneficiis cumulauit præ cæteris. Quid inde? *Videntes autẽ fratres eius,quod à patre plus cunctis filiis amaretur,oderant eũ,nec poterant ei,quidquam pacifice loqui.* Gen.37. n.4 Gen.37.num.1. A paterno amore horum fratrum odium sumpsit exordium.Sed cur filij Iacob hostili odio prosequuntur fratrem?Respondet Tostat.ad hunc locum: *Ista maior dilectio patris præbuit filiis occasionem inuidendi: quia inuidia à magno bono conspecto, & existimato nascitur.* Sed miror horum fratrum inscitiam!Nam Iacobi erga Iosephum dilectio erga alios non impediebat amorem. Si ergo pater etiam alios diligebat filios: cur filij Iosephi macerantur amore? *Quia inuidia à magno bono conspecto,& existimato nascitur.* Abulens. Præferri aspiciebant fratrem tunica variegata,& polymita ornatum,& in domo paterna manentem non arte pastoritia occupatum, sed fruentem parentis delitiis; quæ omnia eximij amoris præbebant testimonium. Ideo (licet immeritò) inuidiæ veneno tumidi fratrem infectantur. Ægre enim liuor fert, vel fratris excellentiam.

103. Ad Summum Pontificiæ dignitatis fastigium euectus Aaron Sapphyro ornatur in pectore, qui contra inuidiam (vt in expositione litteræ præmissimus num.80.) mirabilem habet efficaciam, vt liuoris veneno præpararetur antidotus. Fulgebat Aaron Summi Pontificis dignitate, omnium excellentissimus, si vnum Moysem excipias. Hinc lata inuidiæ via patebat, quæ semper obscura omittens insectatur illustria. Ornetur ergo sapphyro,vt liuoris virus valeat compescere.

ILLATIO CLVIII.

Felicem se putat inuidus etiamsi propria infelicitate prospera aliorum impediat.

104. INuidorum statum, & conditionem eleganter nobis proposuit Saluianus lib. 5. de Prouid. dicens: *Cui non prosperitas aliena supplicium est? Qui non bonum alterius malum suum credit? Cui ita sufficit felicitas sua, vt etiam alium velit esse felicem? Nouum, & inæstimabile nunc in plurimis malum est: parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.* Infelicem se putat inuidus quantumuis redundet bonis, si alium videat felicem. Hinc est, (ô miseram, detestabilem, & mortiferam conditionem!) quod inuidus propria infelicitate aliorum felicitates tentat impedire, feliciorem se putans aliorum miseriis, quàm prosperitate propria.

Saluianus.

105. Æternis flammis ardebat auarus, & iam non diuitiis, sed igne compeditus oculos leuauit in cœlum, & Lazarum, quem despexerat, vidit in Abrahæ sinu quiescentem, & tunc misera voce clamans ait: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16. num. 24. Vt mittat Lazarum petit. O infelix damnati inscitia! Erras, miser, & nescis, quid petas. Melius tibi esset, si ad Abrahæ sinum mitteretis, in eoque simul cum Lazaro requiem felicem assumeres. Quare ergo Lazarum ad te venire desideras! Lazarus in Abrahæ sinu requiescit; tu miser, flammis ardentibus compeditus æternis cruciatibus volutaris. Pete ergo, vt pius pater te in sinu suo recipiat: cur Lazarum vocas ad barathrum, & non petis Abrahæ sinum? Pulchre Chrysologus aureus semper, nunc gemmeus malitiam diuitis aperuit sermone 122. *Quod agit dies non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui: & zelo magis incenditur, quàm gehenna. Est graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna: qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* Dies ille adhuc in Lazarum crudelis, & sæuus, cum de gremio ad infernum, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum de sancta quiete, de tanto silentio Beatorum, ad stridorem vult traducere. Quanto felicius sedem ipse permutasset si de inferno ad gremium, de profundissimo chaos ad solium sublime, de stridore pœnarum ad sanctam quietem, & Beatorum silentium aduolasset! At noluit auarus, ne simul cum Lazaro, cui inuidebat, tanta felicitate gauderet. Magis vrebatur zelo, quàm gehenna: ideoque propriæ cessit felicitati, ne cui inuidebat, felicem aspiceret. Ea enim est inuidentis animi conditio, vt vel propria infelicitate, ei, cui inuidet, calamitates acquirere desideret. Maluit ergo auarus flammis æstuare æternis, modò eisdem crucietur inuisus Lazarus, quam cum eo summa perfrui felicitate.

Luc. 16. n. 24

Chrysol.

Spiritu maligno (vt sentit Chrysostomus infra citandus) vel melancholico, (vt explicat Caietanus) laborabat Saül: Dauid autem tollebat citharam, & pulsabat, & refocillabatur Rex, & leuius habebat, recedebatque ab eo spiritus malus. 1. Regum 16. num. 23. sed qualem Dauidi dedit retributionem? Audi sacrum Oraculum. 1. Regum 18. num. 10. *Dauid autem psallebat manu sua sicut per singulos dies. Tenebatque Saül lanceam, & misit eam, putans, quod configere posset Dauid cum pariete.* Non miror, Saülem ingrato animo Dauidis obsequium compensare: nam id frequenter Reges, tametsi à purpura alienum, faciunt. Quod pressius expendendum puto, est, Saülis delirium. Dauidem è medio tollere conatur, à quo non solum leuamen ab spiritu nequam, sed vitam dulci, & armonico accipiebat medicamine. Considera, ô Rex, quod lancea, quam mittis ad configendum Dauidem, in te repercussa reciproco impetu sæuiet: siquidem à Dauidis anhelitu, & suaui concentu salus, & vita tua prorsus dependet. Quare ergo conaris configere, quo ad vitam, prospicis, indigere? Aut cur in te stultissime sæuis cum erga te seruum benevolum interficere intentas? Chrysost. homil. 34. in c. 11. epist. 2. ad Corinth. exhibet solutionem, his verbis: *Saül malum dæmonem contra suam animam accersiuit, & vocato Medico iterum inuidit. Talem enim faciebat inuidia, quod seruatus etiam perire maluit, quam seruatorem glorioſum videre. Quid hac affectione molestius fieret? Non errabit, qui illam germen diaboli dixerit.* Inuidiæ stimulis agitabatur Saül, eo quod fœminæ Israël magnis encomiis Dauidis celebrauere victoriam canentem tympanis lætitiæ: percussit Saül mille, & Dauid decem millia, vt refertur. 1. Regum 18. num. 7. Ideo ergo in semale affectus Rex seruatorem Dauidem conatur occidere, ne videat glorioſum, cui inuidebat. Maluit ergo Saül à maligno torqueri spiritu, quam Dauidem viuum conspicere, cuius tabescebat liuore. Inuidus namque perire sustinet, dum inuisum videat, interire.

106.

1. Reg. 18. n. 10.

Chrysost.

107. Re familiari satis ampla perfruebatur Isaac apud Palestinos, ob quod aduersus eum inuidia obarmauit phalanges. Et quid fecit liuor? *Omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham illo tempore obstruxerunt implentes humo.* Genes. 26. num. 15. Non solum puteorum aquas obturbarunt, sed & ipsos puteos humo replentes obstruxerunt. Non sat est inuidiæ clara obturbare fluenta, exsiccare semper conatur: sic Palestini fecere, vt greges, & armenta Isaac siti perirent infausta. Sed cur Palestini, qui puteorum Isaac aquis perfruebantur ad vsus, tam insanè eis se priuare desiderant, puteos terra replentes vsque ad putealis ora? Respondet noster Tostatus quæst. 3. in fine ad præfata verba. *Iste est effectus inuidiæ, nocere illi, cui inuidetur, & in hoc valde gaudent inuidi.* Nihil vtilitatis, quinimò multum damni, Palestinis aduenerat ex obstructione puteorum; tamen quia laborabant inuidia, & venenatis oculis respiciebant Isaacum, libenter armentorum suorum sitibundam mortem sustinebant, dummodo Isaaci greges siti miserabili perirent.

Gen. 26. n. 15

Abulens.

108. Translatis in Babyloniam Hebræis, permisit Rex Nabuchodonosor, quod in Iudæa ignobiles habitarent Hebræi Chaldæis permixti, vt agros colerent, super quos præfecit Godoliam ex minima Hebræorum plebe: quod cum moleste tulisset Ismaël, indignum putans, virum regia stirpe decoratum, abiecto viro subiacere, occidit Godoliam, & fugit in Ægyptum. *Factum est autem in mense septimo, venit Ismaël filius Nathaniæ filij Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Iudæos, & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha. Consurgensque omnis populus à paruo vsque ad Magnum, & Principes militum venerunt in Ægyptum timentes Chaldæos.* 4. Regum 25. num. 25 & 26. Non possum à reprehensione, & stultitiæ nota liberare Ismaëlem; siquidem post necem Godoliæ coactus fuit, vt Chaldæorum iram fugeret, transmigrare in Ægyptum. Vtilius illi esset, ni fallor, patrio perfrui solo, quam ad gentem externam, & Hebræi nominis inimicam confugere. Quare ergo Ismaël occidit Godoliam, cùm ex tali occisione nullum emolumentum, quinimo ingentia damna proueniebant? Noster Tostatus q. 24. in hunc locum sic respondet: *Dici potest, quod fecit propter inuidiam: quia Godolias non erat de semine regio: Ismaël autem erat de stirpe regali; ideo indignum habebat, quod ille dominaretur in terra, & ipse esset sicut persona priuata. Ideo voluit eum occidere, quia inuido satis est, quod alteri noceat, etiamsi sibi non prosit: & sic putauit Ismaël, sibi satis esse, quod occideret Godoliam Principē, etiamsi ipsi non dominaretur.* Ita crudeliter inuidia torquet, quem possidet, & ita eum aliena felicitate cruciat, vt vel proprio damno inuidus emat inuisi calamitosam fortunam. Hinc est, quod quamuis non lateret Ismëlem ex Godoliæ occisione non assecuturum principatum, sed potius periculosum exilium; vt dominio priuet Godoliam, quem habebat inuisum, fugam, pericula, & damna sustinuit libenter.

4. Reg. 25. n. 25. & 26.

Abulens.

109. Hanc inuidorum insaniam expendebat Damascenus lib 3. Patellor. c. 110. qua miserrimus Iudæorum populus vitam sui Creatoris insectabatur. *Qua de causa, inquit, Iudæi salutis authorem insectati sunt? Qua de causa inuidiam aduersus eum conceperunt? Nempe ob miracula. Quænam autem erant hæc miracula? Salus eorum, qui ea opus habebant.* O insensati! Si tot à Christo bona percipitis: cur eum vsque ad internecionem insectamini? Eius morte omnes salutem accepimus: vos autem vestra malitia tanto benefactore carebitis. Imò quia vobis tot beneficia liberali imbre impertitur, in vos ipsos male affecti tot bonorum authorem è medio tollitis. Cur ita insanitis? Quia liuoris agitabantur stimulis. Inuidiæ insania vsque adeo mentes obcæcat, vt propria commoda postponat inuisi calamitatibus Putat enim inuidus se felicem, si inuiso damnum inferat; ideoque vel propria iactura haud dubitabit, eum magnis calamitatibus afficere. Ab his defendit sapphyrus sacro Pectorali insertus, & est liuoris antidotus.

Damasc.

ILLATIO CLIX.

Liuidus eo, cui inuidet, semper est minor; tametsi regio fulgeat diademate.

110. Miserum crimen, & vile peccatum committit liuidus. Miserum; quia de alieno bono dolens, tristitiam accipit de gaudio inuisi: vile; quia se minorem probat eo, cui inuidet. Pone tibi ob oculos supremum Regem, si laborat inuidia, minor videtur inuiso. Nam nemo quod habet inuidet, sed quod non habet. Ergo fatetur inuidus, esse excellentiorem inuisum.

111. Huius rei præclaram confirmationem præbuit nobis ille patientiæ exemplar S. Iob. c. 5. n. 2. dicens: *Virum vere stultum interfecit iracundia: & paruulum occidit inuidia.* Non miror, iræ immoderatum affectum stultum hominem interficere: potens enim est ira, vel cordatum virum præcipitem dare: at liuorem puerum interficere, admiratione non vacat. Inuidia namque semper altissima petit: quî ergo ad paruulum visum conuertit ita fascinantem, vt illum è medio tollat. Paruulo nemo vsquam inuidet: quare ergo sacrum Oraculum ait: *Paruulum occidit inuidia?* Guerric. serm. de Purific. in operibus B. Bernardi soluit quæstionem, dum ait: *Paruulum occidit inuidia. In eo enim quod aliquis alicui inuidet minorem se ostendit eo, cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini; sic Esaü Iacob, & Caïn Abel. Hæc inuidia paruulum occidit, quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret.* Non dixit Iob, ob id paruulum veneno inuidiæ occisum, quia liuor infantem occiderit, aut contra lactentem venenosum dentem acuerit: infans enim ab inuidia est immunis, cum nulla præfulgeat excellentia: sed hoc dixit, vt ostenderet, liuidum ita parui pendendum, sicut paruulum, quia sui liuoris vilitate minorem paruulo se prædicat. Nam hoc ipso, quod aliena felicitate angitur, se ostendit, eo, cui inuidet minorem.

Iob. 5. n. 2.

Guerricus.

112. Non Reges, Nec Principes ab isto theoremate excipiuntur, si semel contra ius regium, & purpuream maiestatem in tam vile vitium prolapsi fuerint. Non eos eximit sceptrum, nec seruat corona, vt hoc ipso, quod laborant inuidia, se minores, quibus inuident confiteantur. Adsit ad rem hanc confirmandam facinus illud Saülis purpura indignum, & à maiestate alienum; refertur 1. Regum 19. num 9. & 10. *Et factus est spiritus malus in Saül: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu sua. Nixusque est Saül configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saül.* Si causam desideres, ob quam Saül tam ferocem obarmauit iram in Dauidem fidelem? Respondet Greg. Magn. in c. 5. Iob c. 33. inuidia fuisse concitatum; eo quod Dauidis victoria fuerit celebrata à fœminis Israël dicentibus: *Percussit Saül mille, & Dauid decem millia.* 1. Regum, 18. num. 7. Sed quî fieri potuit, vt Rex non solum Dauidis, sed & totius Israël dominus, seruo humili inuideret? Rex ita se vilem indicat, vt excellentiorem habeat Dauidem?

1. Reg. 19. n. 9. & 10.

1. Reg. 18. n. 7.

Ita

Ita est. Nam si semel Saül inuidiæ morbo laborat; tametsi regio diademate coronetur, induatur purpura, fulgeat maiestate, minorem se putat Dauide. Audi Gregorium ciratum:

Gregor. *Hinc Saül Dauid subditum, lanceam intorquendo, persequitur; quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, vltra se excrescere, expauit. Paruulus itaque est, qui inuidia occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.* Quid clarius?

113. Diuitiis plenus sanctus Isaac feliciter vitam degebat in Palæstina. Quid inde? Inuiderunt ei Palæstini; puteos Abrahami obstruxerunt humo; & in tantum liuor increuit, vt ipse Abimelech illius prouinciæ Rex hoc morbo infectus, & personam sui regni agens di-

Gen.26.n.16 xisset Isaaco: *Recede à nobis, quoniam potentior es nobis valde.* Genesis 26. num. 16. Non possum non huius Regis inscitiam demirari, & quam longe eum polytica ratio subterfugiat, fateri. Nam & ipsi, & regno satis vtile erat, Isaacum magna familia ornatum, gregibus, & armentis affluentem habere subditum. Sic absque dubio potentiorem multo se prædicabat Rex, cum subditum haberet ditissimum, à quo defendi, & suffragari poterat impetentibus hostibus. Ergo inepte Rex ille tantum virum exterminabat, quia erat potentissimus: nam si Isaac ad hostes Abimelech transmigraret, absque dubio vires adderet hostibus, & Palæstinorum eneruaret potentiam. Deinde: Expendo illud: *Recede à nobis, quoniam potentior factus est nobis valde.* Et inquiro: cur Rex, cuius ditioni subiacebat Isaac, eum & se, & regno potentiorem existimat? Si tamen attendamus causam, ob quam mittitur in exilium, facile soluemus dubium. Diues erat nimis, & breui temporis interuallo omnes diuitiis superabat Palæstinos, ita vt ei etiam Rex inuideret. En ergo causa ob quam iudicatur potentior. Perbellè Chrysostomus homilia 52. in cap. 26. Geneseos hoc notauit dicens:

Chrysost. *Neque Rex, qui in tanta potestate erat, inuidiam continere potuit: sed dicit: Abi à nobis, quia potentior nobis factus es tu.... Rex ergo sub cuius potestate tota ciuitas erat, & habens omnes sub manu sua, peregrino, vago, huc, & illuc migranti dicit: Abi à nobis, quia potentior factus es, quam nos sumus.* Ita vilis est liuor, vt si Regem inficiat, eum seruis, & peregrinis constituet abiectiorem. Et quid dicam Regem? Vel supremum Angelum homine abiecto reddit minorem.

114. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Sap.2.n.23. Sapientiæ 2. num. 25. Ergo diabolus, & non quilibet sed supremus homini inuidit. Sed quî fieri potuit, vt Lucifer hominis natura multo præstantior rumperetur inuidia? Si erat homine excellentior; cur ei inuidet? Quia tametsi diabolus incorporeus, immaterialis, & incorruptibilis; homo luteus, materialis, & corruptioni obnoxius: quamuis dæmon in naturæ dotibus multo sublimior homine; eo ipso, quod liuore frangitur, inferiorem homine se monstrauit. Sic respondet noster Tostatus, quæst. 432. in Genesim circa finem, *Cùm enim dæmon esset naturaliter intelligens, & capax beatitudinis, quam non habebat naturaliter, & ex culpa illa priuatus fuit, inuidit homini, qui licet esset minor, tamen quia rationalis, erat capax beatitudinis, quàm certissimè habiturus erat per obedientiam: & quia diabolus hæc videbat, inuidet homini, quia efficiebatur maior eo, in eo, in quo ambo communicare poterant.* Erat absque dubio homo inferior Angelo in natura: tamen quia vidit dæmon, ab homine consequi posse beatitudinem, inuidit, quod eius esset capax, non quod eam possideret. Inuidum namque non solum præsens, sed futura inuisi fœlicitas cruciat. Quia ergo hominem liuidis oculis prospiciebat dæmon, quamuis natura sublimior, & homine excellentior, visum illi fuit, hominem esse præstantiorem. Hæc enim est inuidi infelicitas; hoc liuidi tormentum, minorem se inuiso iudicare. Sapphyro ergo ornatur Sacerdos, vt inuidiæ reprimat vires, non solum liuoris iacula retundens, sed vt inuidentiæ maleuolo affectu.

Abulens.

Illatio CLX.

Liuore infectus, & diaboli germen, & diabolo peior.

DEtestabile malum est inuidia, & velut à diabolo ab ea fugere debemus. Audi Bernardum serm. 54. de modo viuendi. 115.

Bernard. *Homo inuidus membrum est diaboli, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Inuidia cuncta germina virtutum concremat. Inuidia cuncta bona pestifero ardore deuorat. Inuidia tinea est animæ. Inuidia prius nocet sibi, quàm alteri. Inuidia prius suum mordet auctorem. Inuidia sensum hominis comedit; pectus vrit, mentem lacerat, cor hominis quasi quadam pestis pascit.* Et paulò inferius prosequitur. *Nulla virtus est, quæ non habeat contrarium inuidiæ malum. Sola miseria caret inuidia. Quare? Quia nemo inuidet misero.* Quid amplius facit dæmon, qui omnes impugnat virtutes? Omnia genera tormentorum ad hominum parat perniciem. Omnia hæc inuidia. Ergo inuidus diaboli est germen.

Primus inter humanos inuidia infectus fuit miserrimus ille Caïn, quem diabolus è cathedra pestilentiæ docuit liuorem. De eo sic loquitur Tertullianus lib. de carne Christi, c. 17. 116.

Tertull. assignans discrimen inter Mariæ perillustre germen, & Euæ filium. *Crediderat*, inquit, *Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit; hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam. Contrà Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israël interemptorem suum saluum quandoque præstaret.* Mirificè explicuit Septimius discrimen inter Mariam, & Euam; inter Christum, & Caïn. Sed præterire non placet illud, quod de Eua præmisit. *Nam exinde, vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolum fratricidam.* Verbo diabolus venenum propinauit inuidiæ. Inuidiæ namque male affectus dæmõ decepit mulierem.

Quid

Quid inde ? Verbum diaboli ſemen illi fuit, & concepit diabolum fratricidam. Non diabolum naturâ (vt notat Pamelius ibidem) quippe Caïn ab Adamo ducebat originem, ſed dæmonem inuidiâ, qua fratrem è medio ſuſtulit : nam liuor cauſa fuit fratricidij. Sic tenet Damaſcenus loquens de Caïn libro
Damaſcen. tertio Parallelæ, capite 110. *Vidit honorem, quem frater à Deo conſecutus fuerat, atque inuidia inflammatus eſt, eumque cui honor habitus fuerat, interemit.* Cùm ergo Caïn inuidiæ æſtuaret igne ; meritò à Tertulliano ex ſemine diaboli proceſſiſſe aſſeritur: quia liuidus non impropriè vocari poteſt diaboli filius.

117. Nec mirum eſt, inuidum diaboli germen appellari ; cum aliquando, & fere ſemper peior ſit diabolo. Eiecerat Chriſtus dæmonem ex homine viſu, & loquela orbato : nam ſemper dæmon multa infligit mala, nunquam vno damno contentus : E contra Chriſtus nunquam vnicum bonum confert, ſemper innumera bona cumulat. Turbæ tunc in magnam admirationem raptæ ſuſpicabantur ; an Chri-
Matth. 12. n.24. ſtus eſſet filius Dauid ? *Phariſæi autem audientes dixerunt : hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* Matth. 12 num. 24. Notare oportet, quod tametſi dæmon exturbatur ex homine, quem iamdiu miſere poſſidebat, non fuit conqueſtus de Chriſto, nec quidquam contra eum locutus eſt : & Phariſæi cauſam dæmonis agentes conuitia in Chriſtum conferebant. Non miraret, ſi dæmon conquereretur de Chriſto, eo quod ab illo homine eiiceretur ; veluti dæmon ille, quem re-
Luc. 8. n.28. fert Lucas dicentem, cap. 8. num. 28. *Quid mihi, & tibi eſt Ieſu Fili Dei Altiſſimi ? Obſecro, ne me torqueas.* Dæmon appellat Chriſtum Filium Dei, quem perfidi Phariſæi dæmoniacum pronunciant. Cur ego dæmon tacet, & ſi loquitur, magnis laudibus effert Chriſtum ; Phariſæi autem verborum contumeliis eum afficiunt ? Quia iſti liuoris veneno infecti peiores ſunt ipſo dæmone. Inuidebant Ieſum. Tacet ergo dæmon, nec quidquam contra Chriſtum proferre audet, ſuperfluum exiſtimans, vbi adeſt inuidus, ipſum loqui. Quia inuidus ad detrahendum aptior eſt dæmone. Ex aureis labiis Chryſoſtomi homilia 41. in cap. 12 Matthæi huius acuminis extraxi gemmam. *Qua*
Chryſoſt. *ex re*, inquit, *dæmone quoque ipſo magis dolebant : quippe dæmon ab homine cito recedens, ac nihil dicens, fugam arripuit : illi vero*, id eſt Phariſæi, *modo interficiendi agitabant conſilia, modo quoniam illud ſibi non proceſſit, calumniis exiſtimationem hominum de eo retundere conabantur. Tale certe malum inuidia eſt, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur.* Quid pulchrius ? Dæmonem malitiæ authorem conſidera : Nihil eo peruerſius poteſt inueniri. At ſi attente animum eleues, inuidum illo inuenies peiorem : ſiquidem cùm tacet dæmon, & nihil in Chriſtum audet proferre ; inuidi Phariſæi eum conuitiis, & contumeliis afficiunt. Nam ſuperfluit dæmon, ſi adeſt liuidi lingua peſtifera. Vide ergo, qualiter inuidus ſit ipſo dæmone peior. Sapphyro ergo, qui inuidiæ eſt pharmacum, ornetur Pontifex, vt à liuore alienus, liuoris tela poſſit infringere.

ILLATIO CLXI.

Inter coniuges vna ſit anima, vna voluntas, vnaque reſpiratio.

118. DEo authore in rerum primordio matrimonij vinculum fuit inſtitutum, quod à Chriſto Domino eleuatum eſt in Sacramentum. Hominem è limo plaſmauerat partium proportione compoſitum, colorum ſimetria pulchrum, diuino anhelitu viuidum, donis cœleſtibus ditatum, & vt breui compendio omnia referam, Dei imagine decorum : & tamen diuinæ ſapientiæ viſum fuit, non eſſe bonum hominem eſſe ſolum ; ob idque ex ipſo conſopito coſtam tollens ſupremus artifex ædificauit in mulierem, quæ primo parenti conſortium præberet, & ſolatium. Quid tunc Deus ? *Quam ob rem re-* Gen. 2. n. 24. *linquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ : & erunt duo in carne vna.* Geneſis 2. num. 24. En coniugalis vinculi fortitudo, & maritalis coniunctionis ſoliditas. Notatu dignum eſt ; quod plaſmato homine de limo terræ, vt lutum vita frueretur ait ſacer textus, quod Deus, *inſpirauit in faciem eius* Ibid. n. 7. *ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Ibidem, num. 7. Cùm tamen quando ex viro coſtam ſuſtulit, vt mulierem ædificaret, non ſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, vt mulier vita fungeretur. Cur ergo ſacer textus in Euæ formatione non dixit, Deum in faciem eius ſpiraſſe vitæ ſpiraculum, ſicut de formatione hominis retulit ? Quia mulier ad conſortium, & ſolatium hominis formabatur. Futura erat vna caro cum homine virtute coniugij. Ergo vnus ſpiritus, vna vita, vnaque reſpiratio vtrique erat communis. Cùm igitur de homine ſacer textus dixiſſet, gaudere vita, & reſpiratione, ſuperfluum eſſet hoc referre de fœmina ei matrimonio coniuncta. Sic cogitabat Tertullianus lib. 2. ad vxorem, capite vltimo ex relatis ver-
Tertullian. bis ; *Et erunt duo in carne vna*, cùm ait : *Vbi caro vna, vnus & ſpiritus.* Dixit etiam idem author libro de anima, capite 36. *Cæterum, & ipſam Dei afflatus animaſſet, ſi non vt carnis, ita & animæ ex Adam tradux fuiſſet in fœmina.* Non quia Phyſice eadem anima Adæ, & Euæ eſſet communis. Abſit. Nam ſua vterque anima conſtituitur ; ſed vt maritalem coniunctionem, & amorem reciprocum inter vtrumque explicaret, hoc dixit Tertullianus. Matrimonij lege coniuge fiunt vna caro. Ergo vna anima, vna vita, vna reſpiratio vtrique communis. Duo ſunt vir, & fœmina : fateor ingenue. Tametſi duo duobuſque ſpiritibus ditati ; vt matrimonij ſeruent iura, non duabus animis, ſed ac ſi vna eſſet, debent eſſe concordes, ita ſe mutuo diligendo, vt amborum amor non ad duos, ſed ad vnum referatur.

119. In paradiſo voluptatis poſuit Deus protoparentem Adamum, præcipiens ei, ne ad lignum ſcientiæ boni, & mali extendat manum,

nec

Gen.2.n.17. nec de fructu eius comedat, dicens: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Genesis 2. num. 17. Chrysostomus homilia 14. in Genes. secutus translationem Septuaginta interpretum, sic legit: *In quocumque die comederitis morte moriemini.* Ex lectione hac non leue dubium insurgit. Nondum erat mulier ad hominis adiutorium, & solatium fabricata; cum Adamo translato in paradisum hoc præceptum intimauit Deus: qui ergo verificari potest, vtrique coniugi vetitam fuisse arborem, pœnamque comminatam? Mulierem nondum extitisse aperte constat: nam post præfata verba ait

Septuag. Chrysost.

Ibid.n.18. sacer textus num.18. *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quomodo ergo sensit Chrysostomus, Deum vtrique illam arborem prohibuisse? Facile loco citato dubium absoluit Chrysostomus his verbis. *Considera cum aliis etiam hic bonitatem Dei, quanto honore etiam mulierem prosequitur, quæ ex illo formanda erat. Nondum ea enim producta, quasi vtrique mandaret, dicebat; ne comederitis ex eo: & quocumque die comederitis, morte moriemini: manifestans iam inde ab initio, quod vnum sunt vir, & mulier: sicut & Paulus inquit, caput mulieris vir.* Quid illustrius? Nondum producta erat fœmina; verum producenda erat in primi hominis sponsam. Ergo cum vito Deus præceptum imposuit, fœminam comprehendebat, Hoc enim est ius maritale, vt vterque coniux vnum sit; ita se mutuo amore diligentes, vt non duo, sed vnum appareant, ac si vnica anima constarent.

120. Sed proh dolor! Vidit mulier lignum aspectu pulcherrimum, gustuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. O misera oculorum facilitas! Quot damna peperisti? Mortales iam sunt, qui vita fruebantur immortali; ærumnis, & laboribus operti, qui deliciis affluebant paradisi! Post crimen commissum, contestataque lite, delicto probato hanc in hominem Deus

Genes. 3. à n.17. tulit sententiam. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reuerteris.* Genesis 3. à num. 17. Mulieri autem, tametsi ærumnis, doloribus, & viri subiectioni mancipauerit, non dixit sicut homini: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quare ergo virum, & non fœminã resolutioni pulueris non addixit, cum fœmina præuaricationis initium fuerit? Merebatur fœmina, resolui in cineres, & in eos fuit conuersa: & tamen pœnam non audiuit, sicut vir. Cur ita? Fallor, si id fœminæ non dicitur, cùm vir tanta pœna mulctatur. Viro, & fœminæ matrimonio coniunctis communis vita, indiuisa voluntas, eademque fuerat respiratio: ita docuit Ambrosius lib.5. Hexamer. cap.7. dicens:

Ambros. *Duos primum Deus fecit Adam, & Euam, hoc est, virum, & vxorem. Et vxorem de viro, hoc est, de costa Adam: & iussit ambos esse in vno spiritu.* Sat ergo fuit virum resolutioni pulueris mancipari, vt eidem fœmina intelligatur mancipata.

Cum Deus dæmoni in sanctum Iobum furenti inuidam, & rabidam permiserit iram, patientis serui reseruauit personam dicens: *Ecce* Iob.1.n.12. *vniuersa quæ habet, in manu tua sunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Iob.1.num.12. Egressusque Satan à facie Domini vnico ictu filiis Iobum orbauit, parietum, & lignorum domus, in qua celebrabant fraternale conuiuium, ruina interfecit, & sepeliuit: camelos, boues, innumerabilemque gregem interemit. Omnia hæc patientissime sustulit sanctus Iob, nomen Domini benedicens. Rursusque Deus, vt dæmonem conuinceret falsitatis impudenter dicentem, Iobum superandum, si in eum extenderet manum, permisit, vt ossa, & carnem eius tangeret, & affligeret, dicens: *Ec-* Iob.2.n.6. *ce in manu tua est: Verumtamen animam illius serua.* Iob 2. num.6. & percussit eum dæmon à planta pedis vsque ad verticem capitis vlcere pessimo. Mirabat iamdiu, dæmonem alias sæuissime in Iobum iracentem, interficientem filios, armenta, greges, & omnia auferentem; erga eius vxorem tantam (si fas est, dicere) pietatem exercuisse, vt nec eius tangeret vestem. Quare ergo dæmon à tanto crudelitatis excidio Iobi reseruauit sponsam: vel eam non interfecit. Certè inuitus id fecit; quia diuino impediebatur præcepto. Nam cum Deus tam amplam, vt Iobum percuteret, dæmoni concessit licentiam, patientissimi serui excluserit animam, dicens ei: *Verumtamen animam illius serua.* Hoc est, vitam eius indemnem, tametsi ærumnis plenam, pauperie afflictam, & abiectione contemptibilem reserua. Cùm ergo Iobi, & vxoris iure matrimonij sit vna vita; & à summo Deo contra Iobi vitam non fuerit concessa permissio; ideo in vitam vxoris non sæuit dæmonis persecutio. Tam efficax est amoris coniugalis ardor honestus, vt ex duobus animis, diuersisque voluntatibus vnam videatur coagmentare. Zapphyro cœlo simili virtus inest, vt amorem honestum conciliet. Hoc si verum esset, recte coniugali amori conueniret. Vere coniugalis amor sapphyrinus, & cœlestis est, si inter coniuges ita versetur mutuò, vt in ipsis vna sit anima, vna voluntas, vna respiratio.

121.

ILLATIO CLXII.

De Beato Paulo, cui correspondebat Sapphyrus, quædam elogia.

122. ANdreas Cæsariensis Commentar. in Apocalyps. cap. 66. de sapphyro sic loquitur: *Quod hic lapis cœlesti corpori assimiletur,* Andr.Cæsar. *quare colorem quoque cæruleum, quem vulgo Lazurum appellant, ex eo fieri, aiunt beatum Paulum significare arbitror; siquidem ad tertium cœlum aliquando raptus, animoque in cœlum iugiter defixus, eò pertrahere studebat, quotquot ipsi parebant.* Eidem Apostolo hanc gemmam accom- Aretas. modant Aretas cap.67. in Apocalypsim, quam ob rem de Beato Paulo pauca dicere non erubesco. Nam de eo, vt Chrysostomus tom. 3. homilia de laudibus Beati Pauli ait: *Quis ad* Chrysost. *explicanda virtutum germina sensus, quis ad explicanda istius merita sermo sufficiet? Quæ autem*

lingua

lingua laudibus eius inuenietur æqualis, cum omnia, quæ sunt in hominibus bona, vna anima possideat, & ea cuncta plene, atque cumulate, quæ non solum hominum sunt, sed quod amplius est Angelorum? Et statim prosequitur. *Vnde igitur oportunius laudum eius sumemus exordium? Vnde, inquam, incipiemus aliunde, nisi ab hoc ipso primum, vt ostendamus, eum bona omnia possidentem? Sine enim Prophetæ potentius aliquid in se ostenderint, magisque mirabile; siue Patriarchæ; siue Iusti; siue Apostoli; siue Martyres? hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum, bonum, quo excellebat, impleuit.*

123. Gen. 4. n. 4. Chrysost. Laudatur Abel, eo quod Deo obtulit sacrificium. Genesis 4. num. 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel.* Sed quanto maius sacrificium obtulit B. Paulus! Audi Chrysost. loco citato. *Abel obtulit sacrificium, & inde laudatur: sed si Pauli hostiam adducamus in medium, quam cœlum à terra superior apparebit.* Et rationem affert: *Abel dolo germani percussus occubuit: atque hinc effectus est clarior: vt ergo innumeras tibi ostendam mortes, tot vtique, quot etiam dies beatus iste in prædicatione vixit.* Semel mortuus Abel glorioſus apparuit: at Paulus non semel, sed innumeras mortes pro Christo passus est, cum quotidie mortem pateretur. Ergo gloriosior fuit quàm Abel.

124. Gen. 6. n. 9. Chrysost. De Noë dicitur Genesis 6. num. 9. *Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis:* Et se liberasse cum liberis suis ab vniuersali diluuio: audi, quæ loco citato scribit Chrysostomus. *Noë in generatione sua, atque perfectus, & solus erat talis cunctis: sed Paulus solus inter omnes talis inuentus. Et ille quidem tantummodo legitur se seruasse cum liberis: hic autem multo sæueriore mundi inundante diluuio non arcam coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo; non duos, vel tres, aut quinque cognatos, sed vniuersum prorsus orbem mergi periclitantem ex mediis fluctibus liberauit.* Ergo Beatus Paulus excellentior fuit, quàm Noë.

125. Gen. 12. n. 1. Chrysost. Genesis 12. num. 1. Abrahamo dixerat Deus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, &c. Audi Chrysostomum quid de Paulo dicat loco citato: *Sed quis Paulo possit æquari, qui non modo patriam, cognatos, ac domum, sed seipsum quoque ac mundum reliquit: imò etiam cœlum, & cœlum cœli, & hæc omnia Christum suscipiendo despexit.* Rursus in Abrahamo celebratur, quod Loth consobrinum à quinque Regibus liberasset. Genes. 14. de Paulo sic scribit Chrysostomus. *Paulus non fratris filium, neque tres, aut quinque vrbes, sed orbem vniuersum de diaboli extorsit manu innumerabilia per singulos dies pericula sustinendo, propriisque mortibus maximam securitatem comparando.* Deinde, quod nunquam satis pro meritis est celebratum in Abrahamo est, quod ad iugulandum filium vnigenitum Isaac leuaret manum. Genesis 22. in hoc etiam excelluit beatus Paulus. *Caput bonorum*, inquit Chrysostomus, *eiusque culmen Philosophiæ est quod filius voluit immolare: hîc quoque inueniemus Paulum primatum tenentem, qui non filium, sed semetipsum, vt dixi, millies immolauit.*

126. Admirabilis fuit Isaac, & virtutum ornatu vndequaque fuit spectabilis, sed præcipue patientiâ, qua sustulit, bona à Palæstinis auferri, ne pacis amabile vinculum dissolueretur. Genesis 26. quam rem expendens Chrysost. loco citato sic ait: *At Paulus non puteos cernens lapidibus obrutos, sed proprium corpus, non solùm sicut ille dicebat, sed etiam à quibus lapidabatur, in cœlum studebat euehere.* Ergo Paulus præstantior fuit quàm Isaac.

127. Chrysost. Longanimitatem, & patientiam admiratur scriptura in Iacob: sed audi Chrysostomum citatum quid dicat de Beato Paulo. *Et quænam illa est adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? Neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ seruitium pro sponsa pertulit Christi, non adustus solum æstu diei, & noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus cæsus, atque collisus, & nunc quidem cum bestiis, modo autem fluctibus pugnans, modo etiam nimiæ, atque continuæ reluctans fami, diebus, ac noctibus, & inter certamina vbique resiliens captas oues ex diaboli faucibus extrahebat.* Merito ergo B. Paulus antefertur Iacobo.

128. Chrysost. Iosephum eiusdem filium etiam excelluit Paulus. Audi Chrysostomum ibidem. *Sed & Ioseph pudicitiæ virtute decoratus est: at ego vereor ne iam ridiculum sit hinc Paulum velle laudare, qui semetipso mundo crucifigens non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia, quæ videntur nobis clara, atque decora, ita cernebat, quemadmodum nos fauillam, cineremque despicimus.*

129. Chrysost. Sanctum Iob etiam excelluit. Sic Chrysostomus vbi supra. *Stupent certe Iob omnes homines, & valde vtique conuenienter. Est enim ille athleta mirabilis: & qui Paulum ipsum velut ex aduerso possit aspicere, ob patientiam puritatemque vitæ, ob testimonium Dei, propter illam cum diabolo pugnam fortissimam; propter victoriam, quæ pugnam secuta est: at Paulus non mensibus tantum, sed in ipsius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, & pugnans aduersus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior: qui non à tribus, aut quatuor amicis, sed à cunctis infidelibus, à falsis fratribus opprobria sustinebat.*

130. Chrysost. Et quid de Moyse dicam? Respondeat idem Chrysostomus ibidem: *Moysem profecto sed hunc etiam Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius quidem sunt multa alia præclara. Sed caput illius sanctæ animæ, atque fastigium est, quoniam pro Iudæorũ salute deleri elegit ex libro vitæ: sed Moyses cum cæteris optauit perire, Paulus præ cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloriâ æternitate decidere. Et ille quidem Pharaoni, hic autem diabolo quotidie repugnabat. Et ille pro vna gente; iste vero pro vniuerso orbe certauit, non sudore, sed sanguine vice sudoris vndique profluente.*

131. Chrysost. Præstat etiam Paulus Iosuam, & Samuëlem. Prosequitur Chrysostomus: *Poteram quidem & Iesum Naue, & Samuëlem, & alios Prophetas in comparationem vocare: sed ne sermonem faciam longiorem, ad ipsa eorum capita condescendam.*

dam. Cum enim iſtis excellentior apparuerit, nulla prorſus de aliis ambiguitas relinquetur.

132. Chryſoſt. Audi quid dicat de Dauide Chryſoſt. ibid. *Quid igitur in Dauid præcipuum reperitur? Proculdubio hoſpitalitas, atque erga Deum feruens amor. Et quis amplius, imo quis ita, vt anima Pauli hæc vtraque compleuit?*

133. Chryſoſt. Elia etiam fuit præſtantior Apoſtolus. Sic Chryſoſt. proſequitur. *Admirandum autem in Elia ego minime reor, quia cælum clauſit; quia induxit famem, quia ignem de cælo ſermone compluit; ſed quia zelauit pro Deo, erat enim in hoc mentis affectu ipſo igne vehementior. Sed ſi Pauli zelum vehementer inſpicias tanto eum inuenies celſiorem, quanto ille Prophetis cæteris eminebat. Quid enim verbis illis reperiatur æquale, qui gloriam Domini zelando dicebat: quoniam optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem?*

134 Chryſoſt. Non aſſerimus B. Paulum fuiſſe excellentiorem Baptiſta: nam inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne: ſed Chryſoſt. ſequentes veſtigia audemus cum illo comparare Apoſtolum. Sic enim ait loco citato: *Ioannes in cibum locuſtas, & mel ſylueſtre ſumebat: at Paulus ita in mundi ſtrepitu, quemadmodum ille in eremi quiete verſatus eſt: non quidem paſtus locuſtis, aut melle ſylueſtri, ſed multo his victu viliore contentus, ac neceſſario quidem indulgens cibo præ feruore, & ſtudio prædicandi. Verum illius aduerſus Herodem apparuit magna conſtantia, at iſte non vnum, aut duos aut tres, ſed innumeros in ſimili poſitos poteſtate corripuit, imo longe illo ſeueriores tyrannos.*

135. 1. ad Corint. 4. n. 17. ad Epheſ. 5. num. 1. Sed quid mirum, quod B. Paulus tot excellentiis præſtet; cum in omnibus Chriſto Domino ſimilis perhibeatur. 1. ad Corint. 4. n. 17. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Ad Epheſios. 5. n. 1. ſic eos exhortabatur: *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* Sed cur Paulus cum Corinthios admonet, vult, vt eum imitentur: cum autem exhortatur Epheſios, Chriſtum deſiderat imitari? An quia hos plus diligeret, quam illos? Nullatenus. Cur ergo variat ſtylum? Non variat: nam idē eſt in Paulo dicere: eſtote imitatores mei, ac dicere, eſtote Dei imitatores. Quia Paulus perfectus Chriſti imitator, ita in ſe ipſo Chriſtum exprimebat imitandum; vt idem eſſet imitari Paulum perfectum imitatorem Chriſti, ac ipſum Chriſtum imitari. Erat enim Paulus velut imago Chriſti: vnde quando exhortatur Epheſios, vt ſint imitatores Chriſti, non oſtendit erga eos ardentiorem amorem, ac quando admonet Corint. vt eum imitentur; quia imitari Paulum, eſt imitari Chriſtum. Et quid mirum eſt hoc? Paulus enim non viuebat in ſe, ſed in Chriſto: ſic ipſe dicebat ad Galatas. 2. num. 20. *Viuo autem, iam non ego: viuit vero in me Chriſtus.* Hæc verba expendens Chryſoſtom. tom. 4. ſerm. 32. in cap. 16. epiſt. ad Roma. ſic ait: *Viuio ego, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. Cor itaque Chriſti erat cor Pauli, tabulaque Spiritus Sancti, atque Charitatis volumen.* Si ergo Chriſti, & Pauli eadem eſt vita, idemque cor: non eſt mirum, ſi dicamus, Paulum maxime aſſimilari Chriſto?

ad Galat. 2. n. 20. Chryſoſt.

136. Chryſoſt. Ob hoc audeo dicere B. Paulum totum eſſe Chriſti. Expendit Chryſoſt. tom. 3. homil. 9. de laudibus Pauli; quare Spiritus ſanctus noſtro Apoſtolo primum Sauli nomen mutauerit? Reſpondet ſic: *Quemadmodum Dominus, qui ſeruum mercatus eſt, oſtendere volens ſe Dominum ſerui nomen illius immutat: ita & Spiritus ſanctus fecit, vbi Paulum captiuum accepit vocabulum eius mutauit, vt etiam diſceret Paulus ſe habere Dominum.* Hoc confirmat ex illo Gen. 2. n. 19. vbi dicitur, quod Deus adduxit omnia animalia terræ, & volatilia cæli vt illis nomina imponeret: *& adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, &c.* Sed cur Adamo committit Deus hanc impoſitionem nominum? Reſpondet idem doctor: *Volens enim Deus docere Adamum, quod eum principem, & Dominum omnium feciſſet, adduxit ad eum omnia animalia, vt videret, quid vocaret ea: Quo monſtrat, quod nominum impoſitio dominium teſtetur.* Gen. 2. n. 19. Chryſoſt.

137. Peccator fuit Paulus, & acerrimus Eccleſiæ perſecutor, paſſim hoc ſuſpiriis, & lachrymis idem fatetur Apoſtolus: ſed licet fuerit peccator, ad tantam ſanctitatem euectus eſt, vt dicat D. Petrus Damianus opuſcul. 35. n. 3. *Fons enim æternæ vitæ, velut immenſus torrens totum ſe ſimul in vas ſuæ electionis immerſit, qui in cæteros Apoſtolos per longa temporum interualla ſapientiæ ſuæ fluenta profudit. Quod ergo Petrum Dominus per multa argumenta adhuc mortalis edocuit, hoc totum repente B. Paulo conſtitutus iam in gloria paternæ maieſtatis exhibuit.* Hinc eſt, quod Chriſtus ita Paulum dilexit, vt quando eius refertur perſecutionis peccatum illud videatur minuere. Actorum 7. n. 58. de Stephano ſic refertur: *& eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Sed cur tanto ſtudio cum ſacer textus refert Stephani triumphum, narrat teſtes depoſuiſſe veſtes ſecus pedes Sauli adoleſcentis? Quare nō dixit, ſecus pedes Sauli, ſed addidit, *adoleſcentis?* D. Ambroſ. lib. de Ioſeph. c. 10. ſic reſpondet. *Ideo adoleſcentior dicebatur à Chriſto, vt qui vocabatur ad gratiam excuſaretur à culpa, quod ea lubrica ætatis fuiſſet ætatis.* Ac ſi diceret: futurus erat Paulus electionis vas ad portandum nomen domini: dicitur ergo adoleſcens, vt culpa, quam committebat, minor eſſet, quia in lubrica ætate patrabatur. Is enim eſt Paulus, vt Chriſtus, quando refertur Pauli peccatum, velit minuere. Petr. Dam. Actor. 7. n. 58. Ambroſ.

138. Retulimus Pauli peccatum; æquum eſt, vt de eius admirabili conuerſione aliqua dicamus: *Nam in hac memoria* (inquit Bernardus ſerm. 1. in conuerſione Sancti Pauli) *& peccator ſpem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet perfectæ conuerſionis accipit formam.* Hæc conuerſio præterea terſit lachrymas Chriſti. Vidit Ioſeph Fratrem Benjamin; & amore fraternali ſaucius cum lachrymas intra cordis clauſtra non poſſet continere, ingreſſus eſt cubiculum, vt fleret. Tunc ſic ait ſacer textus Geneſ. 43. num. 31. *Rurſumque lota facie egreſſus continuit ſe.* Diuus Ambroſius vbi ſupra, per Ioſeph Chriſtum intelligit; per Benjamin Beatum Paulum, & ait: *Cæcitas Pauli fletus eſt Chriſti. Lauit faciem ſuam vbi lumen ei reparatur amiſſum. Lauit faciem ſuam Chriſtus, vbi Baptizatus eſt Paulus,* Bernard. Gen. 43. n. 31. Ambroſ.

per quem à pluribus videretur. Cum Paulus Ecclesiam persequebatur velut ſiens dicebat Christus: *Saule, Saule, quid me persequeris?*

Actor. 9. n 4. Actor. 9. n. 4. at vero quando oculos aperuit, & sacro fonte baptismatis fuit ablutus, lachrymas tersit Christus, faciem suam lauit, vt à Paulo in vniuerso orbe ostenderetur. O mira conuersio, quæ ab oculis Christi lachrymas tersit!

139. Placet charitatem Apostoli expendere, tam erga fratres, quam erga Christum. Audi illam. *Optabam ego ipse anathema esse à*

Ad Rom. 9. num 3. Chrysost. *Christo pro fratribus meis.* Ad Roman. 9. num. 3. Diuus Chrysostomus lib. 4 de sacerdotio hæc verba expendens sic ait. *Certe post tam multa egregia facinora, post innumeras coronas, in gehennam detrudi, & æterno tradi supplicio optauit, vt Iudæos, qui ipsum crebro tum lapidarant, tum etiam quantum in ipsis erat, interfecerant, seruaret, & Christo lucrifaceret. Quis mortalium sic Christum desideraui, si modo desiderium hoc appellandum est, ac non potius aliud quiddam desiderio maius.* Egregium facinus fuit in B. Stephano orare pro inimicis, & persecutoribus: at Beatus Paulus non solum pro eis rogat, sed æternos cruciatus pateretur, vt Israëlitæ conuerterentur ad Christum. Adhuc se explicat Chrysostom. lib. 3. de prouidentia his verbis: *Optabilius mihi erat in gehennam incidere, quam Israëlitas infideles, & incredulos videre. Hoc enim est: optabam anathema esse à Christo.* Hoc ni fallor est maximum quod sic charitatis Pauli, ad quod nullus Sanctorum legitur attigisse.

140. ad Ephese. 3. num. 1. ad Philem. 1. num 1. Chrysost. Ad Ephesios 3. num. 1. & ad Philemonem 1. num. 1. sic se appellat Apostolus: *Ego Paulus vinctus Christi Iesu.* Hæc verba expendens Chrysostomus homil. 16. ad populum Antiochenum sic ait: *Magnifica Pauli appellatio, non principatus, & honoris nomen, sed vincula, & catenæ. Vere magnum, atque splendidum ipsum multa alia faciunt, in cælum rapi tertium, in paradisum deferri, verba audire ineffabilia, sed horum nihil posuit, sed pro omnibus catenam: hæc enim magis quam illa illustrem reddebat, & splendidum.* Tanto erga Christum, & fideles ardebat Paulus, vt pluris faceret, pro eis pati, quam à domino tot beneficia accipere. Non dixit: ego Paulus qui in tertium cælum fuit raptus, & delatus in paradisum: non ego qui audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui: sed ego Paulus vinctus Iesu Christi; quia catena illa quam pro Christo patiebatur, illustriorem illum reddebat.

141. Chrysost. Actor. 9. n. 5. Tandem verbis Chrysostomi sermone 18. in caput 9. epistol. ad Roman. concludo, qui de Beato Paulo sic ait: *Est autem eius tanta pulchritudo, vt & Deus illam deprædicet. Nam astra quidem cum fierent admirabantur Angeli: hunc vero Deus ipse admiratus est dicens: vas electionis iste mihi est.* Ex præfatis satis liquet, meritò sapphyrum Beato Paulo accommodari: quia si hæc gemma cælestem colorem refert, in quo vita cælestis significatur: quis dubitare potest, Beatum Paulum cælestem vitam egisse adhuc in terra conuersantem, vt ipse dicebat ad Philippens. 3. num. 20. *Nostra conuersatio in cælis est.* Quamobrem à Chrysostomo homil. 22. ad populum Antiochenum de pœnitent. & continentia appellatus est; *terrestris Angelus, & cælestis homo.* Vere ergo sapphyro pretiosior Paulus. Deinde sapphyrus (vt ex Abulensi retulimus supra num. 80.) habet in medio stellam fulgentem: sic Paulus Christi Domini fulgoribus micabat, vt ipse testatur 2. ad Corinth. 4. num. 6. *ipse* (id est Christus) *illuxit in cordibus nostris, &c.* De sapphyro etiam narrat, resistere fluxui sanguinis: quam alte hoc præstitit Beatus Paulus pacem, & concordiam amans, & efficaciter persuadens. Valet etiam sapphyrus contra timorem: Quis dubitare potest, beatum Paulum timorem omnem vicisse, cum Euangelium in toto orbe prædicauerit verbis, & scriptis? Veneno aduersatur sapphyrus: Beatus Paulus vt constat Actorum 28. viperæ venenum vicit. Sapphyro confortatio visus tribuitur: Quis sicut Paulus lucem dedit cæcis Euangelium annuncians? Sapphyrus tollit inuidiam, amorem castum diligit, educit de carcere, & victores reddit. Omnia hæc excellentiori modo præstitit Paulus: nam inuidiæ æmulationem Dei opposuit, dicens: *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* 2. ad Corinth. 11. num. 2. & alibi contra inuidiam scribens. Amorem castum dilexit reprehendens fornicationes, & adulteria pluribus in locis, & propriæ carnis stimulos vincens vt testatur 2. ad Corinth. 12. num. 7. Tandem vinctos peccatorum compedibus eduxit è carcere tenebrarum, suæ doctrinæ radiis illuminans, & ad inaccessibilem Dei veri lucem ducens. Ergo cælestis sapphyrus fuit B. Paulus.

2. ad Corint. 4. num. 6.

2. ad Corint. 11. n. 2.

De gemma Iaspide.

142. Oleaster. Montanus. Hieron. Abulens. Sexta Rationalis gemma erat Iaspis. Oleaster pro Iaspide legit adamantem, secutus radicem nominis Hebraici, *Tahalom*, nempe, *Halam*, quod est frangere, aut conterere, satis nota proprietas adamantis, qui inter omnes lapides pretiosos durissimus est, omnes frangens, & conterens. Hanc sententiam teste Rabbi Abraham secutus fuit quidam magnus Rabbinus Hispanus: Eandem tenet Arias Montanus, quia *Iahalom*, à conterendo, & percutiendo nomen habet. D. Hieronym in epistol. 128. ad Fabiolam, Abulensis, & alij, Iaspidem legunt, sicut habetur in sacro textu, in quo scriptum erat nomen *Nepthali*, id est, æquipatatio. Difficile est huius gemmæ assignare colorem; nam eius diuersæ species in varias diuiserunt opinantium sententias. Sic Plinius lib. 37. capite octauo ait de Iaspide, *Viret, & sæpe translucet Iaspis, etiam si victa à multis, antiquitatis tamen gloriam retinens. Plurimæ ferunt eam gentes, smaragdo similem Indi, Cypros duram, glacceo pingui. Perse aeri similem ob id vocatur aeri Zusa. Talis & Caspia est, cærulea circa Termodoontem amnem; in Phrygia purpurea; in Capadocia ex purpura cærulea, atque non refulgens. Optima ergo, quæ purpuræ quidquam habet.*

Plinius.

Secunda

Secunda, quæ rosæ; tertia, quæ smaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur Borea, è cælo autumnali matutino similis; & hæc erit illa, quæ vocatur Æri-zusa, similis est sardæ imitata violas. Hæc ille,

Hieron. quem secutus est D. Hieron. ad illud Isaiæ 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, &c.* vbi ait: *Iaspidis multa sunt genera: alius est smaragdi habens similitudinem; qui reperitur in fontibus Termodoontis fluminis, & vocatur Gramatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, & tinctus quasi floribus: hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundissimis specubus nasci referunt. Alium vero iuxta Iberos, Hyrcanosque, & mare Caspium reperiri, & præcipue iuxta lacum Neusim. Est & alius Iaspis niui, & spumæ maximorum fluctuum similis, & clementer quasi mixto cruore subrutilans.* Hæc Hieronym.

Isidorus. D. Isidorus lib. 16. Ethymolog. cap. 7. sic scribit: *Iaspis nascitur in multis partibus. Nam in India smaragdo similis inuenitur; in Cypro glaucus, & pinguis; in Persia æris instar; in Phrygia purpurea; in Capadocia ex purpura cærulea, atque non fulgens; Tracia Indico similem mittit; Calcidia turbidam.* Anastasius Nizenus q. 38. sic loquitur. *Iaspis autem est smaragdo similis; inuenitur autem in ostio fluuij Termodoontis, & Paramathantij in Cypro: confert autem ad morbum comitialem.* Roë-

lius lib. 1. de lapidibus pretiosis nouem species Iaspidis annumerat: at quæ viridi radiat colore pretiosior apud omnes reputatur.

143. Iaspis igitur, quæ summi sacerdotis ornabat pectus, gemma erat delectabili viriditate perfulgens. Ita explicat Interlinealis ad c. 28. Exod. n. 18. dum ait de lapide. *Obtusi viroris, qui contra phantasmata dicitur opitulari.* Idem

Interlineal. Abulens. Pagninus. Viegas. Ribera. sensit Abulens, ibid. Sanctes Pagnin. in Isagoge lib. 9. cap. 8. Viegas in cap. 4. Apoc. sect. 1. n. 1. & sect. 1. n. 3. Ribera de vestibus sacerdotalibus lib. 3. cap. 9. n. 12. Item Abulens. loco cit. Iaspidem hanc, quæ erat in Rationali Pontificis smaragdi viriditati similis, asserit, esse venulosam, & tot habere virtutes, quot venas in qua nomen Nepthali erat incisum. Ex his constat aperte, annumerandam inter gemmas Iaspidem illam, quæ viriditate conspicua gaudet. Nam licet vulgo lapides multi coloris appellantur Iaspides, hi large sic vocantur, quales sunt, quibus nostra abundat Hispania; Italia. & Oranum ferunt. Huius gemmæ proprietates, si veræ, absque dubio sunt mirabiles. Nam vt refert Gaspar de Morales in suo lapidario lib. 2. cap. 1. & quam plures citat authores: Iaspis fugat febrim, & hydropisim, visum clarificat, noxia phantasmata expellit, luxuriam cohibet, ac conceptionem negat, & maximè viridis cum venis supra dictis, prægnantibus, seu parturientibus auxiliatur, omnem sanguinis fluxum, vndecumque sit, sistere dicitur, & emorroydas curare si in puluerem redigatur.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXIII.

Dei misericordia nec eius præscribit iustitiæ; nec diuina iustitia aufert diuinam misericordiam; sed inseparabiliter comitantur.

FLagitia nostra diuinam excitant iustitiam. 144.
Punit nos Deus ob nostra crimina, & ob suam benignitatem adhuc cum nos punit, misericordiæ recordatur. Id innuebat Isaias c. 30. num. 18. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis quia Deus iudicij Dominus.* Isa. 30. n. 18. Sed quî fieri potest, quod Deus iudicij sit Deus misericordiæ: & quomodo, qui iudex est exaltabitur parcens? Iustitiæ munus aduersari videtur misericordiæ: nam huic competit, indulgere, illi nil impunitũ dimittere. Quare ergo dicitur; quia Deus iudicij Dominus est, exaltabitur parcens? Augustin. D. Aug. serm. 109. de tempore præbet solutionem his verbis. *Nec misericordia eius præscribit iustitiæ, nec iustitia eius aufert misericordiam. Misericors & iustus est.* Admirabili modo Deo vtrumque conuenit attributum misericordis, & iusti. Nam Deus cum punit, iustitiæ admiscet misericordiam. Ecce qualiter Deus iudicij dicitur, cum misericordiæ recordatur. Quasi in Deo iustitia sit, misericordiæ non obliuiscì.

D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 4. ingenioſe, 145.
& peracute expendit, Deum diuerso modo apostatam Angelum interrogasse, ac protoparentem nostrum iam foliis ficus coopertum. Gen. 3. n. 10. Ad istum sic alloquitur. Genes. 3. num. 10. *Adam vbi es?* Ad tenebrosum luciferum his Iob. 1. n. 7. verbis Iob. 1. num. 7. *Vnde venis?* sed cur bone Deus varias stylum? Vterque homo, scilicet, & Angelus apostasiæ defecit crimine: Quare ergo non vbi est Angelus quæris; & hominis, quasi nescires, inquiris mansionem? Aptissime respondet Diuus Gregorius, dum air. Gregor. *Per hoc quod vocat, signum dat, quia ad pœnitentiam reuocat. Per hoc quod inquirit aperte insinuat, quia peccatores iure damnandos ignorat. Satan ergo Dominus non vocat, sed tamen requirit dicens: vnde venis? Quia nimirum Deus apostatam spiritum ad pœnitentiam nequaquam reuocat, sed vias superbiæ eius nescìens damnat.* Vt hominem puniret, ambulabat Deus, sed ad auram post meridiem, velut iracundiæ temperans ardorem: lento pede, non celeri cursu, vt contra hominem ferret iudicium procedebat. Insuper hominem vocauit, vt ad pœnitentiam reuocaret, & bona recuperaret amissa Ob id ergo hominem vocauit, Angelum requisiuit; blanditiis illum, inquisitione istum; quia hominem puniebat, secus Angelum, qui ab exordio fere, æterna pœna plectebatur. Quid ergo rarum hominem ad pœnitentiam vocasse misericorditer, quem diuina mulctabat iustitia? Totum damnum Angeli apostatæ fuit non puniri à Deo, sed inquiri: nam si à Deo puniretur, misericordiæ frueretur largitate; quia in Deo vix separari potest à misericordia iustitia.

146. Nec ab hinc distat diuinæ in hominem sententiæ minister cum occludebat ostium paradisi Genes. 3. num. 24. *Eiecitque Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Versatilem gladium flammas emittens huc, & illuc strenue Cherubim mouebat ante ostium paradisi, vt impossibilis videretur aditus ad vitam delitiis, & quiete plenam. Si quis diuinæ iustitiæ ministrum eminus aspiceret, nonne putaret, diuinam sic in hominem iratam iustitiam, vt nullum diuinæ misericordiæ locum relinqueret? Rupert. Ita sane. Sed audi Rupertum lib. 3 in Genes. cap. 32. in eodem Cherubino, & gladio versatili diuinæ misericordiæ thesaurum agnoscentem. *Et hîc* (inquit) *ira grandis necessariæ nobis misericordiæ societatem non reliquit. Iræ namque iusti Dei est, quod ante paradisum flammeum gladium collocauit, misericordiæ vero, quod eundem gladium versatilem esse voluit. Gladius versatilis sententia est diuini iudicij, qui talis est, vt possit versari, id est, vt non semper eadem districtione hominibus claudat ianuam paradisi.* Quid pulchrius? Mens Ruperti hæc est. In illo Cherubino ante ostium paradisi gladium flammeum tenente iusti Dei ira scintillat: at in eodem gladio versatili diuinæ misericordiæ splendet thesaurus. Nam licet diuina iustitia gladium in hominem euaginauerit, vt ei ianuam occluderet paradisi; diuina misericordia eius inseparabilis comes gladium versatilem fecit, vt aditus patefieret. Gladius enim cum versatur, modo hîc, modo illic habet positionem, nec in eodem permanet loco, sed vndequaque versatur, ad dexteram aliquando, & rursus ad sinistram: quapropter opus est, vt cum dexteram partem defendit, sinistram relinquat indefensam, & cum sinistram occludat, dexteram aperiat. Ergo cum diuina iustitia flammeo ense ianuam occlusit paradisi, diuina misericordia, quæ fecit gladium versatilem eandem ianuam aperiebat. Vide iam; qualiter Deus vix in homines iratsci nesciat, quin suæ misericordiæ recordetur.

147. Insuper non solum diuina iustitia sociam habet misericordiam, dum punit, verum dum rigorosam scribit sententiam, ipso calamo, quo iudicium fert, delet scripturam. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* Ieremiæ 1. num. 1. Gloss. Ord. Hieron. Lyran. S. Thom. Ieremiæ 1. num. 1. Glossa Ordinar. D. Hieron. Lyran. & alij ad hunc locum præfata verba exponentes, peccatum Iudæorum indelebile intelligunt. Vbi satis superque diuinæ iustitiæ ira iusta declaratur. S. Thom. ibidem per *peccatum* sententiam pro peccato latam exponit: quasi sententia contra Iudæos lata irreuocabilis, & indelebilis sit, quemadmodum est indelebile quod stylo ferreo in adamante exaratur. Sanctes Pagn. Translatio Sanctes Pagnin. ex Hebræo sic legit: *Peccatum Iehudah scriptum est stylo ferreo, stylo adamantino, sculptum in tabula cordis eorum.* Itaque sententia contra infidelem populum in cordibus eorum sculpta est, vt deleri nequeat, & spe remissionis careat. Quid infelicius misero populo poterat euenire, quam prorsus indulgentiæ viam occlusam videre? Verum si rem hanc penitius consideremus, inueniemus aperte, diuinæ misericordiæ patefieri ianuam, & eodem stylo, quo sententia scribitur, ipso prorsus deleri statim. Sic mentem meam explico, vt tantæ misericordiæ largitas eluceat. Sententia pro peccato Iudæorum lata stylo ferreo, & stylo adamantino sculpitur, & scindenti calamo exaratur in tabula cordis eorum. Ergo eodem stylo, quo sententia incidituer, eodem prorsus deletur. Nam ferreus, vel adamantinus stylus, vt caracteres formet in cordibus, necessario scindet corda, in quibus scribit: vnde cor stylo percussum sanguinem mittet, ipsoque sanguine quod scribitur, delebitur, & spumanti cruore litteræ operientur excisę, ita vt quod fuerat scriptum nequeat legi. Vide qualiter se gerat diuina iustitia, dum punit: siquidem sententia, quæ indelebilis visa est, deletur, dum scribitur. Exemplo rem hanc illustremus. Si quis in charta, vel in papyro stylo ferreo, vel adamantino scriberet, cartam, vel papyrum proculdubio scinderet, & scripta potius frangeret, quam scripturam formaret: vnde recte diceremus, eum non scribere, sed delere. Non dissimili modo philosophamur de deo, cum sententiam contra Iudæos profert: sic enim eam scribit, vt scribendo deleat: nam sanguine è cordibus effuso stylo ferreo, & adamantino deletur. Ecce quomodo cum Deus punit, misericordiæ non obliuiscitur.

148. Iaspis viridi radiat colore, & venulis albis transluceat. Per viriditatem denotatur misericordia; sicut virentia folia à columba in arcam delata denotarunt. Genes. 8. n. 11. Rursus per venulas illas aquæ colorem referentes diluuium intelligunt Aug. Ticonius. Beda. Primasius & Rupert. apud Viegas c. 4. Apocal. sect. 2. n. 2. Vnde non vacat mysterio, Iaspidem vtroq; colore radiare viridi, & aqueo, vt in pectore Pontificis vtriusque attributi, iustitiæ & misericordiæ diuinæ declararetur societas; & discereret, punire misericorditer, & misereri iustè. Arnold. Carnotens. Dixerat Arnoldus Carnotens. tractat. de vltim. Verbis Domini loquens de summo sacerdote. *Oportet quippe, vt omnia, quæ agit moderatrix ratio sic disponat, & sic suis locis aptet misericordiam, & iudicium; vt cum iudicat, seueritas non excludat clementiam, & cum miseretur, iustitiam pietas non relinquat; & siue percutiat, siue parcat à veritatis tramite non recedat.*

ILLATIO CLXIV.

Sic timenda est iustitia, diuina vt quæratur misericordia: & sic de diuina misericordia confidendum, vt non contemnatur iustitia.

149. TEmeritatis, & amētiæ nota dignus est, qui diuina misericordia abutens irritat diuinam iustitiam. Quam insensati, qui infeliciter in peccato prolabuntur, diuina misericordia freti! Cæsarius Arelatens. homil. 13. vt tantam euitemus insaniam salubriter consulebat homini in peccatum lapso: *sic timeat* (inquit) *iustitiam* Cæsar. Ar.

iustitiam, vt quærat misericordiam; sic de misericordia confidat, vt tamen iustitiam contremiscat. Nam qui de diuina misericordia confidentes peccatorum habenas laxant; diuina iustitia in æternum baratrum incident absque dubio. Terribilem appellauit Origenes (lib. 2. in Iob in fine) diuinam misericordiam; non ob aliud, nisi quia ex ipsa occasione sumere peccandi, est misericordiam in iustitiã conuertere.

150. Insectabatur Pharao populum Israeliticum per medium sicci maris fugientem, videnſque iter inter vndas floribus delectabile, ingressus est post eum cumque iam omnis exercitus Pharaonis ingressus esset per medium maris; extendit Moyses manum contra mare, & vndæ quæ diuisæ fuerant, recursæ sunt, & operuerunt fluctibus omnes Ægyptios liberis manentibus Israelitis: *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidẽ superfluit ex eis, &c.* Exo. 14. n. 28. Exod. 14. num. 28. Non possum non in Pharaonem inuehi, eumque temeritatis, & amentiæ nota insimulare. Nam si vidit diuisum mare, vt populus Israel eius rabiem effugeret; cur non animaduertit, Deum, qui tantum patrabat mirandum, fore puniturum populum suum persequentes? Qui enim vt populum erueret, aquas diuiserat; vt persequentes eum puniret, vniret & vndas. Quæ tanta te vicit insania (ô Pharao) vt mari te, & cunctum fideres exercitum? Iratum habebas Deum; nec tamen terrebaris! Persuasus fuit impius rex, Deum tunc fore benignum, quem toties expertus fuerat misericordem. Quid aliud expectas, vt tantæ iustitiæ rationem agnoscas? Diuina misericordia abutebatur tyrannus: ob indeque induratum est cor eius. Ex benignitate Dei sumpsit occasionem, peccata peccatis adiungendi. Quid ergo mirum, quod ira Dei descenderet ad vndas, & aquarum obrueretur sepulchro. Greg. Magn. comment. in lib. Reg. cap. 5. hanc rationem adduxit. *Peccare* (inquit) *& de Dei creatoris clementia præsumere, pelago iustitiæ eius exponi est.* O bone Deus. Quoties dicit peccator: *Deus est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; vt in peccatorum laqueis irretitus perseueret. O misera hominum insania! ex diuinæ misericordiæ lilio, & infinitæ benignitatis rosa non mel, sed venenum decerpis. Misericordiam cogita, vt speres remedium, non vt committas flagitium. Nam si vt delinquas, diuina abutaris misericordia; væ tibi, quia diuinam concitas iram, & Pharaonis indurato corde malitiam imitaris. Gregor.

151. Ob hæc Apostolus ad Rom. 2. n. 5. dicebat: *Secundum autem duritiam tuam, & impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Sed cur dixit Paulus, peccatorem iram thesaurizare, non augere iram? Thesaurus namque dicitur magna & pretiosa diuitiarum copia. Vt ergo paulus ostendat, eum qui ex diuina misericordia peccandi sumit audaciam, graue peccatum committere; non iram augere, sed iram Dei thesaurizare affirmat, hoc est, magnam iram Dei mereri. Accipe Chrysost. Homil. 6. in Matthæum. *Nam quando ex indulgentia diuina nihil lucri retinere volumus, peiora meritò patimur, quod & Paulus aperuit dicens: secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, iram tibi thesaurizas.* Diuinam misericordiam contemnit, qui ea fretus, iterum in peccatum prolabitur; obindeque iram Dei sibi thesaurizat, hoc est, magnam Dei iram contra se recõdit, quæ in die iræ, quãdo omnia patebunt, irremissibiliter tantã puniet audaciã. Ad Rom. 2. num. 5. Chrysost.

Peccauit Petrus mitissimum negans magistrum: peccarunt forsan Ioannes, & Iacobus ambitiose præcipuas sedes appetentes: peccauit Thomas fidem resurrectioni Christi negans: peccauit Iudas redemptorem prodens. Si tamen rem attentius consideremus, solus Iudas laqueo suspensus æternam mortem est consequutus, cum temporalem vitam finiuit. At cur Iudas æternis cruciatur suppliciis; Petrus autem Ioannes, Iacobus, & Thomas à peccatorum laqueis absoluti æternam mortem effugerunt? Ni fallor; quia solus Iudas diuina benignitate abutens, insolenter ipsam domini lenitatem assumpsit in signum proditionis. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*: dicebat proditor Matth. 26. n. 48. 152. Cæteri autem discipuli absque præiudicio misericordię diuinæ Dei timuerunt iustitiam. Habes etiam patronum D. Chrysostomum Homil. 84. in Matth. *Confidebat enim* (loquitur de Iuda) *in lenitate magistri; quæ res maxime confundere illum hominem, & omni priuare venia sufficit, qui ita mitem, atque mansuetum prodebat magistrum.* Viderat multoties Iudas erga se Christum Dominum benignissimũ: & quamuis Christi lenitas eum à tanto flagitio deberet retrahere, audaciter tamen exinde occasionem sumpsit prodendi. Ecce causam, ob quam remedio destitutus laqueo mortem æternam acquisiuit. Matth. 26. num. 48. Chrysost.

153. Coram Saule in die coronationis eius, sic Samuël reprehendebat Israëlitas. 1. Reg. 12. num. 7. *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersus vos coram domino de omnibus misericordiis domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.* Caietanus ibidem pro illis verbis: *de omnibus misericordiis domini, &c.* ex Hebræo legit: *De omnibus iustitiis Iehouah, quas fecit vobiscum, &c.* Hinc non leue dubium insurgit: cur Caiet. vocat *iustitias*, quas sacer textus appellat *misericordias*? An quia attributum iustitiæ cum attributo misericordiæ confundendum sit? Minime. Nam licet in Deo realiter non distinguantur, tamen formaliter concipiuntur distincta. Quare ergo doctissimus purpuratus diuinam misericordiam appellat iustitiam? Ipse respõdet ibid. *Beneficia diuina collata & ipsis, & patribus appellat iustitias summi Dei secundum effectum: quia reddebant eos debitores secundum iustitiam Deo. Huiusmodi enim debita sunt materia causæ, quæ proponitur in hoc iudicio.* Quod est dicere: cum Deus tot Israëlitis contulit beneficia, totidem fuerunt misericordiæ: attamen ingratus populus eorum oblitus misericordias in iustitias conuertit; quia ex iustitia tenebantur, Deo gratias referre, & non offendere summum benefactorem. Qui ergo diuinæ misericordiæ ingratus, eam despicit, ex ea occasionem sumens delinquendi, misericordiam facit iustitiam. 1. Reg. 12. num. 7. Caietan.

ILLATIO CLXV.

Deus ex se habet, parcere, & misereri; ex nobis punire, & flagellare.

154. ALternat Deus nobiscum: aliquando nos cumulat beneficiis, interdum durissimis flagellis nos percutit. Si tamen causam huius vicissitudinis desideres, audi Saluianum Massilienſem, lib 4. de Prouident. *Quid querimur* (inquit) *quod agat dure nobiscum Deus? Multo nos durius cum Deo agimus exacerbamus quippe Deum impuris ratibus nostris, & ad puniendos nos trahimus iniuitum. Cumque eius naturæ mens Dei, atque maiestas, vt nulla iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. Cumque eius benignitas sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.* Quid illustrius. Habet ergo Deus ex se parcere, & misereri; punire, & flagellare ex nobis.

Saluianus.

155. Psalm. 93. num. 1. Regius Psaltes iratum Deum nobis proponens, sic accinit: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit.* Titelman. & Genebrar. ibidem, illud, *libere egit*, intelligunt de iustissimo Dei iudicio, quo ita integerrime peccatores punit, vt nec precibus, nec muneribus eius iustitia corrumpatur, sed ita libere fert sententiam, vt non respiciat personam, sed delictum, aut causam. Verum si mea non me fefellit cogitatio, aliter intelligendum puto illud, *libere egit*. Existimo ergo perinde esse, ac dicere: Deus vltionum est Deus, attamen ex se non habet vlciſci, sed ex nobis. Quod sic explico. Indubitatum est apud Catholicos, Deum non necessario, sed libere operari ad extra. In quonam vero consistat formaliter hæc libertas, insuperabilem habet difficultatem apud Theologos. Deus, verbi gratia, libere decreuit ab æterno orbis opificium. Nam sicut habuit decretum fabricæ vniuersi, potuit non habere illud, absque suæ immutabilitatis præiudicio. Nihil enim perfectionis Deo deficeret, ex eo quod talem actum liberum non haberet. Vnde quamplurimi (& non ignobiles Theologi) putant, libertatem diuinorum actuum formaliſſime loquendo, non imbibere aliquam diuinam perfectionem intrinsecam, sed extrinsecam tantum denominationem à creatis rebus desumptam tanquam ab extrinsecis connotatis: pro materiali tamen dicere diuinam essentiam significatam per modum actus vitalis affectionis, vel odij: & sic quanuis potuit adesse, vel abesse actus liber, non deficeret ei aliqua perfectio intrinseca, sed solum extrinseca denominatio. Sic explicant isti doctores abditissimam diuinæ voluntatis libertatem. Ita sensit sapientissimus P. Gabriel Vasquez (quem fere omnes complutenses sequuntur) 1. p. disput. 80. cap. 2. num. 6. His ita prælibatis redeo ad verba Dauidis. *Deus vltionum Dominus; Deus vltionum libere egit.* Punit Deus, sed libere, hoc est, cum libertate? Perinde est, ac si diceret; ita punit, vt possit non punire. Et vt semel dicam: punire in Deo, formaliſſime loquendo, non est intrinseca perfectio, sed actio libera. Nam licet in Deo iustitiæ attributum perfectionem intrinsecam includat (est enim indistinctum ab essentia perfecta sine fine) tamen libertas formalis actus punitiui extrinsecam exprimit denominationem pro formali, quæ siue Deo adesset, siue abesset, nullum induceret inconueniens; quia solum Deo deficerent extrinseca connotata, ex obiectis ergo creatis, aut quia in hominibus præuidit futura crimina, decreuit Deus eorum punitionem. Igitur pœna, qua peccatores plectuntur, eorũ sceleribus tribuenda est, non piissimis Dei visceribus.

Pſalm. 93. n. 1. Titelman. Genebrar.

Vasquez.

156. Ex Tertulliano lib. 2. contra Marcio. cap. 11. præfatum cõceptum non erit operosum confirmare. Expendit Septimius miserum, infelicem, & cunctis ærumnis plenum protoparentum statum, eò sanguineis lachrymis magis lamentabilem, quò felicior præcesserat. Et vt à viro incipiat, cui victus ex omni ligno à gabellis immunis, & alimenta secura erant concessa in sudore vultus, & in labore panẽ permitti notat: quem antea de terra in animã viuentem: & ad eius imaginem cõdiderat Deus; ad terram, & ad mortem destinari aduertit: quem, nudus ante sine rubore gradiebatur, iam illo suffusus pelliceis tegi indumentis, videt. Fœminam, quæ antea sine vlla tristitia per benedictionem incrementum generis humani audierat; doloribus parere, viro seruire, & aliis pœnis mancipari, legit. Insuper terra maledicitur, quæ antea fuerat benedicta: tribulis, & spinis eius venustas deturpatur, quæ antea herba delectabilis, floribus pulchra, & arboribus fructuosa. Tandem exterminantur è paradiso, eisdem. que igneo gladio Cherubim viam occludit. O misera vicissitudo! Vnde vobis ex tanta felicitate tot erumnæ, tot calamitates prouenere? Quis tantam primis parentibus infelicitatem intulit? Deus profecto, & primi parentes. Deus ab illis prouocatus; illi ei occasionem, & causam tantæ indignationis præbentes. Nec id siluit Tertullianus postquam hæc omnia expenderat. *Ita prior bonitas Dei secundum naturam, seuerit as posterior secundum causam. Illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita.* Nunquam clarius locutus fuit Tertullianus. Habet ergo Deus ex se hominibus benefacere, & secundum naturam: seuere autem illos punire, non ex se, sed secundum causam, quam ei offerunt peccatores. Dei proprium est, misereri semper, & parcere; punire autem accidens, & accommodatum. Merito ergo dicebat Dauid, cum Deum vltionum dominum prædicabat, libere egisse: *Deus vltionum Dominus libere egit*: Nam cum libertas diuinæ voluntatis ex connotatis creatis desumatur, Deum libere punire, perinde est, ac dicere; Deum non ex se, & secundum suam naturam infligere pœnam, sed ex nobis, & propter nostra flagitia: benefacere autem, & subuenire ex sese. Vnde ex ingenita pietate, quæ ei secundũ naturam conuenit primo parenti Deus suam imaginem, orbis principatũ, paradisi delicias, animi tranquillitatem, & omnium bonorum

Tertullian.

cumu

cumulum, quæ in creaturis conferri poterant, contulit: at è paradiso eum exterminare, morti subiicere, tot destinare ærumnis, non ex se Deus, sed propter hominis prævaricationem.

157. In die illa tremenda, & extremo iudicio, vt bonos separet à malis, & iustos à peccatoribus disgreget, quasi inter ipsos medius Christus, ne illi istorum inficiantur contagio, bonos à dextris, malos à sinistris collocabit. Rem hanc satis apte ad nostrum institutum explicuit Matthæus cap. 25. num. 33. dicens: *& statuet oues quidem a dextris suis, hædos autem à sinistris.* Vbi aduerte, appellasse sacrum Euangelistam dexteram Christi suam; non sic sinistram. An quia sinistra manus non sit Christi, sicut dextera? neutiquam. Quare ergo Matthæus dexteram vocat Christi; secus sinistram? diuus Bernardus serm. 2. de ascensione discrimen inter vtramque Christi manum assignans, sic ait de Christo Domino: *sedet autem ad dexteram, habens in dextera misericordiam, in sinistra iudicium: & misericordiam multum nimis, & iudicium multum nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens.* Itaque secundum mentem Bernardi, Christi dextera misericordiam denotat, sinistra verò iudicium, & iustitiam. Dico ergo, Matthæum dexteram Christi suam appellare, secus sinistram; vt denotet, Christum ex se benefacere, misereri, & indulgere; ex nobis punire, & æternis cruciatibus destinare. Merito ergo Matthæus Christi sinistram, non suam, sed quasi extraneam, absolutè appellat sinistram, vt intelligas, manum, qua punit, veluti non suam tractare, sed velut nostram ostendere.

Matth. 25. num. 33.

Bernard.

158. Ob hanc causam dicebat Isaias cap. 28. num. 21. *Sicut enim in monte diuisionum stabit Dominus, sicut in valle Gabaon iratcetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Comminatur Deus in impios, & illusores prophetarum dicens, quod sicut per Danielem percussit Philisthæos in monte Baalpharasim, eos diuidens sicut aquam, ob quod dictus est mons diuisionum. 2. Reg. 5. num. 20. & quemadmodum in valle Gabaon quando pugnauit Iosue multi ex alienigenis perierunt; sic contra peccatores iratcetur Dominus, vt faciat opus suum, id est, puniendo illos, sed aduerte, vix Prophetam dixisse punitionem esse Dei opus, cum statim addit: *alienum opus eius, & peregrinum*, sed quî potest intelligi, quod punire sit opus Dei, & quod ab eo sit opus peregrinum? diuus Hieronimus ad hunc locum respondet sic. *Non est enim opus Domini, perdere, quos creauit, sed facere opus alienum; quod ad crudelitatem magis, quàm ad clementiam pertinet. Rursusque id ipsum aliis verbis repetit, vt operetur opus suum. Non est opus eius punire peccantes, sed peregrinum, & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est.* Deus punit peccatores: tamen punire non est opus Dei, sed alienum, & peregrinum; quia illi iram Dei accendunt, & faciunt, vt Deus qui ex se habet parcere, & misereri, habeat punire. Audi Lyranum ibidem. *Vbi faciat opus suum: id est, vindictam de peccatoribus: quia tamen punire non est sibi proprium, sed magis misereri, & parcere, secundum quod dicit Ecclesia; Deus cui proprium est, misereri semper, & parcere. Punire autem conuenit ei per accidens, scilicet propter hominum malitiam; & ideo subditur: alienum opus eius, quod opus puniendi non inest ei ex sua conditione, sed ex malorum transgressione.*

Isa. 28. n. 21.

Hieronym.

Lyran.

ILLATIO CLXVI.

Deus dum punit; velut rubore suffunditur.

159. INgenitam Deo esse misericordiam satis superque illatione præcedenti confirmauimus, & puniendi actum per accidens ei conuenire, hoc est, ex nostra transgressione, præmisimus: sed adhuc diuinæ misericordiæ thesaurum aperire placet. Affero igitur, ita Dei proprium esse misereri semper, & parcere, vt dum punit, velut rubore suffundatur.

160. In ipso feruore diei, & cum sol radiis armatus hauserat medium orbem, tres viri apparuerunt Abrahamo sedenti in ostio tabernaculi sui. Genes. 18. num. 2. *Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri.* Loth vero sedenti in foribus Sodomæ cum iam sol nitidum abdiderat caput: *venerunt duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis.* Vtrobique angeli apparuere Abrahamo, & Loth: at illi in ipso feruore diei, & cum sol lucet in virtute sua; isti vespere iam facto. Sed cur, cum iidem angeli vtrique appareant; Abrahamo in meridie, in Sodoma vero cum iam nox atra terram teneret? diuus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 2. sic respondet: *Angeli ad Abraham meridie veniunt; punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.* Satis concise explicuit conceptum. Ad Abraham venerant angeli, vt ei filium, innumerabilemque successionem promitterent: ad Sodomam vero, vt eam subuerterent. Ecce cur angeli ad Abrahamum in luce, ad Loth, & Sodomam in nocte. Ad Abraham angeli à Deo missi serena facie veniunt; quia beneficia promittebant: ad Sodomam vespere iam facto & inter noctis vmbras, velut rubore suffusi, quia ad puniendum mittebantur. Verebantur angeli faciem deregere, quia deleturi erant ciuitatem. Deus namque & eius ministri, cum puniunt peccatores, quasi rubore afficiuntur, & ideo facies abscondunt.

Gen. 18. n. 2.

Gen. 19. n. 1.

Gregorius.

161. Hoc ipsum notauit Origenes Homilia 4. in Genes. parum à principio, *obserua* (inquit) *quod Abraham cum duobus angelis etiam Dominus affluit.* Dixerat & facer textus Genes. 18. num. 1. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.* Deinde Genes. 19. num. 1. dicitur: *veneruntque duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis*: & tamen non dicitur, Deum cum angelis venisse Sodomam. Sed vbinam erat Deus? an apud Abrahamum manens inde angelos misit ad Loth? & si apud illum non mansit: cur cum venit ad Abrahamum cum angelis, & clara luce apparet, loquitur, & à seruo fideli tot obsequia accepit; cum autem angeli venerunt ad Loth, Deus non apparuit, sed adfuit? certe si attente rem consideremus, absoluetur dubium. Abrahamo apparuit, vt beneficiis cumularet, & eum in gentem

Origines.

Gen. 18. n. 1.

Gen. 19. n. 1.

magnam faceret: quid ergo mirum, quod tunc Deus appareat? in Sodomam vero mittebat angelos, vt nefandæ ciuitatis perderet ciues: quid nouum, quod tunc Deus faciem abscondat, & apparere dedignetur, velut rubore suffusus. Accipe Adamantium sic dicentem: *ad Loth vero duo tantum modo angeli pergunt, & quid dicunt? misit nos Dominus conterere ciuitatem, & perdere eam. ille ergo suscepit eos, qui perdium darent, non suscepit eum, qui saluaret. Abraham vero suscepit & eum, qui saluat, & eos qui perdunt.*

O igenes.

162. Non immerito iudicio hoc denotasse sponsam dilecti sui amore sauciam, & eius honestissimos amplexus desiderantem. Cant. 2. n. 5. dicebat: *læua eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me.* Nota, quam diuersis locis manus sponsi accommodat sponsa: dexteram super humerum desiderat, sinistram sub capite abscondit. Cur ita? diuus Bernardus serm. 51. in Cant. præfata verba exponens ait: *ergo quia per dextram, & sinistrum aduersa solent, & prospera designari: videtur mihi hoc loco intelligi posse, læuam quidem verbi communicationem supplicij, dexteram vero regni promissionem.* Quod est dicere: per sinistram supplicia, & pœnas; per dexteram misericordiam, & regni promissionem designari. Læuam ergo sub capite abscondit sponsus, quasi rubore suffusus, & veluti designans manum, quæ punit. At dexteram omnibus super humeros ponit patenter; quia per eam beneficia, & misericordias largitur. Vide ergo, quomodo Deus non erubescit, benefacere, quem punire, tædet.

Cant. 2. n. 5.

Bernard.

163. Diuus ille purpura, & byssio ornatus, epulis, & deliriis nutritus, crudelis tamen in pauperes & cui diuitiæ erant, ac si non essent, miseram ex illa felicitate vitam hauriens, curis continuis oppressus, & pauper diuitiarum copia, non cum sol radiantibus radiis orbem illustrat, sed inter tenebrarum caliginem è medio tollitur, & ad tenebrarum æternum pelagus transfertur. Lucæ 12. num. 20. *stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* At cur dies non in die, sed in nocte punitur? si auaritiæ siti insatiabili diuitias colebat, & in pauperem mendicum semper fuit crudelis; cur pœna differtur vsque ad absentiam lucis? perbelle diuus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 2. *Anima quippe, quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur.* Quod est dicere: quia Deus diuitem auarum puniebat, velut dedignatur, hoc opus clara luce perficere, obindeque ad noctis tenebras differt supplicium, eas quærens, vt puniat, quasi non audeat in luce punire. O diuinæ misericordiæ immensum pelagus; quis sic te æstimaret, vt nunquam diuinæ iustitiæ offerret occasionem.

Luc 12. n. 20

Gregorius.

ILLATIO CLXVII.

De patre nostro beatissimo Petro, cui Iaspis correspondebat, quænam elogia.

164. ANdreas Cæsariensis comment. in Apoc. cap 66. gemmam Iaspidem beato Petro patri nostro accommodat his verbis: *per Iaspidem, qui ad smaragdi similitudinem ad virditatem tendit, probabile fit, diuum Petrum Apostolorum coryphæum significari; vt qui Christi mortificationem in suo corpore vsque portarit, vegetamque & vernantem charitatem erga illum semper ostenderit, qui etiam per feruidam fidem ad loca pascua dux nobis extitit.* Aretas in Apocal. cap. 67. idem docuit. Quamobrem hîc pauca de nostro vniuersali parente pauca diceimus.

Andr. Cæsar.

Aretas.

165. Diuus Augustinus ad illud Ioannis 1. num. 42. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* ait. *Magnum quia mutauit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra; petra verò Ecclesia. Ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia.* Ob hoc, ni fallor, de ciuitate illa agni sponsa, quæ Ecclesia, dicitur Apocal. 21. num. 18. *& erat structura muri eius ex lapide Iaspide.* Si ergo per Iaspidem diuus Petrus designatur; ergo ciuitas illa extructa fuit ex Petro. Ecce quanto iure prædicauit Augustinus, in Petri nomine Ecclesiam figurari.

Ioan. 1. n. 42 Augustinus.

Apo. 21. n. 18

166. Maior excellentia, quæ in nostro parente Petro sicut sol inter stellas fulget, est celebris illa confessio, & nunquam satis pro meritis celebrata, qua Christum Filium Dei viui confessus est. Matthæi 16. num. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Quid tunc Christus ad Petrum respondit? *beatus es Simon Bariona. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Solus Christus eximiam illam confessionem Petri celebrare potuit. Verum vt celsitudo illius magis eluceſcat, placet obiicere, confessionem Petri non fuisse singularem. Nam Baptista, Christum esse Deum, confessus est, (vt constat Ioan. 1. num. 30.) cum dicit: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Martha quoque eandem confessionem protulit, cum frater eius Lazarus defunctus iaceret in sepulchro. *Tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Ioan. 11. num. 27. Ergo alij præter Petrum confessi sunt, Christum esse Filium Dei. Non id abnuo: sed puto Petri confessionem omnes superasse. Primo: quia eam protulit, cum homines in varias diuisi erant sententias, & falso putabant, Christum esse Ieremiam, aut Eliam, aut Baptistam, aut alium ex Prophetis. Matthæi 16. num. 14. Secundò: quia Petrus summis laudibus à Christo effertur propter istam confessionem, vt ex relatis verbis, *beatus es Simon Bariona*, satis constat: Baptistæ vero, & Marthæ nihil respondit. Vnde in confessione Petri aliquid excellentius relucet, nempe æterni Patris reuelatio expressa, qua Petrus Patris æterni fuit organum.

Ma. 16. n. 16. & seqq.

Ioan. 1. n. 30.

Io. 11. n. 27.

167. Magnam mercedem accepit Petrus pro hac confessione: nam meruit à Christo audire: *beatus es Simon.* Sed quî fieri potest, vt Petrus beatus sit, cum adhuc viator esset? an comprehensoris, & viatoris simul habuit statum? neutiquam. Adhuc erat in via, nec æternæ beatitatis delitias degustauerat. Verum tametsi viator esset, nuncupatur beatus: quia propter eximiam illam confessionem beatitudine dignus erat.

Ma. 16. n. 17

Propter

168. Propter eandem confessionem noster Apostolus à Christo Domino appellatur Petrus.

Mat.16.n.18 *Tu es Petrus, &c.* sed quid est, *tu es Petrus*, diuus Hieronym. Hieronimus in catena sancti Thomæ ad hunc locum respondet his verbis: *reddit enim Christus Apostolo vicem pro testimonio, quod de se Petrus dixerat: tu es Christus Filius Dei viui: Dominus autem dixit ei. Beatus es Simon Bariona.* In Petri nomine tanta excellentia splendet; vt ne eius confessio digna mercede careat, hoc cognomine insignitur. Tantus est Petrus, vt suo vocabulo maximus ostendatur. noster Abulensis. Abulensis quæst. 13. in cap. 10. Matt. in tom. 3. inquirit: cur Christus Dominus Simonem cognominauit Petrum? *ad significandum* (inquit) *excellentiam eius futuram, quia princeps Apostolorum factus est, & summum Pontificatum suscepit. Hoc patet ex nomine, quia vocauit eum Cephas, quod est nomen deriuatum à Petra, sicut Petrus in Latino, scilicet, quia sicut petra ponitur, vt fundamentum ædificiorum, ita Petrus fuit ædificij spiritualis Apostolorum, id est, præcipuus inter eos.* Ambrosius. Eandem fere rationem adduxerat Ambrosius tom. 5. serm. 47. *Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit.*

169. Primas inter omnes Apostolus Petrus fuit, Abulensis. imo vt noster Tostatus docet tom. 1. in Matth. in Prologo 3. quæst. 1. *Ipse fuit primus, qui à Christo vocatus est.* Hanc primatus excellentiam in primo rerum exordio delineatam inuenio. Postquam enim sacer textus cœli, & terræ fabricam retulisset, pulcherrimæque lucis productionem narrasset, sic concludit, *& factum* Gen.1. n.5. *est vespere, & mane dies vnus.* Genes. 1. num. 5. Hic iam vrget difficultas: cur dies, in quo rerum incepit exordium, dicitur, *vnus*, & non appellatur *primus?* sequens dies secundus dicitur Ibid.num.8. expresse, ibid. num. 8. *Factum est vespere, & mane dies secundus.* Ergo antecedens dies primus debuit nuncupari: nam secundus absque primo nequit intelligi. Quare ergo primus dies, cum vere primus sit, vnus dicitur, & non Ambrosius. primus, diuus Ambrosius lib. 2. Hexamer. cap. 1. sic respondet. *Excipiendus à cæteris tanquam dies vnus: non conferendus cum cæteris tanquam dies primus est: vnde fundamenta rerum omnium posita, & causæ esse cœperunt, quibus mundi huius, atque vniuersæ visibilis creaturæ fulta substantia est.* Dies, in quo supremus opifex rebus dedit exordium, non est vocandus primus, quamuis vere primus sit, sed vnus; ne cum cæteris conferatur; nam dies præstantior est. Vt hanc ergo excellentiam declaret sacer scriptor, hunc diem, vnum appellauit; quasi à cæteris illum separans. Si namque primus diceretur cum secundo, tertio, & aliis erat computandus, & conferendus, quod valde eius excellentiam diminuebat. Dicitur ergo vnus, & non primus, vt excipiatur à cæteris, eo quòd in eo rerum fundamenta fuerint posita. Vide igitur quanta sit beatissimi Petri excellentia, cum primus vocatus fuerit à Christo, & omnium Apostolorum princeps.

170. Angelus Domini certiores fecerat mulieres, Marc.16.n.7 quæ sepulchrum Christi scrutabantur, de resurrectione eius, & vt eam in lucem proferrent ait illis. *Sed ite, & dicite discipulis eius, & Petro* Marc. 16. num. 7. Quid ais cœlestis annuciator? an Petrus extra Apostolorum collegium annumerandus est? cur si discipulis prædicanda est Christi resurrectio; addis, etiam Petro non tacenda? nonne ipse primus discipulus, & discipulorum fundamentum, & petra? Quare dicis: *dicite discipulis eius, & Petro?* Quia Petrus excipiendus est à cæteris, non quia à collegio Apostolico excludatur, sed quia cæteris excellentior.

Hanc Petri excellentiam verentes filij Zebedæi ambitiosè regni Christi appetierunt pri- Ma.20.n.21 matum maternis precibus ambitionem celantes, vt constat ex illis verbis Matthæi 20. num. 21. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Matri respondet Christus, vel potius filiis: *nescitis, quid petatis.* ibid. num. 22. sed in quo errarunt filij Zebedæi? dixere multa multi. Chrysostomus tamen ad rem nostram respon- Chrysost. det. *Primatum ipsius cathedræ petebant accipere, & quod quidem plus aliis honoris apud Christum habebant, nouerant, timebant vero Petrum sibi præferri*, sic in catena sancti Thomæ ibidem. Erraruntisti discipuli primatum cathedræ appetentes: timuerunt, Petrum sibi præferri. En tibi eorum stultitia. Nam Petro æquales esse stultitia vana est: *nescitis quid petatis*, meruerunt audire. 171.

Non me latet, posse aliquem obiicere, saltem Ioannem, qui antonomaticè dilectus discipulus Iesu nuncupatur, & qui supra pectus Domini in cœna recubuit, cui cœlorum thesaurum purissimam matrem virginem Mariam custodiendam tradidit, cum Petro posse comparari. Mea intentio non est, sanctorum laudes, & præcipuè Ioannis Euangelistæ, obtenebrare: dicam tamen, quid in hac re dixerint sancti Patres Ecclesiæ. Chrysostomus tom. 2. homil. 51. sic expresse ait. *Nemo enim ita vt Petrus Iesum amabat.* Hoc expresse deducitur ex Ioanne cap. 21. ibi num. 15. sic Christus Pe- Io 21.n.15 trum interrogauit. *Simon Ioannes diligis me plus his?* cui respondit Petrus: *tu scis, Domine, quia amo te.* ibid. Ob hunc amorem exercitium Pontificatus contulit, dicens: *Pasce agnos meos.* Cum ergo Deus diligentes se diligat. *Ego diligentes me diligo.* Prouerb. 8. num. 17. qui arden- Prou.8.n.17 tiori Deum diligit amore, magis dilectus est. Ergo Petrus, qui plus Deum diligit cæteris discipulis, dilectissimus esse comprobatur diuus Augustinus tract. 124. in Ioannem satis pro- Augustinus. funde, postquam sibi proposuerat, an Ioannes esset omnium Apostolorum dilectissimus; cum Petrus esset magis diligens: hæsitans respondit alio dubio. *Quis duorum sit melior: vtrum qui plus, an qui minus diligit Christum?* respondit Aurelius. *Quis dubitabit respondere, eum, qui plus diligit esse meliorem?* fuit ergo Petrus omnium discipulorum Christi charissimus (sic Nazianzenus orat. 9. ad Iulianum expressis ver- Nazianzen. bis) quia plus dilexit. Confirmat hoc Origenes Origenes. homilia 2. in diuersos Euangelistas dicens: *nec mo nos existimet Petro Ioannem præferre. Quis hoc fecerit? quis esset altior Apostolorum illo, qui est, & dicitur vertex eorum.* Expressius hoc asseruit Bernardus serm. ad Clerum in Concilio Rhemensi de B. Petro loquens: *præter Deum non est* Bernardus. *similis ei, nec in cœlo, nec in terra, &* serm. 23. in

Cant.

Cantica, discrimen posuit inter Petrum, & Ioannem dicens: *Ioannes in pectore: Petrus in sinu Patris. Ioannes in latere charitatis: Petrus in luce veritatis.* In sinu Patris requieuit filius, in eodem requieuit Petrus. Quid excellentius?

173. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Petrus Damascenus serm. 26. hanc Petri excellentiam, & potestatem expendens sic ait. *O quam potens dignitas, quam digna potentia! iudicat Petrus, & Petri iudicia confirmat omnipotens, & est in manu Petri manus altissimi; solus ille efficitur familiaris Christi, qui Petri familiaritatem habuerit.* Tantam Christus Petro contulit potestatem, vt opus sit, fide diuina adiuuari, ne colatur, vt Deus. Nam cum Petrus petræ cognomine honoretur à Christo, qui à Paulo 1. ad Corinthios 10. num. 4. dicitur petra: *petra autem erat Christus:* non identitatem inter Christum, & Petrum, sed similitudinem arguit. Hoc non prætermittens Augustinus sermone 2. de cathedra Petri dixit: *recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis,* potestas Christi translata est ad Petrum. Quid ergo mirum, si Christi nomine honoretur? nam si Christus est caput Ecclesiæ; caput est etiam Petrus. Si Christi nutu cælorum patent portæ; etiam ad Petri imperium aperiuntur. Si Christus dimittit peccata; hanc etiam potestatem contulit Petro. Si Christus se humiliauit vsque ad mortem crucis; Petrus non solum subiit crucem, verum etiam verso ad terrã capite crucifixus magistri humilitati addidit speciem humilitatis, vt notauit sanctus Maximus Taurinensis homilia de sancto Petro & Paulo citans Egessippum lib. 3. de excidio vrbis Ierosolimitanæ. *Hic est Petrus* (ait Maximus) *qui dum ad crucem tanquam crucifixi discipulus duceretur, verso se posiens corpore crucifigi, passionem non renuit, sed æqualitatem crucis dominicæ declinauit, vt ostenderet vniuersis admiranda se humilitatis virtutem, nouique mysterij disciplinam, & inter tormenta seruasse.* Christus per crucem nomen Saluatoris, quod est super omne nomen acquisiuit ad Philipp. 2. Petrus quid meruit per crucis mortem? nomen petræ & remittentis peccata. Nam quantumuis hoc ministerium omnibus Apostolis fuerit commune; tamen illud habuerunt per Petrum eorum coryphæum, vt notauit Leo Papa serm. 3. dicens: *& si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negauit.* Si Christus in cruce pendens confessus est Deus; Petrus, qui tanta humilitate crucem subiit, Spiritus sancti filius specialiter adoptionis est dictus: nam hoc sonat illud Matth. 16. num. 17. *Beatus es Simon Bariona* vt Hieronimus explicat ibidem dicens: *ex confessione sortitur vocabulum, quod reuelationem ex Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit. Siquidem Bariona in nostra lingua sonat filius columbæ:* cum ergo Christus, & Petrus operis & nominis habeant cõsortium; non immerito dixi, tantam Christum B. Petro contulisse excellentiam, vt opus sit, adiuuari fide, ne Petrus habeatur Christus. Ausculta huius rei confirmationem in tanti parentis gloriam.

Petr. Dam.

1. ad Cor. 10 num. 4.

Augustinus.

Maximus.

Leo.

Ma. 16. n. 17. Hieron.

Viderat Petrus Christum in salo velut per solum ambulantem, & magistri amore saucius, non absque eius imperio, ambulabat per mare. Quid inde? *videns ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine salnum me fac:* Matthæi 14. num. 30. sed cur Christus mergi permisit Petrum, cum eius non ignoraret affectum, & eius imperio ambulare incœperat super aquas? sanctus Maximus Taurinensis. vbi supra hanc rationem reddit. *Ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisset ad Christum, Domini forte sui virtutibus æquaretur.* Tantus est Petrus, tantaque ornatus est excellentia; vt si ambulans per mare non incœpisset mergi, forte domini sui virtutibus videretur æquari. Mergitur ergo, ne putetur Christus. Homo purus est Petrus; verum cum in vocabulo, in potestate, & dignitate similis Christo perhibeatur, mergi permittitur, ne colatur, vt Christus. 174.

Ma. 14. n. 30.

Maximus.

Rarum hoc! sed audi aliud mirabilius. Inter alia, quæ Petro propter eximiam illam confessionem contulit Christus, fuit potestas ligandi, & soluendi. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis; & quodcunque solueris super terram erit solutum, & in cœlis.* Matthæi 16. num. 19. Cardinalis Petrus Damianus hanc potestatem expendens sic ait vbi supra. *Adest Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuersitas soluitur, & ligatur; & præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris; qua non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus hoc ligat Christus. Ipso id ipsum attestante: quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Talis est Petrus, vt eius iudicio, velut pareat Christus. 175.

Ma. 16. n. 19. Petr. Damia.

Hinc possumus quæstionem illam soluere, nempe; cur permittit Deus, Petrum Apostolorum verticem, & cui promiserat Ecclesiæ regimen, negare Christum? ideo puto (omitto alias causas) quia cum Petrus tot fulgeret excellentiis, & prærogatiuis, posset aliquis (falleretur tamen) putare consortium cum Christo habuisse in redemptione. Nam cum ad arbitrium Petri orbis vniuersitas soluatur, & Petri sententia præcedat sententiam redemptionis; quia non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus hoc ligat Christus (vt ex Damiano numero præcedenti retulimus) permissus est Petrus negare Christum, ne coadiuuisse redemptionem existimetur. 176.

Adhuc supereſt, aliam excellentiam Petri patefacere. Talis est Petrus, vt ipse Christus velut indigus Petri, eius iuuatur præsentia ad veritatem suam confirmandam, super mare ambulabat Iesus; discipuli vero phantasma eum putarunt: *videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: quia phantasma est.* Matthæi 14. num. 26. Ambulabat etiam Petrus super aquas, & non putatur phantasma. Noster Tostatus ibid. quæst. 171. inquirit; cur Christus concessit Petro ambulare super aquas? plures adducit, & inter eas, audi quintam. *Quinto & principaliter fuit ad tollendam suspicionem de miraculo suo quantum ad discipulos: nam discipuli timuerunt, dixerunique phantasma est, eo quod non putabant, quod homo posset ambulare super aquas: fecit ergo, quod etiam Petrus ambula-* 177.

Ma. 14. n. 26.

Abulens.

bularet coram eis super aquas ad solum imperium eius, & tamen de Petro ablata erat suspicio, quia erat inter eos, & sciebant, quod non erat phantasma, crederent etiam, quod Iesus non erat phantasma. Sed adhuc vrgeo, Christusne indiget, ad suæ præsentiæ veritatem confirmandam præsentia Petri? vel videntes discipuli Petrum super mare ambulantem, non putarent, Christum super vndas gradientem esse phantasma? ergo videtur Christus adiuuari à Petro, vt fidē tanti miraculi firmaret. Iuuatur vtique ad tollendam suspicionem miraculi. Nam Dominus, qui Petro commissurus erat æternæ filiationis manifestationem, voluit etiam committere veræ præsentiæ super aquas fidem. Ergo Petrus Christi honorem vindicauit ambulans super mare, sed adhuc superest inquirere, cur Petrus non existimatur phantasma, sicut Christus? quia voluit Christus ita Petrum exaltare, vt quod in ipso iudicabatur apparens, in Petro crederetur vt verum. Cessit Christus honori proprio, vt illo gauderet dilectissimus Petrus.

178. Restat vt tanti parentis non laudes, sed illationem concludamus, eumque vindicare à quibusdam defectibus, qui contra eius excellentiam videntur militare, sit prima obiectio: quia in Thabor, quando Christi facies, vt sol, resplenduit, & eius animæ gloria redundauit in corpus; Petrus tanta gloria allectus dixit magistro: *Domine bonum est nos hic esse.* Matthæi 17. num. 4. Ergo hîc Petrus insciti notari debet: quia si Christus Petri assentiretur petitioni, & in Thabor figeret tabernaculum, non descenderet ad Hierusalem nec pateretur pro omnibus; vnde redemptio nostra impediretur. Difficulter ergo hic defectus excusari potest, præsertim cum Lucas cap. 9. num. 33. hæc referens de Petro asserat: *nesciens quid diceret.* Verum, vt hæc obiectio euanescat audi. Primò: si hîc Petrus aliqua nota dignus est, defenditur, & ab æterno Patre, & ab Spiritu sancto. Nam Origenes homilia 3. in Matth. sensit nubem illam, quæ ibidem discipulos obumbrauit, vel esse æternum Patrem, vel Spiritum sanctum: *Quæ sit autem nubes lucida nisi forte virtus paterna*, & statim prosequitur: *forte & Spiritus sanctus est lucida illa nubes obumbrans:* nubes ergo illa formata est, vt si esset defectus in Petro, tegeretur à Patre, & Spiritu sancto. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. putauit, Petrum fuisse tunc ab extasi ablatum à se; & sic non mirum, quod nesciret, quod loquebatur, & huius assertu rationem affert his verbis: *in Spiritu enim homo constitutus præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est, excidat sensu, obumbratus scilicet virtute diuina.* Petrus ergo satis vindicatus est ab hoc defectu.

Mat. 16. n. 7. 4. Luc. 9. n. 33. Origenes. Tertullian.

179. Secunda obiectio contra Petrum sic insurgit. Prædicebat Christus Petro in nocte cœnæ ter ipsum negaturum: cui respondit Petrus: *si oportuerit, me mori tecum non te negabo.* Matth. 26. num. 35. Petre, quid est hoc? summæ, & infinitæ sapientiæ contradicis? an quia ignoras, Christum nec posse fallere, nec falli? nequaquam, sciebat enim, & confessus fuerat Christum Dei viui Filium. Quare ergo cum ab eo audit trinam negationem, ait: *si oportuerit, ne mori tecum non te negabo?* acuie satis respondit Chrysostomus dubium sibi proponens, & soluens, his verbis: *quid est, ô Petre, vnde id tibi accidit? ex multo certe amore, & multa voluntate.* Diuinæ præscientiæ videbatur opponi Petrus; at reuera ei non erat contrarius: quia tacente intellectu loquebatur eius voluntas, & amor erga Christum. Ab amore ergo hic defectus, si esset, foret excusandus.

Ma. 26. n. 35. Chrysost.

180. Tertia contra Petrum opponi potest obiectio. Nam cum Christus patiendi causa vellet iter assumere in Hierusalem, contradixit Petrus dicens: *ibsit à te Domine: non erit tibi hoc.* Matthæi 16. num. 22. cui Christus respondit: *Vade post me Sathana, scandalum est mihi.* ibid. num. 23. Quis hîc potest dubitare, Petrum à Christo non quomodolibet, sed acriter reprehendi? sed pro Petro non debiles Ecclesiæ duces arma sumunt. Sanctus Hilarius Canon. 16. in Matth. disertis verbis dubium hoc soluit, *sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait. Vade retro post me, id est, vt exemplum suæ passionis sequatur. In eum vero, per quem opinio hæc suggerebatur, conuersus adiecit: Sathana scandalum est mihi.* Idem docuit Chrysostomus serm. 27. Abulens. tom. 4. in Matth. quæst. 111. & quæst. 113. & alij: Christus ergo ad Petrum respiciens dixit: *vade post me:* ac si diceret; tu me sequere ac crucem, secutusque est eum, siquidem cruci affixus, inuerso tamen capite, spiritum exhalauit; vt denotaret, versari semper in Christi sequela. Mirabiliter hoc explicuit Chrysostomus vbi supra his verbis: *& verè post Dominum vadit Petrus, qui vt eum sequeretur ad cœlum, crucem resupinus ascendit.* Idem docuit Augustinus tom. 10. serm. 4. de sancto Petro. *Petrus propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque superiora respiciens beatum Spiritum deducebat ad cœlum.* Ergo contra Petrum non protulit Christus, sed potius in eius fauorem illud: *vade post me.* Illud autem, *scandalum est mihi Sathana:* non contra Petrum, sed contra diabolum, per quem suggerebatur, vt passio Christi impediretur. Ergo ab hac obiectione satis immunis est Petrus.

Hilar. Chrysost. Abulens. Augustinus.

181. Vltima & validissima obiectio est: quia Petrus ter negauit Christum. Ergo in hoc saltem videtur inexcusabilis. Fateor, ita accidisse: verum propter hoc non obtenebrantur excellentiæ Petri. Nam quanuis miserè negauerit Christum; ita celeriter surrexit à culpa, vt videatur non cecidisse. De Lazaro languescente dixit Christus: *infirmitas hæc non est ad mortem,* Ioan. 11. num. 4. & tamen mortuus est Lazarus. An quia diuina sapientia posset falli? absit, sed quia ita celeriter suscitandus erat, vt mortuus fuisse non videretur. Apollinarius ibi in catena Corderij ita autumauit dicens: *non est mirandum, si Lazaro iam animam agente, non ad mortem esse infirmitatem dicat: siquidem ipsi, qui paulo post eum suscitaturus esset, non erat censenda mors illa: quemadmodum mox palam declarauit, non tam mortem, quam somnum appellando.* Ad rem ergo. Negauit Petrus Christum: vixque negationem terminauit, cum surgit à culpa. Respexit tunc Christus Petrum, & egressus foras fleuit amare. Igitur ita celeriter surrexit, vt non videatur cecidisse. Sic Leo Papa serm. 9. de

Io. 11. n. 4. Apollinar.

de passione loquens de beato Petro. *Affuit enim dextera Domini* (inquit) *qua labentem te, priusquam deiceretur, exciperet, & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti.*

182. Ambrosius. De negatione Petri sic ait Ambrosius in cap. 22. Lucæ. *Error Petri doctrina iustorum est: & titubatio Petri omnium petra est.* Prosequitur Mediolanensis antistes, qui non negans Petri negationem, sed admirans, eum defendit mirabiliter; quia etsi Christum negauit, taliter se gessit, ac si non negasset. Lucæ 22. num. 56. Cuidam tic de illo asserenti: *& hic cum illo erat*; Luc. 22. n. 56 ibid. nu. 58. respondit Petrus: *ô homo non sum.* ibidem num. 58. Diuus Ambrosius citatus hæc expendens sic ait: *Verbum æternitatis refugit. Non enim erant, qui esse cœperunt. Hoc est dicere, ille solus erat, qui in principio erat, denique ait. Non sum, illius est enim esse, qui semper est.* Ac si diceret: Petrus, quando dixit, quod non erat cum Iesu; perinde fuit, ac dicere, quod non erat in principio, quia hæc duratio illi, qui semper est, solum competit. Vox illa, *erat*, æternitatem sonat, & hoc dixit Petrus, quod non erat: *nam ille solus erat, qui in principio erat.* Igitur in hac negatione videtur Petrus confiteri Christum: quia Ambrosius. cum se ipsum negat, Christum fatetur: sic Ambrosius: *sed tamen negauit ex illis esse, non Christum negauit* ancillæ dicenti, *& hic cum illo erat.* ibid. nu. 57. Respondit Petrus: *mulier non noui illum.* ibid. num. 57. Hîc nescio, quomodo Petrus excusari possit ab Ambrosio: sed audi ipsum, *& bene negauit hominem, quem sciebat esse Deum*, sciebat Petrus, Christum non solum hominem, sed & Deum esse: ait ergo, non noui hominem purum, sed Deum, & hominem. Videbatur ergo Petrus, concedere, quod negabat. Ioannis 18. Ioan. 18. n. 25. num. 24. quidam dixerunt Petro: nunquid, & tu ex discipulis eius es? *negauit ille, & dixit, non sum.* Ambrosius citatus sic ait: *maluit videlicet se negare, quam Christum, aut quia videbatur negare Christi societatem, vtique se negauit.* Sed qui fieri potest, vt verum sit, quod ait Ambrosius, videlicet, Petrum maluisse se negare, quàm Christum, cum fide sanctum sit, Petrum negasse Christum? primo: quia Petrus se negauit, dicens: *non sum*, id est, non sum Petrus, quia nego Christum: nam Petrus ideo dicebat, quia confessus fuerat illum, secundo: quia Petrus tali ingenio negabat magistrum, vt videretur non Ambrosius. negare. Hoc modo diuus Ambrosius Petri excusat negationes: & tandem concludit his verbis. *Error Petri doctrina iustorum est: & titubatio Petri nostra est firmitudo, felicius ille cecidit, quàm alij steterunt; felicius cecidit, quem Christus leuauit.* Vide ex his, quantus sit Petrus, siquidem, quod alios dedecoraret, magnificat eum. Hæc de nostro parente prælibauimus, Deo dante, alibi eius vitam, & excellentias pro nostro captu scripturi.

Vers. 19. In tertio: Lygurius, Achates, & Amethystus.

De gemma Lygurio, aut lyncurio.

SEQVITVR tertia gemmarum series, quæ rationale ornabat. Hæc triplici gemma fulgebat. Prima erat Lygurius: secunda Achates: tertia Amethystus. De singulis nobis agendum est in hoc versu. Lygurius, quæ septimo loco ornabat Pectorale Pontificis, Hebraice, *Lessem*, teste Montano, & Oleastro appellatur: vnde à nonnullis Lyncurius dicitur, eo quòd ex lyncis vrina, & terra coagmentatur. Sic docuere Aristoteles de mirabilibus cap. 8. Plinius lib. 8. cap. 38. Diuus Isidorus lib. 16. Ethymol. cap. 8. Abulensis hîc in expositione litteræ, Solinus lib. de mirabilibus, c. 8. Montanus de vestibus sacerdot. Camilus Leonardus de lapidibus lib. 2. Pierius lib. 11. de Lynce. Carthusianus, & Vatablus ex his, quidam hanc gemmam lyncurium, quidam Lygurium vocitandam docent. Neminem tamen vidi, qui ratione aliqua firma ducatur ad id asserendum, si nominis ethymologiam excludas: nam Lyncurius, quasi lyncis vrina, sonat. Sed hæc parui pendenda sunt, si tot auctorum secludamus placitum. 1. Montanus. Oleaster. Aristoteles. Plinius. Abulensis. Montanus. Cam. Leona. Pierius. Carthusian. Vatablus.

Pater Ribera de vestibus sacerdot. cap. 11. expresse docet, hanc gemmam, quæ septimum in Rationali Pontificis occupabat locum nullatenus Lyncurium, sed Lygurium appellandam. Nam Lyncurius, teste Plinio lib. 37. cap. 3. non annumeratur inter gemmas, sed succinum, aut electrum nominatur. *De Lyncurio* (ait Plinius) *proximè dicere cogit auctorum pertinacia: quippe etiamsi non electrum id esset, gemmam esse contendunt. Fieri autem ex vrina quidem lyncis, se egestam terram protinus bestia operiente eam, quoniam inuideat hominum vsui. Esse autem qualem in igneis succinis colorem scalpique... Ego falsum id totum arbitror, nec vilam in ævo nostro gemmam vllam ea appellatione.* Ex quibus verbis satis difficile existimat Ribera lyncurium esse gemmam ex vrina lyncis coagmentatam, ita pretiosam, vt inter pulcherrimas, & fulgentissimas Rationalis poneretur. Quamobrem putat, Lygurium vocitandam fore, eo quod à Lyguria duxerit originem, esse cuiusdam generis carbunculi, cuius meminit Plinius lib. 37. cap. 7. idem docet Alcazar in c. 21. Apocal. notat. 31. 2. Ribera. Plinius.

Rursus Lyncurium non fuisse gemmam Rationalis, deducitur ex Hieronymo epistola 128. ad Fabiolam, vbi ait. *Satisque miror, cur hyacinthus pretiosissimus lapis, horum numero non ponatur: nisi forte ipse est alio nomine Lyncurius. Scrutansque eos, qui de lapidum, atque gemmarum scripsere naturis, Lyncurium inuenire non potui.* In his vltimis verbis non denotat Doctor Maximus nihil de lyncurio inuenisse, sed nusquam legisse apud aliquem, lyncurium esse gemmam. Nam apud Plinium legeret, absque dubio, & apud alios lyncurij naturam. 3. Hieronym.

Satis inter se pugnant istæ sententiæ: verum vtraque habet magnæ auctoritatis patronos. 4.

nos. Mea autem parum refert, siue septima gemma Rationalis lyncurius vocitetur ab illis, vel ab istis, cum in nostra vulgata lygurius appelletur. Verum ex vtraque appellatione nonnulla scitu digna, & nostris moribus non inutilia deducemus.

5. Circa colorem, quo hæc gemma radiat, non est minor dissensus inter auctores, ac fuit circa eius naturam. Abulensis. Nostet Abulensis putans, lyncurium appellandum fore, ait, radiare colore inter aurum, & argentum medio; paleas attrahere, sicut magnes ferrum; discoloratis prodesse; venenum indicare; & in ea scriptum fuisse nomen *Gab.* si vero lygurius confundendus sit cum hyacintho (vt putauit diuus Hieronimus) aliter dicendum est: nam eodem colore radiat vterque. circa hyacinthi colorem magna etiam est scriptorum varietas. De eo sic Plinius. scribit Plinius, *ille micans in Amethysto fulgor violaceus dilutus est in hyacintho.* Ergo proprius, & natiuus hyacinthi color est violaceus, non Solinus. cæruleus. Solinus sic ait: *Hyacinthus nitore ca-* Hieronimus *ruleo lapis pretiosus.* Diuus Hieronimus Ezechielis 1. ait, colore cœlesti radiare hyacin- Greg. Magn. thum: quod vterque Gregorius magnus, & Nizenus affirmarunt. Rursus quia tunica Aaronis hyacinthina cærulea fuit. Ita Iosephus, Greg. Nizen. Philo, & Gregorius Nizenus asserunt, & per Ioseph. eam, siue cœlum, siue aera ob cæruleum colo- Philo. rem figurari. Omnia hæc vera possunt esse, si diuersi hyacinthi speciebus diuersos colores adscribamus. Nam si ex flore, qui vulgo hyacinthus dicitur, licet sumere argumentum, vidi ego florem hyacinthum album, cæruleum, & violaceum. Hæc colorum diuersitas non la- Solinus. tuit Solinum? nam de hyacintho sic scripsit. *Plerumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, atque albicantius in aquaticum eliquescit.* Rursus: tres sunt species hyacinthi. Prima est rubei coloris, qui pretiosior est cæteris, & carbonibus accensis superpositus magis rubescit. Secunda est crocei coloris, qui in igne obscuratur, & dicitur citrinus. Tertia est cærulei coloris, nascitur in Æthiopia, & ignem non fert. Peruartus. Hyacinthus teste Peruarto de Temesuar in 4. sent. significat fidem ascensionis Domini nostri Iesu Christi in cœlum: dat vigorem membris, somnum prouocat, & qui illum fert pestilentia non inficitur, & tristitiam fugat. Sic Plinius. Plinius libro 37. capite 9. Serapio 3. quæstione Serapio. Solinus. 8. Solinus capite 42. Georgius Agricola lib. 6 G. Agricola de natura fossilium. Camilus Leonardus lib. 2. Cam. Leon. de lapidibus. Mardobæus Gallus libro de lapi- Mardobæus. dibus pretiosis, & Roelius libro 1. de gemmis Roelius. tres annumeratas hyacinthi species distinxere. Nec omittendum puto, quod de lygurio refert Gloss. interl. Glossa interlinearis ad præfata verba Exod. 28. numero 19. *Lygurius, qui hyacinthi coloris fertur, & inuenitur in renibus bouis.* Hæc sunt, quæ circa septimam gemmam Rationalis scripsere auctores; sed in re tam incerta aliis certum iudicium ferre, committo.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXVIII.

Prælatorum præsentia, & visus multa subditis commoda afferunt.

IVdicibus, & Prælatis aures geminatas non solum natura, sed & ipsum iudicandi munus contulit, vt eas vtrique parti distribuant: non id impugno: puto tamen non solum auribus, sed etiam oculis Prosulum hoc esse accommodandum. Nam si ad proferendam sententiam duplici auditu indiget iudex: Prælatus, vt mores deprauatos subditorum corrigat, & ad meliorem frugem reducat, imo vt certum, & prudens iudicium ferat, non duobus tantum, sed pluribus, & lynceis oculis indiget, imo ex omni parte occulatus deberet, esse. Ergo conspectus Præsulis commoda subditis affert vberrima: nam vitia coercet; ad virtutem excitat; & possibilia præcauet damna. 6.

Mirum est, & omni attentione dignum, Deum præcepisse Ezechieli, summa cura, & solerti studio in latere delineare Hierusalem muro circumseptam, turribus præmunitam, ciuibus plenam, & vndequaque gloriosam. *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem.* Ezech. 4. n. 1. Ezechielis 4. numero 1. Adquid Deus tantam in Propheta curam exigit, vt sumat laterem in manibus, præ oculis habeat, & lineis summa proportione deductis in breui cartha magnam Nilus. describat ciuitatem? sanctus Nilus lib. Ascetico hac contentus est solutione. *Quibus verbis declarat, opus esse, vt magister ex luto faciat templum Dei. Præclarum, & illud. Et pones illum ante faciem tuam. Sic enim discipulus celeriter melior fit, si in magistri conspectu semper versetur.* Missus fuit Propheta à Deo, vt gentem illam doceret; officio magistri? præsulis, & regentis fulgebat. Voluit ergo Deus in latere luteo describens ciuitatem, non solum Prophetæ muneris curam intimare, sed quanti momenti sit, prælatum semper subditos ob oculos habere, vt eos ex luto conuertat in templum Dei à peccatorum sordibus iam mundatos. Nam ita efficaciter prætulit, aut Prælati sancti aspectus subditorum mores emendat; vt quantumuis effigiatos, & depictos eos aspiciat, & in fragili latere descriptos, in Dei templum proculdubio conuertet. 7.

Nescio quid habet hæc prælatorum oculata præsentia ad subditorum animos accendendos, vt ipso prospiciente, aggredi non dubitent ardua, & molesta. Iam in dies in terra Israel magna fames increuerat, consilioque inito filij Prophetarum per diuersa collegia in Galgala, & Iericho distributi, vt à fame, velut à peste fugerent, ad Iordanis ripam pauperem, religiosamque suppellectilem decreuerunt asportare, ibique mansiones, & cellulas ædificare. Verum ne subita hæc mutatio domicilij aliis videretur immatura, Elisæi etiam translatione propriam honestare cupiebant: quam ob rem vnus ex illis sic Prophetam alloquitur. *Veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit: ego veniam, & abiit cum eis* 4 Regum 6. numero 3. Sed cur Elisæus 4. Reg 6. n. 3. 8.

vix à filiis Prophetarum preces audiuit, vt cum eis iter perageret; cum iter aggrediturNoster Tostatus quæstione secunda ad præfata verba non est contentus vnica solutione. Audi primam. *Hoc concessit Elisæus: quia ipse nolebat, euitare laborem.* Nam cum ipse esset Prophetarum præsul, & subditi transmigratione compulsi cęsuri erant arbores ad tabernacula fabricanda, prompto animo labori se obtulit, vt eius exemplo ardentius laborarent. Accipe etiam secundum responsum Abulensis: *& quia sciebat, quod in præsentia eius promptius ædificarent.* Præuidit Elisæus etiam ad ripam Iordanis famem vigere, & insuper ibi opera laboriosa filiis Prophetarum succeſſura; ideoque eos comitatur, ne succumbant labori. Nam præsulis conspectus ita subditorum animos accendit, vt laboriosa quæque non recusent.

9 Vidimus iam quantæ virtutis Prælatorum aspectus sit; nunc restat ostendere, quanta perspicacitate eorum oculi frui debeant, vt subditorum vtilitati consulant. Dico igitur, sic apertos, & perspicaces oculos habere debere antistites, vt non solum crimina præsentia subditorum, sed vel futura condirionata, aut possibilia arcere, & euitare, quantum possint studeant. Quam sedulo, & integrè tantæ curæ satisfacere cupiebat sanctissimus, & patientissimus Iob, cum eius filij mutuo conuiuantes fraternum amorem commendabant. *Cumque in orbem transiissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei.* Iob 1.num.5. Placet inquirere: ad quid Iob sacrificia ista offerebat? an quia illa conuiuia essent aliena à recta ratione, & indigerent sacrificiis expiari? putarem, fuisse licita; cum in amoris signum essent præparata. Si ergo honesti finis causa celebrantur; cur tanta cura diserti ſſimus pater surgebat diluculo, & holocausta offerebat? ne forte filij aliquod crimen committerent. In conuiuiis enim splendide apponuntur cibi, & ferculorum varietate gulæ relaxantur habenæ; pretiosissimi vini calices non desunt, quæ sæpe sæpius incalescente cerebro perturbatur ratio. Hinc iniuriosa verba, tumultus, & contentiones oriuntur: quæ præcauens prudentissimus pater orabat pro filiis, ne concordiæ, & beneuolentiæ signa discordiarum, & contentionum essent seminaria. Diuus Chrysostomus in 5. tom. homilia 45. quæ est de liuore, & inuidia aliam affert rationem, ea est, tanta filiorum apud Iob cura erat, vt non solum ab eis præsentia crimina desideraret auertere, sed etiam futura, & possibilia. Hoc enim denotant illa verba: *ne fortè peccauerint.* Audi Chrysostomum, *ita filios Iob expiabat: nam qui pro incertis sacrificia offerebat, multò magis certorum pœnas exigebat.* Bonus Præsul, & diligens pater non solum filiorum, aut subditorum peccata certa præcauere debet, sed incerta, qualia sunt futura, aut possibilia: ideoque sanctus Iob sacrificia pro incertis filiorum peccatis offerebat, quantum in se erat, illa impediens. Qui enim gubernatoris, siue domus, siue ciuitatis, siue prouintiæ suis humeris onus imposuit, non solum crimina, quæ actu perpetrantur, corrigere, aut punire debet, sed & quæ committi possunt, impedire, & quasi lynceo polleret visu, quæ è regione posita sunt, præuidere. Ob id in summi sacerdotis pectore inuenio lyncurium, qui ex vrina lyncis terræ admixta coagmentatur; vt disceret Pontifex, quod quemadmodum lynx obiecta è regione posita visus perspicacitate conspicit, sic suorum subditorum mores, non tantum illi, qui neminem latent, sed etiam abditos, & possibiles videre, ex suo munere tenetur.

ILLATIO CLXIX.

Abiectos, & contemptibiles potentibus, & diuitibus præferre, est commendabilis animi excellentia.

NIhil apud mundanos paupertate contemptibilius: nam pauper etiam proximo suo inuisus est. Dum quis est diues, multos numerat amicos, qui, si egestate sordescat, ab omnibus deseritur, & despicitur. E contra verò abiectos. & contemptibiles æstimare, & potentibus, & diuitibus anteferre, magnæ, & omni laude dignæ virtutis est. 10.

Purpureo ornatu in sede maiestatis sedens vniuersum orbem iudicaturus, segregatis bonis à malis, illosque ad æterni regni possessionem vocans, & tantæ felicitatis indicans causam, ob cibum videlicet, & potum ad famem, & sitim subleuandam oblatos, interrogatus, quando eum pauissent, respondet Christus Matthæi vigesimo quinto, numero quadragesimo. *Quandiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Miratur Caietanus hæc verba exponens, Christum Dominum regia purpura ornatum, cum potestate magna, & claritate in throno excelso sedentem, & vniuersum mundum iudicantem pauperculos, & abiectos homines appellasse fratres. Quare, ô rex regum, magnates, & proceres fratres non appellas, & quasi solum pauperes fraterno vinculo haberes coniunctos, de illis solum mentionem facis? respondet purpuratus doctor. *Considera quoque quod quamuis rex in sede maiestatis tantæ, non dedignatur tamen appellare fratres suos pauperculos suos.* Quia Christus tunc regio splendebat diademate redimitus, obinde pauperculos suos, non diuites, non proceres, non reges, non imperatores, fratres appellat. Nam abiectos, & contemptibiles magnificere, regiæ maiestatis est excellentia. 11. Ma. 25. n. 40. Caietanus.

Lucæ 16. numero 19. & 20. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.* Nota diuitis nomen ab Euangelista omissum, pauperis autem, & mendici relatnm. Sed cur; suppresso nomine refertur diues; pauper vero, & abiectus proprio nomine insignitus? vt intelligas, pluris Deum facere pauperem, quam diuitem; abiectum, quàm sericis purpuris indutum; humilem, quàm turgentem. Patronum accipe Chrysostomum homilia de diuite in secundo tomo 12. Luc. 16. n. 19. & 20. Chrysost.

Iob 1. num. 5.

Chrysost.

tomo sic dicentem. *Vide misericordiam Dei. Lazarus pauper, quoniam sanctus erat nominatur: iste verò dives, & superbus, nec nomine quidem dignus habitus est.* Lacerna pannosa, & lacerata pluris à Deo habetur, quàm purpura, & byssus: ideoque dives contemnitur, & nomen eius supprimitur; pauper vero nomine insignitur proprio, vt ex nomine ab omnibus cognoscatur.

13. Adhuc placet diuitis, & paupetis exitus expendere. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Lucæ 16. numero 22. Chrysostomus tom. 5. homil. de diuite ait: *paradisus pauperis sinus erat Abrahæ.* Audi modo, quibus amplexibus susceptus fuerit dives post mortem. *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno,* ibidem. Vide, quàm disparsit vtriusque exitus. Ille in sinu Abrahæ requiescit; iste æternis flammis circundatur. Quid mirum: si ille pauper, mendicus, contemptibilis, & patiens; iste dives, impius, & superbus?

Luc. 16. n. 22 Chrysost. Lucæ ibid.

14. Vidimus quanta excellentia polleat, qui diuitibus præfert pauperes, cum omnipotentis Dei naturam imitetur. Nunc restat, idipsum ab inconuenienti confirmare, vt in omnium cordibus firmiter adhærat pauperum æstimatio. Inconueniens est: regni, aut reipublicæ esse excidium, quando diuites, & potentiores opprimunt abiectos & pauperculos. Genes. 18. numero 20. *Dixit itaque Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggranatum est nimis.* Chrysostomus homilia 42. in Genesin legit: *& peccata eorum magna valde.* Sed quænam fuere hæc peccata, quæ sic grauiter iram Dei excitarunt? ad duo genera peccatorum ea reduxit Chrysostomus his verbis: *nam quod clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, opinor significare; quod præter infandum illud flagitium, nullaque venia dignum, alia quoque scelera multa patrabant, insurgentes potentiores contra inualidiores, diuitesque contra pauperes.* Duo flagitia præcipuè committebant illæ gentes. Infandum illud peccatum, quod propter suam malitiam, nomine prorsus caret: Sodomicum vulgo dicitur à pessima illa gente. Alterum, quo clamor ad cœlos multiplicatus est, vt illi homines punirentur, erat, quod diuites insurgebant contra inualidiores, & pauperes opprimebant. Hinc illarum ciuitatum infelix excidium: nam pauperes opprimere, & in abiectos, & humiles insurgere, reipublicæ, & regnorum subuersionem annunciat, & meretur.

Gen. 18. n. 20.

Chrysost.

15. Inter lyncurij, aut lygurij proprietates non contemnenda est illa, qua dicitur hæc gemma pollere, attrahendi palleas. Non refertur de ea, quod pretiosa attrahit, sed abiectas paleas, quibus non absre pauperes, & contemptibiles intelligemus: in quo instruebatur sacerdos, vt semper præ oculis pauperum gerat curam, eosque præferat diuitibus. Quantum vero hoc præsulis, aut antistitis extollat excellentiam, suis radiis indicabat lygurius.

ILLATIO CLXX.

Aliquot eleemosynæ referuntur. excellentiæ.

PAuperum curam commẽdauimus illatione præcedenti ducta occasione ex quadam proprietate, aut virtute lyncurij, qua paleas attrahit, auro, aut aliquo pretioso contempto. Ex his libet, pauperum iterum, vt subueniatur, recordari indigentiam. Sed quia hoc præstat eleemosyna, operæpretium duxi, aliquot eius adducere excellentias. 16.

Est ergo eleemosyna largientis anima, & dum extensa manu pauperum occurrit egestati, nuditatem eorum operiens, aut alens vitam, vitam quoque ipse largitor inuenit. Hoc ni fallor intendebat Dauid cum Psalm. 118. num. 109. canebat: *anima mea in manibus meis: & legem tuam non sum obliuius.* At quid est, propter quod tanta fiducia accinit Dauid semper animam suam in manibus suis portare? anima rationalis non solum manus, verum exiguam corporis particulam indiuisibili nexu, & præsentia informat: cur ergo in manibus, non in capite, in quo præcipuè resident potentiæ, animam habere, decantat Dauid? diuus Petrus Damianus sermone 47. qui primus est de exaltatione crucis præfata verba largienti eleemosynam accommodat, dum ait: *manus illæ, quæ fundauerunt cœlos extensæ sunt in cruce, clauisque transuerberatæ durissimis, vt manus tuæ extenderentur ad inopem, & dicere posses: anima mea in manibus meis semper.* Ait exgo Dauid, animam suam semper in manibus portare; quia semper manus ad pauperum miseriam subleuandam extendebat. Quasi diceret: anima mea in manibus meis semper, quia manus meæ ad pauperes extenduntur; ac si nulla sui corporis pars viueret, nisi manus quibus eleemosynam erogabat. Viuebat caput, vitaque fruebantur reliquæ partes, quibus anima sua informatione assistebat; at in æstimatione Dauidis, anima solum in manibus habere habitaculum videbatur, quia ad eleemosynam elargiendam erant instrumenta; & in eis solum vitam assistere, quæ leuamen pauperibus ministrabant. Mira est expositio diui Ambrosij ad præfata verba. Nam vbi vulgata editio legit: *anima mea in manibus meis semper:* legendum putauit diuus Ambrosius. *Anima mea in manibus tuis semper.* Difficilis primo aspectu apparet assertio sancti Ambrosij. Nam quid habent manus Dauid, vt cum diuinis confundantur, & vbi vulgata legit; *in manibus meis:* legendum putet sanctus Ambrosius; *in manibus tuis.* An quia manus Dauidis sint Dei manus: vel quia Dauidis anima sit semper in Dei manibus? profecto, vtrumque putarem. Nam cum per manus Dauidis eleemosynæ elargirentur quasi manus Dei sunt, quæ ad pauperes extenduntur. Item: idem prorsus videtur; Dauidis animam in suis, ac in Dei manibus esse: quia anima, quæ pauperibus succurrit, in Dei manibus requiescit. Vel dicito, si placet, Deum super vlnas portare animam elargiẽtis eleemosynam in signum æstimationis. Ac si hispane dicerem

17. Psal. 118. n. 109.

Petr. Dam.

Ambrosius.

lleua Dios en palmas el limosnero, que es la maior estimacion.

18. Affectu religioso Magdalena, cum Dominus apud Simonem Leprosum discumberet, vnguento nardi pistici pretiosi vnxit caput Iesu. Matth. 26. n. 7. & Marci 14. n. 3. apud Ioan. 12. n. 3. etiam pedes eius vnxisse legitur, & domum impletam fuisse ex odore vnguenti. Quod cum vidisset Iudas indignatione plenus vnico verbo in Christum, & Magdalenam pestiferi cordis virus euomuit, hanc prodigalitatis nota inurens, & Dominum indignum tanti obsequij putans. Ioannis 12. numero 5. Io. 12. n. 5. *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis?* dixit Iudas, pietatis velamine inuidiam, & impietatem cælans: aut quia vt fur cupiebat, pecuniam pauperum rapere. Si Matthæum, & Marcum consulas, murmuratio hæc omnibus discipulis tribuitur, non quia murmurassent, sed quia consortium habebant cum proditore: nam Iudæ praua societas velut infecit reliquos. Ioannes soli Iudæ, cuius fuit indignatio præfata verba tribuit: nam huic Iesus leniter, & blande respondit, ibid. nu. 7. dicens: *sine illam, &c.* ibidem numero 7. quanuis Marcus: *sinite illam*, vt consequenter Ma. 14. n. 6. procedat, scripserit. Sanctus Gaudentius tractatu decimo tertio, inquirit: cur Christus, quem non latebat scelerati cordis discipuli malitia, publice, & seorsim illum non reprehendit, sed in Gaudentius. communi dicens: *sinite?* audi Gaudentium respondentem. *Quanuis ergo Dominus Iesus conscientiæ iudex esset, noluit tamen Iudam de occultis eius acrius increpare, ne, quoniam verisimili ratione videbatur locutus, putaretur forsitan iniustè correptus.* Expende illud: *ne, quoniam verisimili ratione videbatur locutus, &c.* Sed quænam est hæc verisimilis ratio, quæ videtur Iudam defendere, ne à Domino sceleſtam conscientiam cognoscente reprehendatur? quia dixerat, pretium vnguenti egenis dari oportere. Quia ergo Iudas, etsi simulato animo eleemosynam procurauit, quanuis ipse calumniæ solus reus esset, à reprehensione excusatur. tanta est eleemosynæ excellentia, vt vel ipsum Iudam reddere à reprehensione exemptum, quanuis illam simulantem; ne correptio videretur iniusta, quæ eleemosynæ largitorem increpabat.

19. Multa, & saluberrima Christus docuerat discipulos, inter quæ, hoc erat non omittendum: *estote ergo misericordes, sicut & pater ve-* Luc. 6. n. 36. *ster misericors est.* Lucæ 6. numero 36. Haud facile est, adimplere, quod dixit Christus. Nam quî fieri potest, quantacunque misericordia abundent discipuli, vt cœlestis patris æquent misericordiam? aut cur patrem illum cœlestem discipulorum patrem appellat? Damascenus libro 2. Parallelorum capite 16. litem hanc sedat, per misericordiam beneficientiam, aut eleemosynæ largitionem intelligens. Si ergo eleemosynam erogamus, patrem absque dubio habemus cœlestem, & ei aliquatenus, sinon æquales, similes reddimur. *Estote enim, inquit, misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Vna quippe est beneficentia, quæ aditum ad diuinam cognationem nobis mu-* Damascenus *niat.* Hæc Damascenus, quibus de eleemosyna nihil illustrius excogitari potest. Nam quid excellentius, quàm ad cognationem diuinam eleuari?

ILLATIO CLXXI.

Diuinum tribunal velut corrumpitur eleemosynis; & diuinus iudex eis ex iusto fit misericors.

20. MAgna est eleemosynæ excellentia, vt præcedenti ostendimus illatione: videre nunc restat, quanta sit eius efficacitas. Mirum est quod ait Damascenus libro 2. Parallelorum, Damascenus capite decimo sexto. *Iudex noster per pauperes corrumpitur. Fac igitur per pauperis manum iudicis posticum pulses. Etenim ille munera sua per eum accipit, ac leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex iusto benignus efficitur. Accipit, inquam, & veritati misericordiam anteponit: ac cum peccatorum lance pauperum manum contra perpendit.* Si ergo iudex noster per pauperes corrumpitur: ergo eleemosyna tanta pollet efficacitate, vt sit apud Deum iudicem quasi ambitus, & sollicitatio, vt parcat largitati.

21. *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.* Matthæi 10. numero decimo quarto, præcepe- Ma. 10. n. 14 rat Christus suis discipulis. Sed nisi sensum horum verborum medullitus penetremus satis nimius videtur extitisse Christus. Quid inde quod puluerem de illa domo, vel ciuitate discipuli reportarent? aut ad quid minutulam illam substantiam de pedibus, iubet excutere? diuus Hieronimus libro decimo tertio in Ezechielem, capite quadragesimo secundo, putat, obinde Dominum id præcepisse, quia seuere ciuitatem illam iudicaturus erat, vt constat Matthæi 10. numero 15. vbi ait Dominus: ibid. nu. 15. *amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Noluit ergo Dominus, quod discipuli ex illa ciuitate, à qua repulsi fuissent, vel tenuissimum puluerem reciperent, ne ab ea aliquid recepisse, quod eleemosynæ speciem haberet, videretur, & seuerum iudicium in benignum, & pium fauorem conuerteret. Accipe diuum Hieronimum: *imperat Apostolis, vt quamcum-* Hieron. *que ingressi fuerint ciuitatem, & non susceperint eos, excutiant pedum suorum puluerem: quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur.* Vsque dum discipulis præceperat Dominus puluerem de pedibus excutere, seuerum iudicem ciuitatis illius inhumanæ non se declarauit; quasi effigiem eleemosynæ in pulueris fortuita acceptione veneratus, aut veritus. Nam vbi Dominus vel effigiatam videt eleemosynam, punire non audet; imo iudicis rigorem in clementiam conuertit

22. Non ob aliam causam Deus per Oseam capite 6. numero 6. dicebat: *misericordiam volo,* Oseas 6. n. 6. *& non sacrificium.* Chrysologus sermone 8. Chrysolog. hoc desiderium de eleemosyna explicat. *Humanam* (inquit) *misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est enim in cœlis misericordia, ad quam*

per

per terrenas miſericordias peruenitur. Hinc inſurgit dubium: quare eleemoſynam præponit Deus ſacrificiis? holocauſtis, & victimis Deus placabatur, & populi conſequebatur remiſſio: quare ergo Dominus deſiderat eleemoſynam repulſis ſacrificiis? ideo pietatem humanam petit, & egenorum ſuffragia deſiderat Deus, vt ſuæ iuſtitiæ temperet rigorem. Eleemoſyna enim ſeueram iuſtitiam in benignum fauorem conuertit. Adſit erga pauperes pietas, & per illam quaſi corrumpitur æquiſſimus iudex. Perbelle Chryſologus ibidem: *Dicturus cauſam in iudicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume.* Sed quî hoc verificari poterit? an quia quando adeſt miſericordia, aut eleemoſyna ſententiam mutabit immutabilis, & ex iuſto iudice fiet benignus? ita eſt. Audi.

23. Ionas 3. n. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*: prædixerat Ionas capite 3. numero 4. ciuitati magnæ, & peccatorum Metropoli. Si tamen perquiras euentum, nullam illius ciuitatis ſubuerſionem inuenies. Cur ita? varia dixere Chryſolog. varij: ad rem noſtram reſpondet Chryſologus ſermone 7. his verbis: *qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolum cauſam præuenit, anticipat cognitorem, ſed etiam ſententiam reuocat, abſoluit addictos. Quod Niniuitæ probant, quos iam ſententiæ ſubiectos, pœnæ traditos, ad victimam ſtantes, morti deditos, miſericordia ſic rapuit, ſic tenuit, ſic præuenit; vt maluerit Deus deduci ſententiam, ne miſericordiæ quid negaret.* Ita efficaces ſunt preces, quas mutis vocibus effundit eleemoſyna (hanc vocat Rauenas miſericordiam) vt ſententiam à Deo iam latam valeat reſcindere: *ſententiam reuocat, abſoluit addictos.* Quid dicis vox aurea? ne ita extollas eleemoſynam, vt diuina decreta reprimas, & multabilitatis nota inuras, quæ quia æterna immutabilia ſunt! profunda, vt aſſolet, eſt mens Chryſologi. Certum namque eſt, diuina decreta mutabilitati non ſubiacere. Illud de Niniuitis ſubuertendis, vel comminatorium fuit, vel conditionatum, quod ex euentu conſtat. Mens ergo Rauenatis eſt, Deum nunquam ſuum mutare decretum, nam eo modo, quo illud decreuit ab æterno, exequitur in tempore: at ſi aliquo eſſet mutandum, maxime miſericordia, aut eleemoſyna. Tanta eſt eius efficacitas.

ILLATIO CLXXII.

Ipſum Deum alit, quod pauperibus erogatur.

24. QVam commendabilis eleemoſyna ſit, non ſatis diceremus plurimis paginis, cum de ea apud Patres Eccleſiæ innumeras legamus. Verum meo videri ex eo redditur commendabilior, quod tanta polleat virtute, vt quod pauperi erogatur, Deum ipſum alat. Non hoc tacuit Auguſtinus: nam ſermone 5. de verbis Domini ſic ait: *quam frontem habes petendo ad Deum tuum, qui non agnoſcis patrem tuum? ille nihil portat, tu nimium oneratus es: da illi, de eo, quod habes, & illum paſcis, & pondus minuis.* Nihil eſt Auguſtinus. in his verbis notatione indignum: ſed expendas, quæſo illud: *da illi de eo, quod habes, & illum paſcis.* Sed quando paſcitur Deus? quando pauperi, & egeno alimentum tribuitur.

Quid aliud indicat illud Chriſti Domini apud Matthæum 25. numero 35. *Eſurui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c.* Chryſologus ſermone decimo quarto peracutè notauit: *Non dixit, eſurienti pauper, & dediſtis illi manducare: ſed eſurui ego, & dediſtis manducare mihi.* Cur ita loquitur, redeat Rauenas ibidem, *ſibi datum clamat, quod pauper acceperit, ſe manducare, dicit, quod comederit pauper: quod biberit pauper, ſibi teſtatur infuſum.* Quid clarius? id ipſum ex Damaſceno lib. 2. Parallelor. cap. 16. confirmare libet. *Quidquid beneficij* (inquit) *atque eleemoſynæ pauperibus impertis, id Chriſtus ſibi vendicat. Eſurui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Ergo quod pauperibus erogatur, abſque dubio alimentum eſt Chriſti. 25. Ma. 25. n. 35. Chryſolog. Damaſcenus.

Inuitatus Ieſus à quodam Phariſæo manſit apud illum, accubuit, ferculum pœnitentis mulieris expectans, quæ lachrymis rigauit pedes eius. Lucæ 7. etiam Lucæ 9. idem Dominus apud Zachæum excipitur. Laurentius Nouarienſis homilia prima, ſic ait: *apud Zachæum manſit, apud Phariſæum manducauit.* Ecce iam dubium, cur Dominus apud Pariſæum manducauit, & apud Zachæum tantum hoſpitatur? in domo Phariſæi veriſimile eſt manducaſſe, ſiquidem Lucæ 7. dicitur, accubuiſſe: in domo Zachæi ſolum manſiſſe legitur: quare ergo illic manducaſſe, dicitur, & non hîc? putarem, quod apud Zachæum, expreſſe dicitur, cibum ſumpſiſſe. Quia de Zachæo refert Lucas capite decimo nono, numero octauo. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Pauperibus conſignat Publicanus dimidiam ſuorum bonorum partem: ergo clarè dicitur comediſſe Chriſtum. Nam cum Zachæus egenis alimoniam diſtribuit, tunc Chriſto epulum dedit lautum, & ſplendidum. *Nam quidquid beneficij, aut eleemoſynæ pauperibus impertis, id Chriſtus ſibi vendicat*, ait Damaſcenus. Merito ergo apud Publicanum non dicitur manducaſſe Chriſtus; quia id eſſet ſuperfluum, quando ibi pauperes alebantur. 26. Laur. Nouar. Luc. 19. n. 8.

Tres viros Abraham alacri animo ſuſcepit hoſpitio; angelos, imo ipſum Deum hoſpitem ſuſcepit. Geneſ. 18. Chryſoſtomus conc. 2. de Lazaro rem hanc expendens hoſpitalitati, & miſericordiæ Abrahami erga pauperes, & peregrinos hanc felicitatem attribuit. *Pro foribus ſedens* (loquitur de Abraham) *introducedat prætereuntes omnes, & quemadmodum piſcator iacto in mari rete, piſcem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum, & margaritas: itidem & hic reti captans homines, piſcatur tandem, & angelos.* Diuus Ambroſius lib. de Abraham capite quinto, non ſolum angelos, ſed & ipſum Deum hoſpitaſſe aſſeruit. *Deinde quî ſcis* (loquitur cum largiente eleemoſynam) *an Deum ſuſcipias, cum hoſpitem putas, Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium, Deum atque Angelos eius hoſpicio ſuſcepit.* Sed cur Deus apud Abrahamum hoſpitari 27. Chryſoſt. Ambroſius.

permittitur? nihil nouum: quia cum antea in peregrinantibus hoſpitaretur; voluit hoc in ſeipſo manifeſtare, vt oſtenderet, ipſi elargiri, quod pauperibus largiebatur.

ILLATIO CLXXIII.

Magna lucra proueniunt ex elemoſyna.

28. Chryſolog. LVcra, quæ ex elemoſyna proueniunt ſatis pretioſa ſunt: ea mirificè explicuit Chryſologus ſerm. 25. loquens ſic de eleemoſyna: *vſura mundi centum ad vnum: Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt, habere contractum.* Manus comprimere, & eleemoſynam negare, puto prouenire ex fidei defectu. Nullus eſt, ſi auaritiæ, aut cupiditatis morbo laborat, qui ſi fieri poſſet, centum pro vno non deſideraret. Hoc præſtat eleemoſyna; & tamen homines hanc contemnunt vſuram: forſan quia non credunt, hæc lucra ex eleemoſyna prouenire.

29. Ma. 14. n. 19 & 20, Numeroſa turba Chriſtum ſequebatur per deſertum cœleſti verbo paſta, ſed alimoniæ corporalis egena famis premebatur anguſtiis. Miſertus eſt Dominus ſequentis turbæ, & quinque panibus, & duobus piſcibus non ſolum aluit, ſed ſaturauit: *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cœlum, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis: & manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt, & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum.* O magnum diuinæ potentiæ, & liberalitatis inſigne! ſed cur, piiſſime Deus, panes, & piſces frangis, ſi vt eos multiplicares ad omnem turbam alendam: hoc ſuperfluum videtur; nam ſicut omnia de nihilo feciſti, poſſes & panes, & piſces multiplicare. Quare ergo eos diuidis, & in fragmenta diſſecas? diuus Hieronymus in catena ſancti Thomæ ibidem ad noſtrum reſpondet inſtitutum. *Frangente autem Domino* (inquit) *ſeminarium fit ciborum: ſi enim fuiſſent integri, & non in fruſta diſcerpti, & non diuiſi in multiplicem ſegetem tantam multitudinem alere non poterant.* Diuiſit Chriſtus panes, vt diſtribueret egenis, en tibi cauſa tanti miraculi. Quod eſt dicere: quia Chriſtus Dominus panes illos diuiſit, ideo in multiplicem ſegetem creuerunt. Nam illud, quod diſcerpitur, vt pauperibus erogetur, augetur abſque dubio.

Hieron.

30. Luc. 19. n. 8. Non ignarus huius efficacitatis eleemoſynæ Zachæus ille dixit ad Ieſum: *Ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Lucæ 19. num. 8. ſed quid ais, ô publicane, maiori conſtringeris obligatione reſtituendi, quàm erogandi eleemoſynam: ad illud te iuſtitiæ ius obligat; ad iſtud miſericordiæ lex: & maior eſt abſque dubio illa quàm iſta obligatio. Reſtitue ergo prius, & ſi reſtitutione facta, bona tibi ſuppetant, eroga pauperibus. Quare ergo eleemoſynam reſtitutioni præponis? ſatis cordate. Deſiderabat Zachæus iniuſtè retenta ſuis creditoribus reſtituere, imo & reddere quadruplum: vt id obtineret, prius dimidiam bonorum partem pauperibus impertiuit, iudicans certo ob eleemoſynam bona ſua fore multiplicanda, ita vt poſſet quadruplum reſtituere. Diuus Chryſoſtomus tomo ſecundo, ſermone de Zachæo id attigit his verbis. *Miſericordia reddidit, quod rapina abſtulerat, conferunt dona, quod fraudes ademerant. Dona enim pauperum lucra ſunt animarum: vt probabile cunctis exiſteret, malis quæſtibus damna, in miſericordiæ operibus lucra maxima aggregari.* Elegit Zachæus, vt medium, eleemoſynam ad multiplicanda bona. Nam ita vberes fructus, & pretioſa lucra ex eleemoſyna proueniunt, vt non dubitauerit, prius pauperibus ſuorum bonorum dimidium impertire Zachæus, ſperans ſic bona ſua multiplicanda, vt quadruplum poſſet reſtituere.

Chryſoſt.

Quando Magi ab oriente venerunt, adorare Dominum, ducuntur ab ſtella: *& ecce ſtella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, &c.* Matthæi 2. numero 9. Adorato iam Domino, eique oblatis muneribus: *reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* ibidem, numero decimo ſecundo, ſanctus Thomas hæc expendens ſic ait: *fit hæc reſponſio per ipſum Dominum, quia nullus alius viam reuerſionis inſtituit.* Inquirere libet: cur quando Magi Dominum quærunt, vt adorent, ducuntur ab ſtella: quando reuerſuri ſunt in regionem ſuam Deus ipſe, & loquitur, eos & ducit per viam? ideo factum puto, quia Magi donis Domino oblatis egeſtati illius ſubuenerunt. Iacebat in præſepio Deus infans pauperrimis pannis inuolutus: Magi ditarunt auro, myrrha, & thure, qui omnes ditat. En tibi cauſa, ob quam ab ipſo Deo ducuntur, in miſericordiæ eorum premium. Nam qui Deo egenti ſuccurrit tali mercede dignus eſt. Qui pauperi ſubuenit, Deo ſuccurrit, iuxta illud Matthæi 25. numero 40. *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ergo ſi ille, qui Deo ſuccurrit, dignus eſt à Deo comitari, & duci, vt patet in Magis: qui pauperi ſubuenit, & in iſto, Deo, dignus eſt procul dubio tanta mercede.

31. Matth. 2. n. 9 ibid. nu. 12. S. Thomas.

Ma. 25. n. 40

Hæc eleemoſynæ lucra egregio explicuit exemplo Cæſarius Arelatenſis homilia vigeſima quarta his verbis: *Arbor vlmea ſignificat hominem diuitem in hoc mundo. Sicut enim arbor illa ſublimis eſt, & amæna, & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicunque dives ſæculi huius quanuis ſublimetur honoribus, in multis facultatibus amænus, & iucundus eſſe videatur: tamen ſi ad vitem, id eſt, ad pauperem Chriſti eleemoſynarum ſuarum brachia, quaſi ramos piiſſimos humiliter non expandit, à fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit.* Diues ad pauperes manus non extendens, vlmus opaca, & infructuoſa eſt: ſi tamen viti, id eſt pauperi ſua folia communicet, vberrimi fructus ex eo prouenient. Eleemoſyna ergo tantæ virtutis eſt, vt reddat fructuoſam arborem.

32. Cæſ. Arelat.

ILLATIO CLXXIV.

Non quod fuit pœnitens, sed quod est, oportet attendere.

33. QVam crudelis, quam inhumanus est noster visus: semper quod dehonestare potest videt: quod decens, & gloriosum chimæricum putat: & si aliquis infeliciter quid ignominiosum contraxit, quasi macula illa fuerit indelebilis, semper iudicat permanere. Peccauit quis; improborum iudicio semper erit peccator. O impia, & Neroniana crudelior censura! Quasi nullam vim haberet pœnitentia abstergendi peccata, semper censetur peccator, qui peccauit. Fallitur absque dubio humana malitia: nam si peccator pœnitentiam egerit, & peccata eius fuerint vt coccinum, albus erit, vt lana munda. Si hoc non est verum: Quid de Matthæo, de Magdalena, de Paulo, & aliis pœnitentiæ viuis exemplaribus? Iudica ergo, non quod fuit pœnitens, sed quod est post pœnitentiam.

34. Cant. 1. n. 6. S. Thom. Villanou. Philo Carp. Origenes. Hoc petebat sponsa Cantic. 1. num. 6. cum sodales alloquitur: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol.* Quæ verba expendens D. Thom. à Villanou. serm. 2. de natiu. Domini, sic ait: *Nolite me considerare, quod fusca sum, sed considerate etiam, quia formosa sum: nolite aspicere idololatriæ præcedentis nigredinem, inspicite magis succedentis fidei eximium decorem.* Id ipsum senserat Philo Carpath. ad præfata verba, cum dixit; *Nigra, vel fusca sum propter delicta; formosa ob pœnitentiam.* Clarius & antiquius id dixerat Origenes homil. 1. in Cant. vbi sic quærit: *Quærimus autem, quo modo nigra, & sine candore sit pulchra?* Respondet Adamantius: *Pœnitentiam egit à peccatis, speciem ei largita est conuersio, & ideo speciosa cantatur.* Anima ad Deum conuersa, tametsi ante conuersionem, peccatorum nigredine fusca, & horribilis extiterit, per pœnitentiam speciosa facta est. Vult ergo sponsa, hoc est, anima sancta, dum sodales alloquitur, vt præsentem pulchritudinem, non præcedentem deformitatem attendant. Iniuriosum, & graue nimis est, pœnitentibus præcedentis vitæ cineres imponere. Nam sic per pœnitentiam mundatur anima à peccatis, vt vix eadem appareat, quæ præcesserat.

35. Ioan. 11. num. 1. Basil. Seleuc. Consonat huic cogitatui quædam expensio Basilij Seleuc. concione de Lazari exsuscitatione, qui expendens illa verba Ioannis cap. 11. n. 1. *erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & terfit pedes eius capillis suis:* ait Seleuc. *Mariam hanc non esse meretricem illam, cuius apud Lucam fit mentio: Hæc enim alia est ab illa.* Sententia Basilij magnam præsefert difficultatem; quia vt ex verbis Ioannis perspicue constat; Maria, quæ erat in castello Lazari, & Marthæ soror, eisdem signis notatur apud Lucam cap. 7. Nam vtrobique dicitur vnxisse pedes Iesu, & extersisse capillis suis. Quomodo ergo ait Basilius, Mariam Lazari sororem aliam fuisse ab illa, quæ apud Lucam memoratur peccatrix in ciuitate? Audi eundem Seleucum, & depones dubium. *Hæc enim alia est ab illa: siquidem mulier illa Scortum erat multis flagitiis coopertum; hæc autem honesta, & studiosa; vt quæ ex instituto quoddammodo circa Christi susceptionem, & ministerium esset occupata. Certum proinde est, hanc non fuisse illam, sed alteram illam Christus quoque susceptit.* Mens Basilij hæc est: in substantia, & in enitate eadem Maria est, quæ à Luca, & Ioanne refertur; sed quantumuis sit eadem, est diuersa: quia iam diuersis moribus eius vita fulgebat. Illa erat scortum, & ciuitatis scandalum; hæc honesta, & pœnitens: illa iuuentutis laqueus; hæc pœnitentium speculum. Ergo eadem est, & altera. Quando apud Pharisæum lachrymis cœpit rigare pedes Domini, adhuc erat peccatrix, vel peccatricis habebat speciem, licet iam lachrymis abluisset peccata: apud Lazarum pœnitens, & conuersa. Ergo alia est, etiamsi sit eadem. Hoc præstat pœnitentia. Iniuste ergo quis ob præterita crimina argueret pœnitentem, quem etsi eundem in persona, in moribus, & in vita alium conspiceret.

36. Lyncurius discoloratis prodest, & pulchritudinem vultus, quam ob defectum coloris amiserant, mira reparatione restituit, ita vt lyncurium gestans colore iam restituto alius appareat à priori. Sic pœnitentia ita excellens est, vt nitorem gratiæ, quem infeliciter amiserat anima, restituat deformitate peccatorum expulsa. Et sicut ille, qui antea ex defectu coloris deformis apparebat, eo recuperato, pulcher, & aspectu dignus apparet: non aliter pœnitens à peccatorum sordibus ablutus diuino aspectu, & amore dignus existit. Cum ergo tantam sortitus est pulchritudinem, æquum non erit præcedentis ingredinis excitare memoriam.

ILLATIO CLXXV.

Amici simulati exitiales sunt, plus nocent, quam inimici manifesti.

37. PRetiosa gemma est amicus. Illi, qui veræ amicitiæ vinculo ligantur, non duo, sed vnus, aut vnus duo sunt. At verum, & fidelem amicum quis inuenier? Longe, & ab vltimis finibus pretium eius. Non ob hoc nego, veram amicitiam aliquando inter humanos reperiri: quod adstruo solum est, difficilem esse inuentu. Quam prudenter Seneca: *Omnia deliberа cum amico, prius tamen de ipso.* Rigorosum examen præmittendum est, an verus sit amicus, necne? Nam errare circa electionem amici, est error sensibilis, & irreparabilis. Plures enim sunt, qui amicitię specie vulnera insanabilia infligunt. Ob hoc dicebat Augustinus serm. 117. de tempore: *Vtiliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.* Amicus pie vulnerat: at inimici oscula, cum amicitiam simulatam contineant, irremediabile vulnus imponunt. Fugiendus est ergo simulatus amicus, vt exitialis, & quia plus nocet, quam inimicus apertus, & manifestus.

Seneca. Augustin.

38. Beneficiis offensus, & Christi blanditiis

ingratus auarus, & proditor ille infelix discipulus triginta argenteis pretium cœli, & terræ sacrilegia manu tradituras promiserat, signo dato ad pactum nefandum dicens: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Marc. 14 num. 44. cum autem veniisset dux ille iniquitatis ad locum, in quo Iesus orabat de more: *Osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in eum: & tenuerunt eum.* Hoc scelus expendens Augustinus serm. 120. de tempore, sic exclamat contra Iudam: *O signum sacrilegum! ô placitum fugiendum, vbi ab osculo pacis incipitur bellum, & per pacis indicium pacis rumpitur Sacramentum.* Si Augustinus acriter contra Iudam inueheretur sacrilegij infandi auctorem, non miraret; quia Dei filium tradebat, à quo innumera acceperat beneficia: at non Iudam, sed signum sacrilegum videtur detestari, dicens: *O signum sacrilegum! &c.* Voca (Doctor egregie) voca sacrilegum ipsum auctorem sacrilegij, siquidem maximum commisit sacrilegium. Cur ergo osculum sacrilegum appellas? Quia beneuolentiæ, & amicitię signum vertit in signum proditionis, & quod pacis erat indicium belli exitialis fit instrumentum. Miror, Augustinum vocare sacrilegium osculi peruersionem. Nunquid violare amicitiæ iura, est sacrilegium committere? Non id negaret Augustinus in præsenti: at sic loquitur, quia in osculo Iudæ venenum, simulatæ amicitiæ propinabatur. Ab amico simulato tanquam à veneno, & velut à sacrilegio fugiendum est. Ita sacra debent esse amicitiæ iura, vt, illa simulate frangere, sit velut sacrilegium.

Marci 14. num. 44. Ibid. n 45. & 46.

August.

39. Inimicus Christi erat Iudas, quia pecuniarum erat amicus; attamen hostilitatem cooperiebat amicitiæ & beneuolentiæ velamine. cum autem osculo amoris, & amicitiæ magistrum traderet sacrilegus, dixit ei Christus in ipso limine traditionis. *Iuda, osculo filium hominis tradis.* Lucæ 22. num. 48. Hæc verba magnam emphasim continent, vt ibidem notat Ambros. *Hoc est, amoris pignore vulnus infligis? & Charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? seruus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem?* Ita execrabile est, amicitia ad proditionem, charitatis officio ad effundendum sanguinem, & pacis instrumento vti ad mortem, vt vel ipse miretur Christus, cum à Iuda traditur osculo. Sed cur in admirationem rapitur, qui sacrilegæ proditionis conscius erat? Quia vix credi potest, hominem tanta abundare malitia, vt simulet amicitiam, & eam fingens tantum flagitium committat. Execratur ergo ficta amicitia, eo quod sit peste ad nocendum efficacior.

Lucæ 22. num 48. Ambros.

40. Æternis flammis æstuabat dives, & qui sæpe in Lazarum fuerat inhumanus, ab eo expectabat humanitatem, ob indeque dicebat: Lucæ 16. num. 24. *Pater Abraham miserere mei; & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Repulsam passus est dives, sed instat iterum. *Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum patris mei.* Ibid. num. 27. Quis hæc audiret à diuite, qui non putaret, cum Lazaro iam amicitiam iniisse, ipsiusque consortium velut chariſſimi amici desiderasse? Mitte ad me Lazarum, pater Abraham, dicebat infelix: tanquam amicum vocat, quem toties tanquam inimicum fugerat. Sed Chrysologus serm. 113. malitiam, & fraudem diuitis denudauit. Dives hic non est verus, sed simulatus amicus, & amicitiæ specie, vt plus noceat, venenum pestiferum propinare vult. Audi Rauenatem. *Sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire, quem prima petitione ad suos reuocare non potuit cruciatus. Ante dixit: Mitte ad me. Modo dicit: Mitte ad fratres meos. Dolet, agit infelix, ne videat felicem, quem aliquando putauerat infelicem.* Duplici via intendit auarus Lazarum reddere infelicem; & in vtraque inimicitiæ venenum erat absconditum sub pietatis, & amicitiæ specie. Primo petit ab Abrahamo, vt ad se mittat Lazarum, non tam vt refrigeret linguam eius, quam vt eisdem cruciatibus torqueretur. Secundo: ad suos fratres mitti desiderabat, vt pristinis vulneribus afflictus præteritos gemitus prosequeretur. In vtraque petitione amicitiam cum Lazaro simulabat dives, vt duplici ictu eius felicitatem non solum vulneraret, sed perderet.

Chrysolog.

Quam detestabilis sit simulata amicitia satis expendit Tertullianus lib. de patientia c. 3. cum fere omnia vsque ad noctem, in qua Christus tradebatur, retulisset, tunc tanquam egregium facinus sustinendi simulatum amicum patientiam summopere extollit. Nasci se Deus in vtero matris patitur, & tempus natiuitatis expectat: natus adolescere sustinet, & adultus, non gestit agnosci, sed contumeliosus sibi est, celans suam diuinitatem: à Ioanne seruo suo tingitur in Iordane: tentatoris permittit congressus in solitudine; & solis verbis repellit: nullum, volentem sibi adhærere, non suscepit: nullius mensam, tectumque despexit: non peccatores, non publicanos est aspernatus: non est iratus illi ciuitati, quæ eum accipere noluerat; imo cum discipuli tam contumeliosum oppidum igne cælesti consumere voluissent, increpauit eos: ingratos curauit, & insidiatoribus cessit: & tandem ipse lauandis discipulorum pedibus ministrauit. Post hæc sic prosequitur Tertullianus. *Parum hoc, si non etiam proditorem secum habuit, nec constanter denotauit.* Pamelius ad hæc verba. Ly. *denotauit*, id est, *ostendit*, vel *arguit*, explicuit ex D. Cypriano. Sed non possum non inquirere à Septimio: parum est, æternum Verbum Patri consubstantiale se ipsum exinaniisse formam serui accipiens? Parum: in vtero nasci, natum adolescere, & adultum nõ agnosci gestire? Parum: in Iordane tingi à seruo: in deserto dæmonis congressus permittere, & solis verbis repellere? Parum: omnes recipere, peccatores, & publicanos non aspernari? Parum: omnium Dominum ciuitatem rebellem igne de cælo misso non euertere; ingratos curare, insidiatoribus cedere, & lauandis discipulorum pedibus, seruili, & abiecta humilitate ministrare, si proditorem Iudam secum non haberet? Parum profecto, si Iudam non sustinuisset, qui simulata amicitia venenum

41.

Tertullian.

proditio

proditionis occultabat. Nam ita detestabilis est simulatas amicus, vt illum sustinere non solum egregium facinus, sed omnium maximum sit putandum.

42. Lygurius venenum indicat. Damnum aperire, vt apponatur remedium magnæ virtutis est. Veneno cognito, haud difficile est, antidotum præparare. Simulata amicitia venenum est pestiferum: occulte, & sub benevolentiæ velamine nocet mortifere. Hoc aperire summa laude dignum. *Grauissimum inimicitiæ genus esse corde aduersarios, & lingua simulate deuotos*, ait Cassiodorus in Psalm. 54. Plus enim nocent, qui amicitiam mentiuntur, quam qui inimicitiam pandunt. Ab hostibus declaratis facillimo negocio nos defendimus; difficulter ab occultis. Horum venenum non inepte intelligimus, indicare Lyngurium, cum absolute de illo referatur, venenum pandere.

ILLATIO CLXXVI.

Absentia Dei voluntaria fructuosam eiusdem promittit præsentiam.

43. SI quis in triumphali illo suæ ascensionis die Christum Dominum in montem oliuarum, inde in cælum propria virtute eleuari intueretur oculis, vel fidei lynceo, etsi obscuro penetraret obtutu; nonne putaret discessum hunc amori, quem erga nos ostenderat, refragari, quorum consortio delitiari prædicat? Si primo aspectu res consideretur, & vt exterius iacet, expendatur, ita apparet. Sed O mira domini benegnitas, & nunquam satis laudata pietas! si quidem hac absentia distantias impedit, & vicinitatem consequitur. Sæpe sæpius Deus ob nostra crimina discedit à nobis. Infausta calamitas sanguineis lachrymis plangenda: sed felix planctus, qui Deum alacrem reducit. Cum autem Deus non ex nobis occasione sumpta, sed voluntarie à nobis discedit, fructuosam, & gratiis plenam promittit præsentiam.

44. 4.Reg.2. num.10. Postula quod vis, vt faciam antequam tollar à te, dilecto Eliseo dixerat Elias 4.Reg. 2. n. 10. cui discipulus confidenter respondit: obsecro, vt fiat in me duplex Spiritus tuus. Petitionis difficultatem vt Elias exponeret, iterum ait discipulo. Ibid. num 10. *Rem difficilem postulasti: attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti: si autem non videris, non erit.* Non miror magnanimitatem Eliæ in promittendo, Eliseo amplam optionem tribuentis ad petendum, nec discipuli fiduciam audacem in postulando. Nescio quis eorum maioti laude sit dignus: ille latam optionem concedens; vel iste rem magnam postulans? Vterque magnanimus, liberalis vterque. Ille, quia large promisit; iste quia magnifice petiit. Nam qui non renuit magna recipere, sicut non est miser in accipiendo, nec erit parcus in dando. Hæc cum ita sint, totus me rapuit in attentionem Eliæ conditio, vt petitioni acquiescat Elisæi, nempe: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti, &c.* Quid sibi vult Elias Elisæi visum attente solicitans, cum per aëra igneo curru discurreret, vt duplicatum promittat spiritum? Aut quid est in hoc discessu, quod ex illius intuitu feliciter ditet discipulum? D. Bernard. serm. 3 de ascensione Domini, dubio occurrit, dum dixit. *Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam; Elisæus vero chorum Apostolicum in ascensione Christi anxie suspirantem?* Elias itaque Christi abeuntis exprimebat figuram: Elisæus autem collegij Apostolici, in quo omnes præsignantur fideles. Merito ergo Elias discipulo suæ petitionis felicem promittit euentum, si eum videat per aëra currentem. Nam licet discessu tanti magistri dolori animi esset afflictus; cum tamen Elisæus illius absentiæ nec minimam præbuisset occasionem, in ea absentia, aut per eam duplicatam accepit virtutem. Cum ergo discessus ille Eliæ voluntarius spontaneam Christi ab hominibus, non ab illis causatam præsignaret absentiam (vt inquit Bernardus) quid mirum, vt ex eo discipulus acciperet duplicatum spiritum? Nam Dei absentia à seipso, & non à nobis, absque dubio multiplicat beneficia. Bernard.

45. Parricidali crimine à regio throno parentem deponens non erubescebat Absalon regalem purpuram maculare. Sequitur impium principem innumera plebis, & procerum multitudo noui imperij anxia, nouique principis mores experire desiderans. Quæ cum ad Dauidis aures peruenissent, non timens parricidam, propter filij crimen rubore suffusus, exiit è ciuitate Ethai Gethæo, & qui cũ illo erant, comitante Regem in suæ fidelitatis, & amoris indicium, siquidem infelicem, & pene à regno depositum sequebantur. Cum ergo rex pertransiret torrentem Cedron, non ad arcem vndequaque munitam, sed ad montem oliuarum se confugit custodiendum. 2. Reg. 15. num. 23. *Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ respicit ad desertum.* Non immature requireres: cur Sanctus Dauid cum ab impio Absalone insequebatur, & tantis animi affligebatur angustiis, palatium, & ciuitatem deserens, in montem Oliuarum tanquam ad præmunitum asylum confugerit? Cyrilus Ierosolim. Cath. 2. sic respondet. *Cum Absalon aduersus illum arma cœpit; quanuis multæ illi ad fugam viæ paterent: per montes tamen oliuarum fugere maluit: firma inuocans mente liberatorem illum, qui instinc cælos ascensurus erat.* Ac si diceret: Dauidi quam plurimæ viæ apertæ erant, quibus rebellis filij posset audaciam vitare; tamen oliuarum montem conscendit, putans confidenter, se ibi nullo esse obnoxium periculo; quia exinde Dominus Iesus (quem Spiritu vidit Prophetico) in cælos erat ascensurus. Sed adhuc inquiro: Quid, quod Christus ex illo loco in cælum ascensurus esset, vt sic confideret Dauid? Quia cum Dominus exinde non inuitus, sed voluntarie discessurus erat, & talis absentia non ob hominum crimina, sed quia nostræ expediebat saluti; merito confidit Dauid ex fide voluntariæ absentiæ Christi, sibi tot malorum remedium fore donandum. Nam sic Dei spontaneus discessus, & non à nostris peccatis inuitatus suæ liberalitatis 2. Reg. 15. num 23. Cyril. Ierosol.

litatis aperit thesaurum, vt absque dubio quando Deum sic abesse inspicimus à nobis, magnam beneficiorum copiam possimus expectare.

46. Non ob aliam causam Christus Dominus, vt minueret dolorem discipulorum, quem propter eius discessum conceperant, his verbis, eis præbebat solatium: *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero paracletus non veniet ad vos.* Ioan. 16. n. 7. (ô bone Iesu) quî fieri potest, vt discipuli discessus tui leuamen accipiant, cum te feruentissimo prosequantur amore? Amoris nouerca dicitur absentia. Quod ergo solatium capient discipuli recessu tanti magistri? Aut quam sympathiam vel connexionem habet Christi absentia cum aduentu Spiritus sancti; vt dicat Christus, expedire discipulis in cælum ascendere, vt mittat Spiritum sanctum? An quia, si non ascenderet, Spiritus paracletus venire non posset? Certe non posset ex vi præsentis decreti. Impediebat-ne Christi apud discipulos præsentia descensum Spiritus Sancti? Neutiquam. Aut Christi inter discipulos mansio, vt eis benefaceret? Necunde. Quomodo ergo poterat expedire discipulis, vt Christus super astra ascenderet. D. Bern. serm. 3. de ascensione dubium soluit his verbis: *Et ille quidem illis plorantibus eleuatus in cælum Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est, voluntatem mundauit, imo potius alterauit; vt iam magis Dominum velint ascendisse, quam prius detinuisse voluerant. Impletum est, quod eis prædixerat, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium.* Mœrore confecti erant discipuli, & cordis tristitiam vultus eorum testabatur, quia Christus suum in cælos ascensum prædixerat. Quid ergo præstitit, vt ab oculis eorum abstergeret lachrymas? *Expedit vobis, vt ego vadam.* Voluntariam proponit absentiam, vt mittat Spiritum sanctum. Si ergo recessus est Spontaneus, absque dubio tanti muneris erit pignus. Quando enim recessus Dei à seipso, & non à nostris flagitiis prouenit, semper est beneficiis plenus. Meritò ergo dixit Bernardus: *vt iam magis Dominum velint ascendisse, quam prius detinuisse voluerant.* O bone Deus, quis ita tui amoris incendio flagraret, vt te ad voluntarios recessus constringeret! Et ô vtinam tui semper esset memor, vt nunquam sua ingratitudine tui prouocaret absentiam! O immensa bonitas, & inexhausta benignitas! si ades, beneficiis nos cumulas: si recedis sponte, beneficiis nos imples.

47. Si hyacinthum cum Lygurio confundamus (vt putauit Hieron.) hyacinthum in pectore Pontificis radiasse, non dubitabimus, qui, vt vidimus in expositione litteræ n. 5. fidem ascensionis Christi Domini præsignabat. Merito ergo in Pectorali Pontificis hæc gemma nitebat, quæ tantum adumbrabat mysterium, vt exinde felicem redderet sacerdotem, Christi Domini voluntariam in cælos absentiam præfigurans. Et ob hanc causam, *Gaad* nomen incisum erat in hac gemma: quia *Gaad*, felicem significat.

ILLATIO CLXXVII.

D. B. Symone, cui lygurius correspondebat, Apostolo quædam Elogia.

ANdreas Cæsariensis cap. 66. in Apocalip. de lyngurio, seu hyacintho: sic ait. *Hyacinthum, qui cærulei, aereique coloris speciem per se gerit, ad Symonem tanquam charismatum, & gratiarum Christi relatarem, cælestemque prudentiam haud vulgarem sortitum, haud incommode retuleris.* De eadem gemma sic scribit Aretas cap. 67. in Apocalip. *Vndecimus est hyacinthus. Huic qui cærulei coloris est siue aërem referentis Symon Zelotes assimilatur, figuram quidem gerens continue errantis turbæ Zelantium, siue amatorum, aut inuidorum (ideo etiam veluti aërem, ac ventum mentem sequens) attamen per veritatis cognitionem, quanquam sero Zelum ad id, quod optimum est accommodans.* Ex vtroque ergo auctore clare constat, hyacinthum, seu lygurium repræsentare Beatum Symonem Apostolum. 48. Andr. Cæsar. Aretas.

S. Antoninus 1. p. titul. 6. cap. 14. de Beato Apostolo Simone sic scripsit. *Simon Cananæus sic dictus à Villa Cana vnde erat oriundus.* Noster Abulens. tom. 3. in Matth. ad cap. 10. q. 40. multis rationibus ostendit, nostrum Apostolum Simonem non duxisse originem à terra Cananæorum; etsi Cananæus appelletur, inter quas, hanc tanquam firmissimam elegi: *Quia* (inquit Tostatus) *omnes Apostoli Christi erant de Galilæa. Acto. 2. Nonne hi, qui loquuntur Galilæi sunt? Ergo nemo eorum erat Cananæus: quia in Iudæa soli Iudæi habitabant.* Si tamen desideres, cur Cananæus dictus sit? Respondet idem Abulens. citatus. *Dicendum igitur, quod iste Simon Iudæus erat, & erat de prouincia Galileæ: vocatur autem Cananæus non à Cananæis, vel à terra Canaan, sed à quodam viro Galileæ nomine Cana, de quo dicitur Ioann. 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ: ibi enim Christus conuertit aquam in vinum eodem capite, & crediderunt discipuli eius in eum, & tunc forte iste Simon accessit ad Christum, vel postea, quia sæpe Christus in regione illa prædicabat.* Idem docuit D. Hieronymus ad c. 10. Matt. 49. Antoninus, Abulens. Hieron.

Idem Simon dicitur Zelotes. Lucæ 6. & Actor. 1. Zelotes idem significat quod Cananæus. *Nam Cana in Hebræo idem est, quod zelus Latine: & sic Cananæus idem est, quod Zelotes, id est, Zelum habens.* Hæc Tostatus. Nicephor. lib. 2. cap. 40. putauit, Simonem dictum Cananæum, vel Zelotem propter flagrantem amorem erga Christum. Idem Nicephorus existimat lib. 8. c. 30. hunc Apostolum fuisse sponsum in nuptiis, quibus interfuit Christus, quando aquam conuertit in vinum. 50. Abulens. Nicephor.

Hic Apostolus teste Abulensi loco citato, qui refert D. Hieronymum prædicauit in Ægypto Christi Euangelium, postea in Iudæam rediit. Idem docuerunt Euseb. in historia Ecclesiast. & Beda citati à Sancto Antonino vbi supra, qui addit etiam prædicasse in Persida; & innumera patrasse miracula contra dæmones, & Magos. 51. Euseb. Beda.

D. Hieron.

52. Hieron. Diuus Hieronymus lib. de viris illustribus sic scripsit. *Simon Cananæus cognomento Iudas frater Iacobi episcopi, qui & successit illi in episcopatum, post obitum Iacobi cognomento iusti, vixit annos viginti supra centum. Crucifixus autem sub Traiano præfecto, mora persecutione graui, dormiuit.* Duo asserit Hieronymus. Primum est: Beatum Simonem successisse Beato Iacobo in episcopatum Hierosolymitanum. Sic etiam docuerunt Eusebius, & Beda relati à Sancto Antonino, quamuis huic hæc sententia displiceat. Hieronymo consensit noster Tostatus ad caput 24. Matth. quæst. 110. & ad caput decimum quæstione 40. cum dixisset, Simonem ab Ægypto in Iudam rediisse, sic prosequitur: Abulens. *Et Iacobo iusto, qui primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ episcopus fuerat, occiso, ex consensu Apostolorum Hierosolymitanus episcopus iste Simon factus.* Secundum, quod docuit Hieronymus, est: Nostrum Apostolum tempore Traiani imperatoris fuisse cruci affixum, cum centum, & viginti annorum esset. Ita docuerunt etiam. Diuus Isidorus de obitu Apostolorum. Eusebius & Beda relati à Diuo Antonino loco citato, & Abulens. ad cap. decimum Matth. quæst. 40. vbi loquens de Sancto Simone, sic ait: *Tempore Traiani imperatoris crucifixus est eodem die, quo Iudas frater Iacobi, licet non eodem loco, neque etiam eodem anno. Ideo eadem die communis amborum solemnitas colitur.* Isidor. Euseb. Beda. Abulens.

53. Noster Tostatus expendit peracute sancti Simonis genus mortis, & locum, in quo eam passus est: vnde non vulgaris nostri Apostoli excellentia reluceat. Reprehendens Christus acriter scribas, & Pharisæos, sic prosequitur, Matth. 23. numero 34. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis*, Abulens. ad hæc verba quæstione 250. inquirit: *Qui fuerint, vel crucifixi, vel flagellati?* Nam Prophetia hæc adimpleri debuit, ita vt aliqui ex Apostolis crucifixi essent à Iudæis. Respondet Tostatus. *De crucifixione dicendum, quod non inuenitur in sacra Scriptura aliquis de discipulis Christi crucifixus. De Petro planum est, quod non fuerit à Iudæis crucifixus, sed à Romanis. Sed dicendum, quod Simon Cananæus Apostolus crucifixus est in Hierusalem, cum esset episcopus Hierusalem tempore Traiani imperatoris, vt ait Hieronymus in lib. de illustribus viris. Et ita potest iste dici crucifixus à Iudæis, licet Atticus consularis Romanus eum crucifixerit; sicut Christus dicitur à Iudæis crucifixus, licet Pilatus, qui erat Gentilis, eum ad mortem crucis damnauerit.* Ex mente ergo Tostati solus Simon crucifixus fuit à Iudæis, & in eo adimpleta est Christi Prophetia, & ex illis crucifigetis. Vnde non vulgaris nostri Apostoli excellentia nitet: siquidem in Hierusalem, & à Iudæis crucifixus est, sicut Christus dominus. Matth. 23. num. 34. Abulens.

De gemma Achate.

54. Octaua Rationalis, seu Pectoralis gemma erat Achates. Hebraice dicitur, *Sebo.* Tempus omnia consumens maximam Achatæ auctoritatem ademit, non quia minoribus viribus, quam antiquitus polleat, sed quia copiosior sit. Ita Plinius lib. 37. capite decimo. Plinius. Nam sicut solet in rebus humanis elationem, & fastum afferre raritas: sic multitudo, & crebrior familiaritas contemptum parere consueuit.

55. Circa huius gemmæ colorem non est concors auctorum sententia. Glossa interlinealis ad cap. 28. Exod. num. 19. sic de Achate ait: *Ab Achate fluuio Siciliæ vbi inuenitur: & fertur esse nigri coloris habens candidos in superficie ramos.* Fere idem docuerat Plinius loco citato. D. Isidorus lib. 16. Ethymolog. cap. 11. addit, Achatem esse nigrum habentem in se circulos nigros, & albos, iunctos, & variatos. Abulens. ad hunc locum asserit, venas habere albas. Idem docent Ribera de vestib. sacerdotal. lib. 3. cap. 21. Barradas tom. 2. lib. 3. cap. 45. Martinus Stephanus in compendio Salomonis cap. 37. Gaspar de Morales in suo lapidario lib. 2. cap. 16. qui plures refert auctores. Berchorius in suo reductorio morali lib. 10. cap. 42. Oleaster ad hunc locum citat Rabbi Salomonem asserentem colorem huius gemmæ declinare ad hyacinthum, id est aureum, seu cæruleum, putauit Anastasius Nizenus. Arias Montanus de vestibus Sacerdotal. existimat, apud nos *Turquesam* dici. Franciscus Rucus lib. 2. de gemmis cap. 16. docet, superuacaneum esse vulgaris Achates delineationem, & genera scribere: nihilominus arbitratur, pretiosissimas esse perspicuas, & quæ leoninæ pelli similes sunt, vel etiam nigræ albis intersectæ lineis. Apud Indos refert, nasci Achatem vario colore, guttis etiam Phœniceis conspersam. Horum auctorum discordia haud difficulter potest sedari, si dicamus, vnumquemque locutum fuisse de diuersa specie huius gemmæ. Nam teste Plinio loco citato, hæc gemma plura nomina sortita est ex varietate coloris & imaginis in ea expressæ. Gloss. Interl. Plinius. Isidorus. Barradas. Martinus Stepha. Morales. Berchorius. Oleaster. Rabbi Salo. Anastas. Nizen. Arias Mont. Rucus.

56. Mira sunt, quæ de Achate auctores scripsere. Plinius de eo sic ait: *Reddunt enim species fluminum, nemorum, & iumentorum*, &c. Et lib. 37. cap. 1. scribit, Pyrrhum Epirotarum regem Achatem habuisse (Hispane *Agata*, vt explicat Hieronymus de Huerta ad præfatum Plinij caput) in qua nouem Musæ, & Apollo citharam tenens, spectantur, nulla arte, sed sola naturæ solertia, ac virtute, sponte maculis ita discurrentibus, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Id ipsum accinit Mardobeus Gallus. Plinius. Mardob. Gall.

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena nouem signabat pagina Musas,
Et stans in medio citharam tangebat Apollo.
Naturæ, non artis opus mirabile dictu.

Barradas loco citato putat, hoc esse mendacium, vel commentum. Verum si credendum est auctoribus, alia difficiliora referunt, de quibus

bus dubitare, maxima esset iniuria. Ioannes Eusebius Nierembergius vir omni eruditione clarissimus in sua Philosophia curiosa lib. 3.cap.5. refert, Venetiis in templo S.Marci Achatem asseruari, in qua naturaliter hominis imago est delineata. Andreas Baccius de gemmarum natura in annotationibus cap.10. refert ex Camilo Leonardo, qui viderat Achatem cum septem arboribus in vna planitie pictis rem pulcherrimam, & visui gratam: & ex Hieronymo Cardano, qui testatur, tres habuisse Achates varios: vnum cum capite Galbæ colore ferrugineo, diluto, lineis nigris figuram eam referentibus: alium cum multis oculis albis, ac quasi pupilla in medio ferruginea: tertiam cum effigie ignis ardentis, & fumi cærulei. Nec hoc solius Achates proprium est; nam idem Eusebius citatus ibid. cap.7. refert lapidem Rauenatis, quem examinauit Paulus III. in quo inuenit absque vllius artis beneficio aut industria sacerdotem vestibus sacris ornatum, & sacrificium Missæ celebrantem, & eleuantem sacrosanctam hostiam. Item: in nostra Hispania prope Numantiam (vulgo Soria) lapides reperiuntur, qui ea parte, qua confringuntur crucis vexillo rubricantur naturaliter. Insuper: non longe à Matrito religiose, & pie veneratur crucifixi Domini nostri imago in quodam lapide naturali penicillo depicta. Deinde: in territorio vulgo Dicto *Clauio*, in quo B.Iacobus Hispaniarum patronus contra Mauros acerrime pugnauit, hodie reperiuntur lapides innumeri conchis, & vaculis peregrinorum naturaliter signati, quo ornatu Beatus Apostolus in illo bello super equum sedens pugnauit. Ita refert idem Eusebius citatus. Vidi ego Agatam, vel Achatem, in quo depicta erat imago Beatæ Mariæ Magdalenæ. & naturali formatione nubem quandam habebat naturalibus maculis coloratam, ita vt ipsam artem pictoriam falleret. In ciuitate Abulensi litteris, sanctitate, & nobilitate per illustri, vidi etiam (& multis ab hinc annis extat) in templo monialium S. Augustini supra altare præcipuum in ipso pariete Iaspidibus rusticis constructo, in quodam lapide naturæ penicillo, sed non absque speciali Dei prouidentia, imaginem beatissimæ semper virginis Mariæ amplexu suo tenentis suum, & æterni Patris filium. Quæ imago æquali reuerentia, & admiratione colitur die quinta Augusti, & eius festum vulgo dicitur, *dela virgen dela piedra*. Hoc prodigium, non erubesco huc afferre, quia quod vidimus, testamur.

57. De huius gemmæ virtutibus, & proprietatibus multa referuntur, quæ si non sunt superstitiosa, redolent superstitionem: quare ea libenter omitto. Plinius lib.37. cap.10. asserit, Achatem, & præsertim qui reperitur in Sicilia, valere contra venenum scorpionum, & aranearum. Idem docent Rueus, & Berchorius: & iste de Achate Indico refert, visum fouere, sitim tollere, venenum reprimere, & in ignem positum odorem emittere: esseque hanc gemmam guttis sanguineis distinctam, & in ea nomen *Asser* fuisse scriptum, quod interpretatur felicitas, vel beatitudo. Tandem de Achate hæc refert Anastas. Nicen. quæst 38. *Achates autem est subcærulei coloris: inuenitur autem ic quoque in illis Scythiæ regionibus: si feratur autem super frontem auertit dolorem morsus scorpionum, & viperarum.*

Euseb.Nieremb.

Andr.Bacc.

Camil. Leonard.

Plinius. Ruæus. Berchor.

Anastas.Nic.

QVÆSTIO XXII.
Litteralis.

Vtrum calix, in quo Dominus noster Iesus Christus consecrauit, fuerit, ex Achate formatus?

PRima sententia negat. Hanc sequuntur Beda de locis sanctis c.2. Baron.tom.1. anno Christi 34. Scortia lib.4. de sacrificio Missæ c.11.n.26. Granad.tom.5.in 3.p.tract.1. de Eucharist.disp.6.n.4. & Victorellus in notis ad Emmanuel. Sa verbo *Calix*: quia existimant hunc calicem fuisse ex argento. Negat etiam Gabriel. lect.52. in Canon. lit. C. quia putat fuisse ex stanno. Ratio huius auctoris est: quia non est credibile, quod Christus, qui suis Apostolis possessionem auri, & argenti interdixit, vsus fuerit calice argenteo, vel aureo, sed forte ex stanno. 58.

Beda. Baron. Scortia. Granados. Victorellus.

Secunda sententia probabilior, & tenenda affirmat, illum calicem fuisse ex Achate, seu Calcedonio ignito, & pretioso lapide maximeque rubeo, qui & nunc seruatur Valentiæ. Sic tenent Enriq.lib.9.c.28.n.2. Vrreta lib.de rebus Æthiopiæ.c.11. Fagundez præc.1.lib.3. c.21.n.14. & Molina, tract.1.de instruct.Sacerdot.c.14.§.1. qui & dicit, se illum vidisse Valentiæ. Gauant.p.2.tit.1.litteraF. & Cartagena homil.26.de Eucharistia. 59.

Enriq. Vrreta. Fagundez. Molina. Gauant. Cartagen.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXXVIII.

Nec honor sine meritis, nec merita debent esse sine honore.

HOnor, & meritum mutuò se respiciunt: nec ille potest esse sine isto, aut è conuersio. Adsint tibi merita; honorem es consequutus: desint illa, & quantunuis possideas supremum magistratum, tibi, & aliis contumeliosus eris. Ob hoc dicebat Saluianus lib.2. contra auaritiam. *Quid enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine nomine? Aut quid est dignitas indigno nisi ornamentum in luto.* Meritorum sublimitas honorat; dignitas absque meritorum ornamento dedecori domino sæpe fit. Quapropter magistratus, & quęuis alia præcelsa dignitas iis, qui meritorum fulgent splendore concedenda est, non illis, qui meritorum carent ornamento. 60.

Saluian.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, &c. dixit Dominus ad Abraham Genes. 12. à numero primo sterit-que Deus promissis: nam cap.13. num.2. de eodem Abrahamo dicitur: *Erat autem diues valde in possessione auri, & argenti.* Genes. 14. ab 61.

Gen.12.à n.1

Ibid.3.n.2

Ab illis Regibus victoriam reportauit. Gen. 15. num. 4. Ei Deus glorioſum hæredem promiſit: Et tandem cap. 18. multis eum honoribus decorauit. Sed iam vrget dubium: Cur Deus, qui, vt ex familiari colloquio conſtat, nimis diligebat Abrahamum, & in ſignum amoris eum beneficiis, & honoribus cumulauit; iubet ei à peterna domo, & parentum deliciis diſcedere, peregrinumque in terram incognitam permeare? Apud Ægyptioſque orbari vxore, vbi amoris, & honoris certamen iniit, permittit? Et tandē quod apud omnes admiratione dignum exiſtit, filium vnigenitum dilectiſſimum præcipit iugulare? Reſpondet Saluian. lib. 1. de prouidentia: *Sed nec hæc tamen quæ ei data à Domino fuerant, muneris tantum viderentur fuiſſe, non meriti; qui lætabatur proſperis, probatur aduerſis.* Deus in his proprio, & Abrahami conſuluit honori. Proprio, vt conſtaret, non indigno, ſed vndequaque benemerito tot contuliſſe beneficia: Abrahami, quia honores à Deo largiti, illius meritis correſpōdebant. Voluit ergo Deus, quod Abraham tot labores ſuſtineret, vt beneficia, quibus fruebatur, non tantum diuinæ largitati, ſed illius etiā meritis tribuerentur. Nam in receſſu à paterna domo eius prompta fulgebat obedientia. Quando ab Ægyptio Rege ſpoliatur vxore, animi conſtantiam, & fortitudinem oſtendit. Et tandem cùm in monte, vt filiū immolaret, pie crudelis leuauit brachium, ſuæ fidei, & obedientiæ præclarum, & inauditum exhibuit teſtimonium. In quibus omnibus manifeſte oſtendebat Deus, quod ſi Abrahamo tot contulit beneficia; ideo fuit, quia tantis meritis ornabatur: vt ſic dignitatis honori meritorum dignitas reſpondeat.

62. Geneſis 37. num 3. Amor Iacobi erga filium Gen. 37. n. 3. Ioſeph oſtenditur his verbis: *Iſraël autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eo quod in ſenectute genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitam.* D. Ambroſius lib. 1 de Ioſeph. c. 2. hanc excitat Ambroſ. quæſtionem. *Quid ergo? Reprehendendus Iacob, quia præferebat vnum cæteris?* Non eſt reprehenſibilis pater, eo quod plus hunc quam illum diligat. Sed audi Ambroſium. *Sed nec libertatem poſſumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis reſecare debemus ſtudium plus placendi.* Vtiliſſima eſt ſpecialis benignitas paterni affectus erga hunc potius, quam illum filium: ea enim non deſiſtunt filij obſequia præſtare parentibus: Quare ergo Iacob ſuper omnes filios diligebat Ioſephum, & in ſpecialis amoris indicium variegata veſte, & tunica polymita eum ornauit? Concludit Mediolanenſis decor. *Denique & Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum inſignia præuidebat.* Non fortuito, ſpeciali affectu dilectus erat Ioſeph præ cæterrs fratribus à Iacobo; ſed quia maiori virtutum fulgebat ſplendore (hoc enim tunica variegata denotabat,) vt ornatus ille, qui dignitatis erat inſigne, meritorum excellentiæ reſponderet. *Meritoque variam tunicam fecit ei, quo ſignificaret, eum diuerſarum virtutum amictu fratribus præferendum.* Hæc Ambroſius.

63. Quantum dedecoris ſit, potiti dignitate abſque meritorum ornatu, indicauit Dauid, ſingulare certamen cum Philiſthæo aggreſſurus. Cùm à Saül regia indueretur armatura, vix pedem mouere poterat, qui ſe expeditum iudicabat ad congreſſum: quamobrem ſic affatur Regem. *Non poſſum ſic incedere, quia vſum non habeo. Et depoſuit ea, & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* 1. Regum 17. num. 39. 1. Reg. 17. n. 39. Hinc faciamus gradum ad eiuſdem libri cap. 18. num. 4. in quo refertur, quod Ionathas Princeps diligebat Dauidem ſicut ſeipſum: quare in tanti amoris, & beneuolentiæ ſignum: *Spoliauit ſe Ionathas tunica, qua indutus erat, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.* Ex his iam dubium apparet: cur Dauid cùm à Saüle regia induitur armatura, ſic galea, lorica, & enſe ſe impeditum iudicauit, vt vix poſſet incedere, & ob hoc ea depoſuit tanquam ſibi inepta: & paulò poſt cùm à Ionatha cingitur baltheo, veſtibus ornatur purpureis, & enſe, & arcu munitur, libenter hæc accepit, & inceſſit alacriter? Procul dubio arma à Rege oblata illuſtriorem reddebant Dauidem, quam illa, quæ conceſſit Ionathas, qui licet filius Regis, non tamen diademate redimitus: quare ergo illa depoſuit ad bellum ſe impeditum iudicans, & hæc induit ſe comprobans expeditum? Dauid tunc iam erat oleo regio vnctus à Samuële in Regem. Ergo non improprie regalia indueret inſignia. Cur ergo Saülis arma reiecit, & Ionathæ arma, & inſignia admiſit? Certe: quia quantumuis à Propheta Dauid eſſet vnctus in Regem, arma Saülis depoſuit, eo quod ad tantam dignitatem obtinendam nondum meritis ornabatur. Noluit ergo Dauid Saülis indui armatura, ne regiis inſignibus appareret indutus, cùm adhuc ad tantam dignitatem, meritis nudus eſſet: quia dignitatem habere ſine meritorum dignitate dedecus eſt, non ornatus. Quando autem Ionathas Princeps veſtimenta, gladium, arcum, & baltheum dedit Dauidi, iam à Philiſtheo victoriam reportauerat, quo egregio facinore dignus erat throno, & corona Regis. Meritò ergo Dauid nunc inſignia Principis accepit, qui tunc Saülis arma recuſauit: ſiquidem opprobrio Iſraëlis ſuperato eximiis fulgebat meritis. Nam ad faſtigium dignitatis aſcendere ſine meritorum, & virtutum ornatu, deprimi eſt, non aſcendere.

64. In Achate, qui in Pectorali Pontificis refulgebat, nomen *Aſſer* octaui filij Iacob, erat inciſum: ſed non abſque myſterio, & eruditione noſtra. *Aſſer* enim beatitudinem, & felicitatem ſignificat. Meritò ergo in Achate inciditur, qui variis coloribus nemorum, animalium, & aliarum rerum fulget, quibus virtutum, & meritorum varietatem non inepte intelligimus; vt neminem lateat, beatitudinem ob merita fore concedendam. Inſuper per hoc indicatur dignitatis faſtigium maxime ſplendeſcere, quando celſitudini ſupponuntur merita.

ILLATIO CLXXIX.

Maledicæ linguæ expenduntur damna.

65. CAlamum nunc mouemus contra mobilem linguam, cùm aliquoties linguam contra linguam è suggestu acuerimus, vt linguæ venenis antidotum præberemus. Non ferimus linguam in diuinis laudibus occupatam, aut de proximi honoribus solicitam, sed illam, quæ toto conatu, ne dicam diabolico, bona tegit, & mala pandit. Periculosa res est lingua. Quam acute id expendebat Bernardus sermone 17. de modo viuendi, dicens: *Lingua modicum est membrum in corpore hominis, sed tamen si refrænata non fuerit, totum corpus maculat, & corrumpit. Nam sicut modicum fermentum corrumpit totam massam: ita lingua sine fræno dominos, & præpositos, æquales, & socios, subiectos, & parvulos scandalizat, & ad iracundiam prouocat. Lingua contentiosa, si frænum non habeat, nullus homo cum ea in pace viuere poterit.* Ecce quot damna ex effrænata lingua dimanant. Ausculta insuper eundem mellifluum sermone de triplici custodia, qui cum prius expendisset, linguam vno motu, vnicaque prolatione tria vulnera infligere; primum contra seipsam; secundùm contra proximum; tertium contra audientem: nam ipsa suo veneno perit, proximum necat, & eam libenter audientem inficit, non dubitat, ei viperæ cognomen attribuere. *Nunquid*, inquit, *non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum, quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno.*

Bernard.

66. Iacobus iam morti proximus, vt cum pace, & alacriter ex hac vita decederet, filios suos accersiri iussit, vt eos sua impleret benedictione. Cumque Ioseph dilectissimus multa tenerrimi amoris, & paternæ dilectionis signa ostenderet, summis laudibus à parente extollitur, & tandem ait Genes. 49. num. 23. *Sed exasperauerunt, & obiurgati sunt, inuiderunt que illi habentes iacula.* Noster Tostatus ibidem quæst. .... Verba hæc intelligenda putauit de fratribus Ioseph, quando liuoris veneno infecti iacula in eum iacuerunt. At quando fratres in Iosephum miserunt sagittas? Hoc nunquam in sacra legitur pagina. Sed audi Abulensem. *Habentes iacula, id est, verba dura, & acuta, quæ vocantur iacula: & fuerunt hæc, quando non poterant ei, quidquam pacifice loqui, sed omnia in duritiem conuertebant, vt cùm dixerunt. Nunquid Rex noster eris? Aut subiiciemur ditioni tuæ?* Verum est, fratres in Iosephum iacula non misisse: at cum aspera, & dura verba contra eum dirigebant, iaculabantur eum. Quia verba contumeliosa sagittæ sunt acutæ, quæ præcordia confodiunt. Hoc præstat effrænata, & iniuriosa lingua. Ergo sagitta crudelior vocitanda venit.

Gen. 49. n. 23

Abulens.

67. Numerorum 21 num. 24. de Schon Rege Amorrhæorum dicitur, quod, *Percussus fuit in ore gladij.* Et sæpe in sacra Pagina cùm refertur subuersio alicuius ciuitatis; aut regni inuenimus hunc modum loquendi. Septuaginta, vbi Vulgata habet, *In ore gladij*, legunt, *In nece gladij.*: Videndum restat, qua proprietate sermonis sacer Scriptor os attribuat gladio; & cur Septuaginta os cum morte confundant; ille dicens, *In ore gladij*; isti legentes, *In nece gladij?* Quia lingua maledica, & os contumeliosa verba proferens vulnus insanabile infligunt. Gladio ergo tribuitur os, & mors, vt denotetur, linguam crudeliorem esse, quàm gladium. Gladius ferit, sed cum ore multò crudeliùs. Quod est dicere: magis ferit lingua, quã gladius; siquidem quasi non contentus sacer Scriptor ad explicandam subuersionem ciuitatis, vel regni, si diceret, *in gladio*, addidit, *in ore gladij*, vt sic significaret stragem. Hoc innuit Spiritus Sanctus Ecclesiast. 28. num. 22. cùm dixit: *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi, qui interierunt per linguam suam.* Ac si diceret: Crudelior est lingua, quàm gladius, & infelicius interimit, quàm ensis.

Numer. 21. n. 23.

Septuag.

Eccl. 28. n. 22.

68. Audierat Balac Moabitarum Rex omnia, quæ contra Amorrhæos fecerat Israël, & timore perterritus consilium iniit cum Madianitis, vt vocaret Baalam insignem ariolum ad maledicendum populum Dei. Adstat Baalam coram Rege, & eum sic alloquitur Rex. *Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quomodo possim percutere, & eiicere eum de terra mea.* numer. 22. n 6. Nota: Balac non conuocasse Duces, non congregasse milites, non opposuisse aciem fortem, quæ pugnaret contra Israël, sed inermem ariolum Ammonitam. O stulte Rex, tua te fefellit malitia! Si Israëlis timor totum te rapuit; cur non armatas phalanges instruis, vt saltem Regnum tuum defendas, & illustribus Israëlitarum facinoribus finem imponas? Quare ariolum accersis, vt Israëlitis maledicat? Erras, erras: ô Rex? sed non multum errat, ait Origen. homil. 13. super Numer. *Primo ergo omnium*, inquit, *fatendum est, in quibusdam plus posse, & plus valere verba, quàm corpora. Quia quod exercitus multarum gentium nequiret efficere, quod ferro, & & armis non posset obtineri, hoc verbis efficitur, & non dico sanctis verbis, sed verbis quibusdam, quæ inter homines habentur, quæ quomodo nominem, nescio.* Loquitur Adamantius de verbis pestiferis, vt ipse statim se explicat. Igitur Balac neglectis armis spem omnem posuit in Balaam, si in Israël verba deferat, & iaculetur maledicta pro telis; putans verbis illius populum vincere, quẽ magno exercitu superare non posset. Lingua Baalam pestifera erat. Quid mirum, si Rex plus illi fideret, quàm armis? Quia crudeliùs maledica lingua ferit, & maiorem facit stragem, quàm bellatorum exercitus.

Num. 22. n. 6

Origenes.

69. Quamuis mihi hæc materies latissimũ campum suppeditat, finem huic illationi impono grauissimis Bernardi verbis serm. de triplici custodia expendens illud Psal. 56. n. 5. *Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus:* sic ait: *Lingua eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorẽ dicere verearis. Fodit enim hæc quæque Christi corpus, & membrum de membro, nec iam examine fodit, sed facit examine fodiẽdo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: sex etiam clauis ferreis, quos sanctissi*

Psal. 56. n. 5.

Bernard.

Etissimis manibus illis, & pedibus consumatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Hæc Bernardus.

70. Achati virtus inest venenis pestiferis aranearum, & scorpionum ictibus contraria. Venenum hoc, cui resistit Achates, non inepte in sensu morali, venenatæ linguæ detractoris interpretamur. Vipera dicitur, & ferocissima, lingua maledica à Bernardo, vt vidimus supra numero 65. Si ergo vipera est, veneno abundat plane. Ergo contra linguam detractoris valet Achates, qui omne venenum propulsat. Radiet ergo Pectorale Pontificis hac gemma, vt effrænis linguæ mobilitatem refrænet.

ILLATIO CLXXX.

Adhuc detractoris linguæ damna expenduntur.

71. QVanta maledicæ linguæ ad malum insit efficacia explicuit Spiritus sanctus. Eccl. 28. n. 21. Ecclesiastici 28. num. 21. *Plaga linguæ comminuit ossa.* Quæ verba expendens Petrus Damianus serm. 73. ait: *Ecce lingua ossa non habet, & ossa comminuit: quia ipsa per ventosa verba leuiter effluit, fortia, atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit.* Ergo quæ tantæ efficacitatis est, vt molli motu dura comminuat, & leuiter verba proferens fortia, & robusta nostræ virtutis facta corrumpit, absque dubio magna damna infert. Petr. Dam.

72. Iacobi 3. n. 6. Diuus Iacobus in sua epistola cap. 3. num. 6. linguæ damna describens ait: *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.* Singula expendere libet, quorum expositione præsentis thesis argumentum illustrabitur. *Lingua ignis est.* At quomodo lingua est ignis? Sanctus Thomas ad hæc verba reddit rationem. *Dicitur ignis propter sui mobilitatem, siue velocitatem, quia vtrumque maxime mobile est: vel propter ardorem loquendi, & alios inflammandi.* Paruum membrum est lingua; sed magnæ efficacitatis. Facilis motu est; ideo fræno indiget. Nam si linguæ laxamus habenas, absque dubio præcipites nos aget. Igni ergo comparatur; vel propter ardorem loquendi, vel propter propensionem innatam alios inflammandi. Sicut enim ignis omnia comburere insatiabili appetitu desiderat: ita lingua præceps nemini parcit, omnia appetit exurere. Insuper ignis naturam æmulari dicitur: quia sicut ignis alta semper petit: ita lingua maledica, quos in muneris, & dignitatis celsitudine præclare conspicimus, igne suæ malitiæ exurit, & fumo malignitatis obscurare, conatur. S. Thom.

73. Syriac. Trãsl. Montanus. *Vniuersitas iniquitatis*, dicitur lingua à Beato Iacobo, Translatio Syriaca legit: *Mundus peccati.* Arias Montanus: *Mundus iniquitatis, sic lingua constituitur in membris nostris.* Sed cur lingua iniquitatis dicitur vniuersitas? Quid Academia cum lingua? Profecto: quia sicut vniuersitas omnium scientiarum est magistra: in ea enim Theologia sacra; Pontificia, & ciuilia iura; medendi ars; canendi, & omnes artes liberales docentur: ob idque vniuersitas, aut studium generale dicitur: sic lingua non vnum tantum vitium, sed omnia scelera docet. Ergo iniquitatis magistra meritò vocatur. Si mihi non credis; credo Angelico Doctori ibidem dicenti: *Vniuersitas iniquitatis ipsa est; quia sicut dicit Glossa fere per ipsam omnia facinora, aut concinantur, vt latrocinia, & stupra: aut patrantur, vt periuria, & falsa testimonia: aut defenduntur, vt cùm quilibet impius excusat malum, quod commisit, simulat bonum, quod non fecit. Vel dicitur vniuersitas iniquitatis, quia per linguam peccat homo contra Deum blasphemando, & periurando: contra proximum detrahendo, conuitiando: contra seipsum iactando: & sic enecat omnia bona.* Meritò ergo lingua vniuersitas dicitur iniquitatis. Non displicet mihi Montani interpretatio, quando legit: *Mundus iniquitatis:* perinde est enim ac si diceret: lingua omnes iniquitates continet; sicut mundus omnia creata amplectitur. Vel dicitur, *Mundus iniquitatis,* vt omnem congeriem iniquitatum exponat: sicuti vulgari Hispaniæ linguæ idiotismo dici solet, cùm rem aliquam affluentem omnibus rebus explicare volumus: *Ay vn mundo de esto.* Sic Montanus vt vnico verbo comprehenderet linguæ scelera, legit: *Lingua est mundus iniquitatis:* id est: *La lengua es, o en ella ay vn mundo de maldades: todas la maldades contiene.* S. Thomas.

74. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus.* Verba hæc vtrumque comprehendit; & maculam, qua detractor maculatur, & labem, qua alios inquinat. Si procacem linguam habueris, etiamsi corpus affligas abstinentia, & cilicio, totumque patrimonium pauperibus eroges, & reliquarum virtutum fulgeas splendore, totum teipsum inquinasti propter linguam, omnesque dedecorasti virtutes. Quam apte Angelicus Doctor ad præfata verba: *Lingua constituitur in membris nostris, id est, inter membra nostra. Quæ maculat totum corpus, id est, totam congeriem bonorum operum quasi quorundam membrorum, & hoc ad opera iam facta. Sic accipitur corpus Lucæ 11. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* S. Thom.

75. Trãsl. Syriac. *Et inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.* Translatio Syriaca habet. *Et incendit series genealogiarum nostrarum, quæ currunt in modum rotarum, & ipsa quoque accenditur igne.* His verbis satis superque peruersæ linguæ explicantur facinora. *Inflammat rotam natiuitatis nostræ.* Lingua maledica obseruat origines vniuscuiusque, genealogias indagat, obscura memoriæ mandat, vt incendat series genealogiarum. Hinc linguæ peruersitas maxime apparet: nam verbo vnico tollit honorem multis generationibus acquisitum. Hoc peruerso stratagemate non solum viuentes, verumetiam in pace mortuos inflammat. Series enim genealogiarum parentes, auos, proauos, atauosque includit: hos omnes lingua detractoris inflammat, & comburit. Quid crudelius hac lingua? Quæ non solum quos videt, sed quos nunquã agnouit, & multoties quos, summa felicitate gaudent æterno bono fruentes, sua flamma exurit. Hoc innuebat Dauid Psal. 72 n. 9. cùm dixit detractores reprehendens. *Posuerunt in cœlum os* Psal 72. n. 9.

ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Ex He-
Transl. ex Hebr. bræo legitur: *In cœlum portendunt os ſuum, & per orbem lingua eorum vagatur.* Ioannes Cam-
Ioan. Camp. peſius in ſua paraphraſi: *Eum, qui cœlos habitat ore blaſphemo irritare audent, & lingua illorum virulenta per eos, qui terram incolunt, obambulat.*
Chald. Trāſl. Chaldaïc. tranſl. apud Genebrardum: *Poſuerunt in Sanctos cœlorum os ſuum, & lingua vſſit Sanctos terræ.* Ipſe Genebrard. *Laxant in omnes linguam ſuam, nemini parcunt, de rebus omnibus temere loquuntur.* O maledicta lingua! Tyrannorum imitaris crudelitatem, cùm nec viuis parcis, nec mortuis indulges. Hoc lamentabatur Tertull. in Apolog. cap. 36. ſic contra tyrannos loquens. *Nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de azylo quodam mortis iam alios, iam nec totos auellant, diſſicent, diſtrahant.* Quid aliud præſtat lingua doloſa, & maledica? Meritò ergo inflammatur à gehenna, & ipſa quoque accenditur igne. Dæmonum enim eſt hoc officium, non quorumcumlibet, ſed ſæuorum nimis.

76. Non fortuito (nihil enim in ſacra Pagina eſt otioſum,) Matth. cap. 8. num. 28. dæmones illos, qui duos homines cadauerum ſqualore in monumentis torquebant, crudeliſſimos
Matt. 8. n. 28 vocat. *Occurrerunt ei*, inquit, *duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam.* Sed cur Matthæus hos dæmones vocat crudeliſſimos? Chryſoſtomus tom. 2. homil. 29. in Matth. ante
Chryſoſt. medium hanc rationem attulit. *Per hoc autem quod ſubditur (de monumentis exeuntes) pernicioſum dogma imponere volebant, ſcilicet, quod animæ morientium dæmones fiant.* Satis profunda eſt cogitatio Chryſoſtomi. Accipe eius mentem. Dæmones hi habitabant iuxta ſepulchra cadaueribus plena, vt non ſolum oſſa ibi quieſcentia proponerent in omnium conſpectu, ſed vt pernicioſum dogma ſeminarent, nempe illorum defunctorum animas in dæmones conuerti, quo abominabile dedecus, & notabilis infamia illis imponebatur. Ecce propter quid, ſæui nimis dicuntur: quia non ſolum in homines adhuc vita fruentes, verum in iam orbatos vita crudeliter ſe gerebant. Hæc eſt nimia ſæuitia. Nam quamuis dæmon ſemper crudelis, nunquam non ſit in homines ferus: attamen cùm in cadauera ſæuit, immaniſſimus eſt, & ſæuus nimis, eis tantam iniuriam irrogando. Hoc ipſum præſtat maledicus cùm ſeries genealogiarum inflammat, defunctis in pace quieſcentibus dedecora tribuens, & maligno ſuæ linguæ gladio, ac ſi viuerent, iugulans, vel igne conſumens, ipſo dæmone crudelior. Nam dæmon non dicitur ſæuus nimis cùm corpora torquet viuentium, ſed cùm mortuorum oſſa exhumat, & cineres incendit.

77. Vis adhuc clariori luce videre, qualiter hominis lingua ipſo dæmone ſit ſæuior? Audi vnum ex his dæmonibus ſic alloquentem ad
Matt. 8. n. 31. Ieſum *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Matth. 8. num. 31. Sed ad quid dæmon Chriſtum Dominum adiurat? Ipſe ſe explicat: ne illum torqueat. Nunquid dæmon nõ erat æternis cruciatibus mancipatus? Erat, & eſt. Quale ergo timebat tormentum? Ne eum ex illo homine exturbaret. Ergo non petebat dæmon æternorum cruciatuum leuamen; ſed ne eum de hominis poſſeſſione depelleret, quaſi ei eſſet maius tormentum hominem non torquere, quàm à gehenna comburi. Sic crudeliter in homines ſæuiunt dæmones! At quibus mediis vtitur dæmon, vt ſuum conſequatur intentum? An Chriſto ſe opponere intentat fretus ſuis viribus? Neutiquam. An dolo, vel fraude Chriſti potentiam deludere præſumit? Necunde. Quo ergo vtitur medio? Satis id explicuit Euangeliſta dicens: *Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Ieſu Fili Dei? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Hominis vtitur voce, vt ſuum conſequatur intentum. Sic Chryſol. ſerm. 17. *Ecce diabolus patrona voce hominis hominem petiturus inclamat: & tota membra hoſti ſuo ſuam militant in ruinam.* Hominis linguam dæmon elegit patronam, vt miſera poſſeſſione hominem torqueat, & ab illa non exturbetur. Non reſiſtebat ſuis viribus, non dolo, nec fraude diabolica, ſed hominis voce linguam inſtruendo, vt clamet, ſimulatiſque precibus à Chriſto obtineat manutentionem in miſero. Nam quod ſe ſolo dæmon non audet, patrona lingua præſumit obtinere: vt exinde diſcas, hominis linguam eſſe dæmone peiorem.

Ibid. n. 30. Chryſol.

78. Contra Deum primò detractio temere auſa fuit, & diabolus fuit detractor. Iterum, atque iterum dæmonem contra Deum fuiſſe locutum inuenimus in ſacra Pagina. Primo: cum ſuæ perfectionis inordinate amans, & in ſuæ pulchritudinis ſpeculo ſe conſpiciens, ſic contra Deum loquebatur in ſui ſuperbi cordis latibulo. Iſai. 14. num. 13. & 14. *Qui dicebas in corde*
Iſai. 14. n. 13 & 14. *tuo: in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: ſimilis ero Altiſſimo.* Hæc blaſphemo ore loquebatur Lucifer; attamen in corde ſuo. Secundo: cùm primam mulierem in Paradiſo alloquitur, dicens: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno*
Gen. 3. n. 1. *Paradiſi?* Geneſ. 3. num. 1. Cui reſpondit incauta mulier: omnium arborum fructus noſtro ſubduntur arbitrio, vnius ſolum arboris Deus nobis prohibuit eſum, ne forte moriamur. Inſtat dæmon fraudulenter, dicens: *Nequaquam*
Ibid. n. 4. & 5. *moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Si tamen hîc dæmonis expendamus audaciam, manifeſtum erit, petulantius contra Deum locutum, quam cùm in cœlo ſuperbiæ, inuidiæ, vel ingratitudinis agitabatur procella. In cœlo namque quantumuis audaciter contra Deum dixerit; *In cœlum conſcendam, ſimilis ero Altiſſimo*, quaſi modeſte videtur loqui, ſiquidem nec Deo fraudem tribuit, nec fallaciæ nota inuſſit: attamen in Paradiſo ſic inuerecundiæ, & audaciæ laxauit habenas, vt auſus fuerit dicere mulieri, à Deo fuiſſe deceptam arboris ſcientiæ boni, & mali prohibitione, & Deum notare falſitatis, deceptionis, & ambitionis Deitatis. Totam hanc emphaſim blaſphema hæc verba diaboli continebant: *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis*, &c. At cur, diabolus in cœlo à ſuperbiæ, inuidiæ, vel ingratitudinis vento agitatus loquebatur modeſtius, quam in Paradiſo? Puto, quia in cœlo licet verba blaſphemiæ loquo

quebatur contra Deum, tamen hæc in corde suo dicebat: *Qui dicebas in corde tuo.* Hoc nullius linguæ vsus fuit ministerio, quia nondum lingua erat producta: cùm intra sepes Paradisi mulierem fuit allocutus, vsus fuit vocis, & linguæ humanæ adminiculo. Nam vt refert noster Tostatus quæst. 1. in cap. 3. Genes. ex auctore historiæ Scholasticæ: *Serpens ille habuit vultum virgineum, vt magis Euæ complaceret.* Si hoc verum est, necessario serpens, in quo diabolus loquebatur, linguam humanam saltem apparenter haberet. Hinc ergo diabolo tanta temeritas, & procacitas in mentem venit, vt contra Deum verba proferret audacius in serpente, quàm locutus fuerat in cœlo. Nam quod diabolus de sua obstinata malitia non confidit, nempe Deum deceptoris, & ambitiosi nota inurere, hoc humanæ linguæ suffragio ausus est, aggredi, & temere assequitur. Attigit hoc Basil. Seleuc. orat. 2. dum ait: *Serpens hominis subiectus erat arbitrio: sic enim factum est, vt linguam diabolo commodaret.* Homo diabolo linguam commodauit apparens in serpente, vt contra Deum loqueretur. Quod est dicere: Id, quod per se dæmon non auderet velut suæ malitiæ diffidens, per commodatam hominis linguam consequi, non dubitat.

Abulens.

Basil. Seleuc.

Illatio CLXXXI.

Seuero iudicio peruersa plectitur lingua: ipsa contra seipsam tela iactat, vt suiipsius sit crudelior tortor.

79. Vidimus peruersæ linguæ damna; qualiter contra omnes virus euomat; & ipso diabolo esse crudeliorem: æquum est, vt quæ omnium iniquitatum est mater, & officina non sit impunita: nam si adhuc in hac vita à gehenna inflammatur, in futura æterno igne comburenda est. Adhuc in hac vita plectitur, & velut ardet inter flammas æternas. Deus enim peccatorum vindictam post mortem frequenter differt, linguæ verò iniquitatem etiam in hac vita punit. Loquax es, & male loquax, quia linguæ tuæ gladio omnium trucidas honores: at non eris impunitus, siquidem contra tuam famam multæ coniurantur linguæ, vt linguâ puniaris, qui linguâ omnes offendis.

80. Parta victoria contra Chananæos, vrbibus eorum subuersis, agrisque deuastatis versus mare rubrum à monte Hor profecti sunt Israëlitæ, vt circuirent terram Edom: cumque aquæ inopia, & sitis affligerentur angustiis, iamque nauscarent super Manna (terrenis enim facile cælestis cibus est insipidus) murmurauerunt contra Dominum, & Moysem (ô quantus error! Dei opera maledico dente carpebant! Sed quid mirum? Nam lingua peruersa, nec ipsi Deo parcit:) Murmurauerunt igitur, quia è dura Ægyptiorum seruitute eos in manu forti, & brachio excelso liberauerat. Quid si iterum ad flagella, ad paleas, ad suspiria reuocasset? Num. 21. n. 6 *Quamobrem* (inquit sacer textus Numer. 21. num. 6.) *misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum.* D. Bern. serm. 47. de modo viuendi sic inquirit. Quare à serpentibus perierunt? Cur non aperitur terra, & eos deglutiuit, si tantâ blasphemiâ in cœlum posuerunt os suum? *Quare à serpentibus perierunt*, inquit, *nisi quia serpens venenosus est, & omnis, qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Vnde Iacobus Apostolus: lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.* Talionis pœna mulctati sunt Israëlitæ. Linguæ eorum in tantam venerunt audaciam, vt etiam contra Deum murmurarent. Ideo ergo Deus contra eos misit ignitos serpentes, qui linguis suis lethaliter morderent; vt sic contra linguas maledicas ignitæ linguæ coniurarentur. Æquum enim erat, vt eos, qui linguâ offenderant, lingua etiam eos puniret.

Bernard.

81. Misere, & infeliciter protoparentes nostri supremum rerum omnium dominium cum misera seruitute commutarunt, diuinæ Legis impatientes. Ab vtroque inquirit Deus tantæ præuaricationis motiuum: vterque se excusat vir fœminæ culpam imponit, serpenti fœmina. Tunc iratus Deus ait ad serpentem. *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. Genesis 3. num. 14. Nota: Serpentem inauditam condemnasse Deum, qui protoparentes nostros prius audiuit, quàm damnauit. Cur, ô bone Deus, seueri iustissimi tui tribunalis mutas stylum? Hominem non condemnas, quin priùs ab illo inquiras: *Quare fecisti hoc?* Nec fœminam mulctas, quin à serpente deceptam ipsa pronunciet: quare ergo inauditam serpentem punis? Puto, quia serpens, vt mulierem deciperet, contra Deum linguam armauit maledicam, dicens: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus*, &c. Genesis 3. num. 5. Contra Deum murmurauit serpens, honoremque diuinum maligna lingua carpebat, fraudem, & dolum summæ veritati tribuens. Cùm ergo serpens lingua iniqua Dei honorem conaretur detrahere: quid mirum, quod inauditus puniatur. Philo Hebræus libro secundo de allegoriis legis aliquantulum tetigit cogitatum. *Itaque iure optimo*, inquit, *non permissam respondere execratur Deus, vtpote nullum semen virtutis in se habentem, sed semper vbique sceleratam, atque reprehensibilem.* Serpens vniuersitas erat iniquitatis: prima in orbe terrarum pestiferam detrahendi artem inuenit, & docuit, cum diuino honori detraxit, vt mulierem dolo teneret. Nam prima detractio contra Deum fuit; & hæc à serpente. Meritò ergo inaudita plectitur tanta pœna. Nam lingua detrahens secum supplicium trahit: satque est, commisisse detractionem, nec aliud expectandum.

Gen. 3. n. 14.

Genes. 3. n. 5

Philo Hebr.

82. Tanta est detrahentis linguæ iniquitas, vt hanc solam videatur Deus punire in alia vita. *Pater Abraham miserere mei*, (clamabat ille diues,) *Et mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Lucæ 16.

Luc. 16. n. 24

num.24. Pete, infelix, pete totius cruciatus leuamen: & ne in petendo miseriam, quam in dando habuisti, imiteris. Abrahamum munificentissimum alloqueris, ne illum auaritiæ nota insimules, aquæ guttulam ad eo petens. Pete ergo secundùm tuam indigentiá. Cur ergo aquam linguæ, & non toti corpori petis? Æternis cruciatibus affligeris: nullaque est in tuo corpore pars, quæ à gehenna non æstuetur: quare ergo solius linguæ curam agis? Quia lingua plectebatur pœna; ideo aquam linguæ non toti corpori petit, dixit Chrysostomus
Chrysost. tom.2. homilia de diuite. *Vide conscientiam peccatoris, non totum audet poscere digitum. Vt refrigeret linguam meam. Multa enim superbe locuta est. Vbi peccatum, ibi pœna.* Nota hæc vltima verba: *Vt refrigeret linguam meam. Multa enim superbe locuta est. Vbi peccatum, ibi pœna.* Miraberis sane, Chrysost. totum diuitis cruciatum linguæ tribuisse, quia lingua deliquerat. An auarus sola lingua peccauit? Nónne manus eius non solum cibum, sed adhuc micas pauperi negantes impie, & auare deliquerunt? Nónne diuitis oculi miserum despexerunt? Siti insatiabili diuitiarum cor eius non ardebat? Cur ergo Chrysostomus asserit, aquam petiisse in linguæ refrigerium, quia in ea torquebatur flamma insatiabili? Quia quantumuis multa commisisset flagitia, & omnibus sua pœna correspondere? lingua nimis deliquerat conuitia, & probra in pauperem iaculans. Meritò ergo linguæ cruciatus, & pœna tribuitur: quia vbi lingua inuenitur maledica, ipsa sola videtur supplicio digna.

83. Non prætermisit hoc muto silentio Dauid
Psalm.100. n.5. cum Psalmo 100. num.5. accinit. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* An hoc dixit Rex, quia solum insectaretur detractorem? Nónne auarum, furem, adulterum, homicidam persequebatur Dauid? Vtique. Omnes enim peccatores insequebatur: sed in detractores ita inuehebatur acriter, vt solum hos persequi, videretur, ac si non esset aliud peccatum. Perbelle Bernardus serm.24. in Cantic. Detrahentem, inquit, secreto proximo suo
Bernardus. hunc persequebar. *Nec mirum cum id præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare, & persequi cognoscatur.* Hæc contra linguam prælibauimus occasione sumpta ex Achate, qui scorpionibus, viperis, cæteriscque animalibus venenosis aduersatur: Vt Sacerdos intelligat semper contra linguam maledicam ex vi sui muneris habere virtutem; semperque aduersari debere detractori.

ILLATIO CLXXXII.

De B. Thadæo Apostolo, cui correspondebat Achates quædam elogia.

84. ANdreas Cæsariensis in Apocal. cap.66. sic
Andr. Cæsar. scripsit de Chrysopaso, qui confunditur cum Achate. *Chrysopasus, qui auri colorem auro ipso altius imbibit, Beatum Thadæum, qui Abagaro Regi Edessæ Regnũ per aurum, eiusdem autem mortem per prasum designatam prædicauit, significari existimo.* Idem sensit Aretas in Apocalyps. cap.67. De hoc Apostolo sic scribit sanctus Antoninus 1.part. tit.6.cap.14.
Aretas. Antoninus. *Iudas interpretatur confitens, vel gloriosus. Thadæus apprehendens Principem. Et Iudas iste primo post aduentum Spiritus sancti prædicauit in Mesopotamia, & Ponto: deinde in Persidem cum Simone profectus est.*

Noster Tostatus quæst.39. ad 10.Matth. sic 85.
Abulens. ait de hoc Apostolo. *Quæritur de Thadæo quis sit? Dicendum, quod iste vocatur aliquando Thadæus, vt hìc, & Marc.3. Et aliquando Iudas Iacobi, vt patet Luc.6. & Actor.1. Ambo enim erant nomina eiusdem, communius tamen vocatur Iudas, & raro vocatur Thadæus: & vocatur Iudas Iacobi ad differentiam Iudæ proditoris. Dicitur Iudas Iacobi, scilicet, frater Iacobi Alphæi.* Chrysostomus in cap.9. Matth. homil.33. aliud nomen exprimit: Sic enim ait: *Erat enim alter Iudas Lebbæus, quem Thadæum vocauerunt, quem Iacobi esse, Lucas dicit.* Diuus Hieronymus in Commentar. ad cap.10. Matthæi dixit:
Chrysost. Hieron. *Thadæum Apostolum Ecclesiastica tradit historia, missum Edessam ad Abagarum Regem Chosidenæ, qui ab Euangelista Luca Iudas Iacobi dicitur: & alibi appellatur Lebbæus, quod interpretatur corculum, credendumque est, eum fuisse trinomium: sicut Simon Petrus, & filij Zebedæi, Boanerges ex firmitate, & magnitudine fidei nominati sunt.* Alio modo idem Hieronymus in cap. 3. Marci interpretatur nomen nostri Apostoli., *Thadæus* inquit, *qui est cordis cultor, qui conseruat cor suum omni custodia.* Munditia namque cordis Deus videtur, vt per vitrum mundum forma ostenditur expressa.

Diuus Hieronymus libro de Viris illustri- 86.
Hieronym. bus, sic scribit de nostro Apostolo. *Iudas frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit.* Ioannes Eu-
Ioan. Euseb. sebius Nierembergus libro duodecimo de origine scripturæ, capite decimo septimo, loquens de epistola nostri Apostoli, vertit in dubium: An sanctus Petrus ex sancto Iuda Thadæo sententias mutuatus sit? Pro affirmatiua citat Patrem Salmeron, Tirinum, &
Salmeron. Tirinus. alios: quia epistola canonica sancti Iudæ scripta fuit circiter sexennio ante secundam epilam sancti Petri, vbi similes sententiæ reperiuntur, vt probat idem Eusebius: ergo sanctus Petrus aliquas sententias, quas profert in ea secunda epistola à sancto Iuda mutuauit. Pro negatiua stant Baronius, Adamus, Lorinus, Iu-
Baronius. Adamus. Lorinus. Iustinian. stinianus, & alij: quia putant, Beatum Petrum oppetiisse mortem antequam sanctus Iudas suam epistolam scriberet. Sed quid sit de hoc incertum est.

De Amethysto gemma.

In tertia serie gemmarum Rationalis no- 87.
Oleaster. num locum tenebat Amethystus, qui Hebraïcè dicitur: *Achlamah*, teste Oleastro, a, *Chalam*, quod est somniare ortum habere videtur. Vnde dicunt Hebræi, semper videre somnia, qui hanc gemmam fert in digito.
Montanus. Sed idem Oleaster timet, hoc esse Hebræorum figmentum. Montanus fere consentit Oleastro; & ambo putant, similitudinem vituli præseferre. Abulensis in præsenti asserit,

rit, esse omnium lapidum rubicundissimum, fulgere, & ebrietati contrarium, in quo nomen *Issachar* erat sculptum. Glossa Interlinealis, & Epiphanius in libello de duodecimis lapidibus, purpureo, & violaceo radiare fulgore vino rubro simili tenent. Plinius lib. 37. cap. 9. Amethystum Indicum cæteris præponit, cuius quinque sunt species. Indicus absolutum purpuræ colorem habet, & inter omnes principatum tenet, vt carbunculus vibrat. Secunda species descendit ad hyacinthos, & gignitur in Arabia. Tertia species colorem vini habet. Quarta ad viciniam chrystalli descendit albicante purpuræ defectu. In Thasso solidissimæ, & vilissimæ reperiuntur. Alias species annumerat Plinius ignoras tamen. Diuus Isidorus lib. 16. Ethymolog. cap. 9. sic scribit: *Inter purpureas gemmas principatum amethystus indicus tenet. Amethystus purpureus est permixto violaceo colori, & quasi rosæ nitore, leuiter quasdam flauumulas fundens. Alterum eius genus descendit ad hyacinthos. Causam nominis eius afferunt, quia sit quiddam in purpura illius non ex toto igneum, sed vini colorem habens. Est autem sculptura facilis: genera eius quinque.* Plinio, & Isidoro consentiunt Rueus lib. 1. de gemmis, cap. 11. Martinus Stephanus in compend. Salomonis, cap. 37. Barradas 2. tom. lib. 3. cap. 45. qui Amethysti ethymologiam à voce quadam Græca, quæ Latine, *Sine vino*, sonat, exponit. Glossa Ordin. ad cap. 21. Apoc. de hac gemma ait: *Amethystus duodecimus purpureus mixto colore violæ, & rosæ, quasdam flammulas de se fundens.* Aliquatenus consentit Ribera lib. 3. de vestibus sacerdotalibus, cap. 11. num. 17. Pelbartus de Temesbat in 4. sentent. ex Nicolao de Lyra ait Amethystum esse gemmam, quam sanctus Ioseph sanctissimæ Sponsæ Virgini Mariæ, in quodam annulo inclusam contulit, pro firmitate contractus sponsalitij. Accipe eius verba. *Amethystus fuit in annulo, quo sanctus Ioseph subharrauit beatam Virginem Mariam sponsam.*

Gloss. Interl. Epiphan. Plinius. Isidorus. Rueus. Marti. Steph. Barradas. Gloss. Ord. Ribera. Pelbart.

88. Aretas cap. 67. in Apocalyps. Pierius lib 41. & Barradas citatus asserunt, per Amethystum significari sobrietatem, eo quod hæc gemma contra ebrietatem virtutem habeat, ita vt eam ferens vino non tenetur: De eo sic scribit Anastasius Nyssenus quæst. 38. *Amethystus quidem est in profundo flammæ similis; inuenitur autem in montibus Lybiæ in littore maris.* Radiat ergo amethystus colore triformi: roseo, violaceo, & purpureo.

Aretas. Pierius. Barradas. Greg. Nisse.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXXXIII.

Quot ex ebrietate damna proueniant.

89. *Aduersus ebrietatem orationem habere, me piget* (verba sunt Damasceni lib. 2. Parall. cap. 85.) *non quod leue quoddam, ac contemnendum malum ipsa sit: sed quod nullam oratio nostra vtilitatem habitura sit.* Ebrietas malum sine medicamine est; nec ob id contra eam acriter pugnare, omittendum iudico. Quam pulchrè Chrysostomus tom. 2. concl. 1. de Lazaro. *Age itaque*, inquit, *& hodie aduersus ebrietatem armemus linguam, istamque vitam madidam, ac dissolutam prosternamus: vituperemus istos, qui in ea totis diebus versantur, non vt illos pudefaciamus, sed vt eos à pudendis liberemus: non vt illos traducamus, sed vt ab infami traductione, & à diaboli, hoc est, traductoris manibus eripiantur. Quisquis enim in temulentia totos agit dies, quisquis in deliciis, & ingurgitatione, sub diaboli tyrannide redactus est.* Agamus ergo contra ebrietatem, eius damna exponentes, vt, si possibile est, ebrij resipiscant, & qui nondum vini experti sunt vires, à tam diro liberentur hoste.

Damasc. Chrysost.

Vix dici potest, quam acerbissimè tulit Isaïas Hebræorum temulentiam, cùm tactus dolore cordis intrinsecus exclamauit, cap. 5. num. 11. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* Eosdem reprehendit Ioël, cap. 1. num. 5. his verbis: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Lamentabile vitium est ebrietas, vtpote contumeliosum, & à ratione alienum. Quam apte Bernardus sermone 25. de modo viuendi. *Homo ebrius est ita à seipso alienus, vt nesciat semetipsum. Homo ebrius est ita à seipso alienus, vt nesciat vbi est.* Quis ebrietatis damna potest enumerare? Rationem turbat ebrietas: temulentiâ corporeæ adhuc actiones torpent. Non id siluit Bernardus de ordine vitæ. *Vinum contra potantem facit, quia postquam surrexit, neque pes, neque manus suum officium tenent: omnis eius exhilaratio vertitur in ruinam.* Chrysologus sermone vigesimo sexto, plura ebrietatis compilauit damna, dicens: *Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter magistra: hanc, qui habet, non peccatum facit, sed est ipse peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris iniuria: hanc nullus nouerit Christianus.* Nec omittendum iudico, quæ contra ebrietatem profert Augustinus tomo nono, sermone vnico de sobrietate, & virginitate. *Ebrietas*, inquit, *ab animæ iniuria incipit, & flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Ebrietas temporis amissio, insania voluntaria, ignominiosus languor: mentis sanæ debilitatio, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.* Omnia hæc vnico verbo concluſit Chrysostomus homilia 59. in cap. 17. Matth. dicens: *Ebrietas mater, atque origo vitiorum omnium est.* Et tom. 3. homilia 27. in Acta Apostolorum ebrij infelicitates accumulat his verbis: *Quid enim ebrio turpius? Ridiculus est famulis, ridiculus est inimicis, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus. Bestia est magis, quàm homo.* Innumera afferre possum sacræ Paginæ, & Patrum testimonia, quibus contra hoc miserabile vitium pugnare possem: verum ea prætermitto, vt aliqua notatu digna in medium afferam, quibus ebrietatis damna, vt effugiamus, patebunt.

Isaï. 5. n. 11. Ioël. 1. n. 5. Bernard. Chrysost. August. Chrysost.

91. Ebrietas ergo capitis est turbatio, sensuum, & intellectus subuersio, ita vt ebrius bestia magis, quam homo appareat. Moysis absentiæ impatiens populus Deos, qui illum ducerent, ab Aarone postulauit: assensit Pontifex populo itreuerenti, & sacrilegio, & conflatilem vitulum erexit in Deum. Quid inde? *Surgentesque mane obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Exod. 32. num. 6. Cumque Moyses descendisset de monte, & facinus detestabile conspexisset: *Iratus valdè proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Ibidem, num. 19. Magnum Interpretibus facessit negotium: cur Moyses tabulas à Deo acceptas, eiusque digito exaratas iratus valdè confregit? Diuus Ambrosius libro de Elia, & ieiunio, cap. 6. sic respondit. *In superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti; in inferioribus populo manducanti prænaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses, indignum indicans, vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.* Ex mente ergo Ambrosij ebrietas legem à sacrilego populo auocauit. Assentior. Sed adhuc inquirendum restat: Cur indignum iudicauit Moyses, populum ebrium lege potiri? Certe, quia ebrius rationis expers est, sui non est compos. Vt ergo ostenderet, ebrietatem in brutum transmutasse populum, legem ei denegauit, tabulas confringendo, tanquam obedientiæ incapaci.

Exod. 31. n. 6

Ibid. n. 19.

Ambros.

92. Parum hoc. Insensibilis redditur ebrius sua temulentia. De idolis, quæ Gentium ebria venerabatur superstitio concinit Dauid. Psal. 113. num. 4. *Simulachra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt*, &c. Quam inutilia erant huiusmodi simulachra satis explicuit regius Psaltes; & quam aliena à diuinitate, quibus operatio, & prouidentia deerat, (Nam Dei bonitas, & immensa sapientia, omnia conseruat, gubernat omnia, nihil non respicit.) Non ergo gentium simulachris adscribenda est diuinitas, quibus negatur gubernatio, & vitalium operum libertas, imò & vsus. Damascenus lib. 2. Parallel. cap. 85. his simulachris gentium temulentos & ebrios confert. *Et quid aliud sunt temulenti*, inquit, *quam gentium simulachra? Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt.* Sicut enim simulachra gentium insensibilia erant, & licet oculis, auribus, aliisque corporeis organis prædita, tamen vitalia munia non poterant exercere: non aliter ebrij, velut simulachra quædam, aut statuæ sensus, & rationis vsu carent.

Psal. 113. n. 4

Damasc.

93. At quamuis ebrietas sic reddat ebrium, vt sensu, & ratione illum spoliet, quibus ablatis malitia, aut peccatum non habet locum; quia tamen voluntariè amplectitur, vitium est detestabile; imò omnium vitiorum origo, ita vt peccatorum omnium genera ebrietatis nomine comprehendantur. Hoc absque dubio denotauit Ioël, cap. 1. num. 5. *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* D. Hieron. ad præfata verba, postquam per ebrietatem animi perturbationem intelligendam docuisset, qua miserabiliter inebriatur anima, ait: *Euigilate, & expergiscimini, qui ebrij estis: nequaquam vino (vt in Solis Septuaginta continetur, sed omni perturbatione vitiorum.* Itaque ex mente Hieronymi hîc per ebrietatem omnia vitia designantur. Tantum malum est ebrietas, vt eius nomine tota peccatorum congeries maculetur. Ob indeque apud Isaïam inuenies, cap. 51. num. 21. Ebrietatem esse, & non à vino: *Idcirco audi hoc pauperula, & ebria non à vino.* Quapropter Chrysostomus tom. 5. oratione 5. aduersus Iudæos ait: *Væ illis, qui ebrij sunt, & non à vino. Nam quemadmodum vino, sic & alio modo possit aliquis inebriari. Est enim ebrietas in ira, & in absurda concupiscentia, & in auaritia, & in amore gloriæ. Denique in aliis innumeris affectibus. Ebrietas enim nihil aliud est, quàm excidisse à recta ratione, deliratioque, & sanæ mentis priuatio. Non solum igitur, qui multum exhaurit merum, verumetiam qui alium quempiam morbum alit in animo, vehementer ebrius esse iudicatur.* Quod late prosequitur Chrysostomus. Ex quibus aperte liquet, ebrietatem ita esse detestabile vitium, vt omnia vitia quasi glorientur, ebrietatis cognomine appellari.

Isaï. 51. n. 21.

Chrysost.

94. Verum, non solum ebrietas omnium vitiorum est origo, & sui nominis contumelia maculantur omnia; sed ausim dicere felicius (si fieri potest) hominē cum dæmone cohabitare, quam cum illecebris ignominiosis ebrietatis. Patronum habeo Damascenum loco citato sic dicentem. *Qui dæmonis imperiis agitantur, huius vocem omnes miserantur: qui autem ebrius est, cùm in eadem calamitate sit, tamen nec misericordiam quidem meretur, vt qui cum dæmone vltro accersito confligat.* Peioris conditionis est ebrius, quàm dæmoniacus. Huius omnes miserentur; illius, nullus est, qui miseriam non rideat. Vterque vexatur à dæmone: ebrius à dæmone voluntario, cui vltro se subiecit; dæmoniacus autem inuitus. Ergo infelicior est ebrius, quàm dæmoniacus, siquidem huius omnes miserantur; illius nemo. Meritò ergo Amethysto pectus ornabatur Pontificis, vt contra ebrietatem (cui aduersatur hæc gemma vt vidimus num. 88.) frueretur anthydoto. Oportebat, Pontificem totius populi Præsulem in tantum iniquitatum pelagus non incidere, sed sui esse compotem, vt recto iudicio populum gubernaret.

Damascen.

Illatio CLXXXIV.

Præcedentis illationis thema prosequitur.

95. Innumera damna quæ ex immoderato vsu vini, ebrietateque detestabili proueniunt, mirifice explicuit Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 5. vbi notauit peracute, Deum populum Israël itineris labore defessum, & oppressum sitis angustiis non vino, sed aqua ex silice manante refecisse. Audi Mediolan. Antistitem. *Denique dixit Deus: percuties petram, & exiet aqua ex ea, & bibet populus. Non dixit: exiet vinum populo. Periculosum enim erat, vinum populo ministrare, quod fortiores ferre vix possent.* Absque

Ambros.

que dubio ſi vinum ex rupe manaret, Hebræorum vires validius recuperarentur: verum quia vinum parit ebrietatem litium parentem, intellectus perturbationem, & omnium peccatorum originem, meritò Deus populo aquam, non vinum propinauit.

96. Cum argento, & auro eduxit Deus filios Iſraël de Ægypto: *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Pſalm. 104 num. 37. Et cum innumera eorum multitudo repleret terram, ex tot millibus ſolum Caleb, & Ioſuë terram promiſſionis fuerunt ingreſſi. Deuteron. 1. num. 36. & 38. Inſuper quadraginta annis Manna de cœlo miſſo cibauit eos Dominus. Exod. 16. num. 35. At ſi inquiras: cur ex tanta multitudine duo tantum homines in terram promiſſionis peruenerunt: & quare tranſacto illo quandraginta annorum curriculo Manna eis fuerit negatum? Audi Ambroſium loco citato cap. 18. damna hæc vini vſui immoderato tribuenti.

Ambroſ. *Quid autem mirum*, inquit, *ſi vino decipiuntur animæ fœminarum, cùm omnes illæ tribus patrum cùm de petra biberent aquam, Manna manducarent, gentes validiſſimas vincerent, & non erat in his infirmus: vbi vero carnes deſiderare cœperunt, & deſideriis in Ægyptum conuertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum in terram promiſſionis præter duos peruenire potuerunt?* Ergo ex mente Ambroſij omnes illæ tribus dum bibebant aquam, manducabant Manna, & gentes validiſſimas vincebant: at poſtquam ad vinum fuerunt conuerſæ, inde ærumnæ, morbi, rixæ, & tandem cœleſti cibo orbatæ ſunt.

97. Ob hanc cauſam teſte Auguſtino ſerm. 33. ad fratres in eremo in fine, Eliæ miraculorum virtus ablata fuit. Auguſt. *Elias*, inquit, *tandiu miracula fecit, quandiu pane, & aqua refectus eſt: ſed poſtquam carnes comedit, & vinum bibit in ſaturitate, miraculà, non legitur, feciſſe.* Et ſermone 131. de tempore qui eſt primus de ebrietate vitanda, Herodis ebrietati infandum ſcelus decollationis Baptiſtæ adſcribit. *Herodes quoque*, inquit, *vbi nimiò vino concaluit, ad vnius puellæ ſaltationem ſanctum Ioannem Baptiſtam interfecit.* Vt exinde diſcas, quam graue malum ſit ebrietas. Sed audi inſuper: non ſolum temulentia ſacrilegij, ſed idololatriæ eſt mater.

98. Sacrilego perfidiæ crimine populus Iſraël aureo vitulo diuinitatis cultum deferebat: Exod. 32. n. 6 *Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. num. 6. Auguſtinus ſermone 131. de tempore citato huius perfidiæ delirium ebrietati populi tribuere non dubitat, dum ait: Auguſt. *Populus autem Iudæorum, de quo ſcriptum eſt, ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: poſtquam vinum pluſquam oportebat accepit, idola ſibi phrænetico choros ducere more, diuerſis ſaltationibus membra torquere.* Ebrietas ergo populum in tetrum idololatriæ, & perfidiæ pelagus demerſit.

99. Perfidiæ venenum, vt explicaret ſacer Legiſlator vino comparauit. Deut. 32. n. 33. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Dixerat, n. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi.* Fructus Sodomæ, & Gomorrhæ infidelitas eſt. Confert ergo perfidiam vino, & vinum draconum felli, & inſanabili aſpidum veneno. Sed cur Moyſes Sodomæ, & Gomorrhæ perfidiam vino contulit; & vinum non ſolum veneno, ſed draconum veneno, & iræ aſpidum comparauit? Reſpondet Ambroſius lib. de Elia, & ieiunio, cap. 14. Ambroſ. *Meritò Deus per Moyſem non ſolum veneno, ſed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: furor draconum vinum eorum, & ira aſpidum inſanabilis. Et pulchre additur inſanabilis. Multi enim reliquorum ſerpentium veneno curãtur, nemo ebrietate. Certe veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia eſt ebrietas ad corporis ſanitatem, meriti etiam crimen adiungit.* Vinum venenum eſt inſanabile. Multi à ſerpentibus morſi vitam reſtaurant; ebrietate autem madefacti, nunquam ſiccantur. Creſcit enim cupiditas vini annorum incremento: quo fit, vt vſque ad extremum vitæ ebrij non extinguatur ſitis. Inſanabilis ergo eſt ebrietas. Inſuper vino comparatur perfidia: quia ſicut perfidiæ ſcelus fons eſt omnium vitiorum; ebrietas omnium criminum eſt epilogus, mater & origo. Tandem perfidia confertur cum vino, & per illud explicatur, quia idololatriæ mater eſt ebrietas. Non ſubticuit hoc Ambroſius ibidem, c. 12. dicens: Ambroſ. *Nam ſicut mater fidei continentia: ita perfidiæ mater ebrietas.* Meritò ergo Amethyſtus ebrietati oppoſitus pectus onabat Pontificis, vt tot damna à ſummo Antiſtite relegaret.

Illatio CLXXXV.

Quam aliena à miniſtro altaris ſit ebrietas, & quot incommodis obnoxia.

100. QVanto conatu à ſactis miniſtris relegauda ſit ebrietas, aurea voce explicuit Chryſologus ſerm. 26. dicens: *Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium: quia alter animam ſuam necat vino, Sacerdos ſpiritum ſanctitatis extinguit, dicente Apoſtolo: ſpiritum nolite extinguere.* Et rurſus ibidem de ebrietate. *Hanc nullus nouerit Chriſtianus, nec auditu quidem Sacerdos attingat: ne qui eſt forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inueniatur exemplum.* Igitur cùm in laïcis reprehenſibilis ſit ebrietas, potiori iure in Sacerdotibus. Chryſol. 1. ad Tim. 5.

101. Anna mater illa Samuëlis cùm à Phennena probris afficeretur propter ſterilitatem, fœcunda meritis, & infœcunda fœtu Deum orabat in corde, mouebat tamen labia, ita vt vox vix poſſet audiri: quam cum Heli Sacerdos aſpexiſſet, temulentam putans, dixit ei. *Vſque quo ebria eris? Digere paulliſper vinum, quo madet.* 1. Reg. 1. à n. 14. *Reſpondens Anna: nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini.* 1. Regum primo, à numero decimo quarto. Notatu dignum eſt, quod cùm Anna ſingulis diebus

à Phen

à Phennena verbis contumelioſis afficeretur, nihil ei reſponderet: at cùm à Sacerdote temulentiæ nota inuritur, plene ei ſatisfacere nititur. Cur hîc reſpondet, & ibi tacet? Quia licet verba amaritudinis plena à Phennena audiret, non ita honorem Annæ maculabant, ac Sacerdotis ſuſpicio, qua eam temulentam iudicauit. Dedecet enim honoratam fœminam, vel ebrietatis ſuſpicio. Rurſus à tanta macula ſe totis viribus, & verbis purgare nititur, ne ſi Deus ſua vota adimpleret, filium, quem ante conceptionem iam Deo ſacrauerat, vt altari deſeruiret, à temulenta matre originem ducere videretur. Vnde honori potius ſacerdotali, quàm proprio puto conſuluiſſe, ne qui futurus erat Sacerdos, vel remote ebrietatis labe tantam dignitatem macularet. Attigit hoc Ambroſius libro de Elia, & ieiunio, capite ſexto, vbi expendit, matrem Samſonis à vino abſtinuiſſe. Iudicum 13. num. 4. Et matrem Samuëlis ſimiliter. *Ex quibus duo generati*, inquit, *vnus fortiſſimus, & alius obſeruantiſſimus, digni ſe præbuerunt, qui ieiuno gremio foti, & quodam abſtinenti effuſi vtero viderentur.* Putauit Anna dignitatem filij, quem Deo ſacrauerat maculari, ſi ſe à temulentia liberam non oſtenderet. Ideo ergo reſpondit, non vino madeo, ſed afflictione effundo coram Domino animam meam; quia ſe matrem Sacerdotis ſperabat, ne vel minima ebrietatis ſuſpicione filij dignitatem dedecoraret. Sic enim aliena à Sacerdote eſt ebrietas, vt vel minima in matre eius temulentiæ ſuſpicio Sacerdotales infulas deturpet.

Ambroſ.

103. Nadab, & Abiu, filij Aaron, eo quod ignem alienum offerrent coram Domino, miſerabili morte perierunt. Leuitic. 16. numero 2. *Egreſſuſque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Hunc exitum miſerum expendens Chryſologus ſermone citato 26. ait: *Denique Nadab, & Abiud Sacerdotes filij Aaron Sacerdotis, dum contaminare externo igne altare præſumunt, ipſius altaris conſumuntur incendio: vt ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum illis ſuſcitarat ebrietas: nam vini odor odorem fugarat incenſi, & ebrietatis ignis flammam prouocarat altaris: Vnde quia alienati à vino alienum portauerant ignem, mox diuino igne referuntur extincti.* En ergo quali pœna propter ebrietatem plexi ſunt iſti Sacerdotes. In laïcis ebrietas peccatum eſt: in Sacerdotibus ſacrilegium. Nulla maior poteſt eſſe infelicitas altaris miniſtro, quàm ebrietas; ſiquidem ſacrificium conuertit in pœnam, & in peccatum propitiationem.

Leuitic. 10. n. 2.

Chryſol.

104. Poſt hanc Sacerdotum mortem, & lamentabile incendium, dixit Dominus ad Aaron Leuitici decimo, à numero octauo: *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis, tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras: & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & prophanum; inter pollutum, & mundum.* Capitis pœna damnatur Sacerdos, qui vinum, aut quod inebriare poteſt biberet, cùm ingrederetur in tabernaculum teſtimonij: & propter hoc forſan ſenſit Chryſologus, vt vidimus numero præcedenti, propter ebrietatem Nadab, & Abiud incendio fuiſſe conſumptos. Sacerdos ebrius quî poſſet ſuo muneri ſatisfacere? Quæ non inferet damna? In quæ non incidet abſurda? Minitatur ergo Deus vltimo ſupplicio, vt tantæ pœnæ metu à temulentiæ crimine arceantur Sacerdotes. Nam qui Deo ex munere vacat, ſemper attentus, ſemper compos ſui tenetur exiſtere. Sic Hieronymus epiſtola octogeſima tertia: *Sacerdotes*, inquit, *qui miniſtrant in Templo Dei prohibentur vinum, & ſiceram bibere, ne in crapula, & ebrietate aggrauentur corda eorum, & vt ſenſus officium exhibens, Deo vigeat ſemper, & tenuis ſit. ..... Niſi enim cerebrum ſanum fuerit, omnia membra in vitio erunt.* Attende tibi, ô Sacerdos, & tanti muneris dignitatem ignominioſo ebrietatis dedecore ne macules. Attende tibi, iterum dico, ne ſacrificium conuertas in peccatum. Eſto tui Dominus, vt Domino, qui te redemit, & ad tantum euexit dignitatis faſtigium, poſſis inſeruire.

Leuitic. 10. à n. 8.

Hieronym.

Sacerdoti Euangelico permittitur vinum, 105.
ſed cum menſura, non quod inebriare poteſt: at qui perfectus eſt, etiam vrgente neceſſitate, illud recuſat bibere, ne ex parua ſcintilla magnum inſurgat incendium. Hoc ſignificauit Apoſtolus. 1. ad Timotheum 5. numero 23. commendans ſobrietatem Diſcipuli: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequenter tuas infirmitates.* Nota Timothei laudabilem ſobrietatem. Nam licet ſtomachi magno laboraret dolore aquam ſumebat in potum, timens vini venenum, quo, vt adhuc moderate vteretur, Pauli præcepto indiguit, conſtringi. Hoc exemplo quanto rubore ſuffundi debent Sacerdotes, qui vinum non in neceſſitate, ſed in dulcedine, non moderate, ſed abſque menſura: & quod pudet dicere, vſque ad temulentiam bibunt. Non ſunt contemnenda verba Chryſoſtomi ibidem. *Audi*, inquit, *quid ad Timotheum dicit Paulus: modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & crebras agrotationes tuas. Quod ſi ſanctus vir ille morbo depreſſus, & alternis ægritudinibus laborans quouſque Magiſter permiſit, vino non vtebatur: quam veniam nos conſequemur, vino ad ebrietatem ſani abutentes.* Ita alienum à Sacerdotibus eſt vinum, vt niſi vrgente neceſſitate, eo non deberent vti, & tunc moderate, & præcepto conſtricti. Pudeat ergo Clericos, immoderate vti vino, & rubore ſuffundantur Sacerdotes vinum non ſolum immoderate abutentes, & vſque ad ebrietatem, qui non ſolum (proh dolor) ſe tanto veneno è medio tollunt, verum & aliis vinum miniſtrant, vſque dum in terram eos proſternant. Quod acriter reprehendebat Auguſt. ſerm. 132. cit. cum multa aduerſus ebrios prædicaſſet. *Et hæc quidem non ſolum laicis, ſed etiam Clericis dicimus: quia quod peius eſt, multi ſunt etiam maioris Ordinis Clerici, qui cum aliis ſobrietatis bonum deberent, iugiter prædicare, non ſolum hoc non faciunt, ſed etiam, & ſe, alioſque inebriare non erubeſcunt, nec metuunt.*

1. ad Timoth. 5. n. 23.

Chryſoſt.

Auguſt.

Faxit

Faxit Deus, vt tantum nefas altaris ministros non oppugnet, ne morbus insanabilis mortem inferat Sacerdotibus.

ILLATIO CLXXXVI.

Gloria huius sæculi breuis, & ficta: Vita hominis cum morte confunditur.

106. MAgni æstimant homines, potiri honoribus huius sæculi; auro, argento, gemmisque abundare, glorioſos, & honoratos apud omnes esse: sed si quæ sunt hæc, non ignorarent, procul dubio ab hac æstimatione desisterent. Huius vitæ gloria scena est, qua finita nihil eorum, quæ apparebant in theatro permanet. Pulchre hoc exemplo mortalium amentiam explicuit Chrysostomus concione 2. de Lazaro in tomo 2. *Quemadmodum enim actores in scena, Regum, ac Ducum personas, item Medicorum, aut Rethorum, sophistarum, ac militum assumentes ingrediuntur, cum ipsi nihil horum sint: sic sane in præsenti vita paupertas, ac diuitiæ nihil aliud sunt, quàm personæ.* Chrysost.

107. Hoc nobis haud difficilè erit probatu ex illo Lucæ 16. num. 19. & 20. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus.* Chrysostomus homilia de diuite in 2. tomo rem hanc sic expendit. *Homo quidam erat diues. Propterea dicit, quidam, quia quaſi vmbra præteriit.* Hoc est: *Quidam*, dixit: quasi nullum diceret. Dues erat, ideo *quidam*. Vox namque, *quidam*, indeterminate, aut incertè significat, neminem signat. Et vere nullus erat, qui affluebat diuitiis, quia quasi vmbra præteriit. Splendide epulabatur, byssi, & purpuræ ornabatur amictu; at hæc omnia sicut vmbra transierunt. Luc. 16. n. 19. & 20. Chrysost.

108. Nec solum huius mundi gloria euanet sicut vmbra: verum ausim dicere, Christi Domini gloriam, quia in hac vita possessam, cum *esse*, & *non esse* vices alternasse. Ascendamus cum Petro, Ioanne, & Iacobo in Thaboris verticem, ibique Christum Dominum amictum lumine sicut vestimento intueamur oculis mentis: profecto vndequaque glorioſum corpore, & anima inueniemus. Sed qui, vt nobis gloriæ ianuam aperire, venerat, non sibi soli tantæ claritatis thesaurum reseruauit, sed Moysem, & Eliam suæ felicitatis fecit participes. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses: & Elias visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Lucæ 9. n. 30. & 31. Duo mihi se offerunt inquirenda: Alterum est: cur in illo fulgentissimo gloriæ theatro Moyses & Elias apparuere potius quam alij ex Patribus antiquis? Alterum cur in tanta maiestate, & gloria constituti loquebantur de excessu Christi? Si mea non me fallit suspicio vtriusque dubij responsum confirmat nostrum intentum. Ad primum ergo dicendum puto, Moysem, & Eliam apparuisse, vt ostenderent huius mundi gloriam momentaneam, & inter *esse* & *non esse*, alternantem. Quod sic explico, Moyses (etsi sepulchrum eius ignotum, hac vita defunctus iacebat in pyra, excitatus tamen tunc fuit, vt gloriæ Christi Iudæis perfidis esset testis omni suspicione semota) mortis typum gerebat: Elias curru igneo in paradisum raptus deliciis affluens, mortis huc vsque non gustauit angustias, quare vitæ præferebat insigne. Adfuit ergo Christus inter Moysem, & Eliam, hoc est, inter mortem, & vitam cum gloriæ suæ Occeanum exundauit in corpus: vt exinde noscas Christi corporis gloriam, quia in hac vita ea fruebatur, alternare inter vitam, & mortem, inter *esse*, & *non esse*. Nam huius vitæ gloria sic desitioni est obnoxia, vt vel Christi gloria in hac vita possessa finem sibi videatur præscribere. Hinc secundo dubio fit satis. Loquebantur de excessu Christi Moyses, & Elias, hoc est, de eius morte, cum gloriæ radiis corpus eius fulgeret in monte, non quia pro tunc passibilis existeret, sed vt gloriæ corporis gloriam adderet Crucis: Vel tunc in gloria existenti futuræ mortis additur memoria, vt ostenderetur, gloriam in hac vita possessam cum morte habere commercium. Luc. 9. n. 30. & 31.

109. Et quid mirum, huius sæculi gloriam citò euanescere, & splendorem cum fœditate mortis commutare; si vel ipsa vita in hoc mundo cum morte confunditur. Vix homo nascitur, cum mori incipit, & per spatia temporum, quæ percurrit, ad metam temporis celeriter venit. Ob hoc Tertullianus libro de anima, cap. 19. dicebat, omnes in hanc vitam egressos prius lachrymis oculos turbare, quàm lucis pulchritudine fruantur, quasi iam imminentis mortis exequias celebrantes. *Mentior*, inquit, *si non statim infans, vt vitam salutauit, hoc ipsum se testatur, sensisse, atque intellexisse, quod natus est.* Et statim prosequitur: *De prospectu lachrymabilis vitæ quidam angorem incommodorum vocem illam interpretantur.* Et Augustinus lib. 21. de ciuitate, cap. 14. de prima infantia loquens sic ait: *Quæ quidem, quod non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nescions prophetat quodammodo.* In huius vitæ limine omnes lachrymas fundimus, non solum eius ærumnas deplorantes, sed velut proprias celebrantes exequias. Mutuo enim natiuitas, & exitus se respiciunt. Tertull. Auguſt.

110. Appelles, & alij hæretici errore decepti in tantam amentiam sunt prolapsi, vt putarent, Christum Dominum ex stellis carnem sumpsisse: Idque ausi sunt confirmare ex eo quod Angeli, qui Abrahamo in conualle Mambre occurrerunt, absque eo quod ex fœmina nascerentur, carnem sumpsere: sic, dicunt, Christum absque natiuitate fuisse hominem. Contra hoc delirium acriter pugnat Tertullianus libro de carne Christi, cap 6. paritatem destruens ratione satis efficaci, quæ nostrum roborat institutum. *Nullus vnquam Angelus*, inquit, *ideo descendit, vt crucifigeretur, vt mortem experiretur, vt à morte resuscitaretur. Si nunquam eiusmodi fuit causa Angelorum corporandorum, habes causam, cur nõ nascendo acceperint carnem. Non venerant, mori, ideo nec nasci. At verò Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, vt mori posset.* Tertullian.

Non

Non enim mori ſolet, niſi quod naſcitur. Mutuum debitum eſt inter ſe natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi cauſa naſcendi eſt. Validiſſimum eſt argumentum Tertulliani, & diſparitas inter Angelos, & Chriſtum eſt aperta. Chriſtus venerat moriturus, non ſic Angeli. Ergo ille naſci debuit, ſecus iſti. Natiuitatis, mortis mutuum eſt debitum: ideoque moritur aliquis, quia natus; & naſcitur, vt ſit mortuus. Angeli ergo non fuerunt nati, quia non erant morituri: Chriſtus verò ideo natus, quia mori venerat. Ergo in ipſa natiuitate, ius acquiſiuit mors, vt quicumque natus mortis ſubderetur imperio. Ergo noſtra natiuitas, quæ morti tantum ius tribuit, non vitæ, ſed mortis dicenda eſt initium.

111. Saducæis reſurrectionem negantibus, & de muliere illa ſeptem fratribus nupta inquirentibus, cui eorum poſt reſurrectionem copulanda, reſpondit Ieſus. Matth. 22. num. 30. Matth. 22. num. 30. *In reſurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Nota contrapoſitionem mirabilem. In hac vita nubent, & nubentur: in æterna, nec nubentur, nec nubent; Cur ita? Audi Chryſoſtomum ad præfata verba in catena ſancti Thomæ: Chryſoſt. *In hoc quidem ſæculo, quia morimur, ideo naſcimur: quia naſcimur; ideo vxores ducimus, vt quod moriendo minuitur, naſcendo ſuppleatur. Ibi autem moriendi neceſſitas tollitur, vnde & naſcendi cauſa ſoluta eſt.* Poſt reſurrectionem nuptiarum ceſſabit vſus; quia tunc mortis non erunt angustiæ Nam ideo nunc nuptiæ celebrantur, vt quod moriendo minuitur, per matrimonium ad propagationem generis humani inſtitutum ſuppleatur. Cùm ergo poſt reſurrectionem iam morti clauſa ſit ianua, nulla erit cauſa naſcendi, ac per conſequens nubendi nulla neceſſitas. Liquet ergo ceſſare formam naſcendi, quia morti occluditur aditus: vt exinde noſcas moriendi anguſtias à natiuitate hauſiſſe vigorem. Quis, ſi hæc conſideret, in hac vita ſuam conſtituet fiduciam, quæ tam cito deficit, vt in eius exordio celerrimus finis adſit? Si mihi non credis, fide Auguſtino ſermone 49. ad fratres in eremo ſic dicenti: Auguſt. *O vita, quæ tantos decipis, de propriis tantos ſeduxiſti, tantos excæcaſti! Quæ dum fugis, nihil es, dum videris, vmbra es. Dulcis es ſtultis, & amara ſapientibus. Qui te amat, non te cognoſcit; qui te contemnunt, ipſi te intelligunt. Timenda es, fugienda es. Væ, qui te credunt; beati, qui te contemnunt. Vera non eſt vita, quam oſtendis. Aliis oſtendis te longam, vt perdas in finem; aliis breuem, vt dum pœnitere volunt, non permittas; aliis longam, vt faciant, quod volunt; aliis anguſtam, vt non faciant bonum.* Expende ſæpe ſingula.

112. Amethyſtus teſte Diuo Iſidoro citato numero 87. roſæ imitatur nitorem. Roſa (vt docet Pierius lib. 55.) imbecillitatis vitæ eſt hieroglyphicum, ac boni momentanei ſignum. Iſid. ius. Pierius. Hinc elegantiſſimus Poëta, qui roſam (Maroni adſcribitur) celebrauit, vel deplorauit potius repentinam hanc iucunditatis rapinam, ita lamentatur.

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.

Quam longa vna dies, ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.

Roſeo ergo amethyſti ſplendore fulgebat pectus Pontificis, vt diſceret, quod ſicut roſæ ætas eſt vna dies; ſic quamuis fulgentiſſima polleat dignitate, & ornatu vndequaque auro, & gemmis micante, tam caducus eſt iſte decor, vt ipſo die, quo florens, vigenſque enituerit, eodem langueſcat, & defloreat.

ILLATIO CLXXXVII.

Quem tenet præmij, & mercedis ſpes: nullis parcit laboribus: ſin autem, in minimis ſuccumbit, & deficit.

QVid non aggrediuntur homines, ſi magna præmia proponantur; nullum opus laborioſum putant, vbi ſpes præmij lenocinatur. Præmiis magnorum etiam virorum animi excitantur. Magna ergo eſt vis remunerationis, & præmij E contra tamen ſi fructu defraudetur labor, graue nimis eſt, & malorum omnium probatur extremum. Tunc validiſſimus deficit, & ſuccumbit. Vtrumque ex ſequentibus patebit. 113.

Primum ſatis ſignificauit regius Pſaltes. Pſalm. 118. num. 96 dum concinit. *Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Legem Dei latam appellat Dauid tot præceptis, & cærimoniis plenam; quam Chriſtus Dominus arctam, & anguſtam vocauit. Matth. 7. num. 14. dicens: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Quæ verba teſte Maldonato ibidem de præceptis per viam ſignificatis, & de ingreſſu in regnum cœlorum per portam deſignato, intelligenda ſunt. Quomodo ergo Dauid mandatum Dei valde latum appellat, quod Chriſtus Dominus arctum, & anguſtum vocat? Expende verba, quæ dixerat Dauid: *Omnis conſummationis vidi finem.* Id eſt: vt docet Ambroſius ad hæc verba. Vidi Chriſtum Dominum gratiam largientem, & præmia donantem. *Omnis conſummationis vidi finem, hoc eſt, vidi conſummati adulterij remiſſionem, vidi conſummatæ luxuriæ, atque laſciuiæ, conſummatæ crudelitatis, atque ſæuitiæ, omnis poſtremo flagitij per crucem ſuam delicta donantem.* Vel per conſummationem finem ſuæ vitæ videbat Dauid, eiuſque præmium obtinendum (vt ipſe fatetur Ambroſius.) Quid ergo mirum, quod arcta, & anguſta via præceptorum lata videatur, & valde lata? Nam ſic futuri præmij ſpes ſecura animum erigit, vt difficilia, & ardua plana videantur, & facilia: Quia remunerationis ſecuritas laborem ſuauem reddit, præbet ſolatium. 114. Pſalm. 118. num. 96. Mat. 7. n. 14. Maldonat. Ambroſ.

Cum Chriſtus Dominus ſuæ gloriæ radios oſtenderet in Thabor, tres dilecti, & ſelecti inter cæteros adſtiterunt Diſcipuli. *Et tranſfiguratus eſt ante eos* Matth. 17. n. 2. ſtatimque apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes. *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in Maieſtate.* Luc. 9. num. 31 Tertull. lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. legit: *In conſortio claritatis, quod dignationis, & gratiæ exemplum eſt.* Origenes 115. Matt. 17. n. 2. Luc. 9. n. 31. Tertullian.

Origenes. nes homilia 12. in Exodum expreſſius loquiquitur. *Apparuerunt Moyſes, & Elias in gloria: hic non refertur, quia glorificatus eſt vultus eius* (intelligit Moyſem) *ſed quia totus apparuit in gloria,* & paulo inferius. *Neceſſario gauiſus eſt, quia iam non ſolum vultu glorificatus deſcendit de monte, ſed totus glorificatus aſcendit in montem,* id eſt, toto corpore ſplendens. Idem de Damaſcenus. Elia refert Damaſcenus infra dandus. Hinc non leue inſurgit dubium. Quare cum diſcipuli aſcendiſſent in montem, vt gloriam Chriſti conſpicerent, tantæ claritatis fuerunt expertes: Moyſes vero, & Elias feliciter particiAbulenſ. pes? diſcipuli enim, vt docet Abulenſis, quæſt. 26. in cap. 17. Matthæi quanuis gloriam Thaboris intuebantur, non tamen ea potiti ſunt: Moyſes vero, & Elias non ſolum eam inſpexerunt, ſed eius fuerunt participes. Quare ergo Chriſtus his eam conceſſit, & negauit illis. Vt diſcipulorum animos firmiores redderet ad labores, & ad certamina ſuſtinenda, videndo Moyſem, & Eliam tanto honore affectos, tanta claritate fulgentes propter egregia facinora, Damaſcenus quæ fecerunt. Audi iam Damaſcenum orat. de transfiguratione. *Oportebat ſiquidem ipſis conſeruorum ſuorum, & Dei famulorum gloria, animique fiducia conſpecta, Domini benignitatem, atque indulgentiam admirari, atque zelum inde maiorem concipere, & ad ſuſcipienda certamina conformari.* Ob oculos diſcipulorum mercedem Moyſis, & Eliæ præmium, poſuit Dominus, vt cum remuneratos eos conſpexiſſent, ad ſimilia opera excitarentur, remunerationis ſpe. Nihil enim tantum excitat cunctantem, ac timidum, etiam ad ardua, & difficilia, ac retributionis fiducia, & ſecura mercedis ſpes.

116. Prædixerat Chriſtus ſuis diſcipulis mala, quæ erant perpeſſuri, & ne ob id animi paterentur deliquium, ait illis, *& capillus de capite* Luc. 21. n. 18. *veſtro non peribit.* Lucæ 21. num. 18. Leue ſolatium videtur inter tot mala, quod capillus de capite non pereat. Nam ſi à parentibus, à fratribus, à cognatis, ab amicis tradendi erant diſcipuli regibus, & ſynagogis, & futuri erant odio omnibus hominibus; quid leuaminis poterat eſſe, quod capillus non periret? ſi Dominus eorum animos excitaret dicens, eſtote parati ad prælia, quia ego vobiſcum ſum, & pro vobis certamen inibo; confidenter Apoſtoli tanto præſidio armati hoſtium tela deſpicerent: at eos ad tanta, & difficillima, capillorum ſolum defectione, parum poſſet animos roborare. Quid eſt, in hac capillorum tutela, quod poſſet diſcipulos firmiores facere ad tot mala ſuſtinenda? D. Gr. hom. 5. in Euan. putauit in hoc præuentos fuiſſe reſurrectionis ſpe, poſtquam, non ſolum omnes capilli erant reſtituendi, ſed eorum corpora, quæ antea lacerata, & diſcerpta fuerant, iterum ad hanc lucem reuocanda, vt gloGregorius. riæ dotibus perfruerentur, *ſed quia dura ſunt* (inquit Gregorius) *quæ prædicantur de afflictione mortis, protinus conſolatio ſubditur de gaudio reſurrectionis, cum dicitur: & capillus de capite veſtro non peribit,* ſed expreſſius Beda in catena Beda. ſancti Thomæ ad præfata verba, *capillus de capite diſcipulorum domini non peribit, quia non ſolum fortia facta, vel dicta ſanctorum, ſed etiam tenuiſſima cogitatio digna mercede donabitur.* Indicare ergo voluit Chriſtus cum tot mala diſcipulis prædixit, non carituros laborum mercede, vt ſpe præmij ardua valde, & difficillima aggrederentur. Quid ergo mirum, ſi diſcipuli audacter tyrannorum reprehenderent nequitiam, & eorum tormenta ſuperarent freti diuino verbo æqualem, imo ſuperabundantem mercedem promittente. Nam retributionis ſpe, non ſolum debiles, ſed & magnanimi, quales erant Apoſtoli ad egregia facinora excitantur.

Vocat nos iam noſtri thematis ſecundum 117. aſſumptum, ſcilicet quod ſi præmium deficit, omnes animo cadunt, vel ad leuia, & facilia peragenda. Vehementer, & amaro animo filij Iſrael affligebantur ab Ægyptiis, vt conſtat Exod. 1. numero 13. *Et affligebant illudentes eis.* Exod. 1. n. 13 *Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Sed in quo, inquiro, hæc aſperitas vitæ conſiſtebat? nam operi latericio inſeruire, etſi laborioſum non erat nimis durum. In quo ergo nimis affligebantur Iſraelitæ, vt vita eis videretur amara? Cyrillus Alexandrinus libro de adoratione Cyr. Alexan in ſpiritu rationem reddit his verbis. *Fructus enim erat intolerabilis ſæuitiei, ærumnæ perpetuæ in luto, & latere ciuitates munitis turribus exaltatæ, & in agris palearum congregatio.* Sed quid hæc, vt ſacer textus referat, Iſraelitarum vitam in amaritudinem peruenisſe, quia lateribus muniebant ciuitates, & agrorum paleas congregabant? audi iterum Cyrillum, vt dubium abſoluas. *Sine mercede* (inquit) *autem hæc, & magno ſudore, & laboribus perficiebantur.* Laborabant Hebræi, ſed abſque præmio, & ſine mercede. Ecce amaritudo, non quia opere latericio, & ſudore magno laborarent, turres ædificando, aut ciuitates muniendo; ſed quia ſine mercede, & ſpe retributionis hæc perficiebant. Duriſſimus eſt labor, vbi mercedis non adeſt lenocinium.

In Amethyſto nomen *Iſſachar*, quod mer- 118. ces, vel præmium interpretatur erat inciſum. Recte hoc nomen in hac gẽma erat ſculptum: Amethyſtus ſculptura eſt facilis, ſi in eo Iſachar ſcribitur: quia vbi adeſt præmij, vel mercedis ſpes omnis labor eſt tolerabilis, & iucundus; ſin autem nullus non moleſtus: nam ſudor laboris tergitur ſpe præmij.

ILLATIO CLXXXVIII.

De beato Apoſtolo Matthia, cui Amethyſtus correſpondebat, quædam elogia.

ANdreas Cæſarienſis Comment. in Apo- 191. calyp. cap. 66. ſic ait. *Per Amethyſtum,* Andr. Cæſar. *qui ignis formam ſpectantibus exhibet, Matthiam ſignificari coniicio, vt qui in linguarum diſtributione cœleſti igne affatim ſit affluus; & ob inflãmatum à Deo, à quo electus erat, feruentem, & placendi deſiderio, idoneus cenſus, qui in prolapſi Iudæ locum ſufficeretur.* Eidem Apoſtolo hanc gemmam tribuit Aretas c. 67. in Apoc.

Vt infeliciſſimi Iudæ locum duodecimus obtineret diſcipulus, ait ſacer textus Actorum 1. numero vigeſimo ſexto. *Et dederunt ſortes* Act. 1. n. 26. *eis: & cecidit ſors ſuper Matthiam & annu-*

Gregorius. *meratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Gregorius Magnus libro trigeſimo ſecundo Moralium, capite decimo quinto, cum dixiſſet per numerum vndecimum ſignificari peccatum, quia vltra decimum (in quo lex continetur) tranſilire, eſt legem violare; addit hæc verba: *Hinc in vndenario numero remanere Apoſtolos Petrus metuens Matthiam duodecimum ſorte miſſa requiſiuit. Niſi enim ſignari culpam per vndecimum cerneret, implere Apoſtolorum numerum tam feſtinè duodenario numero non curaret.* Ex hac doctrina colligi videtur Apoſtolorum collegium, eo quod in vndenario numero poſt traditionem Iudæ remaneret, quaſi ſuſpectum fuiſſe imperfectionis, quia numerus vndecimus culpam ſignificat. Cum ergo beatus Matthias, quo duodecimus numerus eſt completus, collegium ab illa ſuſpicione liberaret; huic debent cæteri Apoſtoli ſanctitatis, & perfectionis opinionem.

121. Hieronimus. Diuus Hieronimus libro de viris illuſtribus de noſtro Apoſtolo ſic loquitur. *Matthias cum vnus eſſet è numero ſeptuaginta, electus eſt in ordinem vndecim Apoſtolorum in locum Iudæ Iſcariotæ, qui fuit proditor. In altera Æthyopia vbi eſt irruptio Apſary, & Hyſſi portus prædicauit Euangelium cum eſſent homines agreſtes: & illic dormiuit, & illic ſepultus eſt.*

122. Beda. Gloſſ. ordin. Gloſſa ordinaria ex Beda ad caput 1. Actorum ad illa verba, *& Matthiam*, Beda ait. *Matthias, qui donatus eſt, vel donum Dei interpretatur: cui donum Apoſtolatus à Domino collatum eſt. Vel Dei paruus interpretatur. Merito parui tranſcenditur ille, qui laude hominum erat iuſtus.*

Antoninus. Sanctus Antoninus 1.part.tit.6.cap.15. ſic loquitur. *Matthias interpretatur donatus Domino, vel humilis ſeu paruus. Hic ab Apoſtolis poſt Chriſti aſcenſionem in duodecimum Apoſtolum loco Iudæ proditoris eſt electus.*

123. Bernardus. Matthias, vt vidimus numero præcedenti, interpretatur *donum Dei*, vel, *Dei paruus, & humilis.* Propter hoc iudico, eleuatum fuiſſe ad Apoſtolatum. Quid non comparauit humilitas? cum propter eam beata Virgo Maria ſupremam matris Dei dignitatem fuerit conſecuta. Patronum habeo Bernardum, ſermone 1. *ſuper miſſus eſt*, expendentem diſcrimen, quod inter humilem, & virginem verſatur. *Potes* (inquit) *ſine virginitate ſaluari; ſine humilitate non potes. Poteſt, inquam, placere humilitas quæ virginitatem deplorat amiſſam: ſine humilitate autem* (audeo dicere) *nec virginis Mariæ placuiſſet, ſi igitur Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus ſanctus non requieuiſſet. Patet itaque, quia, vt de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus potius quàm virginitatem.* Si ergo Deus reſpexit humilitatem Mariæ, vt eam ad matris dignitatem eleuaret: quid mirum, ſi ego aſſeram, beatum Matthiam ad faſtigium Apoſtolatus eleuatum, quia paruus erat, & humilis?

124. Actor.1.n.26 Oratione præmiſſa vt duodecimum Apoſtolum eligerent diſcipuli Domini, miſerunt ſortem: *& cecidit ſors ſuper Matthiam.* Actorum 1. numero vigeſimo ſexto. Dum deprecantur diſcipuli, vt ſibi gratum eligeret in Apoſtolum. Nam ſors illa à Deo gubernata fuit, vt beatus Matthias eligeretur. In hoc euentu & meritum noſtri Apoſtoli ſplendet, & Apoſtolorum iuſtitia: ſiquidem Ioſeph cognomento iuſtus Iacobi minoris frater, & Chriſti cognatus non aſſumitur in Apoſtolum, ſed Matthias. Verè iuſta fuit hæc electio; quia electores ſolum Deum præ oculis habebant. Cum Deus miſit Samuelem in domum Iſai, vt ex filiis eius vnum eligeret in regem Saulis ſucceſſorem, ſic loquitur ad Prophetam primo Regum decimo ſexto, numero tertio, *& vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi, quid facias, & vnges quemcunque monſtrauero tibi.* Quomodo poſſet errare Samuel, ſi à Deo monſtrandus erat eligendus in regem! ſed cur non hoc remiſit arbitrio Samuelis alias viri iuſti, & amici Dei, ſed voluit Deus monſtrare eligendum? vt quando Propheta vngeret regem, haberet præ oculis ſolum Deum demonſtrantem, & non eligeret ex filiis Iſai eum, qui ſibi magis placeret. 1.Re.16.n.3. diuus Gregorius ad hæc verba: *& vnges, quemcunque monſtrauero tibi*, ſic ait. *Ordinatoribus Eccleſiarum in electione aliorum nihil ſuum relinquitur.* Electio regis Iſrael res erat magni momenti: & quanuis à Samuele iuſta electio poſſet ſperari; tamen Deus voluit, eum demonſtrare, vt de electi meritis, & dignitate nullum eſſet dubium: Hoc enim in maximam excellentiam electi redundabat. Quis dubitabit, æque, & iuſte ab Apoſtolis futuram electionem duodecimi Apoſtoli, & tamen ex cæteris diſcipulis elegerunt Ioſephum cognomento iuſtum, & Matthiam, vt ex his duobus Deus eum, qui ſibi magis placeret, eligeret. *Et cecidit ſors ſuper Matthiam.* In quo & merita noſtri Apoſtoli, & excellentia, qua iuſtum Ioſephum tranſcendebat, maxime relucent, vt ex Beba diximus ſupra numerum centeſimum vigeſimum ſecunum, erat enim noſter Apoſtolus, vt verbis ſancti Antonini loco citato concludam, S.Antoninus. *in lege Domini doctiſſimus: corpore mundus; animo prudens, in ſoluendis quæſtionibus ſacræ ſcripturæ acutus, in conſilio prouidus, in ſermocinatione expeditus.* Meritò ergo à Deo electus eſt in Apoſtolum.

Verſ. XX. In quarto: Chyſolitus, Onychinus, & Beryllus, incluſi auro erunt per ordines ſuos.

1. Oleaſter. Mnes duodecim gemmæ incluſæ erant auro: hoc eſt: erant *in plenitudinibus ſuis*, vt legit Oleaſter, vocans plenitudines lapidum loca, ſeu palas, quibus includebantur, quæ incluſoria erant aurea. Clarius hoc explicuit Caietanus dum ait: *incluſi in auro*, eo modo, quo lapides figuntur in annulis, ſic erant in ſuis locis, ſeu incluſoriis aureis. *Per ordines ſuos*: id eſt, ſecundum præſcriptum ordinem, ſcilicet, primo; Sardus: ſecundo; Topazius: tertio; Smaragdus, &c.

De

De gemma chrysolito.

2. QVarta,& vltima gemmarum series tribus præfatis gemmis radiabat, scilicet chrysolito,onychino, & beryllo, quibus Pectoralis honor,& pulchritudo apud omnes erat spectabilis. Prima huius ordinis gemma,& in Pectorali decima, est chrysolitus hebraicè dictus, *tharsis*, vt docent Arias Montanus,Oleaster, & Sa. Ille sic appellari affirmat, siue ex inuentore,siue ex loco vnde ferebatur, hoc est, ex parte Aphricæ Carthagine postea dicta;siue ex maris colore, quem refert, quod Mediterraneum mare *tharsis* per methonimiam dicatur: nam secundum diuum Isidorum lib. 15. Ethymologiarum cap. 15. & Anastas. Nizenum, quæst. 38. Chrysolitus auro similis est cum maximi coloris similitudine. Id docuerat Plinius lib. 37. cap. 9. quem sequuntur Paraphrastes Hierosolymitanus,& Onkelos. Rabbi Dauid Chimmi apud Oleastrum. Rueus lib. 1. de gemmis cap. 7. qui eleganter de hac gemma sic loquitur. *Selectissimarum India nutrix, quæ quadamtenus cæruleæ sunt, maximæ aquæ virorem ita præseferentes, vt aurum in collatione quadam veluti argenti facie cogant albicare.* Chrysoliti Arabiæ ignobiliores dicuntur, eo quod vario colore, ac turbulento luceant. Interlinealis chrysolitum totum aureum affirmat, & multis probat Alcazar in cap. 21. Apocal. vers. 20. notat 22. Sanctes in Lexico ait colorem Chrysoliti declinare ad colorem hyacinthi, pro quo citat Rabbi Dauid. Hieronimus, & Aquila legunt chrysolitum: Symachus hyacinthum. Septuaginta Ezech. 10. nomen *tharsis*, carbunculum vertunt. Noster Tostatus in expositione litteræ ex beato Isidoro loco citato cap. 14. docet, hanc gemmam nocte igneam, die auream lucem mittere. Verum diuus Isidorus de Chrysophrasio, non de Chrysolito hoc affirmat, vt legenti constabit. In hoc lapide erat incisum nomen *zabulom*, quod interpretatur *habitaculum*.

Montanus. Oleaster. Sa. Isidorus. Anast. Niz. Plinius. Paraph. Hier. Onkelos. Rabbi Dau. Rueus. Interlineal. Alcazar. Sanctes. Rabbi Dau. Hieronimus. Symachus. Septuaginta. Abulensis.

3. Mard. Gallus Mardobæus Gallus lib. de lapidibus, his carminibus expossuit huius gemmæ proprietates, sed multæ superstitiosæ sunt. refero, non approbo.

Auro chrysolitus micat,& scintilat vt ignis,
Iste mari similis quosdam virores adumbrans.
Esse Phylacterium fixus perhibetur in auro,
Contra nocturnos fortis tutela timores,
Pertusus setis si traiiciatur asselli
Dæmonax exterret, & eos agitare putatur,
Traiectum læuo dicit hunc gestare lacerta.
Æthiopes legimus nobis hanc mittere gemmam

Insuper Rueus citatus refert, Chrysolitum asthmaticis respirationem elargiri.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXXXIX.

Vt felicitatem vincas, propriæ memor esto infelicitatis.

4. M*Agnæ virtutis est, cum felicitate luctari, & magnæ felicitatis à felicitate non vinci,* ait Augustinus serm. 13. de verbis Domini. Potentissima res est felicitas; sed quem felium reddit bonorum abundantia, deuictum ligat, & & in seruitutem redigit felicitatum affluentia. Qui certamen init cum propria felicitate magnæ virtutis est; at qui felicitatis tela frangit, insignis est fortitudinis, præcellentis roboris, & non vulgaris virtutis. Sed quis de felicitate victoriam reportauit? profecto: quia propriæ infelicitatis non sit immemor. Sola præteritæ aduersitatis memoria de magna felicitate triumphabit glorioso. Augustinus.

5. Mirabar iam diu, Deum in primo illo rerum exordio, sexta die vltimam, sed præstantissimam inter visibiles creaturam, hominem produxisse, honoribus plenum; diuitiis affluentem, irrationalium præsulem; vita immortali præditum, ni peccaret; imaginem, & similitudinem diuinam referentem; omnique tandem felicitate felicem. Insuper mirabar, hanc perfectissimam creaturam sincroniam fuisse imperfectioribus, & magis noxiis animantibus, teste Augustino lib imperf. de Genes. ad lit. tandem notabam factum textum expresse huius hominis originem aperuisse his verbis. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ.* Genes. 2. num. 7. ex hebræo legimus: *de puluere terræ.* Hoc est: eum è puluere terræ ad tantam euexit dignitatem. Hispane dicimus: *le leuanto del poluo delatierra.* Chrysostomus *de tenuissimo, ac vilissimo.* Et Procopius *de parte inutili, ac superflua.* En tibi. vnde formatus est homo, qui totius orbis habebat clauem, & imperium, qui Dei imaginem præferebat, &c. Admirationis meæ origo fuit: cur Deus hominem, quem ad tantæ dignitatis fastigium eleuabat, plasmauit è limo terræ, aut ex vilissimo, & tenuissimo puluere? deinde: cur inter immunda, noxia, imperfecta, & abiecta animalia habuit incunabula qui, vt præsit omnibus producebatur? ô bone Deus! quis comprehendere tuos sensus valet? quem tui producis imaginem, tuæque gloriæ hæredem, vniuersi Dominum, vili, & abiecta origine permittis deturpari? optime. audi Chrysostomum homilia 12. in Genesin. *Ne ignorando homo quomodo constitutus sit, magnus sibi videatur, & præscriptos sibi limites transeat.* Quod est dicere: creauerat Deus hominem tam in bonis gratiæ, quàm naturæ vndequaque felicem, sed ea parte qua corporeus ex abiecto solo, ex vilissimo puluere, ex limo terræ duxit originem, & inter serpentes venenosos habuit incunabula: refert ergo sacer textus humanæ creaturæ principium, vt cum se homo in tanto dignitatis fastigio eleuatum conspexerit, felicitatis inauditæ vigorem, non solum temperet, sed deuincat abiectæ originis memoria, & terrenæ vilitatis infelicitate fædatus deprimat sublimitatis potentiam. Gen. 2. n. 7. Hebræ. Chrysostom. Procopius. Chrysostomus.

6. Quid aliud admonere Deus volebat, cum Moysem mittebat in Ægyptum? excusabat se Moyses, non resistebat diuino mandato, cum diuini imperij vices erat susceptorus (male enim imperare sciret, qui inobedientiæ esset assuetus) tarditatem linguæ proponit: at Deus, vt ad tantum munus idoneum ostenderet, & conuinceret, ait illi: *mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar niuis.* Exod. 4. num. 6. Hoc miraculum nunquam satis pro meritis celebratur. Sed liceat inquirere: cur Deus manum Moysis lepra inficì permittit? Theodoretus respondet. quæstione 10. in Exod. his verbis. *Dextera Moysi, quæ admiranda in Ægypto perpatratura erat, cum prius fuisset leprosa, diuinis miraculis inseruiuit & elementa mutauit. Quæ res Moysem etiam admonuit, non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dexteræ lepra prius infectæ.* Feliciter Moyses contra Pharaonem dexteram erat eleuaturus, regis puniens duritiam, & tyranni potentia, ac si nihil esset, ducis Dei imperio subdenda erat. Insuper miracula, quæ Moyses erat patraturus, felicem eum tanquam Dei vices habentem prædicatura erant. Voluit ergo Deus manum Moysis, quæ tot miranda erat effectura, lepra inficere, vt cum tantæ potestatis vsu contra regem frueretur, recordatione dexteræ lepra prius infectæ felicitatem potestatis temperaret. Nam magna felicitas absque infelicitatis adminiculo validissimum animum perturbat, ac deuincit.

Exod. 4. n. 6.

Theodoret.

7. Lucæ 1. à num. decimo tertio, sic Gabriel Zachariam alloquitur: *Uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum, & siceram non bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Omni felicitate plenum prædicit angelus Ioannem; felicemque vndequaque prædicat Zachariam tanti filij parentem in ætate iam mortua. Felicitate conturbatus est Zacharias, & ancipiti cura distractus angelum ausus fuit interrogare: vnde hoc sciam: ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Cui confestim respondit angelus. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Ibidem, numero decimo octauo. Nota, quod angelus ob Zachariæ incredulitatem promissa non negat, imo repromittit; sed vsum adimit vocis. Sed cur, si Zacharias in verbis angeli pignus accipit filij, qui æterni Verbi futurus erat vox; tunc vocem amisit? si eius curiosa incredulitas mulctatur; cur in lingua, non in oculis, aut aliorum sensuum priuatione non plectitur? seuerius plecteretur absque dubio, si vtroque lumine priuaretur; cur ergo linguæ orbatur exercitio, aut vocis mulctatur silentio? apte respondet Chrysologus rem hanc expendens serm. 88. *Dum postulata* (inquit) *promeretur, incurrit, condemnatur, munera ipsa cum suscipit, qui vocem, cum vocem percipit, tunc amittit.* Profunde sane! accipe eius mentem. Receperat Zacharias filium vndequaque magnum (cum magnus esset coram Domino) æterni Verbi vocem; absque liuore vicini eius, & cognati Ioanni celebraturi erant aduentum: vnde non posset non felix esse felicissimi filij parens. Amisit ergo vocem Zacharias, cùm æterni verbi vocem recipiebat, vt propriæ vocis orbitate felicitatem recipiendi tantum filium temperaret. Nam si huius felicitatis promissio sic animum Zachariæ perturbauit, vt in incredulitatis Caribdi submergeretur: quid tantæ felicitatis possessio non efficeret, in infelicitate silentij inuoluntarij coerceretur.

Luc. 1. à n. 13.

ibid. num. 18

Chrysologus

8. Summis laudibus Lucas capite septimo, Magdalenam extollit, cum refert, Christum Dominum apud Pharisæum accubuisse. Lachrymis rigauit pedes Iesu, & capillis tersit capitis sui; pretiosissimis vnguentis vnxit eos, &c. quibus à Christo meruit, audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* ibidem, numero 47. si attente expendas hanc Domini erga Magdalenam celebritatem, inuenies admixtum habere vituperium. *Remittuntur ei* (inquit) *peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo cum Magdalenæ amantis celebratur ardor, eiusdem recordatur delinquentis error. Deinde expressius proposuerat hoc ipsum Euangelista, ibidem, numero trigesimo septimo, cum dixit: *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Ad quid, si mulieris egregia facinora, & ardentissimi amoris excessus referuntur, transactæ vitæ peccatis plenæ mentio fit? putarem: quia cum Magdalena ad tantum sanctitatis, & amoris erga Christum peruenisset culmen, oportuit præteritorum criminum iterare memoriam, vt tanta felicitas præteritæ infelicitatis temperaretur grauamine. Sancta nunc est, & amasia cœlestis sponsi; at fuit in ciuitate peccatrix, & iuuentutis scandalum. Ardentissimo amore Christum dilexit; at multa ei peccata suus dimisit amasius. Tantæ ergo felicitati multorum peccatorum adiunxit memoriam, ne ab ipsa felicitate vinceretur felicitas.

Luc. 7. n. 47.

ibid. num. 37.

9. Chrysolitus aureo, & cæruleo colore micabat in rationali; & cum auri splendore fulgeret, aquæ maximæ præferebat speciem, vt vidimus numero secundo, & tertio. At quid aurum cum mari? aurum pretiosissimum, & solidissimum metallorum: maris aqua inconstans, inquieta, & nunquam in eodem statu permanens. Cur ergo in hac gemma auri, & aquæ marinæ adunantur colores? quia per aurum felicitatem (felicem enim se putat, quia auro abundat) per maris aquam, quæ impellentibus ventis hinc inde transmutatur, non inepte infelicitatem intelligimus, siquidem in mari crebriora pericula, & certissima experimur infortunia. Merito ergo in Chrysolito aurum, & mare; felicitas, & aduersitas vnico adunantur nitore, vt pectus ornent Pontificis, vt exinde sciat, cùm se ob tantæ dignitatis culmen felicem aspiciat, felicitatis vigorem infelicitatis iactura temperare.

ILLA

Illatio CLXXXX.

In hac vita de diuina misericordia est sperandum, quia in alia solum superest diuina iustitia.

10. Diuina iustitia, & diuina misericordia veluti quadam conformitate sortes diuiserunt. In hac vita degentibus fauet misericordia: post illam sola iustitia gaudet imperio. Quod est dicere: dum hac vita fruimur diuinæ misericordiæ sumus capaces: post mortem vero loco misericordiæ subrogatur iustitia. Quapropter dicebat Seneca lib. de breuitate vitæ, cap. 7. *Viuere, tota vita discendum est; & quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori.* Sententia non gentili, sed christiano doctore digna! Tota vita discendum est, viuere, quia in ea diuinæ misericordiæ thesauro frui possumus: post mortem autem diuina iustitia iuxta nostrorum operum qualitatem, vel præmio, vel pœna nos remunerat.

Seneca.

11. Ioannis 9. numero 4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari*: ait Iesus cæco à nariuitate, volens ei visum præbere. Se oportere, ait Dominus, cæci oculos aperire: quia benefacere hominibus, Christo Domino lucrum videtur. Hoc haud difficile iudico. Difficilius est, quod subdit: *venit nox, quando nemo potest operari.* Quid est, in nocte ab operibus vacandum? an quia occumbente sole nemo possit, contra otium militare, & operibus studere? necunde sane. Sed vt explicet, quod vsque ad vitæ finem merendi ex diuina misericordia, & gratiæ largitate datur facultas: & quod adueniente morte iustitiæ tantum conceditur locus. Apte Origines homilia 3. in Psalm. 36. dum ait. *Et hoc dicit de illo tempore, quod erit post hoc saculum, tempore, quo vnusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit, noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est.* Homo dum viuit in hoc sæculo diuina fruitur misericordia: in alio sola aderit diuina iustitia, vt remuneret, vel puniat. Ob hoc ipse Dominus ibidem, num. 5. ait: *quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* An quia Christus apud Patrem lucis amitteret radios, quibus illuminet mundum, qui omnem in hunc mundum venientem illuminat? absit. Sed vt ostenderet, quod si in hac vita degentibus lucis, & misericordiæ communicat splendorem, tamen cum vitam cum morte commutauerint, ipse, qui lux est nunc, vt illuminet, tunc erit fulmen, vt comburat.

Ioan. 9. nu. 4.

Origenes.

ibid. num. 5.

12. Non ob aliam causam puto, Moysem populum Israeliticum constrinxisse præcepto, vt Manna non colligeret in sabatho, sed externa die duplicatum cibum asseruaret. Exod. 16. n. 29. *Videte, quod Dominus dederit vobis sabbathum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices.* Si desideres rationem ob quam Moyses asseruasse Manna præceperit? eam inuenies eodem capite, numero vigesimo primo, nempe quia in sabbatho Manna non erat è cælo descensurum: *quia sabbathum est Domini, non inuenietur hodie in agro.* Sed cur in die sabbathi illis deerat Manna? quia sabbathum Domini erat. At vrgebis: quare dies sabbathi cum collectione cœlestis alimoniæ opponi intelligitur? quia Domini erat. Dies Domini dies iustitiæ est, & iudicij, sic illam diem appellat Paulus 1. ad Corinthios 5. numero 5. 2. ad Corinthios 1. numero 14. ad Philip. 2. num. 16. 1. ad Thessalon. 5. numero 2. & 2. capite 2. numero 2. Igitur, quia sabbatum erat dies Domini, non pluit illis Manna, in quo diuinæ miserationis largitas splendebat, vt ostenderet, quod in die iudicij, vel postquam ex hac vita migrauerimus, non datur locus misericordiæ, sed iustitiæ. Aliam actionem, sed huic similem possem adducere, cur in sabbatho illis non descendebat Manna? quia dies erat Domini: hoc est: quia dies illa ab operibus feriata erat, & destinata requiei: vel vt Deo vacaret populus, in quo beatitudinis requies figurabatur, & operandi non erat dies, sed fruendi fructu operationum. Sic exposuit Balduinus apud Godofridum in cap. 16. Exod. *In vita enim futura* (inquit) *tempus erit comedendi, non colligendi. Quicunque enim hic colligis, labores manuum tuarum illic manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Recte adiungitur: non inuenietur hodie in agro: quia post hanc vitam non licebit operari.* Quantum oporteat dum sumus in hoc sæculo ab operibus bonis non vacare, satis ostendit diuinum præceptum de colligendo Manna, sed diebus sabbatho præcurrentibus permissum erat populo illud colligere, & die illo proximiori sabbatho in diem sequentem asseruare: quia in sabbatho requies erat populo, in quo apertè altera vita figurabatur, quando iam operandi, aut merendi non datur locus, sed vnusquisque quod transacto tempore collegit, positurus est. Igitur in hac vita operandum est, vt in alia diuina iustitia misericordiæ fructus coronet.

Ex. 16. n. 29.

ibid. num. 11.

Balduinus.

13. Æternis flammis æstuabatur diues, & qui sæuus in Lazarum mendicum fuerat, Abrahamum cupiebat misericordem. *Pater Abraham miserere mei*, dicebat infelix apud Lucam 16. numero 24. Diuus Chrysostomus tomo 2. homilia de diuite sic ait, auarum alloquens: *frustra agis pœnitentiam in loco, vbi non est pœnitentiæ locus. Tormenta te cogunt agere pœnitentiam, non mentis affectus.* Merito Chrysostomus auaro insultat, eo quod pœnitentiam agit post hanc vitam, quando pœnitentiæ non est locus. Dum hac communi fruebatur luce pauperem despiciebat, indignum putans, vulnera inspicere qui vulnerum vocibus occludebat aures: at cum æterni cruciatus gehenna vreretur, ad pœnitentiæ asylum confugit insolenter. Erras stultè! frustra agis pœnitentiam in loco, vbi non est locus pœnitentiæ. Frustra misericordiæ speras leuamen, vbi solum est strictissimi iudicis seuerum tribunal. Docemur ergo his, vt dum lucem habemus, lucis non supersedeamus operibus, ne cum nox superuenerit, principis tenebrarum simus consortes.

Luc. 16. n. 24. Chrysostom.

14. Chrysolitus in die aureum refert colorem, in nocte igneo splendore micat, vt vidimus, num. 2. ex Isidoro, & Abulensi. Aureus color

misericordiam, & amorem præsefert; igneus nitor iustitiæ reddit specimen. Radiat ergo Chrysolitus aureo splendore in die, & in nocte igneo; vt discamus, in die, hoc est, in vita bonis operibus à diuina misericordia elargitis abundare, quibus in nocte, id est post mortem diuinæ iustitiæ igneum, & terribilem nitorem effugiamus.

ILLATIO CXCI.

Humana vita quot periculis sit obnoxia.

15. PRetiosum apud omnes mortales est, vita fungi; at si huius vitæ aduertissent discrimina, dissolui cuperent, & esse cum Christo. Non ignorabat patientissimus Iob huius vitæ pericula, cum dixit. *Pereat dies, in qua natus sum.* Iob 3. n. 2. sic legit Origenes. *Maledictus dies ille, in quo natus sum.* Sed cur patientiæ exemplar natiuitatis suæ diem execratur. Forsan, vt denotaret, acerbissimo dolore affici, ne insensibilis haberetur inter tot infelicitatis procellas, & sic patientiæ gloriam derogaret. Nam si non quereretur, putaret aliquis, sensu carere tot plagis circundatum. Execratur ergo propriæ natiuitatis exordium, vt se demonstraret afflictum, qui constantem, & patientem per omnia se prædicabat. Optime, Sed adhuc vrgeo. Cur Iob mortis diem non execratur, qui natiuitatis horæ imprecatur malum? Respondet Origenes lib. 3. in Iob. *Non maledicitur dies mortis, neque dies finis, neque dies exitus de hoc sæculo. Est namque consumatio, & requies, & dolorum omnium transitus, ac depositio.* Maledicitur in hunc mundum ingressus, non autem de hoc sæculo transmigratio: quia ille infantem tot periculis, & ærumnis obiicit; illa omnium est depositio, omnium indemnitas.

Iob. 3. n. 2.

Origenes.

16. Huius vitæ pericula satis ostendit dominus cum tribus dilectissimis discipulis dixit: *Tristis est anima mea vsquo ad mortem.* Matth. 26. num. 38. Sed ô bone Iesu! Cur mœrore conficeris, qui cælorum es lætitia sempiterna? An afficeris tristitia, mortis timens naufragium? Absit. Quomodo ergo, qui vita est, mortis timeret dolorem? Cur ergo tristaris? Audi S. Zenonem Veronensem sermo. de resurrectione, præfata verba expendentem. *Quod dictum non tam timentis, quam exultantis, ac docentis est. Vtique: non enim quidquam timere poterat, qui mortuos excitabat: qui potestatem habet ponendi animam suam, & iterum resumendi eam, sed vt doceret, quoniam qui viuit in hoc mundo semper in tribulatione, semper iustus in pœna est.* Tristatur ergo Dominus, non quia imminentis mortis timeret acerbitatem, sed quia exitus ex hac vita differebatur, quo à tot ærumnis liber existeret. Quia morte pro nobis perpessa huius vitæ Angustiæ consequebantur terminum. Tristitiam patitur, quia tardat mors: quasi durior morte sit hæc vita.

Matth. 26. n. 38.

Zeno. Ver.

17. Militia res est incerta, multis obnoxia periculis, & ipsa victoria parta periclitatur in portu. Non aliter nostra vita. Si mihi non credis, credito Beato Iobo dicenti cap. 7. numero 1. *Militia est vita hominis super terram.* At cur vita nostra militari congressui comparatur. Quia sicut in bello omnia incertitudini subiacent, & alternante fortuna, qui modo victores, statim conspiciuntur deuicti: sic in vita humana nulla est securitas diuturna, Quam apte Isaias Abbas orat. 23. *Militia est vita hominis super terram. Siue vigilemus, siue dormiamus, non cessat nos aduersarius oppugnare. Qui in stadio pugnat, si prudens est, ante victoriam præconium non canit.* Quis dubitat, valde periculosum esse, cum hostibus certamen inire? Et quis non timet belli exitum dubium? Solus imprudens, & temerarius. Ergo temerarium erit nostræ militiæ euentum non formidare, & frequentia non timere periculosa.

Isaias Abb.

18. Hinc non vulgariter intelligere possumus illud Psalm. 103. num. 3. vbi de cælo loquens Regius Propheta sic ait. *Extendens cælum sicut pellem.* Quid enim habet pellis cum cælo, & cadaueris spolium cum incorruptibilitate cælestis substantiæ? Ni fallor, cum Dauid cælum cum pelle confert, illud quasi quoddam tentorium cogitabat inferiores orbes vniuersamque terram complectens. Tentorium namque præsertim ex pellibus, militare habitaculum referebat apud antiquos. Vnde illud: *sub pellibus agere*, militiæ deseruire, denotabat. Ex his intelliges illud Hieronymi ad Heliodorum epist. 1. *Quid facis in paterna domo delicate miles? Vbi vallum? Vbi fossa? Vbi hyems acta sub pellibus?* Dauid ergo cælum sicut quoddam tentorium pelliceum appellat, vt omnia sub illo contenta militari exercitio inseruire, denotaret. Ergo quando nos omnes cælum circundat, & comprehendit, sub illo tanquam sub tentorio militari vitam nostram, quæ militia est, explicare voluit. Si ergo militia est hominis vita, adhuc cælo contegimur: docemur, quam parum sit fidendum huius vitæ suffragiis, siquidem adhuc cæli tentorio protecti, in ipsa protectione militiæ adumbrantur pericula.

Psalm. 103. num. 3.

Hieron.

19. Amoris lachrymas effudit Iesus, non cum emoritur Lazarus, sed cum ad hanc vitam est reuocandus: *Et lachrymatus est Iesus.* Ioan. 11. num. 35. si rem hanc penitius expendas, affectus commutasse Christum, inuenies erga amicum Lazarum. Non tristatur Iesus, nec eius mutatur vultus è mortuo Lazaro: sed cum eum à mortis horroribus, & sepulchri fœtore liberat, vitæque restituit, tristitia afficitur, & lachrymis sui doloris manifestat angustiam. Videris, ô Domine, amicitiæ violasse iura. Quis orbatus amico eius non deplorat absentiam; & quis non alacri vultu, & corde pleno lætitiæ non exciperet, quem putabat amissum? Quare ergo Christus, cum Lazarum vitæ restituit, in lachrymas soluitur, & eius transitum serena facie manifestat discipulis? Profecto: quia cum Lazarus vitam cum morte commutauit, finem imposuit huius vitæ miseriis: cum autem ad hanc lucem est reuocatus, iterum huius vitæ scopulis erat obnoxius. Quid ergo mirum, si nunc amicum Lazarum deploret tot expositum periculis.

Ioann. 11. num. 35.

Adest

Adeſt iam Lazarus vitæ reſtitutus, depoſitiſque inſtitis, ſolutiſque manibus omnibus erat mirabilis, & propter ipſum multi credebant in Ieſum. Sed,ô vita hominis,quot periculis ſubiaces! Vix ad vitam eſt reuocatus, cum principes ſacerdotum inuidia obcæcati illum cogitabant interficere, vt credentium ceſſaret fides(quaſi non poſſet iterum ad vitalem auram reuocare, qui eum ſemel è faucibus mortis eripuerat?ait Auguſtinus ibidem) ſic mentem obcæcat inuidia. *Cogitauerunt autem* (inquit Ioan.cap.12. num.10.) *principes ſacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.* Vix Lazarus lucis gaudebat vſura, cum principes ſacerdotum eius vitæ parabant inſidias. Quid eſt hoc? Perbelle Chryſologus ſerm.66. circa finem. *Quaſi ad hoc deſideratus aduenerit, vt iteratæ mortis pericula ſuſtineret.* Videtur non ad aliud Lazarum vitam recuperaſſe, quam vt diſcrimina mortis iterum ſubiret. Et vere; cum hac vita fungi, non ſit aliud, quam mortis ſubiacere periculis; & ſecurior iaceret in ſepulchro dum mortis fœtebat horrore, quam dum vitæ communi fruebatur luce.

Ioan.12.10

Chryſol.

21. *Zabulom*, nomen ſculptum erat in Chryſolito, quod non vacat myſterio. *Zabulom*, enim interpretatur habitaculum: Chryſolitus licet aureo ſplendore fulgeat, aquæ marinæ etiam nitore radiat. Accipe exinde moralitatem. Huius vitæ habitaculum auro videtur ſimile (quid enim vita pretioſius?) Sed aquæ maris habet ſimilitudinem. Mari quid magis inconſtans, aut periculis obnoxium? In eo ſcopula, via incerta, & cum afflantibus ventis per id felicius tranatur, tumeſcentibus vndis ſubito inſurgit tempeſtas, qua nauis, vel periclitatur, vel ſubmergitur. Merito ergo *Zabulom* in gemma auri, & maris ſimilitudinem referenti erat inciſum, vt quot periculis huius vitæ habitaculum ſit obnoxium, oſtenderetur.

ILLATIO CXCII.

De B. Bartholomæo, cui Chryſolitus correſpondebat, quædam elogia.

22. Andr.Cæſar. ANdreas Cęſarienſ. in Comment. in Apocalip. cap. 66. ſic ſcribit. *Per Chryſolitum, qui rutilante ſplendore aurum refert, beatus forte Bartholomæus adumbratur; ſiquidem diuina prædicatio, pretioſaque virtutum ſuppellex hunc admodum mirifice illuſtrauit.* Aretas in Apocal. cap. 67. ſic ait de hoc Apoſtolo. *Pretioſo Chryſolito Bartholomæus aſſimilatur, reſplendens, & hic aureo virtutum ſplendore: non tamen ſic vt in modum auri liqueſiat aduerſitatibus, ſed magis lapidea firmitate ſtabilem ditans prædicationem.*

Aretas.

23. Omnia admiratione digna ſunt in hoc Apoſtolo De eo ſic Hieronymus lib. de viris illuſtrib. *Bartholomæus Apoſtolus Indiis iis, qui dicuntur fortunati prædicauit Euangelium Chriſti, & Euangelium, quod eſt ſecundum Matthæum eis tradidit. Dormiuit autem Albanopoli oppido maioris Armeniæ.*

Hieron.

Idem Hieronymus in cap. 3. Marci ſic ait. 24. *Bartholomæus, qui filius eſt ſuſpendentis aquas. Et quis eſt filius ſuſpendentis aquas, niſi qui dixit: & mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem?* Petrus Damian. ſerm. 42. eodem modo ac Hieronymus nomen noſtri Apoſtoli interpretatur, dicens: *Vnde & Bartholomæus* (*quod vtique ſyrum nomen eſt, non Hebræum*) *interpretatur filius ſuſpendentis aquas.* Ex hac interpretatione magnum noſtri Apoſtoli relucet elogium. Repete verba Hieronymi. *Et quis eſt filius ſuſpendentis aquas, niſi qui dixit: & mandabo nubibus meis*, &c. Igitur filius ſuſpendentis aquas eſt filius Dei. Erit ne Bartholomæus Filius Dei? Non natura, ſed gratia. Et quamuis omnes iuſti Filij Dei ſint per adoptionem: noſter Apoſtolus ſpeciali prærogatina gaudet hoc titulo.

Hieron.

Pet.Dam.

De eo idem Damianus loco citato ſic loquitur. 25. *Beatus Bartholomæus inſignis eſt, atque conſpicuus, qui quodam præſagio futurorum huius myſtici vocabuli titulo cernitur inſignitus. Nam cum dicitur filius ſuſpendentis aquas, dicitur proculdubio Filius Dei non quidem naturalis generationis origine, ſed propenſionis gratiæ dignitate. Erat enim vere Dei templum, cæleſtis gratiæ ſanctuarium, arca fœderis, tabernaculum teſtimonij. Nam ſicut arca illa legalis ex imputribilibus lignis Sethim myſtica fuerat arte compoſita, auro quoque puriſſimo reſplendebat intus, & extrinſecus inaurata; ita vir iſte mirabilis, qui ſpem ſuam in æternitate poſuerat, & exterius radiabat imitandæ vitæ ſplendore, & intrinſecus prælucebat diuinæ ſapientiæ claritate.*

Pett.Dam.

Sed controuerſum eſt, quiſnam fuerit noſter Apoſtolus? An fuerit Nathanael? Rupert. in cap. 1. Ioan. aſſerit Bartholomæum eſſe Nathanael. Hæc ſententia placuit Ianſenio, Montano, & aliis; eamque deducunt, ex eo quod Nathanael ſit nomen proprium, Bartholomæus autem à parente deſumptum; quaſi Bartholomæus idem ſonet, ac filius Tolmæi; ſicut Bariona filius Ionæ coniicitur etiam, quia Bartholomæus in enumeratione Apoſtolorum cum Philippo coniungitur. Matthæi 10. Lucæ 6. & Marc. 3. & ratio eſſe videtur, quia Nathanael ſimul cum Philippo eſt vocatus. Ergo ex coniunctione vocationis, & annumerationis cum Philippo, colligitur Bartholomæum eſſe Nathanael. Auguſtinus, & alij negant. Quia hic Apoſtolus ſemper appellatus fuit hoc nomine, *Bartholomæus*, & nunquam vocatus fuit *Nathanael*. Ergo diuerſæ fuerunt perſonæ: nam ſi eſſet eadem, Ioannes cap. 21. num. 2. dixiſſet, Nathanael, qui dicitur Bartholomæus; ſicut dixit loquens de ſancto Thoma, qui dicitur Dydimus: ergo ſignum eſt noſtrum Apoſtolum diſtinctum fuiſſe à Nathanaele. Nec valet contra hoc, quod Nathanael vocatus fuerit cum Petro, Andrea, & Philippo, vt exinde colligatur fuiſſe Apoſtolum, & alium non poſſe intelligi niſi Bartholomæum: quia, vt dicitur Marc. 3. num. 13. Chriſtus, *aſcendens in montem vocauit ad ſe, quos voluit ipſe.* Noluit eligere in numerum duodecimum Nathanaelem, ſed Bartholomæum, quanuis ille vocatus fuerat.

26. Rupert. Ianſenius. Montanus.

Auguſt.

Marc.3.n.13

Sanctus Antoninus 1. part. tit. 6. cap. 12. 27.

postquam magna miracula nostri Apostoli retulisset, specialiter comminuendo idola, loAntoninus. quens de eius martyrio sic ait. *De morte eius varia est opinio: nam beatus Dorotheus dicit, quod Bartholomæus in Albano ciuitate magna Armeniæ crucifixus est capite deorsum. Beatus vero Theodoretus dicit, quod fuit excoriatus. Ab aliis asseritur, quod fuerit decollatus. Quæ ita possent concordari, quod primo excoriatus; exinde crucifixus; demum nondum mortuus decapitatus.* Hæc S. Antoninus.

De gemma onychina.

28. Montanus. Vndecima gemma Pectoralis erat onychinus, vel onyx. Hæc, vt refert Montanus lib. de vestibus Aaronis, secundum perpetuam Chaldæorum interpretationem, dicitur; beryllus. Nam Chaldaice *Burla* dicitur lapis onychinus. Septuaginta. In quo sensu accipi potest, Septuaginta interpretum translatio: nam secundum ipsos, pro onychino ponitur beryllus, & pro berillo onychinus. Sic legimus apud septuaginta: *& ordo quartus, Chrysolitus, & beryllus, & onychinus.* Quod non ob aliam rationem existimo, nisi quia cum onychini lapidis sint quam plurimæ species diuersas proprietates, & distinctos colores includentes, forsan inter has computatur beryllus. Vnde non est mirum à Septuaginta poni beryllum pro onychino, & è conuerso onychinum pro beryllo. Oleaster, & Montanus asserunt, Hebraice hunc lapidem dici, *Soham*, quam vocem fere omnes onychinum vertunt.

29. Circa huius gemmæ colorem (relictis variis speciebus, quas refert Plinius lib. 37. cap. 6.) fere omnium auctorum est concors sententia, esse similem vnguis humani. Nam onyx Græce, Gloss. interl. vnguis est latine. *Vnde* (ait Glossa inter. cap. 28. Exod.) *Onychinus lapis, qui humani vnguis habet colorem.* Idem docet Isidorus lib. 16. Ethym. Isidorus. cap. 8. vbi sic ait. *Onyx appellata, quod habet in se permixtum candorem in similitudinem vnguis humani. Hanc India, vel Arabia gignit, distant autem inuicem. Nam indica igniculos habet albis cingentibus zonis: Arabia autem nigra est cum candidis zonis: genera eius quinque.* Id docuetat Plinius. Plinius vbi supra, Abulensis ad hæc verba. Nam Abulensis. licet Onychinum asserat, esse lapidem igneum venis cingentibus albis, non dissentit ab eo, quod dixerat, quæst. 10. ad cap. 28. Exodi, scilicet habere colorem vnguis humani, id est, rubeum cum albo mixtum. Ribera Barradas, Martinus Stephanus in compendio Salom. Ribera. Barradas. Mart. Steph. cap. 37. & fere omnes communiter, licet Geor. Venet Georgius Venetus lib. de harmonia mundi tom. 3. cant. 2. cap. 6. teneat, lapidem onychinum circa centrum, terreum, in superficie autem saphyreum esse.

30. Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 8. & lib. 6. de bello, cap. 6. putauit, gemmas illas, quas facer rextus refert humeris Pontificis impositas Exod. 28. num. 9. & vocat onychinas, fuisse sardonychas. Sed circa hoc disputatum est supra. vers. 17. quæst. 21. litterali.

31. Abulens. In onyche erat scriptum nomẽ *Ioseph.* Insuper addit Abulensis ibidem hanc gemmam habere specularem formam, & in ea imagines euersas sicut in speculis concauis videri, vt patet, si perspiciantur in perspectiua.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXXXXIII.

Qui bono publico consulit, omnibus debet anteferri in dignitate, & honoris excellentia.

32. Diuinum quid est, omnium vtilitati consulere, & communitatis, aut regni causam agere. Nullus est, qui propriis commodis non studeat: hæc omnium hominum cura; hæc perpetua mortalium solicitudo. Non sic Deus optimus maximus qui omnium indefesso affectu, & immensa prouidentia curam gerit. Ergo hoc diuinum est; illud humanum. Hinc est, quod si aliquando inter homines inuenitur aliquis, qui propriæ commoditati cedat, & communi consulat, magni habetur apud omnes, veluti diuinæ propensionis imitator. Hic dignus est imperio, dignus honore. Nam sicut omnes antecellit in virtute, omnibus anteferri debet in honoris excellentia, & dignitate.

33. Apud Romanos clari homines, togati, aut qui armati Reipublicæ profuissent, solum laudabantur publice post mortem, ne tanto honore nisi dignus afficeretur. Fœminis id nusquam fuit permissum (vt refert Plutarchus in Camillo) Plutarchus. vsque dum ciuitas bello oppressa magna auri inopia laboraret, mulieres sponte ex condicto mundum muliebrem contulerunt: vt ex illo conflato publica res iuuaretur. Ob quod senatus sanxit, vt quidquid tunc liberaliter obtulerant, meliori reipublicæ tempore persoluerentur: præterea autem in gratiam accepti muneris, vt defunctæ perinde publice laudarentur, vt viri solebant. Quod quam prudenter sit factum, patet. Quia maxime laude digna est fœmina, quæ ob publicam causam neglexit illud, propter quod appetit ipsa magis laudari, quod est formæ bonum, & pulchritudo, quam tunc maxime sibi negligere videtur, cum cultum, & ornamenta abiicit, quibus forma iuuatur.

34. Sed confirmemus nostrum thema sacri oraculi testimoniis. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Genes. 1. num. 16. Gen. 1. n. 16. dicitur cum de Exordio solis, & lunæ fit sermo. At cur sol diei tenet imperium, & noctis adscribitur lunæ? an quia lucidius inter astra micant? forsan ob hoc. Sed diuus Ambrosius lib. Ambrosius. 4. Hexameron cap. 6. aliam rationem affert, nempe, quia non sibi consulunt, sed vniuerso: non illuminant inæqualiter, sed ex æquo omnibus propriæ lucis radios communicant; & propter huius vniuersitatis commoda incessanter longissimum iter agunt, iterumque indefesse repetunt. *Quæ* (loquitur Ambrosius de sole, & luna) *in quascunque partes fuerint cœli, illuminant omnia, & æque spectantur à cunctis, vt tanquam suis tantum regionibus immorari, & sibi tantum adesse, atque lucere singuli populi credant, cum similiter luceant vniuersis, vt nemo his propiorem alium, quam ipse est, arbitretur.* Exemplum

plum magnitudinis eorum euidens, quod omnibus hominibus orbis lunæ idem videtur. Nam etsi interdum augeatur lumen eius, atque minuatur, tamen eadem nocte, qualis mihi apparet, talis, & omnibus. Motus solis,& lunæ semper regularissimus omnibus prodest, nemini non communicatur eorum splendor, vterque vniuersalem causam omnium agunt,non sibi, sed omnibus prosunt: vide ergo quanto iure sol diei,& luna noctis gaudet imperio, cum non vnius, aut plurium, sed omnium sublunarium creaturarum conseruationi studeant.

35. Super caput Christi pendentis in cruce
Ma.27.n.37. scriptum erat: *hic est Iesus Rex Iudæorum.* Matthæi 27.num.37. Permittit Christus, appendi titulum,qui regnum suum publicè prædicaret. Permisit ergo regis cognomen. Non sic inue-
Io. 6. n.15. nies apud Ioannem cap.6.num.15.vbi dicitur: *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum,& facerent eum regem,fugit iterum in montem ipse solus.* Iam se ob oculos se offert dubium. Cur Christus in cruce pendens regni admittit inscriptionem;& in solitudine,quando vsque ad saturitatem turbas pauit, regnum recusat, & fugit? puto, quia in deserto non omnibus, licet multis, benefecit. Quinque millia hominum erant, præter mulieres, & paruulos, quo numero, vt apertum est, non comprehendebatur omnium hominum multitudo. In cruce autem pro omnibus prætiosissimum sanguinem effundebat,omnium redemptionem perficiens. Cum igitur in crucis patibulo vniuersalem causam humani generis ageret;& in deserto,licet plurimorum, non tamen omnium consuleret inediæ; hinc est,quod in cruce regnum admittit,quod in solitudine respuit. Nam qui omnium consulit vtilitati, dignus est,vt regio diademate coronetur.

36. Insuper: non solum dignus est,qui causam vniuersalem agit, purpura,& corona; sed Spiritus sancti dono prædicatur. Merito Simeonis
Luc.2. n.25. præconia celebrantur apud Lucam cap. 2.num. 25.cum Christus Dominus in templo præsentaretur. *Et ecce homo erat in Hierusalem,cui nomen Simeon, & homo iste iustus,& timoratus,expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Non mirarer, si Euangelista prædicaret Simeonem sanctum,erat enim sanctus,& timens Deum. At cur dicitur Spiritus sancti habitaculum: *& Spiritus sanctus erat cum eo?* Quia expectabat consolationem Israel, nempe,Christum Dominum, non sibi soli, sed &
Eligius. omni populo. Eligius Nouiomens. homilia 2. hanc nobis rationem contulit. *Qui excreuerat in tantum iustitiæ culmen*(loquitur de sancto Simeone)*vt non iam solummodo suam, sed etiam totius populi Israelis quæreret salutem, & aduentus Christi expectaret consolationem.* Tam rarum est vniuersalem procurare salutem,& omnium negocium agere, vt sanctus Simeon obinde Spiritus sancti habitaculum prædicetur, quia Christum expectabat, qui non tantum ei, sed & omnibus collaturus erat remedium,& meritò,qui negocium agit commune Spiritus sancti gaudet consortio.

37. In lapide onychino incisum erat nomen, *Ioseph.* Hoc ipsum nomen etiam erat cælatum in gemma onychina superhumeralis, vt constat hic vers.9. Vbi aduerte nullius filij Iacob nomini fuisse concessum, vt bis in onychino scriberetur. Insuper nota,duos lapides onychinos habuisse duodecim filiorum Iacob nomina sculpta:& lapidem,qui omnibus assignatur, vt in eo nomina Patriarcharum scriberentur, postea solius Ioseph nomini adscribi in Pectorali Pontificis. Cur ita?an quia Ioseph solus pro omnibus sufficiat?sufficit vtique.Non solum ob hoc: sed vt reliquis fratribus præferatur. Ioseph namque non semel, atque iterum suorum fratrum studuit saluti, sed & parentis saturauit inediam. Constat illud Genes. 37. à n.13.istud Genes.42.à n.19.& c.45. à n.17. Insuper totam Ægyptum ab vniuersali fame liberauit, Genes.42. in his omnibus non sibi soli, sed omnibus, videlicet regno, quod ei fuerat commissum, & toti Iacobeæ familiæ consulebat. Quid ergo mirum, quod soli Iosepho conferatur, quod omnibus fuerat concessum?omnium nomina,& Iosephi nomen in lapidibus onychinis superhumeralis erant incisa, & quasi solus esset Ioseph,in Pectorali scribitur onychna gemma;vt apud omnes esset notum, Iosephum cæteris præferri in honore, quia sedulo omnium egerat curam, & negocium. Nam qui vniuersali saluti consulit, in excellentia,& dignitate debet anteferri.

ILLATIO CLXXXXIV.

Si natura gratiæ cooperetur, vberem, & felicem fructum percipiet.

38. DIuinam liberalitatem nunquam satis pro meritis celebrabimus:iam supra nonnulla prælibauimus de diuina largitate. Verum, vt semper eius erga nos beneficia habeamus ob oculos, ne tanti benefactoris simus immemores, attento animo illa considerare oportet. Multa à Deo in ingratitudinis vitium memoriam nostram abstulerit, fatebimur, accepisse. A Deo sumus in hanc lucem editi; redempti suo pretiosissimo sanguine; tot gratiarum auxiliis ditati, vt gratiam remissionis peccatorum consequamur,qua ius ad æternam hæreditatem acquirimus. O bone Deus! quid retribuemus tibi, pro omnibus, quæ aperta manu nobis contulisti? verum quanuis diuina largitas tot nos cumulet beneficiis; tamen non semper ipse solus vult nostram operari salutem, sed vlterius cooperationem nostram desiderat. Æquum enim est, vt quando Deus offert fauorem, nos tanto benefactori non ingrati adhibeamus studium, diligentiam, & cooperationem.

39. Huc respiciebat diuinum illud erga protoparentem nostrum beneficium, cùm vix è tenuissimo, & vilissimo puluere formatum transtulit ad paradisum, vt eum custodiret. Gen. 2.
Gen.2.n.15. num. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Sanctus Thomas ad
S.Thomas. hunc locum ingeniosissime inquirit: *sed quid oportebat, custodire illum locum, cum nullus esset violentus inuasor?* rursus; vestigia sequens Angelici doctoris, vrgeo dubium. Quid oportebat,ab homine illum locum custodiri, etiamsi esset

esset violentus inuasor, cum Dei custodia protegebatur? audi Aquinatem. *Potest dici, quod licet Deus locum illum sufficienter custodiret, & nunc etiam custodiat: decens tamen fuit, quod aliqua eius custodia homini committeretur, quandiu ibi staret. Vnde quælibet incommoda, quæ poterant, vel ab auibus, vel ab aliis animalibus, vel etiam à dæmonibus contingere, poterant per hominem remoueri, vel impediri.* Deus paradisi erat tutelaris: verum homini eius commisit custodiam. Nam cum homo Dei singulari beneficio in paradisi delicias fuerat translatus; æquum erat, vt tanti benefacientis largitati cooperaretur, id ipsum custodiens, quod à Deo fuerat elargitum. Hoc enim est, desiderium Dei, vt fauori, quem præstat, diligentia succedat humana.

40. Negauerat Petrus, ille Apostolorum apex, Christum, quem Filium naturalem, & æterni Patris coæternum fuerat confessus. Quid tunc, *& concursus Iesus Dominus respehit Petrum, &* Lucæ 22.nu. *egressus foras, fleuit amare.* Lucæ 22. num. 62. 61.& 62. Drogo Hostiens. de sacrament. domi. passionis inquirit: *nunquid non etiam prius respiciebat? etiam.* Si ergo Iesus Petrum respiciebat antea: cur Petrus non fleuit statim? an quia visus Iesu fuerit efficacior post trinam Petri negationem, vt ad fletus, & suspiria excitaret? minime. Vt quid ergo per priorem intuitum eum à negatione non reuocauit; & post vltimam negationem quasi domini oculari iaculo saucius Drog. Host. egressus foras fleuit amare? accipe Drogonem rem hanc sic expendentem. *Sed Petrus respicientem se Christum non respiciebat, quia velatam faciem habebat: vnde bene alius Euangelista; & recordatus est, inquit, Petrus: recordatus Petri, respectus fuit Christi. Ergo cum peccatorum flendo recordaris à Christo videris, imo sublato velamine Christum vides.* Cum Petrus negare magistrum cœperat, videbatur à Christo; attamen Christus non videbatur à Petro. Hinc tota Petri infelicitas! nam si Petrus respicientem Christum respiceret, non negaret. Velatam faciem habebat, & velut cæcus erat, quia infidelitatis cæcitate oculos clausit, vt suum non videret auctorem. Negauit tertio: & statim galli voce tremefactus recordatus est verbi Domini, aperuit oculos, & vidit videntem Christum, & egressus foras fleuit amare. Ecce felicitatis Petri felix auspicium. Vidit, cùm à Christo videretur, & Christum respicientem respexit, cooperatus est suæ cooperationis auctori, non despexit conspectum, & ideo remedium inuenit.

41. Aspice Christum Dominum flagellatum, & corona spinarum redimitum crucem grauissimam baiulantem versus caluariæ locum, sic re- Ioan.18.n.17 fert Ioan. cap. 19. num. 17. *& baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur caluariæ, locum.* Luc.23.n.26. Amplius hoc explicuit Lucas cap. 23. num. 26. *& cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrinensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Idipsum inuenies apud Matthæum cap. 27. num. 32. Primo aspectu apparet Matthæum, & Lucam dissidere à Ioanne. Hic enim refert, Christum portasse crucem; illi Simonem eam baiulasse. An in hoc est dissidium inter Euangelistas? minime profecto: nam vtrumque factum est. Accipe magnum Athanasium fidei Clypeum, Ath. magn. de passione, & cruce parum à medio, dicentem. *Non enim Ioannes contraria scribit reliquis Euangelistis, sed vtrumque in eo factum est. Nam & sibi Dominus crucem portauit, eandemque, & ipse homo Simon tulit: cum igitur contra diabolum trophæum baiularet, principio quidem suam sibi crucem ferebat. Vltro enim ad mortem tendebat, ac rursus eandem gestauit Simon homo, vt omnibus innotesceret Dominum non suam mortem, sed hominum obire.* Ex his liceat mihi, quoddam excitare dubium. Cur Christus Dominus permisit crucem, quæ nostræ redemptionis præcipuum fuit instrumentum, à Simone gestari? video Christum apud Gethsemani illo egregio facinore Petri, cum amore erga suum magistrum flagrans, animose gladium eximens contra armatam cohortem, & serui auriculam amputans, gladij opera maledixisse zelo zelantem, ne alius appareat sanguis, quando ipse suum pretiosissimum pro salute omnium effundebat, vt emphatice denotauit Tertullianus lib. Tertullian. de patientia cap. 3. cum dixit. *Patientia Domini in Malcho vulnerata est, & gladij opera maledixit.* Ob hanc causam ibi à suis aduersariis petiuit, cum permisit, comprehendi, vt sodales, & discipulos non tenerent, ne aliquis præsumeret, eos hominum cooperasse redemptioni; vt eleganter aduertit Ambrosius in Psalm. 61. di- Ambrosius. cens nomine Christi. *Satis est vobis, habere quem quæritis; non quæro consortem in passionibus, quia ad salutem adiutore non egeo.* Quare ergo Christus, qui in horto sibi soli passionis gloriam voluit adscribi; cum in altitudinem suæ passionis venit, homini permittit, crucis portare trophæum? quia crux præcipuum erat nostræ redemptionis instrumentum. In ea enim Dominus dæmonem affixit, & deleuit chirographum nostræ damnationis; & tandem in ea nostræ salutis consumauit remedium. Ibi enim nobis meruit auxilia, dona, gratiam, & beatitudinem. Cum ergo Christus tot nobis in cruce pendens obtulisset beneficia; æquum fuit, vt vnus homo, qui omnium vices repræsentabat, eandem crucem baiularet, vt beneficiis, quæ Christus conferebat, quod ad ipsos attinet cooperarentur homines.

Hoc constringi debito homines ex benefi- 42. ciis acceptis à Deo, etiam insensibilium exemplo ostendit ipse creator omnium, cum dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* Genes. 1. num. 11. sat fuisset, germinare Gen. 1. n. 11. terram virentem herbam, qua velut tegumento, vel fructuum ornaretur spe. Non parum esset arbores producere fructibus oneratas: cur etiam semina præcipitur asseruare? si vt fœcunda fructificet, respondeas; dicam tibi, ad hoc satis esse diuinam iussionem. Nam sicut terra sermonem Domini audiens, statim germinauit; repetita voce germinare non desinet. Quare ergo Deus imperium non reperit, sed semina asseruare, imperat terræ, vt deinceps fructificet? certe, vt ex natura insensibili hauriamus doctrinam diuinis beneficiis cooperandi. Nam si terra, cum sensu careat, semina seruat, vt herbam, & plantas possit propagare,

virtu-

virtuti germinandi à Deo collatæ cooperans: cur homo intellectu præditus beneficiis à Deo liberaliter elargitis non cooperabitur? profecto: quia propriæ felicitatis est prodigus, vel vt melius dicam auarus, cum bonis, quæ possidet, frui nescit. Cooperemur ergo diuinæ gratiæ, ne tantam liberalitatem cassam reddamus.

43. Hoc ipsum in onyce Pectoralis doceri videmur. In hac gemma nomen *Ioseph* erat incisum. *Ioseph:* Dei augmentum interpretatur. Onychinus lapis, qui vnguis humani radiat colore non inepte designat nostram naturam. Connectuntur ergo nomen Ioseph, & onyx, vt discas Dei beneficia augeri, si tanto largitori nostra respondeat natura.

ILLATIO CLXXXXV.

Humanum iudicium falsitati obnoxium.

44. PRæceps labitur, qui immaturè profert iudicium. Nihil periculosius versatur inter homines, quàm aliorum actiones taxare: & nihil frequentius est apud illos, quàm in aliena opera celeriter ferre censuram. Non sic cordati, & prudentes: sed res maturius considerantes, cum formidine sententiam proferunt. Nec mirum, cum nostrum iudicium falsitati, & fallaciæ sit obnoxium. Obinde Apostolus 1. ad Corinthios 4. numero 5. eos admonebat dicens. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* At cur Apostolus Corinthios admonet, vt iudicia differant, vsque in diem iudicij? ne assueta facilitate iudicandi bonos confundamus cum reprobis. Tunc cordium abscondita patebunt: & quos nunc dignos laude existimamus, vituperio dignos inueniemus. Hæc fuit mens Ambrosij ad hunc locum. *Hoc dicit, quia in die iudicij nihil occultum erit eorum, quæ gesta, aut cogitata sunt; & simplicitas, & hypocrisis illic apparebit: vt qui despectus habebatur, forte appareat dignus; & qui aliquid esse putabatur, inueniatur reprobus. Omnia enim nuda erunt in die iudicij, & tunc laus erit bene agenti, vel cogitanti.*

1. ad C.4.n.5.

Ambrosius.

45. Hoc periculum errandi in iudicando indicarunt verba sacerdotis Heli Annam obiurgantis. Affligebatur Anna non tam de sterilitate, quàm de sterilitatis opprobriis quotidie à Phenenna auditis: ascendit in templum, & effundens animam suam coram Domino, votum vouit consecrandi in Dei obsequium filium, si obtineret. Vidit eam Heli mouentem labia, & verba minime proferentem, & temulentam putauit: quapropter his verbis velut quodam iaculo honestæ fœminæ, & viri nobilis vxoris, qualis erat Elcana (teste Caietano ibidem) afflictum cor transfixit. *Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.* 1. Reg. cap. 1. n. 14. Quid ignominiosius contra nobilem fœminam excogitare posset Heli? ebrietas enim dedecet vel fœminam vulgarem, & infimæ notæ. Quare ergo Heli Annam tanta affecit contumelia? aut vnde potuit, suspicari temulentam esse? si ex eo quod labia mouebat, & vox non perueniebat ad aures Heli: cur non existimauit, eam vacare orationi, vel nimia tristitia afflictam de leuamine pœnæ esse sollicitam? Caietanus ibid. sic respondet, *humana enim vsus est coniectura.* Dicerem potius inhumanam fuisse coniecturam, siquidem ignominiosum defectum illi tribuit. Sed aptissime explicuit hoc Caietanus, viderat Heli annam labia mouentem, & vocem non formantem, & in ea ebrietatis effectum considerauit, cum esset orationis infatigabilis feruor: iudicauit sicut homo: quid ergo mirum, si à veritate deuiet, & orationem ebrietatem iudicet? sic enim iudicium nostrum obnoxium est falsitati, vt sæpe sæpius à veritate aberrans quod bonum est, malum iudicat.

1. Reg. cap. 1. num. 14.

Caietanus.

46. Gen. 2. num. 17. Conceditur à Deo homini generalis facultas comedendi ex omni arbore paradisi, excepto ligno scientiæ boni, & mali. *De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas*, sed cur hoc lignum interdicitur. Expedire homini videbatur, gustare poma huius arboris, vt exinde bonum discerneret à malo. Quare ergo à fructu scientiæ abstinere hominem, vult Deus? vt denotaret, quam facile fallitur humanum iudicium. Homines fere semper confundunt bonum cum malo, & è conuerso: ineptum ergo iudicans Deus hominem, vt bonum à malo discernat, ei fructum scientiæ boni, & mali prohibuit. Mens fuit Ambrosij lib de paradiso, cap. 11. *dicentis. Ergo quia sciuit, infirmum te esse ad iudicandum, voluit obedientem esse mandato, ideo præceptum posuit.* Sed proh dolor! nam homo, qui à Deo iudicatus est infirmus ad iudicandum, facilis est, vt ferat iudicium. Hinc multories innocens nocentis pœna mulctatur: & vitiis plenus viro studioso antefertur. Quapropter iudico oportere, in quolibet negocio non ex his, quæ exterius apparent, ferre iudicium; sed diligenti examine præmisso proferre sententiam.

Gen. 2. num. 17.

Ambrosius.

47. Gen 3. nu. 6 Duobus oculis primæ matris ploramus celeritatem iudicij, quod fecit circa arborem scientiæ, & fructum eius. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Genes. 3. num. 6. Foliis, & externa pulchritudine decepta fuit mulier: nam inter folia, serpentis venenum latebat, si rigoroso scrutinio folia examinasset, fructumque perpendisset, & diuinæ legis non esset immemor, tam præceps iudicium in fauorem arboris non proferret, & nos tot ærumnis non damnasset. At quid mirum? iudicium humanum secuta, & diuini oblita, vtile, & iucundum, quod noxium, & amarum, iudicauit. Grauiter id expendit Ambrosius lib. de paradiso, cap. 13. his verbis. *Infirma auctor iudicij, quæ de eo, quod non gustauerat, iudicabat. Et ideo non facile, nisi id quod diligentius pertractauimus, quod interiori probauerimus affectu, videtur ad opus aliquod esse sumendum.* Non est temere proferendum iudicium, sed res exacto, & rigoroso examine inquirenda est; ne quod malum est, bonum esse, existimemus. Si mulier rigorosum adhiberet examen non fallere[tur] arboris pulchritudine omisit scrutinium, & in flagitium incidit. Crede mihi: visui non semper est credendum: sed

Ambrosius.

opor

oportet examinare, quod oculis conſpicimus, ne falſitati ſubiiciamur.

48. Onyx (teſte noſtro abulenſi) ſpecularis eſt, reſque repræſentat inuerſas. Eſtne cui frequentius fidamus quàm ſpeculo? in eo ſic clare intuemur, vt intra ipſius cauitatem appareat, nos exiſtere: & tamen inuerſo ordine obiecti, format imaginem. Cùm ſpeculum nobis opponitur, in eoque intuemur, imago, quæ in ſpeculo apparet, tametſi noſtri ſit ſpectrum, oculus ſiniſter dextro correſpondet, & è conuerſo dexter ſiniſtro, vt patet. Eandem repræſentationem circa reliquas partes inuenies, ſi conſideres. Speculum ergo etiamſi obiectum repræſentet, non ita certè, vt non inuertat ordinem. Onyx adhuc habet aliud: nam licet ſpecularis ſit, inuertit obiecta, caput verſus terram, & pedes verſus cœlum repræſentat: vt exinde diſcamus non facile fidendum eſſe oculis, qui ſæpiſſimè falluntur, & inducunt in intellectum cauſam fallaciæ.

ILLATIO CLXXXXVI.

De beato Iacobo Zebedæi, cui onychinus correſpondebat, quædam elogia.

49. And. Cæſar. ANdreas Cæſarienſ. cap. 66. in Apocalapſ. ſic ſcribit de ſardonyce, vel onyce. *Per hunc humani vnguis colorem cum quadam perſpicuitate, & claritate exprimentem Iacobum denotari, probabile credimus: quandoquidem vnus hic ante omnes alios propter Chriſtum corporis mortem ſuſtinuit, quam vnguis ſuo colore delineat.*

Aretas. Aretas cap. 67. in Apocalip. fere idem repetit de ſardonyce, vel onyce ſcribens. *Per quem Iacobum Zebedæi deſignari credimus. Quemadmodum enim hic lapis ſanguineum refert colorem; ita quoque & hic ſanctus inchoata, ſplendida, & candida, ac diuina prædicatione, cursu per ſanguinem peracto in modum magiſtri ſui Chriſti ad cœleſtem & perpetuæ vitæ quietem, plenamque lumine tranſmittitur.*

50. Antoninus. Sanctus Antoninus 1. part. tit. 6, cap. 7. ſic ait de noſtro Apoſtolo, & hiſpaniarum patrono. *Iacobus Apoſtolus germanus Ioannis Euangeliſtæ dicitur Iacobus maior, eo quod prius altero Iacobo fuit vocatus ad Apoſtololatum. Fuit autem ſatis Chriſto familiaris: & cum Petro, & Ioanne ad ſecretiora admiſſus, vt patet in transfiguratione; in reſuſcitatione filiæ archiſynagogi facta à Chriſto; in expreſſione in horto ſui intenſi doloris ex paſſione imminente.* In proſperis, & aduerſis; in gloria, & in paſſione verus ſocius, & amicus Chriſti fuit beatus Iacobus.

Bernardus. Hunc videtur aſpexiſſe Bernardus cum lib. de ordine vitæ ſic verum amicum deſcribebat. *Magnum enim huius vitæ ſolatium eſt, vt habeas, cui pectus tuum aperias: cum quo arcana participes: cui committas ſecreta cordis tui: vt ames, & ſequaris eum, qui tibi paterna pietate in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur, & in proſperis gratuletur.* Vere Chriſti ſolatium fuit Iacobus, qui vt verus, & fidelis amicus in proſperis, & aduerſis Chriſti fuit aſſecla.

51. Hieronimus. Diuus Hieronimus lib. de viris illuſtribus, ſic ſcripſit. *Iacobus Zebedæi filius duodecim tribubus, quæ erant in diſperſione, omnibus prædicauit Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti. Interfectus eſt autem gladio ab Herode Tetrarcha Iudæorum.* Ecce noſtri Apoſtoli prædicatio: de ea ſic ſcribit. Sanctus Antoninus loco citato. Antoninus. *Hic igitur poſt aduentum Spiritus ſancti ad Hiſpaniam acceſſit ad prædicandum, & cum videret gentem illam agreſtem doctrinam eius non accipere; nam tantum nouem, vel ſecundum alios, tantum duos ad fidem conuertit, illos duos ſecum ducens reuerſus eſt Hieroſolymam.* In noſtra Hiſpania non ſolum beatus Iacobus Euangelium Ieſu Chriſti prædicauit; ſed etiam myſterium immaculatæ conceptionis ſemper Virginis Mariæ. Ita Marcus Maximus citatus à Ferdinando de Salazar tomo de conceptione c. 35 §. 2. in quodam hymno de beata Maria del pilar, in quo ſic cecinit. Marc. Max.

Oſtendit illi ſe hilarem,
Suoque natalitio.
Conceptionis aureæ
Templo manent encomia.
Conceptionis hunc diem
Iacobus Hiſpanos docet,
Et prædicat, ceu cæteri
Ab omni labe liberam.
Hinc mos habet principium,
Hunc celebrandi iugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat vſque hodie.

52. Redimus ad mortem noſtri Apoſtoli. Gladio occiſum ab Herode nulli dubium eſt, cum id conſtet Actor. 12. num. 2. quam mortem ſic explicat Antoninus citatus. Antoninus. *Qui ſententia Herodis decapitatus eſt (vt dicitur) die, qua & Chriſtus incarnatus, & paſſus eſt anno vno integro reuoluto. Quod etiam tangit Lucas in actibus Apoſtolorum dicens: occidit autem Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio Actorum 12.* Quis non miratur gratum animum noſtri Apoſtoli? eodem die, quo vitam à ſuo redemptore accepit, ſuo reddidit redemptori: & eodem die naſcitur in cœlis, quo Chriſtus natus fuit in vtero virginis; & in ara crucis viuum ſacrificium ſe obtulit æterno Patri. Act. 12. nu.

53. Chryſoſtom. Beatus Iacobus fuit primus inter omnes Apoſtolos, qui mortem ſubiit pro Chriſto, ſic teſtatur Chryſoſtomus homilia 8. in Marcum: ibi enim quærit: cur in Thabor; in reſuſcitatione filiæ Archiſynagogi, & in horto, vbi factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram; Chriſtus elegit Iacobum, & Petrum? & reſpondet. *Eligitur Petrus ſuper quem fundata eſt Eccleſia: & Iacobus, qui primus de Apoſtolis martyrio coronatus eſt: & Ioannes, qui virginitatis eſt exordium.* Antoninus citatus ſic loquitur de noſtro Apoſtolo. *Primus etiam omnium Apoſtolorum vocatus eſt per martyrium ad regnum cœlorum.* Primus in paſſione fuit primus in gloria. Ex eo quod beatus Apoſtolus in paſſione fuerit primus, quodam excellentiori modo cæteros Apoſtolos in hoc ſuperauit: ipſe ſolus videtur martyr, tametſi alij martyrij palmam fuerint adepti. Matth. 1. num. 6. dicitur. Matth. 1. n. 6 *Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem.* De Dauide ſolo dicitur in Chriſti genealogia, quod ſit rex. Nunquid Salomon, & alij, qui annumerantur in ea reges non fuerunt? fuerunt vtique. Quare ergo Daui

Dauidi tantum regis adſcribitur maieſtas, & non aliis, cum tamen eam habuerint? Caietanus ibidem peracute reſpondit. *Dauid primus rex in genealogia ſaluatoris fuit: propterea Euangeliſta deſcripſit ipſum regem.* Salomon, & alij quam plurimi, qui annumerantur in genealogia Ieſu Chriſti reges fuerunt, ſed poſt Dauidem. Hic autem fuit primus, qui Chriſti genealogiam corona, & purpura honorauit. Merito ergo ſolus Dauid deſcribitur rex, quia primus, & omnium honorem, quia poſt illum fuerunt, ſibi ratione primatus accepit. Ad rem ergo noſtram. Beatus Iacobus fuit primus, qui ſe Chriſto martyrio conſecrauit inter omnes Apoſtolos. Ergo hic ſolus martyr appellandus eſt. Non quia cæteri martyrium non ſubierunt, ſed quia poſt Iacobum. Tota gloria martyrij Apoſtolorum Beato Iacobo adſcribenda videtur, ex eo, quod fuerit prius in paſſione: ſicut celſitudo tota regum Iuda Dauidi adſcribitur, ex eo quod fuerit primus in maieſtate.

Caietan.

54. Diuus Hieronymus in cap. 3. Marci ſic ſcribit de noſtro Apoſtolo. *Iacobus alter, cui colluctatio non eſt aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus ſpirituales nequitias.* Non ſolum noſter Apoſtolus luctabatur aduerſus ſpirituales nequitias, cum dæmones exterminabat, vt quando Hermogenem Magum auertit à diabolico pacto, & ad fidem conuertit; ſed etiam quando in noſtra Hiſpania toties aduerſus Mauros pugnauit viſibiliter apparens, & præcipue in bello de *Clauito*, vt fideles Hiſpanos ab ſpirituali nequitia, & dura Maurorum ſeruitute liberaret.

Hieron.

55. Nec ommittendam iudico ſpecialiſſimam, & frequentiſſimam deuotionem, quam erga beatum Apoſtolum Iacobum omnes Chriſti fideles habent ex vniuerſo orbe concurrentes ad viſitandum corpus eius, quod Compoſtellæ pie, & religioſe colitur. Sed audi Antoninum loco ſæpe citato huius deuotionis, & peregrinationis rationem exhibentem. *Stupenda autem exiſtit deuotio infuſa fidelium mentibus in viſitando limina eius: quam etiam ſtatutum Eccleſiæ ita firmauit, vt nullus in huiuſmodi voto citra ſedem Apoſtolicam valeat diſpenſare. Et quod minus cæteris Apoſtolis illi in vita collatum fuit honoris, & gloriæ à fidelibus propter breuitatem eius, hoc quaſi diuina munificentia ſuppleuerit poſt mortem, eius pluſquam Apoſtolorum viſitatu, & honoratis reliquiis.*

Antoninus.

56. Magnum elogium eſſet noſtri Apoſtoli, ſi epiſtola Canonica, quæ B. Iacobi nomine circunfertur, à Iacobo maiori ſcriptam probemus. Affirmauit. B. Iſidorus in libro de ortu, & obitu Patrum cap. 71. vbi hæc habet: *Iacobus filius Zebedæi Frater Ioannis, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione gentium, ſcripſit, atque Hiſpaniæ occidentalium locorum gentibus Euangelium prædicauit, & in occaſu mundi lucem prædicationis infudit.* Alphonſus Rex Caſtellæ cognomento ſapiens idem cenſuit ipſis Sancti Iſidori verbis vſus in libro Theſauri cap. 7. Heleca epiſcopus Cæſarauguſtanus in additionibus ſuis ad Marcum Maximum idem docuit. Ante hos Flauius Lucius ad annum 37. Leuitprandus Ticinenſis Itali in Chronico æra 896. Bernardus, & Iulianus Toletan. Hiſpanis auctoribus ſuffragantur Syri, vt conſtat ex Syriaca inſcriptione huic epiſtolæ ſimul cum aliis Canonicis præfixa, & inuenitur apud Vvitmanſtadium, & recitatur à Serario in Prologomenis Bibliacis, Prologomeno 3. peculiari in hanc epiſtolam, haberque in hunc modum. *In nomine Domini noſtri Ieſu Meſchiæ ſigillamus tres epiſtolas, Iacobi, Petri, Ioannis. Iſti ſunt, qui teſtes fuerunt ſuper reuelatione Domini noſtri, quando immutauit ſeipſum coram oculis ipſorum in monte Thabor,* Ex hoc teſtimonio aperte conſtat Iacobum Zebedæi ſcripſiſſe epiſtolam Canonicam; quia hic, & non Iacobus minor, adfuit in transfiguratione Domini, vt conſtat Matth. 17. Facit ad hæc, quod notauit recte Franciſcus Viuarius; quod S. Clemens Papa in 2. epiſtola, quam ſcribit ad Iacobum Fratrem Domini, & Hieroſolymorum epiſcopum in confirmationem doctrinæ ſuæ affert verba illa capitis 4. epiſtolæ Iacobi: *Humiliamini in conſpectu domini, & exaltauit vos. Nolite, detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex: vnus eſt legiſlator, & iudex: qui poteſt perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Tam longam epiſtolæ periodum in medium adducit, cum ad illum ſcribit. Ergo ſi eius Apoſtoli eſſet abſque dubio præmitteret, ipſum recte dixiſſe: *Humiliamini, &c.* Et tamen nihil tale dixit, quinimo affert ſententiam illam quaſi Scripturam ſacram alterius auctoris. Rurſus quia hæc epiſtola fuit ſcripta Hebræis, qui erant in diſperſione, quibus Iacobus Zebedæi prædicauerat Euangelium. Ergo illa epiſtola non fuit Iacobi minoris. Patet conſecutio: quia mos erat apud Apoſtolos, illas gentes, quibus prædicauerant, epiſtolis confirmare in doctrina: nec vnus ad gentes, quibus non prædicauerat, ſcripſit, ne falcem in alterius meſſem mittere videretur. Cum igitur Iacobus minor Hieroſolymorum fuerit epiſcopus, & gentibus non prædicauerit, nec Hebræis in diſperſione habitantibus; & Iacobus maior eis annunciauerit Euangelium; conſequitur Iacobum Zebedæi hanc ſcripſiſſe epiſtolam, & non Iacobum minorem. Quod autem Iacobus minor diſperſis Hebræis non prædicauerit, ſed ſolum ciuibus Hieroſolymitanis, expreſſe docuerunt Sophronius de ſcriptoribus Eccleſiaſtic. Dorotheus in Synopſi titul. de duodecim Apoſtolis. Iſidorus vbi ſupra. Et Iulianus in Cronico anni. 66. qui omnes Iacobo Zebedæi prædicationem Hebræorum in diſperſione habitantium tribuunt; nullus autem vel leuiter Iacobo minori.

Luitprand. Bernard. Toler. Iulian. Syri.

Inſcriptio Syriaca.

Clem. Papa.

Alphonſus Rex.

Heleca Cæſaraug.

Flauius Luc.

Sophronius. Dorotheus. Iſidorus. Iulianus.

Contra prædictam doctrinam opponi ſolet Concilium Tridentinum ſeſſ. cap. vbi vocat auctorem Epiſtolæ Canonicæ Iacobum Fratrem Domini. Sed Iacobus Alphæi, ſeu minor dictus eſt Frater Domini. Ergo huius eſt illa epiſtola, & non Iacobi maioris.

57. Conc. Trid.

ris. Verum ab hac obiectione facile expedimur, si dicamus, etiam Iacobum maiorem fuisse vocatum Fratrem Domini, quod testatur Iulianus presbyter; imo addit sub eodem nomine celebratum in Hispania Festum Translationis ipsius trigesima die Decembris. Nec mirum cum Iacobus, & Ioannes Filij Zebedæi in Euangelio nuncupentur Fratres Domini, vt constat ex Matthæi 12. ex Marco tertio, ex Luca 8. id est, cognati, vt communiter explicant Patres Hieronymus contra Heluidium, Beda. Et expressius Chrysostomus homil. 5. in cap. 1. Matth. Concilium ergo Tridentinum solum intendit, definire, epistolam illam esse sacram Scripturam; cuius autem Iacobi fuerit, an maioris, vel minoris non erat eius instituti, neque de hoc Concilium laborauit. Vbi autem Sacros libros, & eorum auctores ex professo recenset, nempe sessione 4. Can. 1. nihil aliud ait, quam hanc epistolam esse Iacobi Apostoli, neutrum certo designans.

Hieronym. Beda. Chrysost.

Conc. Trid.

ILLATIO CXCVII.

De Beato Iacobo Alphæi, seu minori quædam elogia.

SEcundum attributionem duodecim lapidum factam ab Andrea Cæsarienſi, & Areta, Beatus Iacobus minor excluſus manet: verum ne quando de cæteris Apostolis pauca prælibauimus, tantus Apostolus omittatur, eius quædam elogia inferere, iustum duximus. Iacobus ergo Alphæi, sic interpretatur iuxta D. Hieron. in c. 3. Marci: *Iacobus Alphæi, id est, docti, vel milleſimi, cuius à latere cadunt mille, & decem millia à dextris eius.*

58.

D. Hieron.

Diuus Paulus ad Galat. 1. numero 19. nostrum Apostolum appellat Fratrem Domini, his verbis: *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem: niſi Iacobum Fratrem Domini.* Sed quomodo intelligendum est, quod Iacobus fuerit Frater Domini? Diuus Hieronymus ibidem sic respondet. *Propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non modicam Frater dictus eſt Domini, & quod primus ei Eccleſiæ præfuerit, quæ prima in Chriſtum credens ex Iudæis fuerat congregata.* Duas causas adducit Hieronymus, ob quas Iacobus dictus fuerit Frater Domini. Prima; ob egregios mores, & sanctitatem: secunda; quia ei commendata fuit prima Ecclesia, nempe Hierosolymitana. Et postquam dixisset alios etiam Apostolos vocari Fratres Domini vt constat Ioann. 2. num. 12. & alibi. Sic prosequitur. *Sed præcipue hic frater dicitur. Et quomodo Iob, & cæteri Patriarchæ dicti ſunt quidem famuli Dei: ſed quaſi egregium quiddam Moyſes habuit, vt ſcriberetur de eo: ſed non ſicut famulus meus: ſic & Beatus Iacobus ſpecialiter Frater Domini (vt ante diximus) appellatus eſt.* Tandem in caput 13. Matth. reiiciens aliquos errores dicentium Beatum Iosephum habuisse filios ex alia vxore, sic ait: *Nos autem ſicut in libro, quem contra Heluidium ſcripſimus continetur Fratres Domini non Filios Ioſeph, ſed conſobrinos ſaluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ.* Hanc Mariam Cleophæ dicit esse, Sanctus Antoninus 1. part. titul. 6. cap. 8. Diuus Bernardus lib. 3. de consideratione cap. 8. sic scribit. *Iacobus qui videbatur columna Eccleſiæ vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchre vero ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt Frater Domini.* Allusit Bernardus ad legem latam de suscitatione seminis defuncto fratre sine liberis Deuteron. cap. 25. num. 5. vbi sic dicitur: *Cum habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, &c.* Ait ergo Bernardus Beato Iacobo, qui dicebatur Frater Christi, commissam fuisse Ecclesiam Hierosolymitanam, vt mortuo ibi Domino, fideles propagaret. Adde Chrysostom. ad Galatas 1. ad illa verba alium Apostolum non vidi: *niſi Iacobum Fratrem Domini*, dicentem: *Sed vide, quanto cum honore, & hunc nominauit. Non enim ſimpliciter dixit Iacobum, ſed magnificum illud elogium addidit: Fratrem Domini..... At qui nec frater erat Domini iuxta carnem, ſed eſſe putabatur.* Tandem S. Ignatius (teste S. Antonino vbi supra) sic ait. *Si mihi licitum eſt apud te ad Hieroſolymæ partes volo accedere, vt videam illum Venerabilem Iacobum, quem dicunt Chriſto ſimillimum facie, vita, & modo conuerſationis, ac ſi eiuſdem vteri frater eſſet gemellus: quem, vt referunt, ſi videro, ipſum Ieſum videbo ſecundum omnia corporis lineamenta.* Propter hanc similitudinem posset etiam dici Frater Domini noster Apostolus.

59. ad Galat. 1. num. 19.

Hieron.

Chrysost.

Ignatius. Antoninus.

Duobus aliis modis vocatus fuit hic Apostolus. Primo: Iacobus minor. secundo: cognomento iustus. Dictus fuit minor, *reſpectu Iacobi maioris*: (ait Antoninus citatus) *non quoad meritum, vel ſanctitatem, ſed quoad vocationem ad Apoſtolatum, quia vocatus eſt poſt alium Iacobum.* Quoad aliud attributum sic scripsit B. Hieronymus ad Galatas 1. *hic Iacobus epiſcopus Hieroſolymorum primus fuit, cognomento, iuſtus, vir tantæ ſanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere.* Quasi per anthonomasiam vocatus est iustus. Idem lib. de viris illustribus citans Hegesippum, cui videtur assentiri habet in hunc modum. *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum in quinto commentariorum libro de Iacobo narrans, ait: ſuſcepit Eccleſiam Hieroſolymæ poſt Apoſtolos Frater Domini Iacobus cognomento iuſtus. Multi ſiquidem Iacobi vocabantur, Hic de vtero matris Sanctus fuit, vinum, & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, nec cunctus vnguento, nec vſus balneo.* Idem inuenies apud Eusebium lib. 1. Historiæ Ecclesiastic. cap. 23.

60.

Antoninus.

Hieron.

Hegesippus. Hieron.

Sanctitas, & Iustitia huius Apostoli maxime enituit, in frequenti, & perseueranti oratione. De hoc sic Scripsit Chrysost. homil. 5. in

61. Chrysost.

in Matthæum. *Tam fuit Iacobus admirabilis, vt Episcopatum primus acciperet. Aiunt autem genua eius obduruisse callo, tantamque in eo fuisse carnis incuriam, vt adhuc viuentis omnia fere membra morerentur, atque assiduitate orationis, iugique ad pauimentum postratione corporis, frontem quoque eius callo similiter obductam, vt nihil fere à cameli genibus, si duritiem spectes, discreparet.* Hîc multa de oratione, & perseuerantia se offerebant satis vtilia; verum quia de his locis suis agitur, vnum tantum adducam, vt ex oratione beatus Iacobus frater Domini comprobetur. Suscitaturus Lazarum ita certus orauit Christus ad Patrem, vt gratias ageret, priusquam quod petebat, consequeretur: *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circunstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Ioannis 11. numero 41. & 42. Sed vnde infertur, quod Iesus ex eo quod ad Patrem oraret, crederetur Filius Dei? orare inferioris est, filius Dei æqualis est Patri: ergo non colligitur ex eo, quod Christus orauerit, quod sit Filius Dei. Quomodo ergo dicit, orasse, vt credat populus, missum fuisse à Patre Christum? diuus Hilarius 10. de Trinitate sub finem tantam excellentiam tribuit orationi, vt ex ea tanquam ex præmissa certa manifestetur Christus missus à Deo. Orauit Christus nobis, non sibi: ecce quomodo declaratur Filius Dei. *Nobis itaque orauit, ne filius ignoraretur, & cum sibi non proficeret deprecationis sermo ad profectum nostræ fidei loquebatur, non inops ergo tunc auxilij est, sed nos sumus inopes doctrinæ.* Beatus Iacobus tanta frequentia orabat, (vt refert Chrysostomus) vt ex ipsa oratione Filius Dei esset non naturali origine, sed adoptione, & sanctitate; vnde germanus Christi appellari meruit.

Io. 11. n. 41. & 42.

Hilarius.

62. Hieronimus

Diuus Hieronimus lib. de viris illustribus citans Iosephum lib. 20. Antiquit. ait, Ananum Pontificem, eo quod noster Apostolus negare noluit Christum, *lapidari iussit: qui cum præcipitatus de pinna templi confractis cruribus adhuc semiuiuus tollens ad cælum manus diceret: Domine, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: fullonis fuste, quo vda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit item Iosephus tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, vt propter eius necem, creditum sit, subuersam esse Hierosolymam.* Circa hæc multa etiam possem expendere: vt oratione nostrum Apostolum finiisse vitam, quam oratione nutrierat. Certum enim est vnumquemque sic terminare vitam, sicut vixit. Sed non iudico omittendum illud Iacobi, præcipitatus de pinna templi eleuans ad cælum manus dixit: *Domine, ignosce illis, quod enim faciunt nesciunt,* In hoc facto non solum considero, Beatum Iacobum orare pro persequentibus, & iniuriam remittere, sed etiam offensam excusare, quod est amoris inimicorum subtilissimus primor. Huc expectat illud Iosephi cum se apud Ægyptum fratribus manifestauit. *Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vidistis in Ægyptum. Nolite, pauere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos.* Genes. 45.

Genes. 45. n. 4 & 5.

numero 4. & 5. Diuus Ambrosius libro de Ioseph capite duodecimo, peracute notauit eius stylum; & quod quando fratribus se manifestat, dicat: ego sum frater vester Ioseph, quem vendidistis in Ægyptum, nolite pauere. Hoc magnum est, fateor. Quod dignum omni consideratione est, quod sequitur: *pro salute autem vestra misit me Deus ante vos.* In hoc videtur Ioseph excusare fratrum venditionem; nam non ipsis eam tribuit, sed Dei permissioni, vt eis præberet alimoniam, & domicilium apud Ægyptios præpararet. Sed cur excusat Ioseph fratres à venditione? si eis remitteret offensam, & benefaceret, non multum miraret: at excusare fratrum impietatem, amplius est, & ratum. Quare ergo eam excusat? quia voluit Ioseph non solum iniuriam, & impietatem remittere; verum etiam ostendere offensam non fuisse, siquidem diuina prouidentia fuit dispositum, vt venderetur in Ægyptum ad subleuandam fratrum indigentiam. Amare offendentem, ei benefacere, iniuriam remittere; magnum est: at excusare offensam, & offensum eam negare; maximum. Diuus Ambrosius citatus hunc primorem nobis præbuit his verbis. *Quam pia fraternitas, quam dulcis germanitas vt etiam parricidale excuseatur admissum, dicens, diuinæ illud prouidentiæ fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidem non ab hominibus oblatus ad mortem, sed a Domino missus sit ad vitam.* Hoc ipsum fecit Iosephi prototypus Christus Iesus cum Iudæorum culpam sacrilegam ab ignorantia excusauit dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Lucæ 23. numero trigesimo quarto, quod expendens diuus Ambrosius loco citato sic prosequitur: *quid aliud habet illa Domini nostri Iesu Christi, qui fratres omnes pietate superauit, in cruce pensili intercessio pro plebe dicentis: Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Beatus Iacobus Christum imitatus eandem fecit orationem: non solum remisit iniuriam, & pro persequentibus deprecatus est; sed etiam excusauit offensam. Hoc est maius, & ingeniosius artificium indulgendi iniurias, & diligendi inimicos. Beatus Stephanus cum lapidaretur à Iudæis sic dominum deprecabatur pro persequentibus: *Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum.* Actorum 7. numero 60. Pro persecutoribus exorabat; at non negauit peccatum persequentium: Ioseph, Christus, & Iacobus non solum pro persequentibus exorarunt, verum etiam excusarunt offensam, vt facilius remitteretur. Si autem Stephanus omni laude est dignus, quia orauit pro persequentibus, licet eorum culpam non excusauit, imo potius proposuit, vt remitteretur, dicens, *ne statuas illis hoc peccatum:* quid dicemus de beato Iacobo? quod in diligendis inimicis Stephanum quodammodo superauit.

Ambrosius.

Luc. 23. n. 34. Ambrosius.

Actor 7. n. 60

De gemma beryllo.

63. Arias Mont.

Beryllus duodecima gemma Pectoralis secundum Ariam Montanum dicitur Hebraice, *Iaspeh*, hoc est, iaspis; quem etiam putat esse margaritam, nam in illo sæculo hoc nomen iaspidi erat tributum; forsan quia Glossa in-

terlinealis hîc ait, berillum non posse sculpi,& aquatico radiare colore. Onkelos vocat Pantheram,nomine omnino Iaspidi conueniente. Nam Panthera est animal pictam habens pellem,& macularum elegantia cæteras feras alliciens:iuxta illud Ouidij.3.Metam.

Ouidius. *Pictarumque iacent fera corpora Pantherarum.*

Color totius pellis huius animalis præter maculas fultus est, & iaspides sunt maculosæ, & fuluæ,& orientales sunt omnium optimæ, & pulcherrimæ: nam quanuis iaspis gemma viridi radiet fulgore, vt diximus supra cum de ea egimus; tamen quæ erat in Pectorali, fuluam fuisse sentit Montanus, quia sic indicat nomen Pantheræ à Chaldeo expressum. Oleaster consentit Montano quatenus putat beryllum esse iaspidem. Diuus Isidorus lib.16.Ethymol. cap.7.hæc habet:*Beryllus in India gignitur gentis suæ linguæ nomen habens, viriditate similis smaragdo,sed cum pallore. Politur autem ab Indis in sexangulas formas, vt hebetudo coloris repercusso angulorum excitetur. Aliter politus non habet fulgorem. Genera eius nouem.* Idem sentit Abulensis. Franciscus Rueus lib.1.de gemmis cap.8.ait:*Beryllorum India parens est, ita vt raro alibi oriantur, est autem beryllus vna ex virentibus, lucidisque gemmis. Probatissimæ sunt, quæ limpidi maris virorem proxime referunt.* Plinius lib.37. cap.5. quem sequitur Ribera de vestibus sacerdotalibus,cap.11. beryllum viridem affirmat,& optimum reperiri in India, cuius octo refert species. Idem senserunt Gaspar de Morales in suo lapidario lib.2. cap.8.& Martinus Stephanus in Compendio Salomonis cap.37. in beryllo nomen Beniamin erat sculptum.

Oleaster. Isidorus. Abulensis. Rueus. Plinius. Ribera. Morales. Mart.Steph.

64. Alcazar. Alcazar in Apocal. cap. 21. vers.20. notat. 23.ait, vitiditatem beryllorum esse glaucam. Qui multis explicat huius coloris speciem.Asserit enim esse viridem albicantem, qualis reperitur in foliis oliuæ,& salicis, quorum viriditas claritate diluitur. Hæc gemma olim magni habita fuit à regibus. Nam Quintus Curtius lib. 9. affirmat sceptrum aureum, quod Alexandro Sophite dono dedit, beryllis fuisse distinctum, & regis Porsenæ berylli meminit Augustus in epistola ad Mecenatem.

Quint.Curt.

65. Hæc gemma maxime auxiliatur oculis humentibus, ructibus, suspiriis iecinoris quoque malis illius ex aqua dilutum, infusionem splasarij vocant. Ita Abulensis ex Dioscoride. Berchorius in suo reductorio morali lib.10.cap.51. de beryllo ait,esse lapidem indicum Smaragdo similem in virore,& pallidum, qui quanto pallidior, tanto melior secundum Dioscoridem, & non habet fulgorem nisi scindatur, & ideo ab Indis in sex angulos præparatur.

Abulensis. Dioscorid. Berchorius.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CLXXXXVIII.

Qui ieiunat, in eminentiori loco sedet; angelicam imitatur naturam,& ipsi Deo videtur assimilari.

IEiunij excellentias paucis verbis clausit Ambrosius lib.de Elia, & ieiunio cap.3. si breui linea tantæ virtutis possunt explicari elogia. *Quid enim est ieiunium* (inquit) *nisi vitæ imago cœlestis? ieiunium refectio animæ, cibus mentis est. Ieiunium culpæ mors,excidium delictorum, rememedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis.* Ex his quædam expendenda sunt nobis in hac illatione. 66. Ambrosius.

Primo: ieiunium est imago vitæ cœlestis: tum quia ieiunans vicinus est cælo: tum quia vitam,& naturam imitatur angelicam.In primo rerum exordio summus opifex elementa creauit singulis singula loca accommodans, in quibus velut in centro quiescerent naturaliter. Terræ humillimus locus est assignatus: secundo loco,& si turgentibus vndis turbatur aqua,naturaliter quiescit: aer tertium locum occupat; in eminentioti loco,& cælo viciniori ignis habet habitaculum, sic primo cælo contiguus, vt inter ea nec subtilissimus mediet aer.Considerabam sæpius diuinæ prouidentiæ arcanum, & opprimebar à gloria, & ab eius incomprehensibili sapientia. Tamen inquirebam reuerenter; quam ob causam Deus ignis elemento supremum locum, & cælo viciniorem assignauerit? terræ eminentior videbatur deberi locus, siquidem in ea nasciturus erat Christus, qui simul Deus,& homo est. Ob hanc rationem putauit Anastasius Synaita, priusquam cælum syderibus, luna, & sole,ornatam herba, floribus, & plantis fuisse terram. Si tamen terræ eminentior non assignatur locus: cur aquæ præfertur ignis, cum ab ipso exordio rerum vnda fuerit Spiritus sancti vectaculum: iuxta illud Genes. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: & post tot sæcula in regenerationis lauacrum eleuata? aer etiam hoc iure non videtur carere, siquidem diuinus amor cognomen huius elementi assumit. Spiritus Domini ferebatur super aquas:nam per ly,*Spiritus*,non pauci aeris elementum intelligunt.Cur ergo ignis tanta gaudet prærogatiua, vt ei supremus locus inter omnia assignetur elementa? insuper:vsque dum ignis suæ lucis radiis illustrauit omnia, diuina caruerunt benedictione: at producta luce Dei incepit benedictio Genes.1. n.4. *& vidit Deus lucem quod esset bona.* Nam in sententia multorum,ignis, & lux in principio eadem fuit indiuisibilis entitas.Ita Cyrillus lib.2. contra Iulianum.Gregorius Nissenus in Hexameron. Damascenus lib.2.de fide,cap.7.Hugo de S.Vict.in c.6.P.Mariana in c.1. Gen.& alij. Ignis ergo inter creata primus Dei obtinuit benedictionem. Quid ergo habet ignis, ob quod Deus non solum cæteris præfert elementis, sed vel ipsi cælo in benedictione? Ni fallor: quia ignis, qui ex se voracissimum est elementum, omniaque in se cupit conuertere,& insatiabili siti omnium rerum sitit materi 67. Anast.Syn. Genes.1.n.2. Genes.1.n.4 Cyrillus. Greg.Nissen. Damascenus. Hug.de S. Victore. Mariana.

retiam; tamen in sua sphæra nihil comburit, nihil vorat, sed velut seruat ieiunium. Adhibeo huius veritatis in testes primum cœlum, & aerem, quorum superficiebus contiguus est ignis. Cælum namque, & aer nullam ab igne patiuntur læsionem, non comburuntur, nec deuorantur. Est ergo illic ignis, quasi ieiunij conscius, ieiunus, En ergo tibi, quare supremo loco gaudet, & primus diuina benedictione fruitur. Non abnuo ignem materiam sibi appositam consumere frequenter, ac in propriam conuertere substantiam: at hoc solum est extra suam sphæram, & à proprio centro extractus; qui tamen in sua sphæra semper ieiunat, quod in aliis elementis non reperitur. Aqua enim adhuc in suo centro partim terræ, partim aeris subtrahit portionem; similiter & terra aquæ fugit substantiam, & aeris inspirat spiritum: aer etiam vtriusque elementi aufert quod potest; & continua suarum qualitatum pugna mutuo se defraudant in substantia, adhuc cum existunt in suis centris. Solus ignis nihil consumit, in sua sphæra semper ieiunus. Merito ergo cæteris elementis antefertur.

68. Nec inepte existimarem ob hoc Deum in
Dan. 3. n. 92. igne suam collocasse sedem. Daniel. 3. num. 92. stupefactus Nabuchodonosor, fornacem illam Babylonis videns, in quam tres Hebræos iuuenes miserat, dixit optimatibus suis. *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis, & species quarti similis filio Dei.* Admirari videtur rex non tam de indemnitate puerorum, quam de quarto viro, qui inter flammas ambulabat, cum solum tres misisset in fornacem. At quisnam esset iste quartus vir? speciem cum haberet similem Filio Dei, vel esset angelus, seu vt alij volunt, ipse filius Dei. Rursus: si inquiras: cur æternum Dei Verbum descendit in flammam? putarem, quia ignis ille puerorum ieiunantium exemplo edoctus didicit ieiunare, cum eorum nec tenuem, & subtilem capillum
Basil. Magn. consumpsit. sic Basilius Magnus homilia de ieiunio: *neque ignis vel pilos eorum ausus est attingere, eo quod ieiunio essent alii.* Ieiunauit ignis voracem impetum reprimens: idcirco Dei Filius in igne apparuit. Quid ergo mirum, si hoc elementum inter cætera suprema sede gaudeat, si ieiunat? & quid mirabile, si ipse Deus appareat inter flammas; si ieiunio seruientes ieiunantes iuuenes seruauere?

69. Adhuc pergo, vt ieiunij excellentiam amplius explicem. Dico ergo, ieiunantem angelicam imitari naturam. Tres angeli ad Abrahæ tabernaculum accessere: alacri, & benuolo animo excepit eos Patriarcha: at sacer textus eos non vocat angelos, sed viros: *Cum eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.*
Gen 18. n. 2. Genes. 18. num. 2. sed cur angeli cum Abrahamo apparent, non angelorum, sed virorum
Tertullianus manifestantur specie? respondet Tertullianus de resurrectione carnis cap. 62. *Quia & angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo, & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. Humanam enim induerant superficiem salua intus substantia propria.* Angeli ergo viri sunt reputati, quia comederunt, & biberunt: nec id tacuit sacer tex-
ibid. num 8. tus ibid. num. 8. *cumque comedissent: dixerunt ad eum: vbi est Sara vxor tua?* cum igitur angeli cibo fuerunt aliti, ieiunium, quæ virtus est angelica, fregerunt: quid ergo mirum, si cum sint angeli, reputentur homines aliquid sumentes in cibum? nam angeli cibis vtentes videntur homines; sicut homines, qui à cibo abstinent, videntur angeli. Audi Tertullianum Tertullianus sic prosequentem. *Igitur si angeli facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem contractionem susceperunt: cur non & homines facti tanquam angeli in eadem substantia carnis spiritualem subeant dispositionem, non magis solemnibus carnis obnoxij sub angelico indumento, quàm angeli tunc solemnibus spiritibus sub humano.* Angeli apud Abrahamum solemnitates spiritus non seruarunt, quia comederunt: quæ res ab spiritu prorsus aliena est, sed ab hominibus non aliena. Quid ergo mirum si cum sint angeli, homines appareant, solemnitates hominum seruantes? ergo homines, qui ieiunio vacant, & à cibo abstinentes solemnitates carnis non seruant, sed angelorum inseruiunt solemnitatibus, cum sint homines, angeli reputantur.

Verum, ne hanc secundam Tertullianicæ illationis partem relinquam improbatam, audi, summis laudibus sanctitatem Baptistæ celebrat Christus, & post plura, ait: *hic est enim, de quo scriptum est* (Malachiæ 3.) *ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te.* Matth. 11. num. 10. estne Mat. 11. n. 10
Ioannes homo, an angelus? absque dubio est homo. Cur ergo à Christo dicitur angelus? certe non natura, sed vita. Ieiunabat Ioannes: & insuper cibo hominum non vtebatur: *esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre.* Matt. 3. Mat. 3. n. 4.
num. 4. Merito ergo cognomento angelico honoratur, qui in seruando ieiunio transcendit hominum naturam. Accipe præclarum huius veritatis Ambrosij testimonium lib. de Elia, & ieiunio. cap. 3. *Denique in deserto, & ille vacauit ieiuniis. Esca autem eius erat locusta, & mel syluestre, & ideo qui vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo sed angelus æstimatus est. De ipso legimus: etiam plusquam Propheta. Hic est, de quo scriptum est: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparauit viam tuam ante te.*

70.

Adhuc restat, altius explicare ieiunij excellentiam, & celsitudinem. Dicam in tantæ virtutis encomium, quod ieiunans Deo videtur assimilari. Transfigurato Domino astiterunt Moyses, & Elias in Thabor. Quam rem explicans Lucas capite nono, numero trigesimo Lucas 9. n. 31
primo, dixit: *erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate*, alij legerunt: *visi in gloria.* Tertullianus libro quarto, contra Marcionem, Tertullianus
capite vigesimo secundo, vertit: *in consortio claritatis, quod dignationis, & gratiæ exemplum est.* Aliquid amplius addidit Origenes hom. 12. Origenes
in Exod. *Apparuerunt* (inquit) *Moyses, & Elias in gloria: hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius* (Moysis intellige) *sed quia totus apparebat in gloria.* Et statim prosequitur: *necessario gaudisus est, quia iam non solum vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit ad montem.* At si oculos in altum tollas, & Thaborem radiantem aspicias, præter Christum,

71.

Moysem, & Eliam, tres inuenies discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, tamen non fulgentes lucis claritate, vt ex sacro textu satis colligitur, & expresse notat noster Abulensis, quæst. 26. in cap. 17. Matth. Nam quantunuis Christus eos assumpsit in montem, gloriæ permittit intuitum, non fruitionem. Hinc non leuis insurgit quæstio: cur Dominus Moysi, & Eliæ claritatem suæ gloriæ distribuit, & hanc negauit discipulis? Petro Ecclesiæ vertici, & omnium Apostolorum antistiti, dilectissimo Ioanni, & Iacobo fideli, qui inter omnes Apostolos calicem Domini bibere meruit primus, gloriæ negatur fruitio, & Eliæ, & Moysi affluenter conceditur? & iure optimo: respondet Hieronimus. Hieronimus comment. in Psalm. quia vte que quadraginta dierum ieiunio se consecrauit. *Ob ieiuniorum consortia Moysem, & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* At quid intererat, quod Moyses, & Elias quadraginta diebus ieiunassent, vt Christi transfigurati fierent participes gloriæ, & quasi similes ei? puto: quia tanta est ieiunantis dignitas, vt eum reddat quasi similem Christo gloria fulgenti. Æquum enim fuit, vt qui in ieiunio quadraginta dierum similes Christo fuerant, qui tot diebus ieiunauit. Matth. 4. in gloria quoque similes apparerent.

72. Hinc ni fallor, possumus intelligere: cur æternus Pater Christum prædicauit æternum filium, voce clara dicens: *hic est filius meus dilectus; ipsum audite* Lucæ 9. num. 35 Ni fallor, quia cum Christus medius esset inter Moysem, & Eliam; & vnusquisque quadraginta dierum spatio abstinuit à cibo; & ex alio capite apparuerunt in gloria; ad tollendam ambiguitatem ob excellentiam ieiunij explicuit Pater æternus, & expresse designauit, quinam ex illis tribus esset Christus. Tanta enim est ieiunij excellentia, vt videatur necesse, quod Pater expresse signet, cum Christus est inter ieiunantes, quinam ex illis est filius æternus, & sibi consubstantialis. Luc. 9. n. 35.

73. Beryllus duodecima gemma Rationalis virore radiat, sed pallore admixto: & vt docent communiter, & diximus num. 65. quanto plus pallet, tanto pluris æstimatur. Per hos colores (teste Berchorio lib. 1. Moral. super cap 28. Exod) ieiunium & abstinentiæ sobrietas intelligitur. Ieiunij representatio adhuc gemmis auget pretium: & ideo beryllus, qui in extremitate pallet, maiori pretio comparatur & si dicerem, quia ieiunij fert speciem, non falleret. Quid ergo mirum, quod cibi sobrietas ieiunantem ad tantam eleuet dignitatem, si gemmis vel eius remota significatio maiorem tribuit æstimationem? Berchor.

ILLATIO CLXXXXIX.

Spes veniæ, peccatorum dolor, & eorum confessio Deo reconciliant peccatorem.

74. Cæs. Arelat. ERubescimus sait Cæsarius Arelatens. homil. 13.) *modo paruo tempore pœnitentiam agere, & non timemus sine vllo termino æterna supplicia sustinere. O infelix homo, de ipso vulnere non erubescis, & ligaturam vulneris erubescis? peccatum vulnus est, pœnitentia ligatura vulneris est.* Ad pœnitentiam præsens illatio vocat omnes peccatores. Pœnitentia est malorum præteritorum planctus, & plangendorum non admissio. Vera pœnitentia tria includit. Primum est, peccatorũ retractatio, cum proposito firmissimo de cætero non peccandi, cui accedit dolor, vel est imbibitus. Sedundum est spes veniæ. Tertium est delictorum confessio. Hæc si habeas veram pœnitentiam consequutus es, cui restat ad eius integritatem pœnæ satisfactio.

75. Christo Domino pro nobis in cruce pendenti duo conuitiabantur latrones, qui aderant crucifixi. Marc. 15. num. 33. *& qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.* Sed alter, ille scilicet, qui à dextris erat, Christi patientiam admiratus, alterum reprehendit, & præterea retractans opprobria, conuersus ad Iesum ait: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum, & dixit illi Iesus: amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Diuus Augustinus serm. 130. de tempore notauit miram huius latronis sagacitatem. Nam primo suam retractauit malitiam; reprehendit socium; & Christi confessus est innocentiam. His peractis non regnum, sed memoriam, sed recordationem Christi postulat. Nec in cassum preces fudit, siquidem regni promissionem est adeptus. At cur tam celerem obtinuit promissionem, & ianuam paradisi vsque tunc clausam, meruit, aperiri? quia vere pœnitens suam retractauit malitiam; confessus fuit culpam; & fretus venia exorauit. Accipe Augustinum: *confessus est, & paradisum aperuit: confessus est, & tanta fiducia robur accepit, vt de latrocinio regnum deposceret.* Fuit vere pœnitens: quid mirum si quod postulauerat, obtineret? id ipsum sensit Chrysostomus homilia de latrone, & cruce in die Parasceues in tom. 3. *Non est ausus dicere, memento mei, nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Insticie quantum præstat confessio. confessus est, & paradisum patefecit, & totam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.* Hoc est dicere, quia latro confessus fuit cum dolore suam culpam, & veniæ habuit fiduciam, & in posterum non peccandi præmisit propositum, veniam est consecutus, & ex latrocinio in regnum meruit transferri. Mar. 15. n. 33. Luc. 23. n. 42. & 43. Augustinus. Chrysostom.

72. Pœnitentis veri exemplum adest nobis prodigus ille, cum in se reuersus, suspirisque commotus paternæ domus reditum desiderabat: desiderio successit executio: *& surgens venit ad patrem suum. Cum autem longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Lucæ 15. num. 20. & 21. Nota: quanta fiducia prodigus putat excipiendum esse à patre, insuper aduerte paterna viscera, siquidem illum, cum adhuc longe esset, vidit pater. Nec prætermittas, considerare, quanta animi alacritate eum excepit venerabilis senex, multa ei conferens beneficia, stolam primam, annulum, &c. sed cur pater filium in eum nimis audacem non repulit? quia vere pœnitens redierat, cum spe veniæ dixit, vadam ad patrem meum: cum dolore retractans peccatum confessus est dicens: *Pater, peccaui in*

caelum Luc. 15. n. 20. n. 21.

cœlum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, ibid. num. 21. & in signum veri doloris transactæ vitæ firmiter proposuit, sicut mercenarius patri inseruire: tandem omnia, quæ ad veram pœnitentiam desiderantur, adhibuit. Merito ergo paternis gaudet amplexibus, & veniam est consequutus. ibid. num. 21.

77. Peccauerat Saul, quia victoria parta contra Amalec, regi Agag pepercit, & armenta, greges, vestes, &c. non disperdit, sicut præceperat illi Dominus. Reprehenditur à Samuele, & commemoratis omnibus beneficiis, quæ à Deo acceperat, & ingratitudinem ob oculos proponens, prædixit ei, amissurum regnum. Tunc Saul ait ad Samuelem: *peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* 1. Reg. 15. n. 24. Deus autem Saulis pœnitentiam non acceptauit, vt constat ex cap. 16. num. 1. Repulsus fuit ergo Saul à facie Domini, & regno, & vita misere fuit orbatus, successit illi Dauid, qui captus pulchritudine vxoris Uriæ, honore, & vita simul spoliauit maritum. Misit Deus Natham Prophetam ad Dauidem, reprehendit eum, & multa damna prædixit: & ait tunc Dauid: *peccaui Domino. Dixitque Natham ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* 2. Reg. 12. num. 13. At cur Deus admisit pœnitentiam Dauidis; Saulis autem repulit pœnitentiam? ambo reges erant, & propriis peccatis maximum detrimentum subditis intulere: sed si ambo peccauerant, ambo doluerant. Quare ego Dauidi Deus indulsit, Saulem autem non admisit? forte quia Saul contra regiam auctoritatem populi, & non rationis vocem secutus fuit. Rex enim imperare, quod iustum est, tenetur: non obedire populo præsertim rem iniustam proponenti. Dauid licet peccauit enormiter adulterio addens homicidium, tamen in tantum flagitium incidit à pulchritudine allectus. Sed ad rem nostram Cæsarius Arelatens. homil. 29. respondit his verbis: *non sufficit summis labiis dicere: peccaui, parce, & remitte. Et Saul dicebat, peccaui: sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruerit, & hoc quare? quia confessionem illam nudam magis, quàm veri gemitus exprimebat.* Saul confessus fuit peccatum; sed solum exterius, non cordis dolore. Ergo pœnitentia ficta. Dauid autem gemitibus, & suspiriis ab intimo cordis ducentibus originem, & cum spe veniæ. Ergo non ficta sed vera fuit pœnitentia Dauidis, siquidem dolorem, propositumque non peccandi, confessionem, & spem inclusit. 2. Reg. 12. num. 13. Cæs. Arelat.

78. Beryllus, si eum moraliter consideres, quidquid ad veram, & perfectam pœnitentiam exigitur, appimè declarat. Viridi cum pallore admixto colore radiat hæc gemma, in eaque exaratum erat nomen *Beniamin*, quod interpretatur, *filius doloris*. Colore viridi neminem latet, fiduciam, & spem designari: pallore maceratio-nem, & pœnitentiam. Hucusque non satis exprimebatur pœnitentiæ perfectio. Quid insuper restabat? dolor, sculpatur ergo in beryllo nomen Beniamin, qui doloris fuit filius, vt completæ pœnitentiæ ratio exprimatur. Præterea nota: non casu vltimam gemmam Pectoralis designasse pœnitentiam; sed vt doceamur, pœnitentia, contritione, & dolore peccatorum hanc vitam fore terminandam, quemadmodum Pectorale beryllo, qui pœnitentiam significat, terminatur.

ILLATIO CC.

Ignominiis, calamitatibus, & laboribus patienter toleratis gloriosum nomen acquiritur.

79. INfelix videtur, qui laboribus, & infortuniis opprimitur; sed si laborum, & pressurarum virtutem agnosceret, non infelicem se iudicaret, sed felicissimum. Quanto enim aqua deprimitur, tanto altior eleuatur; & nisi descendisset nullatenus ascendisset. Causa ergo ascensus descensus est. Steph. Cantuariensis ad c. 1. Genes. apud Godofrid. notat curiosè, quod quando cete ludit cum vndis, tempestatis est signum. Sed cur ita? respondet ipse: *cetus gaudet in tempestate, & sancti in tribulatione.* Cete piscium est princeps, & maris velut tenet imperium: gaudet in tempestate, quia ab ea non demergitur, sed tumentibus vndis eius appareat potestas. Non aliter iustus, qui tribulationum vndas deuincit, cum earum insurgit tempestas, gaudet, quia in ea effulget sicut sol, qui clarior apparet post nebulam. Tribulatio ergo clariorem reddit oppressum. Stephanus Cantuariens.

80. Vsque ad amaritudinem filij Israel opprimebantur in Ægypto; quia eos Deus quasi germinantes multiplicabat: & ait sacer textus Exod. 1. num. 12. *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant, oderantque filios Israel Ægyptij.* Mirabile est, quam vane Ægyptij filios Israel oppressione, oneribus, & laboribus minuere contendebant: sed his potius augebatur numerus; & mediis quibus conabantur extinguere Israelitas, gloriose, & fortiter crescebant. Quod acute notauit sanctus Cyprianus in exhortatione martyrum, cap. 10. dicens: *in Exodo declarat scriptura diuina, pressuris multiplicari nos potius, & augeri, dicens: quanto eos deprimebant, tanto plures fiebant, & inualescebant magis.* Hæc est laborum, & pressurarum excellentia: nam qui laboribus videntur abiecti, ipsis gloriosè exaltantur, si æquo animo, & patienti tolerent. Exo. 1. n. 12.

81. Amisit vocem Zacharias Baptistæ pater, cum tanti filij promittitur genitor: *& permansit mutus.* Lucæ 1. num. 22. Chrysologus serm. 86. quo solet acumine, sic rem hanc expendit: *Zacharias ipse, quod tacet, non est pœna, sed signum: non est terrena debilitas, sed cœleste secretum: Deus, qui loqui dat, tacere facit: & imperat silentium, qui inserit verbum.* At videamus nunc, quale sit hoc mysterium? profecto: arcanum gloriæ plenum. Silentio premebatur Zacharias, & corde lætitia pleno glorioſæ prolis promissione gaudium in corde repositum explicare non valebat. Quæ enim maior molestia, quam lætitiam cordis, quæ exterius expressa sumit augmentum, interius recondere, & non explicare? at in hoc est mysterium, & cœleste secretum: nempe quod Zacharias, qui silentio videbatur mulctatus, filium accipiat, qui verbi æterni sit Lucæ 1. n. 22. Chrysolog.

vox. Cum tacet pater, filium accipit vocem;& cum vocem propriam amisit, vocem æterni verbi recipit; filiumque glorioſum abſcondit in preſſura ſilentij. Iacet patienter, & gloriam vocis meretur. Ergo felicius tacet nunc, quam antea loquebatur: ſiquidem ſuo ſilentio vocem glorioſam genuit.

82. Audierat Herodes Chriſti miracula, & neſcio qua ratione ductus, ſuſpicatus eſt, à Ioanne ſuſcitato huiuſmodi fieri prodigia, & ob hoc dixit in hunc modum: *quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis ſurrexit.* Marc. 6. num. 16. At, vnde hæc ſuſpicio in mentem Herodis potuit venire, vt Chriſtum miracula patrantem putaret Ioannem excitatum? Ioannes dum vixit, nullum fecit miraculum: nec hoc latuit Herodem. Cur ergo putat, Ioannem glorioſum mirabilibus poſt mortem, cum in vita nullum fecit prodigium? quam apte reſpondet Auguſtin. *Vide quam magna ſit virtus paſſionis: qui viuus miraculum non fecerat, poſt mortem fortiter perpeſſam dignus, qui tanta ſigna faceret, exiſtimabatur ab Herode.* Expertus fuerat Herodes Ioannis tolerantiam; nam ceruicem gladio alcari, humili, & conſtanti animo obtulit. Hinc ſuſpicatus eſt, à mortuis ſurrexiſſe, & miraculorum gloria micare. Tanta enim eſt virtus paſſionis, vt Ioannes, qui cum hanc mortalem auram hauriret, miraculorum gloria non ſplendebat, poſt mortem perpeſſam glorioſus ſit iudicatus ſignis ab Herode.

Marc. 6. n. 16

Auguſtinus.

83. Hinc intelliges primo aſpectu difficilia verba Dauidis in Pſalmo 23. num. 1. decantantis: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum.* Tertullianus lib. aduerſus Hermogenem cap. 29. ſic legit: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terræ, & omnes, qui habitant in illa. Ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.* Ex mente ergo Tertulliani maria, & flumina terræ ſubiacent, & terra in æquoris tumido dorſo conquieſcit. Sed hoc videtur difficillimum: nam Gen. 1. num. 9. conſtat aperte, terram aquis fuiſſe opertam in exordio rerum, obindeque à multis dicta eſt *inuiſibilis*, vbi vulgata legit, *inanis*, vſque dum congregatis aquis in locum vnum apparuit: *congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in vnum locum, & appareat arida.* Ergo aquæ operiebant terram, non è contra terra obtegebat aquas. Quomodo ergo inquit Dauid, terram ſuper aquas fuiſſe fundatam? Tertullianus ibid. reſpondet: *ſegregatis enim aquis in cauatiorem ſinum emicantior facta eſt arida, quæ antehac aquis tegebatur. Exinde itaque & viſibilis efficitur dicente Deo: congregentur aquæ in congregationem vnam, & videatur arida.* In principio latebat terra ſub aquis, & illis obtecta opprimebatur: deinde diuino imperio congregatis aquis in locum vnum apparuit terra eis ſupereminens, & vndequaque viſibilis. Quia ergo terra aquarum grauitate premebatur, & velut patienter ſuſtinebat illam naturalem moleſtiam, & dedecus, quo inuiſibilis reddebatur: ideo Deus terram iam emicantiorem factã ſuper maria fudauit & propter iſtã preſſuram eminentior, & ſpectabilior apparuit: *micantior facta eſt arida, quæ antehac aquis tegebatur.*

Pſalm. 23. n. 1

Tertullianus

Gen. 1. num. 9

Tertullianus.

Hæc preſſuratum moleſtia viam plenam ſternit ad regium ſplendorem: Diuus Chryſoſtomus tom. 2. concio. de Lazaro expendens verba illa fratrum Ioſeph patricidali voce dicentium: *venite occidamus eum, &c.* Geneſ. 37. num. 20. ſic ait: *venite, inquiunt, occidamus eum, & videamus, quid ſint illius ſomnia. Etenim niſi ſtruxiſſent inſidias, niſi dolos texuiſſent, & impudens illud conſilium concinaſſent, nequaquam cognouiſſent vim illorum ſomniorum. Non enim perinde magnum erat, Ioſeph, ſi nihil acerbi paſſus eſſet, conſcendere thronum Ægypti, & tot obſtaculis diſcuſſis hunc eundem aſſequi ſplendorem. Niſi enim illi ſtruxiſſent inſidias, non vendidiſſent eum in Ægyptum. Niſi in Ægyptum non vendidiſſent, non adamatus fuiſſet ab hera, ſi non fuiſſet adamatus ab hera, non fuiſſet coniectus in carcerem, non interpretatus fuiſſet ſomnia, non regnum illud fuiſſet aſſecutus, ſi non fuiſſet regnum conſecutus, non veniſſent illi commercaturi frumentum, nec adoraſſent. Itaque quoniam occiderunt illum, ob hoc maxime intellexerunt illius ſomnia.* Scalis ergo laborum gradatim ad faſtigium tantæ dignitatis aſcendit. 84.

Gen. 37. n. 20 Chryſoſt.

Beryllus niſi ſcindatur non lucet: ob id ab Indis in ſexangulas formas politur, vt hebetudo coloris repercuſſione angelorum excitetur, & ſic politus mittat fulgorem. In hac gemma laborantium exhibetur verum exemplar. Iuſti namque niſi laboribus, calumniis, & infortuniis poliantur, virtutis radios non emittunt, laboribus autem perpoliti ad glorioſæ dignitatis faſtigium euehuntur. Plus fulſit Stephanus lapidibus incluſis in capite, quam ſi multis gemmis eſſet ornatus: & plus Laurentius ſuper craticulam poſitus radiauit, quam ignis ille, quo æſtuabatur. 85.

ILLATIO CCI.

Chriſto Domino, pati, glorioſum eſt: inglorium carere paſſionis acerbitate.

GLoriam patiendi velut quadam ambitione deſiderat Chriſtus. Hinc eſt ratio ob quam voluit crucem aſcendere in conſpectu Hieruſalem omnibus ſpectantibus, ſoleque radiante, tametſi poſtea tenebrarum caligine obſcuratus creatoris mortem defleuit: & hinc eſt cur Chriſtus victor è tumulo ſurgens noctis affectauit ſilentium, nulloque conſpiciente ſepulchralia deponens ornamenta iterum vitæ ſe reſtituit. Illud; quia glorioſum putauit, in altitudinem paſſionis ſuæ deuenire: iſtud; quia cum impaſſibilis reſurgeret; inglorium iudicauit, carere paſſionis acerbitate. 86.

Conſidera felicem illum latronem in cruce pendentem, quanta cum fiducia exorauit Chriſtum dicens: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. num. 42. Quid dicis latro? nunc patiendi eſt tempus, non regnandi: nunc Chriſtum vides clauis confoſſum; ſpinis redimitum; flagellis aratum, vulneratum à planta pedis vſque ad verticem capitis: quare ergo regni ſui, id eſt gloriæ mentionem facis? ſatis cordate, & prudenter ſe geſſit latro. Quia ita glorioſum Chriſto fuit pro nobis pati, vt exiſtimaret, idem eſſe vacare dolori 87.

Luc. 23. n. 42

loribus, ac regnare glorioſe. Nam ſi vt ait D. Hieronimus epiſt. ad Hedibiam cap. 9. *Gloria Saluatoris patibulum triumphantis eſt*: & Chriſto Domino in gloria exiſtenti apte loqueretur de gloria: non inepte latro Chriſto è cruce pendenti, & inter paſſionis anguſtias iam iam animam exhalanti, regnum, & gloriam proponit. Quia tunc glorioſo fruebatur triumpho, dum perferebat acerbitates patiendi.

88. Diuinam exoptans miſericordiam Dauid culpam ſuam confitetur dicens: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Pſalm. 50. numero quinto, diuus Gaudentius tractatu duodecimo, obſeruauit acutè: quî fieri poteſt, vt Deus vincat, cum iudicatur? ſic reſpondet. *Sanctus Propheta Dauid ad eius perſonam loquitur; vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris: licet autem hic verſus, & alio ſenſu poſſit intelligi, huic tamen ſatis congruit: nam Dominus Ieſus in paſſione ſua iudicatur, & vincit, moritur, & triumphat.* Quid illuſtrius? iudicatur Chriſtus, & iudicatur iniuſte, ſed tunc vincit, tunc triumphat: quia paſſionis ſentit dolorem. Qui triumphat cum gloria incedit: ergo cum Chriſtus in paſſione iudicatur, vincit, & cum moritur triumphat, & abſque dubio gloria, & honore coronatur.

Pſ. 50. n. 5. Gaudentius.

89. Pergo ad ſecundam noſtri thematis partem, videlicet, inglorium Chriſto videri, à paſſionis acerbitatibus feriari. Audierat Thomas Chriſti reſurrectionem, & hæſitans dicit non credam niſi videro in manibus, & pedibus: eius clauorum fixuram, &c. Tranſactis octo diebus erant diſcipuli in vnum congregati, & Thomas erat cum illis, venitque Ieſus, & clauſis ianuis ſtetit in medio eorum, dicens pax vobis: *Deinde dicit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Ioannis 20. numero vigeſimo ſeptimo. Hic textus myſteriis eſt plenus. Omitto multa ſuis locis danda; & ſolum inquiro: cur Dominus, vt huius diſcipuli depelleret incredulitatem, iubet ei, manum mittere per lateris vulnus, non autem per clauorum ſciſſuram, quibus manus erant perforatæ? Apoſtolum Thomam non tetigiſſe manuum, & pedum vulnera, ſed vidiſſe tantum, ſenſere Euſebius Emiſſenus quam ſententiam probabilem putarunt Auguſtinus, & Beda apud Maldonatum ad præfata verba: quia Chriſtus Thomæ tantum dixit, vide manus meas; non dixit tange: è contra vero, vulnus lateris tangere, & examinare iuſſit, non videre. Quare ergo voluit Chriſtus, omiſſis vulneribus manuum, & pedum, lateris vulnus manu diſcipuli, velut quodam mucrone lanceæ iterum aperiri? putarem, ideo factum; quia cum Chriſtus lateris vulnus recepiſſet, poſtquam ſpirauit, illudque abſque dolore pateretur: quanuis è tumulo reſurgeret impaſſibilis, voluit illo examine Thomæ reddere ſpecimen patiendi, vt ſic quodammodo, quod in iſto vulnere defuit, reſarciret. Manuum, & pedum vulnera adhuc viuens exceperat, & fuerat paſſus in illis; quare iterum non permiſit, digitis Thomæ terebrari: cum autem lancea Chriſti iam emortui latus perfodiſſet, & vulnus abſque dolore contuliſſet: iam ad vitam reuocatus permittit, vt ab hoc diſcipulo examinetur, & in illud manum mittat, vt ſic impaſſibiliter patiatur; ne illud vulnus abſque dolore paſſum à patiendi gloria ſit alienum.

Io. 20. n. 27.

90. *Erue à framea Deus animam meam*: perſonam Chriſti agens dicebat Dauid. Pſalmo 21. numero vigeſimo primo. At, quæ eſt iſta framea, à qua Chriſtus liberari deſiderabat? Pater Lorinus ad hæc verba ſic exponit: *Poſſumus accipere deprecationem iſtam (erue à framea Deus animam meam) ne vulnus lateris infligeretur.* Ex hac expoſitione aliud dubium inſurgit, nempe: cur Chriſtus Dominus qui toto animo pro nobis pati deſiderabat; à Patre ſuo petit, vt à lancea militis liberetur, & crucis non refugit ignominiam? quia lancea non viuus, ſed poſt mortem erat vulnerandus, & recepturus vulnus, ſed abſque dolore. Merito ergo Chriſtus lanceam recuſat, quæ non erat auctura gloriam paſſionis: quaſi inglorium putans, vulnus illud abſque dolore recipere. Nam ſic Dominus Ieſus pro nobis erat anxius patiendi, vt refugiat vulnus doloris expers. Ob hanc cauſam ſuſpicor, lanceam, quæ latus Chriſti perforauit, ab Eccleſia dici crudelem in hymno paſſionis, quando canit: *quo vulneratus inſuper mucrone diro lanceæ.* Nam tametſi ferrum illud dirum poſſet appellari, eo quod immane vulnus inflixit (crudelitatis enim metas excedit, in cadauer ſæuire) tamen ideo mucronem dirum funeſte canit Eccleſia, quia inſenſibile Chriſti latus perforauit. Quaſi dirum ſit Chriſto paſſionis anxietate carere. E contra vero alibi de cruce, & clauis cecinit ſancta Eccleſia dicens: *Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinet:* quia in cruce manibus, pedibuſque transfixis ſimul Chriſtus ſenſit iniuriam, & dolorem: lancea vero, licet iniuriam ſit paſſus, dolorem non ſenſit. Redemptor ergo noſter à cruce, & clauis non deſiderat liberari, quia dolorem patiens ibi, & iniuriam, noſtram conſumauit redemptionem: at lancea cum iam eſſet conſumata noſtra redemptio, nihil nobis meruit, nec ſenſit dolorem. Refugit ergo lanceæ cuſpide latus aperiri, quia vulnus illud dolorem non attulit, nec patiendi ſenſit moleſtiam; crucis vero exoptauit aſcenſum, quia in ea dolorum inuenit plenitudinem.

Pſal. 21. n. 21. Lorinus.

ILLATIO CCII.

De beato Apoſtolo Thoma, cui beryllus correſpondebat quædam elogia.

91. ANdreas Cæſarienſis Comment. in Apocalip. cap. 66. ſic de beryllo loquitur: *Per hunc maris, aeriſque colorem mutantem, & ad hyacinthum accedentem; admirabilem Thomam ſignificare, veriſimile fit: quippe qui longa per mare peregrinatione vſque ad Indos peruenit, eò ad procurandam illorum populorum ſalutem à Deo miſſus.* Aretas eidem Apoſtolo hanc gemmam accommodat, cap. 67. in Apocalip.

And. Cæſar. Aretas.

Diuus Hieronymus lib. de viris illuſtribus, ſic ait: *Thomas Apoſtolus, quemadmodum traditum eſt nobis, Parthis, & Medis, & Perſis, & Germa*

Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicauit Euangelium Domini. Dormiuit in ciuitate Calamina, quæ est Indiæ. Idem Hieronimus in cap. 3. Marci sic scripsit: *Thomas, qui est abyssus*, &c. Diuus Antoninus 1. part. tit. 6. cap. 10. hæc habet: *Thomas, qui & dicitur Didimus, interpretatur abyssus, vel geminus, & ideo abyssus geminus, quia confessus geminam in Christo naturam, scilicet humanitatem, & abyssum diuinitatis dicens: Dominus meus, & Deus meus.*

Antoninus.

95. Contra nostri Apostoli excellentiam opponi potest quod de resurrectione Domini dubitauit. Ioannis 20. numero vigesimo quinto, vbi, referentibus discipulis Christi resurrectionem, dixit: *Nisi videro in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius: non credam.* In eodem capite, numero vigesimo septimo, reprehenditur à Christo dicente: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Verum vt nostri Apostoli sanctitas, & excellentia magis eluceseat, referam quædam notatu digna ex Patribus decerpta. Diuus Gregorius homilia decima sexta in Euangelia reddens rationem, ob quam Deus permisit hæsitationem Thomæ, quod vulnera tangeret Christi, & post hæc eius crederet resurrectionem; sic respondet: *Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur.*

Io.20.n.25.

ibid.num.27

Gregorius.

94. Diuus Bernardus sermone secundo, super missus est, inquirit: cur Gabriel missus fuit ad virginem desponsatam? & respondet sic: *sicut ergo Thomas dubitando constantissimus factus est dominicæ confessor resurrectionis: ita & Ioseph Mariam sibi desponsando, eius conuersationem in tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra vtriusque rei conuenientia: & dubitatio Thomæ, & desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis iniicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa: veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter, & pie factum est per contrarium, vt vnde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam & de filij resurrectione citius quidam ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti, & palpanti, quam Zephæ audienti, & credenti: & de matris continentia facilius sponso eius custodienti, & experienti, quàm ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti.* Eandem rationem adduxerat Gregorius vbi supra.

Bernardus.

95. Dubitauit Thomas: verum si hæsitatio hæc eius excellentiam obscuraret, etiam alij Apostoli hæsitarunt. Nam Lucæ 24. numero trigesimo septimo, quando Christus apparuit vndecim discipulis: *conturbati vero, & conterriti existimabant se spiritum videre, & dixit eis: quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate, & videte, &c.* Rursus ibidem, numero vndecimo, quando Mariæ vndecim Apostolis annunciarunt Christi resurrectionem: *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Deinde Apostoli adhuc palpantes, & videntes manus, & pedes Domini loquentes cum eis, non crediderunt, vt habetur expresse ibidem, numero quadragesimo primo, vbi dicitur: *adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, &c.* Ex his aperte constat, maiorem fuisse incredulitatem discipulorum quàm Thomæ: nam hic non credidit discipulis narrantibus vidisse Christum: illi autem vel ipsi Christo loquenti non credebant, sed putabant phantasma. Ergo si incredulitas Thomæ eius obscuraret excellentiam, potiori iure aliorum Apostolorum incredulitas. Thomas namque discipulis noluit credere, non Christo, quem Dominum, & Deum confessus est. Minor ergo fuit incredulitas Thomæ, quam aliorum discipulorum. Nam cæteri adhuc tangentes, & palpantes Dominum non crediderunt, vsque dum manducauit cum illis: Thomas autem vix Christum tetigit cum dixit: *Dominus meus, & Deus meus.*

Luc.24 n.37 & 38.

ibid.num.11

ibid.n.41.

96. Referentibus aliis Apostolis Christi resurrectionem respondit Thomas, non credam nisi videro, &c. Christus autem vt eius vinceret incredulitatem apparens ei post dies octo dixit Thomæ: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Chrysostomus ibi, homilia 86. sic loquitur: *Tu autem cum discipulum non credentem videas, considera Domini clementiam, quomodo pro vna etiam anima vulnera sua ostendit, & vt vnum saluum faceret apparuit.* Ex his verbis colligitur, pro solo Thoma, vt eum roboraret in in fide, apparuisse Christum. Propter eandem rationem apparuit aliis discipulis. Ergo pro solo Thoma fecit idem, quod fecerat pro cæteris.

Io.20. n.27. Chrysost.

97. Tetigit Thomas vulnera Christi, & dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioannis 20. num. 28. Caietanus ibidem, ait: *& hic est solus textus in vniuersis Euangelistis, in quo Iesus in carne appellatus est Deus.* Magna hinc apparet excellentia nostri Apostoli; siquidem fuit solus, qui Christum appellauerit Deum. Tetigit Thomas vulnera Christi, & fidem inuenit. Bernardus sermone 61. in Cant. expendens illa verba: *columba mea in foraminibus petræ.* Cant. 2. num. 14. sic ait: *Alius hunc locum ita exposuit, foramina petræ vulnera Christi interpretans. Rectè omnino: nam petra Christus. Bona foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi diuinitatis. Dominus meus (inquit) & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum nisi ex foraminibus petræ? in his passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos. In his se columba tutatur, & circumuolantem intrepida intuetur accipitrem.* Captus fuerat Thomas ab accipitre infidelitate: sed vt primum ad foramina Christi confugit, fidem inuenit, & requieuit tutus. Noluit credere resurrectionem Domini: sed in foraminibus Christi requiescens non solum fidem resurrectionis inuenit, sed etiam Christum Dominum, & Deum confessus est. Audi Petrum Damianum sermone quadragesimo primo de sancto

Io.20.n.28. Caietanus.

Cant.2.n.14. Bernardus.

Petr. Dam.

sancto Thoma Apostolo sic loquentem: *cuius dignus magister factus est mundi, qui principali quadam dignitate vere dicendus est index, quia veritatem dominicæ carnis ignorantibus indicauit. Hic enim beatus Apostolus certitudinem nobis sua dubietate prouidit, & dum scrutatur vulnera salvatoris, euertit errores, atque versutias hæreticæ prauitatis. Palpat enim veritatem carnis, & intelligit omnipotentiam Deitatis. Dominus inquit, meus, & Deus meus.* Quæsiuit Thomas resurrectionem Christi, & eius inuenit diuinitatem.

Vers. XXI. Habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.

1. HABEBVNTQVE *nomina filiorum Israel*: sermo est de duodecim gemmis relatis quatuor versibus præcedentibus: & non est sensus, quod in singulis lapidibus omnia nomina Patriarcharum essent sculpta, aut cælata; sed quod in primo lapide exaratum esset nomen *Rubem* primo geniti Iacob: in secundo nomen Symeon secundi filij, & hoc ordine vsque ad vltimum. Noster Abulensis hic satis apte aduertit, non præscribi à sacro textu ordinem seruandum inter nomina filiorum Israel, sed inter lapides: quia ordo inter nomina seruandus, iam erat præscriptus in superiori cælatura lapidum onychinorum superhumeralis. Idem docet Oleaster, qui ita legit: *lapides erunt iuxta nomina filiorum Israel*: id est, quot sunt nomina filiorum Israel, tot erunt lapides, quia in quolibet vnum nomen erat sculptum. Septuaginta id amplius expresserunt legentes: *& lapides sint ex nominibus filiorum Israel, duodecim secundum nomina eorum.* Hoc est sint duodecim lapides sicut duodecim sunt nomina filiorum Israel.

Abulensis.

Oleaster.

Septuaginta.

2. *Et duodecim nominibus cælabuntur*: Noster Abulensis hic notat: cælari, idem esse, quod pingere cælaturam. Nam prius in lapidibus sculpebantur nomina, vt fit in apertione sigilli (quod explicuerunt Septuaginta dum legunt: *sculpturæ sigillorum.*) Deinde cælaturæ illæ implebantur quodam colore distincto ab ipsa gemma, ita vt litteræ possent distinctè, & facilius percipi. *Singuli lapides nominibus singulorum*: id est: in primo, nempe Sardio nomen Ruben: in secundo, scilicet, topazio nomen Symeon, & sic de cæteris. *Per duodecim tribus*, non intelligitur hîc per, *tribus*, congregatio multorum descendentium à Iacob, qui aliquam sortem habuerunt in terra promissionis; nam hoc modo familia Leui non esset tribus, quia nullam sortem habuit in terra: sed accipitur, *tribus*, pro congregatione descendentium ab aliquo filio Iacob, & hoc sensu familia Leui non excluditur à ratione tribus, vt diximus, vers. 5. quæst. 17. num.

Abulensis.

Septuaginta.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCIII.

Facile viuentes defunctorum memoriam amittunt.

VIuentium solent viuentes, tametsi ab eis magna acceperint beneficia, facillime obliuisci, præsertim si beneficia cessarunt: at mortuorum non solum viuentes obliuiscuntur; verumetiam memoriam amittunt. *Non est priorum memoria*: ait Ecclesiastes capite primo, numero vndecimo, vbi aduerte: non dici, priorum esse obliuionem, sed non esse memoriam. Diuersa sunt hæc ni fallor. Obliuio namque non est defectus potentiæ, sed actualis recordationis: nam multories obliuiscimur alicuius obiecti, etiam si eius species in memoria potentia non aboleantur: perseuerat tunc potentia, & species resident in ea; at obliuio est, quia non est actualis recordatio, si autem memoria penitus periret, potentia omnino esset extincta. Quando ergo Spiritus sanctus asserit, priorum non esse memoriam, hoc est defunctorum, qui ante nos fuerunt, non solum denotat obliuionem, sed quasi expirasse, & extinctam fuisse potentiam memoriam apud viuentes. Tanta præteritorum est obliuio, vt possimus intelligere defunctorum nullam mansisse memoriam. Ob hoc sanctus Nilus in libro Ascetico dicebat: *Quod in terra defossum est, & à censu remotum, tempore ipso deletur etiam è memoria.*

3.

Eccles. 1. n. 11

Nilus.

4. Iter susceperat in Bethel magnus ille Iacob, vt ibi Deum adoraret: sed vt feliciter ei omnia euenirent in itinere, & sacratius, & religiosius altare erigeret, iussit vxoribus, & seruis suis, vt idola, quæ furauerant à Labam abiicerent, & in conspectu eius apponerent. Quî namque Deo placere posset obsequium, vbi adhuc erat idololatriæ occasio? *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, at ille infodit eas subter terebinthum, qui est post vrbem Sichem.* Genesis trigesimo quinto, numero quarto, sanctus Bruno apud Godofridum ad hunc locum quæsiuit acutè: cur Iacob seruorum idola sepelire potius, quàm comburere voluit? si vt omnino eorum cultus superstitiosus, & sacrilegus deleretur; multo melius irreligionem illam relegaret, si voracibus flammis comburerentur idola, & in cineres resoluta spargerentur per aera. Ad quid ergo ea sepeliuit, si eorum cupit delere memoriam? satis cordate, & prudenter se gessit Iacob. Quia hoc ipso quod idola sepeliisset, à seruis, & vxoribus tanquam si mortua fuissent, haberentur; vnde haud difficulter eorum deleretur memoria. Sic namque homines adhuc dilectos parentes, claros amicos, & eos, quos ardenti prosequebantur amore, si ex hac vita fuerint translati, solent ex memoria deponere; vt si idola velut defuncta, quia sepulta, viderint, aut apprehendant, nunquam ea in memoriam reuocabunt: *Iacob autem* (inquit Bruno) *& Deos, & inaures terræ infodit, vt & mortui intelligantur.* Nam si mortui intel

Gen. 35. n. 4.

intelliguntur, memoria eorum peribit.

5. Quatriduana iam luce sine luce Lazari corpus conditum erat in sepulchro, cum Christus veniret in Bethaniam, vt eum diuinæ vocis imperio reuocaret ad vitam: & post multa, quæ cum Maria, & Martha fuisset locutus, ac si nesciret sepulchrum inquirit, dicens: *vbi posuistis eum?* Ioannis vndecimo, numero trigesimo quarto, sepulchrum scisciteris, Domine, cui omnia, etiam cordis secreta patent! quare ergo defuncti tumulus iam horribilis tuam videtur subterfugere cognitionem? aut cur inquiris, vbi sit languidum amici cadauer? Angelicus Doctor lect. 6. ad hunc locum expresse asserit, Christum non ignorasse locum illum, sed interrogasse, ac si non sciret, vt hoc modo nostram reprehenderet oblivionem, qua vel charissimos, si defuncti sint, è memoria solemus abiicere. *Ideo Dominus* (inquit Angelicus) *hoc inuens ad modum nescientis se habuit, cum & ipsi hoc nesciamus. Sic ergo ponitur Domini interrogatio.* Procul dubio Christus etiam in quantum homo claram sepulchri habebat notitiam, in quo amici cadauer iacebat humatum: at quia ex hac migrauerat vita, quasi ignorans inquirit: *vbi posuistis eum?* vt denotaret, tantam esse apud homines defunctorum oblivionem, vt vel ipse Christus defuncti Lazari ignorare videatur sepulchrum, quia homo erat: *ad modum nescientis se habuit, cum & ipsi hoc nesciamus.*

Ioan 11. n. 34

S. Thomas

6. Sadducæi, qui negabant resurrectionem, cupiebant, in sermone capere Iesum, quibus inter alia respondit. Matthæi vigesimo secundo, numero trigesimo primo, & trigesimo secundo. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis: ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Difficillima sunt primo aspectu hæc verba: nam quî fieri potest, quod Deus sit Deus Abraham, Isaac, & Iacob, qui tot anteactis sæculis ex hac vita migrauere, & non sit Deus mortuorum? si Abraham, Isaac, & Iacob mortui sunt, & eorum Deus est Deus. Ergo mortuorum est Deus. Quomodo ergo Christus ait, Deum non esse Deum mortuorum, sed viuentium? verum, qui velit comprehendere vim huius argumenti, quo vsus fuit Christus, legat Angelicum Doctorem ad præfata verba. Ad rem ergo nostram insto iterum. Si Deus est Deus istorum Patriarcharum, qui iam dudum mortui sunt: quî intelligi potest, non esse Deum mortuorum? adhuc replicat Angelicus Doctor; quia mortui Dei sunt, præsertim dicente Apostolo ad Romanos 14. numero 8. *Siue viuimus, siue morimur, Dei sumus.* Quomodo ergo Deus prædicatur Deus viuentium, & non mortuorum? quia cum Deus sua ineffabili prouidentia omnium curam gerat, nullus respectu Dei est mortuus, sed omnes respicit (non sicut homines respiciunt defunctos) sed ac si viuerent. Omnium apud Deum perseuerat memoria. Ergo non sunt reputandi velut mortui, quorum non est deleta memoria, etiamsi ex hac vita migrauerint. Apud homines autem cum parentes, amici, benefactores spiritum exhalarunt, vel cum sepulti terra sunt cooperti, penitus eorum memoria perit. Reuoca in memoriam sanctum Nilum supra datum, dicentem sic: *quod in terra defossum est, & à sensu remotum, tempore ipso deletur etiam è memoria.* Dicitur ergo Deus viuentium, & non dicitur Deus mortuorum, non quia non sit omnium Deus, sed quia mortuos ita præsentes habet, ac si viuerent.

Matt 22. n. 31 & 32.

ad Rom. 14. num. 8.

Nilus.

Patriarcharum, qui iam diu requiescebant, nomina sculpta erant in duodecim gemmis Rationalis: eademque in duobus onychinis superhumeralis. At cur eorum erat geminata cælatura? nam sat videbatur esse, quod in onychinis, aut in gemmis Pectoralis essent cælata. Ideo factum puto, quia nomina hæc significabant Patriarchas iam diu defunctos, & humatos. Repetuntur ergo hæc nomina, ne tantorum virorum deleatur memoria. Nam sic contra defunctos humana prævalet oblivio, vt necessaria sit duplicata gemmarum recordatio. Insuper addo, ideo in humeris, & in pectore Pontificis hæc nomina fuisse incisa, vt quocunque se verteret sacerdos, ea ob oculos haberet, & recordaretur Patriarcharum. Hoc denotauit sacer textus cum ait, numero nono, exarata fuisse hæc nomina, *ob recordationem*, scilicet sacerdotis: & illud infra numero vigesimo nono, *vt memoriale essent filiis Israel*; ne Patriarchæ, quia defuncti, & sepulti, à memoria sacerdotis, & populi sint alieni.

Vers. XXII. Facies in Rationali catenas sibi inuicem coherentes ex auro purissimo.

Vers. XXIII. Et duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate.

Vers. XXIV. Catenasque aureas iunges annulis qui sunt in marginibus eius.

Vers. XXV. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis, quod Rationale respicit.

Vers. XXVI. Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus Rationalis, in oris, quæ è regione sunt superhumeralis, & posteriora eius aspiciunt.

Vers. XXVII. Necnon, & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in vtroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari possit cum superhumerali.

Vers. XXVIII. Et stringatur Rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, vt maneat iunctura fabrefacta, & à se inuicem Rationale, & superhumerale nequeant separari.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. SVPRA versu 14. quæst. 18. litterali egimus de catenis aureis, quibus superhumerale, & Rationale connectebantur inter se, ita vt seiungi non possent: nunc agit sacer textus de catenis aureis, quibus etiam coniuncta sint superhumerale, & Rationale ex parte inferiori, nam de illis, quibus connectebantur ex parte superiori, iam egerat versu 14. Quapropter ne actum ageret sacer textus dicendum est, diuersas esse has catenas ab illis. Explicemus igitur litteram.

2. Abulens. *Facies in Rationali catenas sibi inuicem cohærentes.* Noster Abulensis ait distinctas esse has catenas ab illis, quæ pendebant ab Ephod, vel à superhumerali. Quia catena, inquit, accipitur etiam pro quolibet annulo catenulæ. Vnde sacer textus hîc solum intendit, quod annuli, ita sibi cohæreant, vt efforment vnam catenam totalem in vno latere; alij annuli connexi inter se alteram catenam in altero latere: & ex parte superiori, vel in angulis superioribus Rationalis connectebantur illis annulis, quos refert sacer textus num. 23. dicens: *Et duos annulos aureos* (supple facies) *quos pones in vtraque Rationalis summitate:* Ita vt tenerent firmiter Rationale. Ratio Tostati est, quia alias, vel istæ, vel illæ catenæ essent superfluæ, cum vna tantum sufficeret. Id ipsum tenuerant Lyranus, & Sa in hunc locum.

Lyra. Sa.

3. Caiet. Caietanus iuxta Hebræum sic legit: *Et facies super Pectorale catenas terminationis: opus funis ex auro mundo.* Quamobrem asserit totum Pectorale circundatum fuisse his catenis: ac si Hispanè diceremus: *Tenia el Pectoral vn galon de oro finissimo al canto.* Et quia istæ catenæ totum Pectorale terminabant, ab officio dicuntur catenæ terminationis.

4. Oleast. Oleaster ibidem putat, per catenas hîc intelligi flores, vel Lymbum Pectoralis. Hispanè: *Cercadura.* Eo quod Pectorale erat circumseptum Lymbo, aut catena, & in angulis superioribus terminabatur quibusdam flosculis aureis.

5. *Et duos annulos aureos, quos pones in vtraque Rationalis summitate.* Isti annuli erant in angulis superioribus Rationalis (id enim significat summitas, vt tenet Sa,) quibus connectebantur illæ catenæ, quod satis explicat sacer textus num. 24. dicens: *Catenas aureas iunges annulis, qui sunt in marginibus eius.* Id est, circuli vltimi catenarum erunt connexi vncinis, qui erant in superhumerali, & procedebant ex lapidibus onychinis in ipso superhumerali insitis, & locatis, vt sic Rationale ex parte superiori esset connexum superhumerali his duabus catenis. Ex parte autem inferiori Rationalis colligabantur istæ catenæ duabus vittis hyacinthinis annulis Rationalis.

6. Abulens. *Facies duos annulos aureos*, &c. Isti annuli distincti sunt à supradictis: quia illi erant in angulis superioribus Rationalis, & in eis duæ illæ catenæ inserebantur: Isti verò ad ligandum duas vittas hyacinthinas, quæ per alios duos annulos Rationalis immittebantur, vt Rationale, & superhumerale disiungi non possent. Ex quibus colligit Abulensis distinctos fuisse à superioribus. Quod vt plenius explicemus, notandum est ex nostro Tostato, in quatuor angulis, vel summitatibus Rationalis totidem fuisse annulos aureos: & in Ephod in illa cauitate, vel lacuna, in qua erat collocandum Pectorale, correspondere etiam alios quatuor annulos aureos quibus omnibus colligatis vittis hyacinthinis inseparabile ab Ephod reddebatur Rationale. Præter istam colligationem erat alia illarum duarum catenarum, quæ procedebant ex vtroque latere superhumeralis versus pectorale, & connectebantur duobus annulis, qui erant in angulis superioribus Rationalis, quæ omnia manifestè declarat littera vers. 26. dum ait: *Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus Rationalis:* id est, in extremitatibus, vel in angulis. Ita exponit Emmanuel Sa *In oris, quæ è regione sunt superhumeralis:* id est, Sicut ponuntur duo annuli in partibus superioribus Rationalis, ita debent etiam poni in partibus superhumeralis ei correspondentibus. *Et posteriora eius respiciunt.* Sensus est. In superhumerali erant duæ medietates. Altera pendebat ex parte posteriori vsque ad Zonam, & infra: hæc dicebatur posterior: altera ex parte anteriori eadem longitudine, in hac erat lacuna, aut cauitas illa tegenda Rationali. In oris igitur superhumeralis, quæ erant ex parte anteriori assuti firmiter erant quatuor annuli, quibus totidem in Rationali annuli correspondebant, & ligabantur vittis hyacinthinis annulis superhumeralis, vt nullo modo disiungi possent superhumerale, & Rationale.

7. Hoc mirifice confirmat quod sequitur ex versu 27. vbi dicitur: *Necnon & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in vtroque latere superhumeralis deorsum:* id est, in vtroque latere illius concauitatis superhumeralis supra quam locandum erat Rationale. Vel si mauis, ista possunt intelligi de duobus annulis, qui erant in inferioribus angulis Rationalis, vt Rationale, & superhumerale adaptarentur inter se. Quod non obscure infertur ex sequentibus, vbi dicitur: *Quod respicit contra faciem iuncturæ inferioris.* Nam istud relatiuum, *quod*, refert

vtrumque latus: ita vt essent duo annuli in vtroque latere, in vno vnus annulus, & alter in altero. *Contra faciem iunctura inferioris*: id est, contra iuncturam inferiorem. Duplex erat iunctura. Altera inferior: superior altera, & in his duabus colligabantur superhumerale, & Rationale. Illa erat versus Zonam: ista secundùm partem superiorem.

8. *Et stringatur Rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina*: id est, firmiter ligetur Rationale per quatuor annulos, qui erant in quatuor angulis eius cum annulis superhumeralis correspondentibus totidem Rationalis: *Vitta hyacinthina*: id est, funiculis factis de hyacintho, qui mittebantur per annulos superhumeralis, & Rationalis: licet Iosephus lib. 6. de bello Iudaïco, c. 6. circa finem asserat, vittas, quibus vinciebatur Rationale fuisse quinque coloribus variatas, nempe, auri, purpuræ, byssi, cocci, & hyacinthi. *Vt maneat iunctura fabrefacta*, &c. hoc est: Vt iunctura superior, & inferior tali artificio sint dispositæ, vt nihil indecens, & imperfectum appareat, sed ita firmiter Rationale, & superhumerale coniungantur, vt separari nequeant. Quapropter cum in sacra Pagina legimus, aliquem accepisse Ephod Pontificale, intelligitur etiam simul cum Rationali, vt constat. 1. Regum 23. Quando Dauid dixit ad Sacerdotem Abiathar: *Applica Ephod*, &c. id est, Superhumerale: & cum hoc esset ad consulendum Deum (vt patet ibi) & veritas, doctrina, & iudicium, propter quæ applicabatur Ephod, non essent in superhumerali, sed in Rationali, (vt dicemus infra vers. 30.) cùm de Ephod fit mentio, comprehenditur etiam Rationale. Tanta erat inter vtrumque connexio.

Iosephus.

1. Reg. 23.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCIV.

Defectus proximi non sunt detegendi, ni ex eorum publicatione prouentus spiritualis consequatur.

9. FRuctuosum forsan videbitur, detegere aliorum defectus: at nisi opportune detegantur, tam longe abest, vt fructum afferat, quod potius nocere, solet. Operire aliorum peccata sæpe eis occasionem ruinæ offert: eo enim insolentiores fiunt peccatores, qui si admonerentur, vel reprehenderentur acriter, forsan desisterent à peccatis. Haud facilè est, in his tegendis, vel aperiendis prudenter se gerere: nam aliquando silentio reprehenditur crimen, quod reprehensione clara insolesceret: aliquando obiurgatione publica felici sepelitur sepulchro. Quæ ergo norma seruanda in detegendis, vel aperiendis defectibus? Certe, nullam aptiorem existimo, quam, si ex publicitate profectus spiritualis speretur: sin autem silentij busto defectus sepeliantur.

10. Male suasus Adam contra Dei sanctionem prohibitum fructum gustauerat, & qui deliciis Paradisi affluebat, miseriis, sudoribus, & angustiis miserè mancipatur: deletaque Dei imagine, quam Deus in eo pinxerat, damnatur in resolutionem pulueris. Satis latè agit sacer textus de primi hominis origine; & quod è limo terræ sit formatus, & in terram iterum resoluendus: Genesis 3. num. 19. Non sic se gessit Isaïas primi Angelorũ choriphæi referens ruinam. Nam cap. 14. num. 12. & sequentibus, cùm eius casum narraret, causam tamen eius satis inuolute refert, cùm adhuc inter Theologos sit controuersum; quale fuerit primi Angeli crimen. Insuper Angeli originem silentio prætermittit. Posset enim dicere, ex nihilo factum, vtpote per creationem productũ, quæ rei ex nihilo est productio. Hinc iam dubium ob oculos se offert: cur Moyses primi hominis defectus expresse refert, nempe, vilem è limo terræ originem; piaculum miserabile; esum pomi, &c. Et primi Angeli crimen, & casum tacet, & vsque ad Isaïæ tempora silentij pyra sepelitur? Primo aspectu vilior origo est *nihil*, è cuius incunabulis creatus fuit Angelus, quam limus ille, ex quo formatus est homo: quare ergo hominis origo semel atque iterum refertur. Genesis 2. num. 7. & Genesis 3. num. 19. Si propter crimen admissum: Nemo dubitare potest, Angeli flagitium hominis excedere culpam. Nam homo fragilitate cecidit; Angelus malitiâ. Vt quid ergo Angeli peccatum non refertur à Moyse, & cùm ab Isaïa narratur, dicitur in confuso origine eius omissa; hominis autem culpa ante omnium oculos propalatur, simulque originis ignobilitas bis in publicum adducitur? Augustinus, seu auctor mirabilium Scripturæ lib. cap. 2. his verbis nobis præstitit solutionem. *Angelicum vulnus verus Medicus indicare noluit, dum curare non destinauit. Peccatum vero hominis profertur: Ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur.* Quod est, dicere: quia Angelus sic infeliciter cecidit, vt à suo lapsu nunquam erigendus sit, sed obstinata malitiâ semper in suo crimine est permansurus, oportuit, eius scelus non patefacere: homo autem, licet misere incidit in peccatum, tamen de sua miseria in pristinam amicitiæ Dei felicitatem restituendus erat. Ille cùm suos audiret defectus, despecta admonitione, obstinandus, non erat emendandus: iste propriæ originis vilitate cognita, & de miseria, & peccato dolens reparationem erat quæsiturus. Quia ergo hominis sperabatur remedium, quod Angeli desperabatur: ideo hominis referuntur defectus, Angeli vero silentio sepeliuntur.

Augustin.

11. Ligatus crudelissimis funibus, qui vinculis charitatis tentus tendebat ad crucem, adducitur Iesus, & præsentatur apud Pontificem. Ioan. 18. num. 20. *Pontifex ergo interrogauit Iesum de Discipulis, & de doctrina eius.* Cui respondit Iesus: *Ego palàm locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga, & templo.* Satis emphatica sunt hæc Christi verba. Suæ doctrinæ honori consuluit Dominus, dum dixit: *Palàm locutus sum mundo*, &c. In eius commendationem loquuntur muti, quibus loquelam restituit; videntes cæci, & luce amica fruentes clamant; innumeraque miracula eius puritatem comprobant. Hæc cum neminem lateant; quare me interrogatis de doctrina? ait

Ioan. 18. n. 20.

Do

Dominus. Sistamus hîc, sed non sine admiratione, & Christum interrogemus, sed procul à malitia Pontificis. O dulcissime Iesu! Quare cum te Pontifex de Discipulis simul & doctrina interrogat; omissâ priori parte, pro doctrina solum respondes? An quia Discipulorum es oblitus? Neutiquam. Scio enim, quanto erga eos ardebas amore: vnde, nec putare licet, quod eorum memoriam deposuisses, quos firmiter habebas in corde. Quare ergo pro Discipulis non respondet, & solum defensionem exhibes doctrinæ? Profecto: priorē quæsiti partem omisit, non quia Discipuli ex eius memoria exciderint, sed quia si de illis loqueretur, iterum interrogatus, vbinam essent? cogeretur dicere, omnes aufugisse relicto Magistro, quod illis satis indecorum esset. Noluit ergo Christus Discipulorum detegere timorem, & inconstantiam. Quod consultò fecit: primo, quia Sacerdotes erant: secundo, quia diuulgatis illorum defectibus, nihil erat emolumenti spiritualis secuturum. Vnde docemur, defectus proximi euulgandos non fore, cùm solùm dedecus, non vtilitas spiritualis sequitur.

12. Matth. 1. n. 6. Humanæ generationis Christi seriem referens Matth. c. 1. n. 6. sic ait: *Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ.* Idem Euangelista narrans felicem suam conuersionem sic Matth. 9. n. 9. scribit c. 9. n. 9. & 10. *Et cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum* Miror, sacrum Euangelistam matrem Salomonis reticuisse, & suppresso nomine signasse, dicendo: *Ex ea, quæ fuit Vriæ*; & de se loquentem pleno ore nomen suum expressisse, quasi non erubesceret ex telonio fraudum officina ad Christi collegiū fuisse euectum. Cur nomen Bethsabee silentio prætermittit, cùm proprium nomen clare exponit? Noster Abulens. ad præfata verba Matt. c. 1. q. 16. sic respondet ex aliorum Abulens. sententia: *Factum est ad excusationem infamiæ: quia si poneretur nomen Bethsabee, videbatur magis infamari* Si Euangelista vxoris Vriæ, quæ mater extitit Salomonis, nomen exprimeret, Bethsabee fama lædi videretur expressius, cùm ibi aliquo modo præteriti adulterij (licet tacite) fieret commemoratio cuius euulgatio delicti, nulli prodesse poterat: at Matthæi nominis expressio, cùm de eius agitur conuersione, omnibus affert vtilitatē, siquidem nullus, quantumuis peccatis irretitus, erit diuinæ diffidens misericordiæ, audiens Matthæum auaritiæ, & illiciti lucri laqueis implicitum à tot vinculis absolutum, & ad Dei gratiam admissum. Quia ergo ex expressione nominis Matthæi magni, & vberes fructus spirituales proueniebant, secus verò ex publicitate nominis Bethsabee; ideò illud exprimitur, hoc tacetur.

13. Matt. 6. n. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, vbi fures effodiunt, & furantur:* ait Dominus Matt. 6. num. 19. Bonorum temporalium defectus detegit Christus, vt ab eis animos auocemus. Sic exponit Chrysolog. Chrysol. serm. 2. his verbis: *Pius cōsilio patris agit, quam dominantis; inter insidias latronum, & tinearum morsus, quare tua recondas, obiurgat: peruigiles noctes, dies anxios solicita tempora, ne tibi ipse facias, commoneris.* Sed cur harum rerum defectus aperit Christus? Vt res temporales notet, & eas cognoscentes aspernamur. Verùm quia nobis occurrit Euangelium, quod sancta Ecclesia canit in die cinerum, expendere hanc sacram cæremoniam non erit ineptum. *Memento homo* (omnibus intimat) *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ad quid originem, & finem nostrum ob omnium oculos ponit? Vt patefactis nostris defectibus, ambitionem, & superbiam abiiciamus. Nostrum profectum intendit Ecclesia, non dedecus, cùm nos fragilem puluerem, terram vilem, cinerem frigidum, & fauillam nigram prædicat, vt ex cognitione propria nobis vberrimi fructus spirituales proueniant.

Quatuor annulis totidem vittis hyacinthinis superhumerali colligabatur Rationale, ita firmiter vt separari non possent: & tali artificio Rationale lacunæ, & cauitati superhumeralis aptabatur, vt non duo, sed vnus appareret ornatus. Sed cur tanto studio hæc iussit Deus adaptari? Quia cùm cauitas illa esset in Ephod, qua minus pulchrum apparebat, voluit Deus defectum illum operire Rationali, ne huiusmodi defectus ab aliquo videretur. Deus enim celari desiderat defectus, quorum publicatione nulla animabus sequitur vtilitas: qui tamen eos manifestat, ex quorum manifestatione fructus prouenit spiritualis. Quia ergo, si cauitatis defectus, qui erat in superhumerali videretur, nullus prouentus resultabat animabus, sed deformitas huic ornatui; ideo tanto studio cooperuit Rationali illam cauitatem superhumeralis. 14.

Illatio CCV.

Sacerdotum defectus operiendi sunt, non euulgandi.

PRoximorum detegere defectus perniciosum est, nisi cum manifestationi vtilitas spiritualis succedit, (vt præcedenti illatione probauimus,) alias periclitaretur charitas erga proximum. Sacerdotum vero reuelare peccata tantum excidium in rempublicam infert, vt nemo non sit, qui peccandi sibi non præsumat facultatem, Sacerdotum si audiat crimina. Insuper: Sacerdotali dignitati irrogatur iniuria, cùm Sacerdotum defectus euulgantur. Quis enim negare potest, Sacerdotum dignitatem deuenustari, si eorum culpas aliquis manifestet? Vtrique occurrit ille Maximus Imperator Constantinus (vt refertur in iure cap. *Scripturis*, distinct. 96 cùm satis pie dixit: *Si viderem peccantem Sacerdotem chlamyde operirem, ne videretur.* Digna sane tanti Principis sententia! Discant hinc sæculares, frænare linguas, quas in Sacerdotum mores acuunt, vt vel leuia crimina adducant in publicum: dediscant etiam pessimam consuetudinem deponere infamandi Dei ministros; & maximi Imperatoris exemplo instruantur, eorum occultare defectus. 15. Const. Imp.

Huic curæ non semel, sed sæpe Deus studuit nam Exod. 20. num. 26. sic Sacerdoti iubebat *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Sacerdotis hîc Deus 16.

consuluit puritati. At quid intererat, quod sacerdos per gradus ascenderet, vel non ascenderet ad altare? Aut quæ est hæc turpitudo, quã Deus in sacerdote abscõdere conatur? Oleaster hîc respondet sic: *Ne nudetur turpitudo tua, seu reueletur, scilicet his, qui inferius sunt. Aut ne te cadere contingat, & sic nuditas tua reueletur.* Prohibebatur sacerdoti ascensus per gradus, ne aliquo modo nuditas eius reuelaretur. Forsan sacerdotis pedes sandaliis tegebantur, & nudi versus partem supernam erant; vnde si per gradus ascenderet, facillime eius nuditas videri posset. Noluit ergo Deus, vt vel minima sacerdotis nuditas videretur à populo, ne minimus defectus, vel leuis indecentia eius appareret. Nam sic sacerdotij honori consuluit, vt adhuc quod leuiter dehonestare posset, procul à sacerdotibus relegauit Deus.

Oleaster.

17. Vt Christus discipulorũ pedes lauaret: *Surgit è cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Ioan. 13. n. 4. & 5. O quam potens est vis amoris! Christum Dominum, splendorẽ Patris, eique consubstantialem è sinu eius traxit in terram, & vsque ad pedes peccatorum deiecit amor. Sed huius Christi erga nos amoris aliqua expendamus. Verũ quis amorẽ in finem finite poterit expendere? Nunc non meam excitat attentionem Domini humilitas; siquidem vt eam nos suo exẽplo doceret, descendit ad nos. Non quod vestimenta deponat: nam consequens erat ad voluntatẽ lauandi pedes discipulorum, spoliari se saltem pallio, vel tunica exteriori, vt suum exequeretur desiderium. Quod notare nõ prætermittam, est: cur Dominus linteo se precinxit, & eodem adhuc præcincto, post lotionem, discipulorum pedes extersit? Origen. in catena S. Thom. ad præfata verba sic respõdit. *Vt immunditiam pedum discipulorum susciperet in proprium corpus, per linteum, quo solo præcinctus manebat.* Profunda satis est hæc responsio. Sed adhuc difficultas vrget. Ad quid Dominus pedũ discipulorũ immunditiam susciperе voluit in propriũ corpus per linteũ? Profecto, vt pedum immunditiam linteo operiret, & eam in proprium corpus suscipiẽs penitus lauaret. Quia cum iam iam discipuli ad sacerdotij dignitatem essent valde proximi, toto conatu studuit Dominus, eorum celare immũditiam, ne hi defectus, vt pote sacerdotum apparerent postea. Hinc est, quare post hanc functionẽ nusquã huius lintei fit mentio in Euangelio, & cur ignoratur, quid de eo factum sit, an euanuisset, vel seruaretur. Calix, quo Christus Dominus in ea nocte celebrauit, Valentiæ, aut Genuæ, aut apud Venetos (vt alij volunt) asseruatur: at de linteo vel fama ignorat. Quid mirum, si linteo Dominus discipulorum pedes extersit, in quo pedum aliqua permansit immunditia? Nam ita Dominus sacerdotum honori consulit, vt vel leuem eorum defectum, aut immunditiam sic occultat & quasi non præcessisset, ab omnium oculis longe remouet.

Origenes.

18. Comprehenditur Iesus duce Iuda à Iudæis: tunc sic Dominus perfidos orans inimicos, dixit eis. *Si me quæritis, sinite hos abire.* Ioan. 18. n. 8. cur Dominus discipulorũ petit libertatem? Aut quare eis tribuit optionẽ, vt abire possint? Dixere varia varij. Ad rem respondeo: ideo id feciisse Dominum, vt discipulorum timidam fugam occultaret. Nam qui videret eos, magistro comprehẽso, secessisse, absque dubio id tribueret timori. Ne ergo hac nota insimularentur discipuli; aperta voce Dominus à comprehensoribus petit, vt eos libere dimittant abire, vt cum eos Iudæi aspiciant sine magistro, intelligant eius voluntatem implere, qui in horto dixerat: *sinite hos abire.* Erant iam tunc sacerdotes: ob idque eorum fugam pietatis, & obedientiæ velo tegere cupiebat, ne eorum defectus ederentur in lucem.

Ioan. 18. n. 8.

19. Ad quid dicendum, si fuerit sacerdos pessimus, & omnium scelerum genere infeliciter maculatus: detegendi ne sunt eius defectus? Dicam. Tanta reuerẽtia tractandum esse sacerdotium, vt propter honorem eius, adhuc iniqui sacerdotis defectus non sunt euulgandi. Quod Christi Domini exemplo haud difficulter erit roborandum. Quis peior, infidelior, ingratior Iuda proditore? Sed qualiter Dominus se gessit cumeo & vt eius proditionem occultaret, constat Matth. 20. n. 18. *Et filius hominis tradetur.* Eisdem verbis: Marc. 10. n. 38. & Lucæ 18. n. 32. & alibi: vbi nota, nunquam manifestari Iudam auctorem proditionis. Quod ideo factum puto, ne quia futurus erat sacerdos, eius defectus reuelarentur.

Matth. 20. n. 18.

20. Dixerat Christus, quod tradendus erat à discipulo, quibus auditis hæsitabãt discipuli, quisnam eorum esset ita infelix, qui traderet magistrum? Dominus autem Ioanni interroganti sic respondit: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.... Et dicit ei Iesus: quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbẽtium, ad quid dixerit ei.* Ioan. 13. à n. 26. vsque ad 28. Vide quanto secreto locutus fuit Dominus, & quam abdite proditionis Iudæ dederit signũ Ioanni: nam quantumuis discipuli discumbentes audierint verba ad Iudam delata, tamen eorũ sensum non intellexerunt. At cur Christus soli Ioanni, & huic latenter proditionis Iudæ signũ dedit? Et quare Iudã alloquens ænigmate proditionem declarauit? Aptissime, vt assolet, respondit S. Thomas in c. 18. Gen. dicens. *Deus est valde difficilis ad publicanda occulta crimina nostra: sicut vix secrete soli Ioanni voluit subinnuere Iudam proditorem.* Iudas auarus erat, infidelis, proditor magistri, & dignus non solum publica reprehensione, sed etiam supplicio æterno: attamen quia sacerdotali Chrismate insignitus eius crimina, vix secrete soli Ioanni manifestat Dominus. En ergo tibi causam, ob quam scelus eius non fuit euulgatum, vsque dum ipse in horto osculo magistrum tradidit, & publice coram principibus sacerdotum, & senioribus dixit: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth. 27. n. 4. Defectus ergo sacerdotum etiam pessimorum occultandi sunt; ne si producantur in lucem, tanti muneris splendor, criminum obscuritate tenebrescat.

Ioan. 13. à n. 26. vsque ad 28.

S. Thom.

Matth. 27. n. 4.

21. Quatuor vittis hyacinthinis firmiter colligabatur Rationale superhumerali; & ita inter se aptabatur vterque ornatus, vt nullatenus foramen cauitas, vel lacuna superhumeralis videri

videri posset : nam Rationale tegebat illam aperturam, (vt ita loquar,) sed ad quid tanta cura, ne videatur defectus ille superhumeralis? Quia erat in pectore sacerdotis, & aliquo modo in eum redundabat. Sic enim indecenter ornatus Sacerdos appareret. Voluit ergo Deus occultare illam cauitatem, ne adhuc defectus Leuis, & externus Sacerdotis diuulgetur. Insuper nec vacat mysterio; Rationali, quod duodecim gemmis, in quibus nomina filiorum Israël sculpta erant, radiabat, tegeretur hic defectus superhumeralis: vt hinc discant subditi tegere defectus Prælati, vel Sacerdotis. Ad subditos spectat Prælatorum occultare defectus, (si qui fuerint) sic gemmæ, quæ subditorum radiabant nominibus, Pontificalis ornatus celabant defectum.

Illatio CCVI.

Vbi adest amor, aut voluntas difficillima haud difficulter exequuntur; amara dulcia videntur, & terribilia suauissima reputantur.

22. VOluntas humana sic dominantis vtitur imperio, vt potentis more, quæ ei placent alacriter amplectatur, quæ verò displicent fugiat. Nihil voluntas appetit nisi sub ratione boni, honesti, vtilis, vel delectabilis. Obiectum, in quo aliquid horum non apparet, refugit, non amat: at si vt bonum ei proponatur, siue verum sit, vel apparens haud difficulter prosequitur. Adsit voluntas circa aliquod negocium, & nihil videbitur difficile, nihil amarum, omnia cum voluptate exequentur. Ob hoc docebat Tertullianus libro de spectaculis, cap. 15. *Si cessat affectus nulla est voluptas.* Et Ambrosius lib. 5. Hexamer. cap. 15. *Necessitas enim, quæ inuito imponit obsequium, affert plerumque fastidium. Nihil est tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias inuitus.* Adsit voluptas non deerit. Quapropter dicebat Iob cap. 6. num. 6. *Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur.* Et Prouerb. 27. num. 7. *Anima saturata calcabit fauum; & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Quæ verba expendens Chrysostomus tom. 5. homilia 2. reducit in diuersas voluntatis affectiones. *Quia*, inquit, *voluptas non ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est.* Ita cæca est voluntas, vt si amarum proponatur vt dulce, toto conatu appetet; & è contra si dulce, vt amarum, fugiet. Denique quod appetit, siue sit bonum reale, vel apparens, hoc desiderat.

Tertullian. Ambros. Iob. 6. n. 6. Prou. 27. n. 7. Chrysost.

23. Psalmo 80. num. 17. de speciali, & admirabili prouidentia, qua Deus populum Israëliticum saturauit in deserto, sic dicitur: *Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.* Diuus Chrysostomus vbi supra hoc dubium excitauit: *Hoc nusquam in scriptura lectum est, quod mel de petra Moyses eduxerit, sed vbique fluuios, & aquas, & frigida fluenta.* Si ergo Moyses nunquam mel eduxit de petra; quomodo facer Psalres id refert. Respondet os aureum satis accommodate. *Postquam enim sitientes, & indigentia defatigati frigidioribus aquis inciderant, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellauit: non tanquam mutata in mel natura, sed viuentium dispositione fluenta illa iucundiora faciente. Vidisti, quomodo & potum suauem sitientium affectio reddere consueuit?* In deserto populus sitis affligebatur molestiis, ob idque aquam ardenter desiderabat. En ergo tibi causam, ob quam aqua dicitur mel. Voluntas aquam desiderans, eam affectu mutauit in mel. Non quia aquæ substantia transmutaretur in mel; sed quia viuentium dispositio fluenta illa iucundiora faciebat. Hæc enim est voluntatis propensio, vt, quod ardenter desiderat, affectione in melius transmutet.

Psal. 80. n. 17. Chrysost.

Ob hoc Apostolus ad Philippens. 4. num. 7. dicebat: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu Domino nostro.* O Doctor optime, & Gentium lumen, quid ais? Si pacem tranquillam Dei Philippensibus desideras; cur eam prius in cordibus eorum, & deinde in intelligentiis residere exoptas? Adsit Dei pax prius in intellectu, à quo ducitur voluntas, & hinc in corda transferatur, vt semper malum fugiant, & sectentur bonum: quare ergo prius in corde, & postea in intellectu? Respondet sanctus Thomas ad præfata verba: *Custodiat corda vestra, id est, affectus vestros, vt in nullo declinetis à bono.* Quasi diceret: Voluntas humana sic in quod desiderat propendet; vt quod amat semper reputet melius, & semper alacriter exequatur. Vt ergo diuinæ pacis singulare bonum nos omnes custoditet, prius voluntatis, & cordis arcem præoccupare cupit Apostolus, vt ea obtenta totum hominem custodiat. Nam si voluntas semel diuinam pacem diligat, absque dubio in intellectum, & cæteras potentias hanc tranquillitatem diffundet. Si homo iuxta præscriptum ordinem à natura operaretur, ab intellectu duci, & gubernari, non à voluntate deberet: at humana conditio rectum peruertit ordinem. Nam vult intelligi ab intellectu, quod desideratur à voluntate, quasi intellectu velit, & voluntate intelligat. Hoc præstat voluntas, quia domina, & potens, in nulloque patitur, suo desiderio refragari. Cupit ergo Apostolus diuinam pacem per prius in cordibus, & in affectibus Philippensium residere; pro comperto habens, quod si hæc tranquillitas eorum affectus præoccuper, reliquas potentias obtenturas pacem. Nam vbi voluntas, vel affectus in aliquid propendet, omnia reddit suauia; nihil est difficile.

24. Ad Philip. 4. n. 7. S. Thomas.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: ait Dominus Matth. 11. num. 28. & vt facilius hunc accessum persuadeat, sic prosequitur. *Tollite iugum meum super vos:* Difficilia hæc videntur. Nam si Christus suorum onera alleuiare desiderat, quomodo ait: *Tollite iugum meum super vos:* Iugum hoc, legis erat obligatio. Est ne grauior sarcina quã intimatio imperij? Quare ergo Dominus cum onerum promittit leuamen, grauius onus imponit, legis iugo colla submittere exhortans? Pulchre respondet Bernardus epist. 11 ad Carthusienses. *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos. Ac si diceret. Non impono inuitis, sed vos tollite, si vultis. Alioquin non requiem, sed laborem inuenietis animalibus vestris. Bona itaque lex chari-*

25. Ma. 11. n. 28. Ibid. n. 29. Bernard.

tas, & ſuauis. Quando Dominus dixit, *tollite iugum meum ſuper vos,* eorum, qui iugum legis erant portaturi, remiſit voluntati, vt illud vltro,& non inuite tollerent. Nam ſi voluntarie huic iugo colla ſubmittunt,abſque dubio non graue, ſed leue videbitur.Huic ſimile eſt,quod

Matth.11. n.30. Matth.7. n.14. ſequitur ibidem num.30. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Sed quomodo hoc poteſt ſtare cum illo Matth.7. num.14. *Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam?* Occurrit Chryſoſtom. tom.2. homil 3. de Lazaro, qui dubium proponit, & ſoluit his verbis.

Chryſoſt. *Quomodo igitur dixerit aliquis, dictum eſt illud; iugum meum ſuaue eſt,& onus meum leue? Nam ſi anguſta eſt via,& aſpera, quomodo rurſus eam leuem,facilemque vocat? Illud quidem dictum eſt propter naturam afflictionum, hoc vero propter ſpontaneam voluntatem adeuntium. Nam fieri poteſt, vt quod natura eſt intolerabile, ſit leue, ſi cum alacritate animi ſuſcipiamus.* Quid illuſtrius? Hoc ipſum ex Propheta Ieremia poſſumus confirmare. Nam cap. 31. num. 33. de lege Euangelica ſermonem inſtituens (vt ad

S Thom. Lyra. hunc locum docent S.Thom.Lyra.& alij) quæ non in tabulis lapideis, ſed in cordibus ſcripta fuit, quando Spiritus ſanctus deſcendit

Ieremiæ 31. n.33. ſuper Apoſtolos, ſic ait. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Cum ergo lex Chriſti ſcripta fuerit in cordibus fidelium, & Spiritus ſancti aduentu, qui amor eſt, exarata in viſceribus credentium: quid mirum, quod hæc lex onus leue, & iugum ſuaue exiſtimetur. Hoc enim præſtat voluntas, nam quod diligit, aut in corde habet, non graue, ſed iucundum reputat.

26. Hoc indicare voluit ſponſus amaſiam alloquens, & monilia promittens. Cantic. 1. numero 11. dum ait. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Ex Hebræo legitur: *Cum punctis argenteis.* Apud Septuaginta: *Cum diſtinctionibus argenti.* In Vatablo: *Cum clauis argenteis.* Philo Carpath. *Cum variis notis argenti.* Verum ſi hæc monilia iuxta argentariam artem conſideremus, non ſatis apte videntur diſpoſita. Nam aurea cum ſint, non indigent, argenteis notis variegari. Aurum quod pretioſius eſt, non debet, argento tegi: nam iuxta artis elegantiam argentum ſupponitur auro, aurum vero non tegitur argento. Quomodo ergo ſponſus promittit murenulas aureas cum vermibus, notis, punctis, aut clauis argenteis? Ni fallor, quia per aurum amor, & charitas intelligitur; per vermes, notas, puncta, & clauos ex argento, labores, & afflictiones denotantur. Supponitur ergò aurum argento, hoc eſt, aurum patitur argentari; vt intelligatur, quod vbi adeſt amor labores & tribulationes ſuauiter amplectimur. Expreſſius adhuc dico: eſt dicere, quod ſi ſuper cor amore ardenti flagrans, etiamſi claui figantur; ſi illud vermes aut ſerpentes mordeant; ſi vndequaque ſtigmatibus vulneretur; & ſæuiſſima tormentorum genera patiatur, alacriter tolerabit. Martyribus pro fide Chriſti decertantibus præfata verba Philo Carpathius

Philo Car. ibidem præclare accommodauit, dicens: *Imitandi ſunt martyres, qui vt fidem Chriſti ſplendidiorem facerent, & conſeruarent nulla pœnarum genera quantumuis ſæuiſſima extimuerunt. Nam quod de martyribus intelligat, vide notas argenti, ſeu puncta, ſiue ſtigmata eſſe appoſita poſt aurum: quæ quidem ſtigmata, ac notæ flagella, ac tormenta pro Chriſto Ieſu paſſa apertiſſime declarant.* Poſt aurum, id eſt, poſt amorem, puncta, ſtigmata, tormenta, & flagella apponuntur, vt ſic ſuauiora reddantur, & perpetiantur alacrius. Ardebant martyres flammis diuini amoris: quid mirum illuſiſſe tormentis? Adſit (crede mihi) voluntas,& amoris incendium; & omnia etſi duriſſima, & difficillima, facilia reddentur, & ſuauia.

Quid alius denotarunt vittæ illæ hyacinthinæ, quibus ſuperhumerale, & Rationale firmiter colligantur, niſi propoſiti thematis doctrinam? Ex parte ſuperiori duabus catenis, quæ procedebant ex lapidibus Onychinis, in quibus exarata erant nomina filiorum Iſraël, & totidem vittis hyacinthinis colligabatur ſuperhumerale Rationali; vt denotaretur, quod licèt onus graue ſit aliis præeſſe, & imperare periculoſum, ſi tamen ſubditi ſint in pectore, vel in corde (quod aperte denotabant gemmæ Rationalis in quibus eadem nomina erant ſculpta) erit ſuaue iugum: erat ergo Rationale etiam ſuperhumerali colligatum tot vittis, & vncinis vt onus portandi ſuper humeros in lapidibus Onychinis filios Iſraël, ſuaue, & leue redderetur. Nam vbi adeſt amor omnia leuia ſunt. 27.

Verſ. XXIX. Portabitque Aaron nomina filiorum Iſraël in Rationali iudicij ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.

EXPOSITIO LITTERÆ.

PORTABITQVE *Aaron nomina filiorum Iſraël.* Quando Aaron ornatu ſacro indutus ingrediebatur ſanctuarium ad miniſtrandum in eo, portabat nomina filiorum Iſraël ſculpta in gemmis Rationalis iudicij, ſic dictum, eo quod per applicationem eius Deo conſulebatur, & reſponſa dabat. *Super pectus ſuum:* nam hic erat locus Rationalis, quia ponebatur ſuper illud foramen ſuperhumeralis, quod erat in pectore. *Sanctuarium* erat prima pars tabernaculi, quæ vocabatur tabernaculum exterius, eratque ante Sancta Sanctorum: vt ſupra verſ.4. quæſt.8. num.... ſatis ſuperque explicatum manet. 1.

Memoriale coram Domino. Hoc referendum eſt ad Deum,& non ad Pontificem Nam hoc memoriale,nempe nomina filiorum Iſraël in conſpectu Domini ponebantur, vt Deus ipſorum recordaretur. Non quia Deus patiatur oblionē; ſed loquitur ſcriptura more humano,vt in ea frequētiſſimū eſt.Sic Gen.8 n.1. 2.

Recordatus

Gen. 8. n. 1. Gen. 9. n. 15. Gen. 19. n. 29

Recordatus Deus Noë. Genes. 9 num. 15. *Recordabor fœderis mei.* Et Genes. 19. num. 29. *Cum subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ.* Et alibi passim. Quæ verba in sensu exposito intelligenda sunt.

3. Aliqui putant hoc memoriale referendum esse ad Pontificem. Quod non abnuam, si tale memoriale sit in pectore sacerdotis ad excitandam eius memoriam, vt oraret pro subditis. Attamen si tale memoriale deseruiret, vt sacerdos illorum Patriarcharum, quorum nomina erant sculpta in gemmis Rationalis imitaretur exempla, id difficile iudicat Abulensis hîc quæst. 13. quia cum plures ex his multa & grauissima scelera commiserint, horum memoria potius distrueret, quam ædificaret sanctitatem Pontificis. Rursus; quia si tale memoriale ob memoriam Patriarcharum poneretur, potiori iure nomina Abraham, Isaac, & Iacob, qui coram Deo fuerunt grati, debuerant sculpi in Rationali. Horum enim exempla multò vtiliora, & efficaciora essent. Ergo sacerdos non portabat nomina filiorum Iacob in Rationali, vt eorum sequeretur exempla.

4. Nihilominus tamen possumus suspicari, Patriarcharum nomina in pectore gestasse sacerdotem, non vt in omnibus eorum exemplaria imitaretur, sed in factis egregiis, sanctis, & honestis. Nullus enim fuit, qui aliquod bonum opus non patraret. Nam *Rubem*, licet igne libidinis accensus paternum thorum maculauerit, vt constat Genes. 35. & quanuis à parricidio Ioseph non fuerit immunis; tamen charitatem in corde seruabat, & eum incolumen patri restituere cupiebat, Genes. 37. Quid dicam de Simone, qui sanguinea vindicta (vt constat Genes. 34. stuprum Dinæ sororis in ore gladij vindicauit? Tamen in hoc sacerdoti exemplum proponebatur imitandi maximam fortitudinem, ita vt ob nullam causam cederet timori. In *Leui*, qui sacerdotum fuit pater, & cui nulla sors contigit in terra promissionis, vt patet Numer. 18. & 34. & Deuteron. 18. satis instruebantur sacerdores, vt rebus temporalibus non vacarent. *Iudas*, in quo potestas regia, & fortitudo splendebat, quæ vsque ad Christum quadam ratione mansit, significauit fortitudinem, qua sacerdos pollere debet ad defensionem populi, & ad profligandas vitia. *Dan*, qui catulus leonis dicitur Deuteron. 33. num. 23. etiam fortitudinem magnam præseferebat, qua vrbem Lais tribus eius combussit. *Nephtali* exemplar fuit sacerdoti, vt ad populum verba pulchritudinis haberet, iuxta illud Genes. 49. num. 21. *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Gad* sanctitatem, qua sacerdos fulgere debet, repræsentabat: *Benedictus in latitudine Gad.* Deuteron. 33. num. 24. *Asser* demonstrabat charitatem, & copiam bonorum spiritualium in bonis terræ indicatam, iuxta illud Genes. 49. num. 20. *Asser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Et Deut. 33. num. 24. *Benedictus in filiis Asser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Issachar* varietatem virtutum denotabat, & sanctitatem tribus eius, quæ cum esset inter peccatores, candorem non amisit, & peccatores ad iustitiam vocauit. Deuteron. 33. num. 18. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ. Zabulon* idem significabat. *Ioseph* omni virtute ornatus erat: castimonia, patientia, charitate erga fratres, & parentem, &c. *Benjamin* cumulum virtutum habuit, iuxta illud Deuteronom. 33. num. 12. *Et Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in talamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Liquet ergo ex his, Patriarcharum nomina in gemmis Rationalis incisa memoriale fuisse, vt sacerdotis excitarent memoriam ad eorum virtutes imitandas. Nihilominus tamen nostri Abulensis explicatio maximè congruit textui, nempe, hoc memoriale ad Deum esse referendum, vt eo ostenso per sacerdotem Deus suæ gentis recordaretur; & cum Dei sit proprium misereri semper, & parcere, populo indulgeret, & conferret beneficia.

Deut. 33. n. 18.

Deut. 33. n. 12.

5. *Coram Domino.* (Vsitata phrasis) id est coram arca. Sic Exod. 27. num. 21. de candelabro dicitur: *Vsque mane luceat coram Domino:* id est coram arca. Eodem sensu de summo sacerdote dicitur Exod. 30. num. 8. *Vret thymiama sempiternum coram Domino.* Similiter Iosue 8. num. 6. diuisurus terram ait: *Huc venietis ad me, vt coram Domino Deo vestro mittam vobis hîc sortem.* Quæ sortes coram arca ductæ sunt, vt omnis tolleretur suspicio ab illis sortibus, quæ tam sacro in loco mitterentur. Et Iosue 24. num. 1. *Filij Israël steterunt in conspectu Domini.* Hoc est, in conspectu arcæ. Frequentissimum enim est in scriptura arcam fœderis pro ipso Deo vsurpari: vt 1. Reg. 4. num. 7. *Timuerunt Philisthim dicentes: venit Deus in castra:* & tamen arca venerat. Lege patrem Mendoza virum omnigena eruditione clarum ad præfata verba Regum in expositione litteræ num. 2. qui alios non infimæ notæ auctores citat. Constat ergo, sacerdotem adducere hoc memoriale *coram Domino*, id est, coram arca; non quia hoc ornatu ingrederetur in Sancta Sanctorum (vt probauimus supra vers. 3. quæst. 8. num....) sed quia ingrediebatur sanctuarium, quod immediate erat præcipuæ parti tabernaculi, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum.*

Exod. 27. n. 21. Exod. 30. n. 8. Iosue 8. n. 1. Iosue 24. n. 1. 1. Reg. 4 n. 7

6. *In æternum.* Hîc duplex potest esse sensus. Primus; ita vt hæc particula *in æternum* referatur ad memoriale. Secundus; ad verbum illud, *portabit.* Si hoc modo intelligatur, sensus est: Aaron portabit ista nomina super pectus suum semper in memoriale coram Domino. Hanc indicat Abulensis quæst. 13. citata esse magis litteræ genuinam expositionem. Præceptum namque erat sacerdoti summo, vt quotiescumque ingrederetur sanctuarium ad ministrandum, gestaret ista nomina in pectore. Alio modo potest hoc explicari, nempe, quod particula illa *in æternum* referatur ad memoriale est sensus. Hoc erit memoriale æternum, quia Deus semper intuens has gemmas recordaretur filiorum Israël.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO .CCVII.

Præsul ex suo munere tenetur beneficia subditis elargiri.

7. REgale stemma beneficiorum largitate coronatur. Regnat immeritò qui sibi,& non subditis acquirit. Regis munus, & gubernantis officium ex officio tenetur conferre beneficia : Vnde in Principis diademate nulla gemma ita splendet, ac in eius manibus liberalitas. Ob hoc apud Isaïam inuenies, cap. 3. num. 7. Isaï. 3.n.7. *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me* Septuag. *Principem populi.* Septuaginta legere : *Non erotnus Princeps.* Indignum se iudicat ad principatum, quia pane, quo alios cibare ; & vestimento, quo alios operire posset, careret. Sic Hieron. Diuus Hieronymus ad præfata verba : *Considerans paupertatem, & imbecillitatem suam indignum se esse delato honore, testatur, nec posse mederi vitiis, id est, curare languentes, esurientibus cibum tribuere, vestire nudos, qui ipse, se sustentare vix valeat.* Vnde regere, & dare pro eodem vsurpatur. Id innuebat Sponsus Cant. 7. num. 1. Amasiæ honeste incedentis celebrans Cant. 7.n.1. calceamenta, cùm dixit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Ex Græco legitur : *Filia munifici, & sponte dantis.* Quasi non sit aliud, diademate regio coronari, & liberalitatis thesauros effundere.

8. Quam cordate canebat Dauid. Psal. 22.n.1. Psal. 22.n.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocauit.* Chrysologus sermone Chrysol. sexto, *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco viridi ibi me collocauit.* Sanctes Pagni- Sanct. Pagn. nus : *Dominus pascit me, non deficiam : in tuguriis germinis accubare faciet me.* Quid sibi volunt Chrysologus, & Pagninus cùm pro eo, quod in Vulgata habemus ; *Regit* ; legerunt; *Pascit ?* Omitto sequentia verba alibi expendenda, & ad præsens institutum respondeo, hæc miram habere consonantiam. Nam idem est, regere, & pascere. Sic enim Principi ex proprio munere competit, suos alere, eisque beneficia conferre, ac regere, & regali diademate redimiri.

9. Hanc regiam munificentiam, & ex regnandi munere decoram obligationem satis percalluit felix ille latro cùm Christum è patibu- Luc. 23.n 42. lo suspensum exorans dicebat : *Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.* Lucæ vigesimo tertio, numero quadragesimo secundo. Crucifixum vidit, & Regem appellauit (de hoc iam alibi diximus.) Nunc inquirendum supereſt : cur non dixit latro : Domine memento mei, cùm veneris in gloriam tuam, sed in regnum tuum ? Profectò, satis sapienter Sciebat Dimas Regi à prima purpura, & ex proprio munere incumbere, beneficia elargiri ; non minusque regiam condecorari maiestatem aureo, & gemmato diademate, quàm beneficiorum largitate. Insuper propriæ vtilitatis valdè cupidus medium efficacius elegit, vt id, quod desiderabat, consequeretur, nempe, in Christi memoriam reuocans eius regiam dignitatem, vt ex tantæ maiestatis memoria constringeretur, ei postulata concedere. Nam ita regiæ purpuræ ex proprio munere competit benefacere, & beneficia impertire ; vt sibi persuasum haberet latro, Christum non negaturum, quod sub tantæ dignitatis patrocinio postulabat.

10. Aquarum molem super terram dispersam in vnum locum iussit Deus congregari. Genesis 1. num. 9. *Congregentur aquæ, quæ sub cœ-* Gen. 1.n.9. *lo sunt in locum vnum, & appareat arida.* Hugo de sancto Victore apud Godofridum ad præfata verba hoc dubium excitauit : *Hoc mi-* Hugo de S. Victor. *rum videtur, quod aquæ ; quæ sub cœlo sunt congregentur in loco vno, & illæ, quæ sunt super cœlum non congregantur, sed relinquuntur expansæ, quasi quod coarctari nolint, vel colligi.* Iure miratur hic auctor. Sed adhuc vrgere restat : Vnde superioribus aquis tanta prouenerit reluctantia, vt coarctari, aut colligi non permittant ; inferioribus verò non insit, vt in vnum congregentur locum ? Respondet idem Hugo : *Iam videmus, quare aquæ istæ non debuerunt colligi, & in vnum coarctari ; quoniam charitas amplificanda est semper, & dilatanda, & quanto latius expanditur, tanto celsius sublimatur.* Bene. Sed alio modo ad rem nostram iudico respondendum. Ideo ergo Superiores aquæ in vnum locum non congregantur, sed per totum cœlum expansæ sunt, quia eminentiorem locum occupant, in quibus Ecclesiæ Præsules designantur, qui in hoc Ecclesiæ militantis cœlo primam sedem obtinent : inferiores aquæ coarctatæ sunt ad vnum locum, eo quod in eis subditi, & inferiores figurantur. Dixit Stephanus Cantuariensis apud eundem Godofridum ibidem. *Ecclesia est firmamentum, quasi in bono confirmata, quæ habet aquas superiores, id est, Prælatos ; & inferiores, id est, subditos.* Innuebat ergo Deus, cum supernis, aquis non iussit in vnum locum congregari, sed eas per totum cœlum statuit diffundi Præsules non solum cura, & solicitudine vbique debere existere, vt subditorum morbos curent, & eorum necessitatibus subueniant ; verumetiam, vt non restringantur ad vnum, vel ad plures, sed omnibus benefaciant. Nam sic ex proprio munere Prælatis incumbit, beneficia elargiri, & munera diffundere, vt velut aquæ cœlestes non coarctentur, sed expansæ sint, vt absque limite beneficia conferant.

11. Filiorum Iacob nomina duodecim gemmis sculpta, aut cælata portabat Aaron in pectore, quando ingrediebatur sanctuarium, vt essent ipsi memoriale coram Domino : hoc est, vt coram Deo pro omnibus preces effunderet. Vbi nota: hoc memoriale pectori Pontificis tot catenulis esse annexum. Per quod ostenditur, quod sicut Pontifici ex suo munere competit sacrato illo, & pulchro ornatu condecorari, sic & deprecari pro subditis, & eis beneficia elargiri. Memoriale hoc Sacerdotis excitabat memoriam, ne subditorum oblitus à benefaciendo vacaret.

Illatio CCVIII.

Præbere Deo benefaciendi occasionem, est suæ Deitatis renouare memoriam.

12. Philo Hebr. *Deus non venditor est*, (inquit Philo Hebræus libro de Cherubin in fine,) *æquum pretium rebus suis statuens, sed donator omnium, peremnes gratiarum fontes profundens, nullam permutationem cupiens.* Deus summa liberalitate diuitiarum suarum thesauros largitur, nullam à nobis expectans permutationem. *Nam neque ipse indiget*, prosequitur Philo, *nec quisquam natus potest accepta rependere.* Liberalis est Deus, & toto rigore liberalis, cùm receptionis incapax prorsus existat. At cur Deo recipere, repugnat. Profecto, quia est Deus. Liberalitas ergo innata est Deo. Ergo qui Deum annunciat, liberalem prædicat. Vnde, diuinæ liberalitati offerre occasionem benefaciendi, idem prorsus erit, ac suæ Deitatis renouare memoriam.

13. Ier. 23. n. 24. Ieremiæ 23. num. 24. sic Deus. *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* At quomodo Deus omnia occupat loca, & nullum prætermittit spatium? Ratione immensitatis, respondet Theologus. Vbique est, quia immensus. Scitum est enim, immensitatem à diuina essentia non distingui. Et licet hæc certa sint, tamen ipse Dominus satis explicat, qualiter omnia repleat. Ieremiæ 42. num. 11. Ier. 42. n. 11. dum dixit: *Vobiscum sum, vt saluos vos faciam, & eruam de manu eius.* Vtraque verba expendit Saluianus libro secundo de prouidentia his Saluian. verbis: *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo? Cur autem cuncta impleat, ipse declarat. Quia vobiscum sum, inquit, vt saluos faciam vos. Ecce enim non modo regimen suum Dominus, & impletionem, sed etiam vim, ac beneficium ipsius adimpletionis ostendit. Hunc enim modum in se habet diuinitatis impletio, vt saluet ea, quæ adimplentur.* Ac si diceret; hoc enim est, Deum cœlum, & terram implere, ac eis munera, ac beneficia elargiri. Ex his nostri thematis non leuem confirmationem deduco. Deus, quia Deus est, immensè omnia implet. Omnia implere, teste Saluiano, est omnibus benefacere. Ergo quia Deus est, nullum à suæ beneficæ virtutis calore excludit. Ergo pro eodem in Deo vsurpari debet, Deitatis, & beneficentiæ ratio: & quemadmodum ab eo separari nequit immensitas, ita nec liberalitas. S. Thomas. Hoc ni fallor est, quod intendit sanctus Thomas 1. part. quæst. 8. art. 1. dum asserit, Deum existere in rebus per operationem, id est, per operationem munificam, & liberalem. Iure ergo optimo dicemus, eum, qui in Deo ad benefaciendum excitat memoriam (loquor pro nostro modulo) suæ Deitatis conferre memoriale.

14. Hinc est, quod quando Deus nobis confert beneficia, videntur sibi ea prodesse, quasi habeat suum esse in benefaciendo constitutum. Dan. 7 n. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei.* Daniel. 7. n. 10. sed inquiro: quodnam est hoc ministerium, quod Angeli Deo præstant? Sanctes Pagninus In Isagoge, lib. 9. cap. 11. sic respondet: *Aliud namque est ministrare, aliud assistere. quia ij administrant Deo. qui ad nos nunciando exeunt: assistunt vero, qui sic contemplatione intima perfruuntur, vt ad explenda foras opera minime mittantur.* Nota: hunc auctorem asserere, Angelos, qui ad nos mittuntur, ministrare Deo: Angelos verò, qui illius summi boni contemplatione intima detinentur, Deo assistere, non ministrare. Hoc primo aspectu videtur difficile. Nam qui potest, intelligi, Angelos, qui ad nos mittuntur, Deo ministrare? Dicerem ego potiori iure illos, qui assistunt, ministrare Deo; secus eos, qui mittuntur ad nos. Sed perbelle Pagninus. Nam Angeli, qui ad nos mittuntur, ad nostram exeunt vtilitatem, nempe, vt nos custodiant, & vt nobis tanquam Dei legati benefaciant. En ergo causam ob quam Deo dicantur ministrare. Quia cum Deitatis stemma singulare sit hominibus benefacere, indeque Deus gloriosus prædicetur: Angeli, qui in benefaciendo hominibus occupantur, Deo ministrare dicuntur. Quasi idem reputet Deus sibi obsequia præstari, ac hominibus beneficia conferri. Sanct. Pagn.

15. Gemmarum series, quibus pectus Pontificis nominibus filiorum Israël radiabat, memoriale erat coram Domino, non solum vt Aaronis memoriam excitarent ad effundendas preces pro populo: sed aliqualiter, vt ipsum Deum suæ Deitatis memorem redderent, & sic eis innumera conferret beneficia. Nam ita Dei liberalis beneficentia cum Deo conuertitur, vt perinde sit, Deo suæ Deitatis memoriam excitare, ac ad benefaciendum, quasi eum constringere.

Illatio CCIX.

Orationis efficacitas expenditur.

16. Orationis virtus, & efficacitas sacram Paginam euoluenti satis aperta est. Verum in re tam clara aliqua notatu digna placet prælibare. Orat in terra homo, & Deus audit in cœlo, preceseque humilium superna empyrei claustra penetrant. Sciat homo petere, si postulata consequi desiderat; at orationis scientiam non terrenus Magister, sed cælestis docuit. Matth. 6. num. 6. *Tu autem cum oraueris*, in- Matth. 6. n. 6. quit Christus, *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hypocrisim fugiat, qui Deum orat: nam secreta debet esse oratio, non captans inanem auram, sic enim oratio fiet in peccatum, quæ est hominis maledicti misera infelicitas, iuxta illud Psalmi 108. num. 7. *Oratio eius fiat in* Psal. 108. n. 7. *peccatum.* Deinde prosequitur Christus, Matthæi 6. num 7. & 8. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim,* Matth. 6. n. 7. & 8. *quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum.* Hinc D. Chrysostomus homilia 9. in Matthæum alte oratio- Chrysost. nis fructus hoc dubio explicuit. *Etsi, inquit, ille nouit, quo indigeamus: cuius tandem rei gratia nos oportet orare?* Respondet: *Vt scilicet Deum*

Deum non doceas, sed inflectas; vt familiaris efficiaris interpellationis frequentia; vt humilieris orando, vt peccatorum tuorum sæpe recorderis. Qui Deum orat, familiaris eius efficitur; qui orationi vacat, immensam illam maiestatem contemplans, propriam recognoscit vilitatem, & fit humilis; contemplationi deditus peccatorum suorum recordatur; tandemque orando Deum inflectit, vt exaudiat. Magna ergo est vis orationis, siquidem Deum non solum post ipsam, sed ipsum Deum post se ipsum trahere valet.

17. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. n. 3. Amore saucia loquebatur ad Sponsum Sponsa. Philo Carpath. ad hæc verba sic legit: *Propterea adolescentulæ dilexerunt te, atque traxerunt te post te.* Difficilis videtur lectio Philonis. Nam quî fieri potest, vt sponsus vadat post se? Sponsam post Sponsum currere haud difficile iudico. Ipsa enim Sponsi suauitate allecta post illum cursuram promittit, dum ab eo trahatur: at sponsum post sese à dilectis trahi, difficile videtur. Quomodo ergo inquit Philo: *Propterea adolescentulæ dilexerunt te, atque traxerunt te post te?* Ipse Philo duplici exemplo suâ mentem explicat. Primum est desumptum ex Matthæi 15. num. 22. & Marc. 7. num. 25. vbi mulier Chananæa summis precibus Christum rogabat, vt filiam suam male à diabolo torsam liberaret. Audierat Christus Chananitidis preces, tamen quasi non audiret, nullum ei verbum respondit: perseuerabat mulier clamans ad Christum, & patitur repulsam: nec ob id à precibus desistit, sed incessanter sequitur eum, cui tandem respondens Iesus ait illi. *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Matth. 15. num. 28. Alterum exemplum est desumptum ex cap. 5. Marci, & ex cap. 8. Luc. num. 44. vbi refertur alia mulier per duodennium fluxu sanguinis laborans, quæ *accessit retro*, intelligeae ad Iesum) *& tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus eius.* Quæ expendens idem Philo citatus sic ait: *Ambæ ergo Iesum à tergo traxerunt hæ duæ adolescentulæ, ipsius vim, atque potestatem supplices deprecantes, & ex fidei robore infirmo quoque corpore remedia salutaria ab eodem pietatis fonte hauserunt.* Quod est dicere: Præterierat iam Christus vtramque fœminam: Chananæa orat, & repellitur: perseuerat constanter, & Christum iam transeuntem non solum detinet, sed precibus attrahit. Altera mulier, cùm Christus iam præteriisset, (hoc sonat illud: *accessit retro,*) humiliter, & fideliter deprecans fimbriam vestimenti Christi tetigit, & Christum prætereuntem retrorsum fecit conuertere; & precibus quasi post se attraxit. Quid ergo mirum si sponsa, & eius sodales sponsum etiam prætereuntem attraherent; cum precibus veris, fidelibus, & continuis Deum deprecarentur? Nam oratio assidua, & feruida velut magnes est, quæ cœlestem hunc Sponsum attrahit.

Cant. 1. n. 3. — Philo Carp. — Mat. 15 n. 28 — Luc. 8. n. 44. — Philo Carp.

18. Tam efficax est iusti deprecatio apud Deum, vt si aliquis ab ipso peteret gloriæ dotes, libentissimè concederet. Noster Abulensis quæstione vigesima sexta, in caput decimum septimum Matthæi inquirit: cur Christus Dominus beato Petro claritatis dotem non concessit in Thabor, sicut in mari concesserat agilitatem, vt posset per salum sicut per solum ambulare Matthæi decimo quarto, numero vigesimo nono. *Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum?* Si dicas ob id Christum Petro claritatem negasse in monte, quia hoc priuilegium est corporis glorioſi: etiam agilitas inter beatitatis dotes numeratur. Ergo sicut hanc Christus Petro contulit in mari: posset & illam concedere in monte. Quare ergo negat claritatem, & agilitatem concedit? Respondet Tostatus: *Quia Petrus petiuit à Christo, quod concederet ei ambulare super aquas veniendo ad se, supra capite decimo quarto, Et illa fuit causa potissima concedendi ei, quod ambularet super aquas. Hic (scilicet in Thabor,) nihil petiuit horum; ideo non datum est ei, neque alteri transfigurari.* Ac si diceret: Si Petrus sicut petiit agilitatem in mari, peteret claritatem in monte, absque dubio illam concederet Christus. Non petiit, & ideo ei non est data. Ita efficax est orationis virtus, vt potens sit in hac vita consequi, quod Deus confert in alia.

Mat. 14. n. 29 — Abulens.

19. Nec hoc solum: sine voce auditur, & exauditur oratio. Exod. 14. num. 15. ait Deus ad Moysem: *Quid clamas ad me?* Chrysostomus homilia 19. in Matthæum, in 2. tomo, putauit, tunc Moysem etsi probris à populo affectum, & minantibus Ægyptiis mortis periculis obnoxium ad Deum non clamasse (idque ex contextu aperte constat,) Quare ergo Dominus ait: ad Moysem: *Quid clamas ad me?* Audi Chrysostomum: *Moyses dolebat: cumque tacens oraret, audiebatur, & propterea ad illum dixit Deus: Quid clamas ad me? Anna quoque cum vocem nullam prorsus emitteret, omnia tamen, quæ voluit impetrauit: quia scilicet sola, & tota mente clamabat.* Omnis cor sine voce voces emittit. Nullam formauerat Moyses, & tamen à Deo audiebatur, ac si clamaret. Non mirarer, si diceret sacer textus, Deũ preces Moysis exaudisse è corde emissas: at velut voces audire, explicat orationis efficaciam, siquidem sine voce vocis præstat effectum. Eundem præstitit Annæ oratio, 1 Regum, cap. 1. num. 13. vbi dicitur: *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus audiebatur.* Et quia clamabat in corde tacitus orando exaudita est, & omnia, quæ voluit, impetrauit.

Exod. 14. n. 15. — Chrysost. — 1. Reg. 1. n. 13

20. Cùm Pontifex ingrediebatur sanctuarium Ephod, & Rationali erat amictus, duodecim nomina filiorum Israël in totidem gemmis sculpta portabat coram Domino, vt Deus populo subueniret. Vbi nota: quod licet Deus iuberet, Sacerdotem huiusmodi nomina portare, vt essent memoriale coram ipso, tamen non iussit in illa functione aliquid postulare, sed solùm religiosè & deuotè proponere nomina filiorum Israël, vt propositione tacita, Deus moueretur ad subueniendum populo. Cur ita? Quia Sacerdos oraturus ingrediebatur sanctuarium. Si ergo orabat Sacerdos, & in conspe

conspectu Domini proponebat nomina Patriarcharum, vt eorum filiis Deus benefaceret, quamuis illæ preces voce carerent, exaudiebantur à Deo. Ea enim est orationis, & precum efficacitas, vt sine voce, ac si vocem emitterent, clamant, & exaudiuntur.

ILLATIO CCX.

Tanti Deus facit supplicum preces, vt quod ipse libenter offert, ne deroget orationi, postulari, desiderat.

21. DIuus Bernardus in floribus, cap. 160. de oratione, & homilia 4. super missus est, pulchrè expendit, quanti Deus faciat supplicum preces, his verbis. *Nemo orat, nisi quod credit, & sperat. Vult autem à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa, quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur.* Deus dare desiderat, & tamen idipsum, quod promiserat, postulari vult: vt habeat oratio meritum, vbi adest diuinæ largitatis promissio. Bernard.

22. Audierat Maria ab Angelo, quod absque virginei pudoris præiudicio Dei Filium erat paritura, & suæ obedientiæ, & humilitatis præbens insignia, ait: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Lucæ 1. num 38. Diuus Bernardus homilia 4. citata asserit, per illud verbum, *fiat*, non solum consensum Mariæ, sed ingens desiderium, & supplices preces eius denotari, vt tantum mysterium perficeretur in ea. *Nihil obstat intelligi*, (inquit Bernardus,) *fiat, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit, & sperat.* Ex his dubitare liceat: cur si Maria ab Angelo salutata audit aperte, generaturam Altissimi Filium, idque non propria auctoritate, sed à Deo missus annunciabat Archangelus: Maria deprecatur, vt fiat tantum mysterium? Quare petis Regina cœli, quod Dei nuncius palàm tibi offert? Aut quid proderunt tuæ preces, vbi adest tam aperta oblatio? Quia vult Deus exorari, vt id quod liberaliter largitur, intuitu orationis obtineatur, & in executione tanti mysterij adsit orationis excellentia. *Vult autem à se requiri Deus, quod pollicetur.* (Prosequitur mellifluus,) *Et ideo forte multa, quæ dare disposuit, prius pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur*, &c. Maria ergo id ipsum, quod liberaliter à Deo offertur, exorat; tum vt Deo nouiter placeat, & apud ipsum mereatur; tum vt diuinæ largitati præstet obsequium petendi, quod ipsa offert. Luc. 1. n. 38. Bernard.

23. Discipulis euntibus in Emaüs occurrit Christus in via; cumque multa de seipso ignotus, & habitu peregrini simulatus loqueretur, finxit se longius ire cadente iam Sole. & surgentibus vmbris; illi autem coëgerunt illum dicentes: *Mane nobiscum, Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.* Luc. 24. num. 29. Non est dubium, quod Christus volebat, non dimittere Discipulos: Quare ergo finxit, se longius ire? Diuus Bernardus sermone 74. in Cantic. sic respondet: *Aliquando simulat se longius ire, non quia hoc volebat; sed volebat audire, mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.* Simulatio illa Christi orta fuit ex desiderio manendi cum Discipulis. Nam ea patefacta excitauit Discipulorum animos, vt orarent, ne eos præteriret. Ecce quomodo Christus Dominus id ipsum, quod dare desiderat, vult, vt ab eo postulemus. Luc. 24. n. 29. Bernard.

24. Nec solùm simulat Deus, negare illud quod dat, vt sic virtute precum illud obtineamus; sed etiam aliquando permittit, parcum, & improuidum reputari, vt precibus concedat, quod negare videbatur. Huc spectat miranda illa diuinæ largitatis alimonia, qua Christus Dominus quinque millia hominum vsque ad saturitatem aluit in deserto; vbi quamuis Christo satis nota esset illius multitudinis indigentia, voluit, vt per Discipulos patefieret. Matth. 14. num. 15. *Vespere autem facto accesserunt ad eum Discipuli eius discentes: desertus locus est, & hora iam præteriit: dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* At dices: cur Christus, si nouerat turbam illam inediæ angustiis laborare, ei non succurrit, vsque dum accesserunt Discipuli, & postularunt, vt dimitteret turbas ad emendas sibi escas? Diuus Chrysostomus in catena sancti Thomæ ad hunc locum nodum sic soluit: *Cibaturus quidem eos, Dominus expectat, rogari.* Breui calamo totum conceptum amplexus est. Hæc enim est mens Chrysostomi. Sciebat Christus (nemo dubitat) turbam illam famis molestiis affligi: desiderabat insuper, eius necessitati subuenire: at rogari expectabat, vt sciamus inde, Deum precibus velle obtineri, quod liberaliter desiderabat, elargiri. Matth. 14. n. 15. Chrysost.

25. Duplicatum spiritum pallio Eliæ inuolutum receperat Elisæus, qui cum Iordanis ripam salutaret, imitans Magistrum, pallio Eliæ percussit aquas, & non sunt diuisæ: tunc Elisæus clamans, ait: *Vbi est Deus Eliæ?* 4 Regum 2. num. 14. Persistit Elisæus, & ait facer textus ibidem, num. 15. *Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc, atque illuc, & transiit Elisæus.* Noster Abulensis ibidem, quæst. 28. sic inquirit: *Quare prima vice, qua Elisæus percussit aquas pallio non fuerunt diuisæ?* Et sic respondet quæsito. *Ideo, vt compelleretur, orare ad Dominum, non fuerunt diuisæ in prima vice.* Si Deus cùm primum Elisæus suo pallio Iordanis aquas percussit, eas diuideret, sicut fecerat cum Elia 4. Regum 2. num. 8. non exclamaret Elisæus dicens: *Vbi est Deus Eliæ*; quibus verbis (teste Abulensi) preces effudit, vt Deus aquas diuideret. Ideo ergo Deus distulit Elisæo fluminis diuisionem, non quia vellet, illam negare, sed vt compelleret Prophetam ad orandum, vt sic quod liberaliter desideabat concedere, intuitu precum largiretur. Sæpe enim Deus rogari desiderat, quod largiri, cupit. Ob hoc memoriale gemmarum in pectore Sacerdotis pendebat, cùm ingrediebatur sanctuatium; vt tacite preces effunderet coram Domino Patriarcharum nomina proponens. Nam quantumuis Deus summam curam haberet subueniendi populo: tamen gemmarum illa- 4. Reg 2. n. 14. Ibid. n. 15. Abulens.

rum

rum (in quibus nomina filiorum Iacob erant sculpta) recordatione quasi obstringi voluit ad subueniendas populi necessitates, veluti desiderans rogari, vt concederet, quod elargiri cupiebat.

Vers. x x x. Pones autem in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. PRÆFATA verba Expositorum ingenia maxime torserunt; quapropter in eorum expositione in varias sententias diuisi sunt: Nam vbi Hebræa. Vulgata editio habet: *Pones autem in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem*; Translatio ex Hebræo Sanctes Pagnini legit: *Et pones in Pectorali iudicij Vrim, & Thumim.* Sanctes Pagninus. Septuaginta transtulere: *Et impones super Rationale iudicij demonstrationem, & veritatem.* Septuag. Paraphrasis Chaldaïca: *Pones in Rationali iudicij Vrim, & Thumim.* Chaldaic. Philo Hebræus lib. quæst. legit: *Claritatem, & veritatem.* Philo Hebr. Augustinus quæst. 137. in Exodum, & Chrysostomus aduersus Iudæos oratione 3. sequuntur translationem Septuaginta Interpretum. August. Chrysost. Arias Montanus de vestitus Aaronis legendum putat: *Haurim, & Hathumim, id est, inflammationes, illuminationesque, & perfectiones, atque simplicitates.* Arias Mont.

2. *Quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Id est, doctrina, & veritas fuerunt super pectus Aaron: nam Rationale super pectus pendebat: ergo ibidem etiam doctrina, & veritas. *Quando ingredietur coram Domino:* id est, in tabernaculum primum; nam in sancta sanctorum nunquam ingrediebatur his vestibus, vt supra versu 4. quæst. 8. Quando ingrediebatur in tabernaculum primum, hoc est, in sanctuarium, dicebatur stare coram Domino, quia ibi Deus specialiter colebatur; & ibi Deus specialiter assistit, vbi specialiter colitur.

3. *Et gestabit iudicium filiorum Israël:* id est: Rationale iudicij per quod iudicabantur quæstiones filiorum Israël. *In pectore suo:* id est, supra pectus suum; vnde hic ornatus ab Hebræis dictus fuit Pectorale. *In conspectu Domini*: id est, intra tabernaculum: non tamen in omni loco tabernaculi, quia Pontifex in sancta sanctorum non introibat indutus Rationali, & superhumerali. *Semper:* non denotat in omni tempore absolute, sed semper cùm ingressus fuerit in tabernaculum primum, tenebatur portare doctrinam, & veritatem.

QVÆSTIO XXIII. Litteralis.

Quid per doctrinam, & veritatem; aut per Vrim, & Thumim sit intelligendum?

DIfficillima res est, quam scrutamur: sic iudicauit Augustinus quæst. 117. in Exodum. Caietanus negat hactenus quemquam, quid illa sit explicasse. Rabbini fatentur summam esse apud suos harum rerum ignorantiam. Verum, vt clarius procedamus in re abditissima, certa ab incertis separanda sunt. Indubitatum debet esse; *Doctrinam, & veritatem* esse veram interpretationem illarum vocum *Vrim, & Thumim:* nam licet istæ voces diuersimode explicentur, tenenda est editio Vulgata. Hoc indubitatum est, non sic quæ sit propria ethymologia, *Vrim, & Thumim:* ac proinde liberum est ab vna, vel altera radice Hebræa has voces deducere. 4. August. Caiet. Rabbini.

Sunt, qui existimant, *Vrim* ortum ducere à *Iara*, quod est, *docere*; & *Thumim* ab *Amam*, quod est, *credidit*, aut nota asseuerantis: ac proinde nostrum Interpretem vertisse, *Vrim*, id est, *doctrinam*; & *Thumim*, id est, *veritatem*. Ita docuere Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 3. Alij, *Vrim*, ab *Or* deducunt, quod est, *Lux:* & quia omnis doctrina lux est, per *Vrim*, quod est ad verbum, *Luces*, & *illuminationes*, doctrinam legerunt: *Thumim* à *Thamam*, quod est perficere, complere, integrare: ob idque nostrum Interpretem sequendo magis sensum, quàm verba, pro *Thumim* vertisse *veritatem*: nam quod perfectum, & completum est, verum appellamus. Ita aliqui apud Martinum del Rio lib. 4. disquis. Magic. cap. 1. quæst. 2. sect. 1. Sopranis disgress. 1. de re vestiaria Iudæorum, §. 9. Cornel. à Lapide ad præfata verba Exodi. 5. Bellarm. M. del Rio. Sopranis. Cornelius.

Alij tandem, quid per *Vrim*, & *Thumim* explicari possit, fatentur ignorare, retinent tamen hæc nomina inuariata, & pro doctrina, & veritate legunt, *Vrim*, & *Thumim*. Ita Caietanus, & Lyppomanus ibidem. 6.

Huc vsque de nominibus *Vrim*, & *Thumim* egimus: nunc agamus iam de re. In hac quæstione mira est glossantium varietas: nec miror, cùm res sit abditissima. Prima ergo sententia tenet: per doctrinam, & veritatem intelligi quasdam laminas, quæ ponebantur in plicatura Rationalis, & rei euentum exponebant Quod fieri hoc modo, dicebant. Sacerdos scribebat in papiro quæstionem, & ponebat inter illas laminas, adiunctaque oratione, solutionem quæstionis inscriptam in illa charta inueniebat. Ita Rabbi Salomon, & Rabbi Abraham Abenezra, vt refert noster Abulensis hîc quæst. 15. Hanc sententiam quæst. sequenti refellemus. 7.

Alij (vt refert Ioannes Haye ad cap. 28. Exodi, num. 30.) per *Vrim*, & *Thumim*, intelligunt idola quædam, aut simulachra, quibus futura 8.

futura prænunciabantur. Idque probant ex
Oseas 3.n.4. Osea cap. 3. num. 4. vbi cum filiis Israel extremam vastitatem vsque ad Christum duraturam comminatetur, dicitur: *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim.* Vnde inferunt nomen *Theraphim* coniunctum Ephod Rationale iudicij, vel aliquid aliud pertinens ad illud significare, scilicet, *Vrim, & Thumim*, qui erant in Rationali. Confirmant hoc, quia apud septuaginta interpretes Exod. 28. & alias vbi ea nomina inueniuntur, legitur: *manifestatio, aut perspicuitas, & veritas*, & idem Septuaginta in loco Oseæ nuper relato pro, *Theraphim* legerunt *manifestationes:* volentes intelligere per *Theraphim* idem quod per *Vrim* & *Thumim*, quibus futura manifestabantur. *Theraphim* enim vt docent
Saa. Menochius. Saa, Menochius, & alij, erant imagunculæ, seu idola, quæ interrogata respondebant voce manifesta. Quia ergo Deus voluit populum illum ablactare, & à ritibus gentium, & dæmonum cultu suauiter auocare, sicut reliquit eis tam varia sacrificiorum genera, quæ prius dæmoni exhibebantur, & postea Deo præstabantur; ita modos illos admirandos, quibus dæmones se hominibus admirabiles ostendebant, prædicendo futura, & occulta reuelando, conseruauit Israelitis; sed per Deum ipsum, & in illius honorem huiusmodi erant oracula, sortes, omina, ostenta, & visa Prophetica, & in his numerantur *Theraphim*, pro quibus dedit *Vrim, & Thumim*, sed medio summo sacerdote, vt occasio plebi ignoranti remoueretur, vtendi idolis, & ea colendi. Erant ergo iuxta istos auctores duo paruula simulachra affabre facta, vel Dei manu, quæ ferebat sacerdos inter plicas Rationalis, & quoties aliquid erat interrogandum efferebat, & per illa Deus, vel angelus nomine Dei clare, & perspicue quid agendum, quidve non, respondebat, & propter sermonis perspicuitatem, quo manifestabantur responsa & propter veritatem dicti, aut promissi certo complendi, vnum dicebatur *Vrim* hoc est, illuminationes, & perspicuitates; & alterum *Thumim*, id est, consummationes, completiones, & veritates, quo de responso complendo certiores redderent interrogantes. Dum autem Pontifex ea idolula ostendebat, verisimile est, ea micare, aut coruscare solita ad captandam populi attentionem, & ad ingerendam admirationem, vt populus Deo per deuotionem coniungeretur tanquam tantorum miraculorum auctori.

9. Haye. Hanc sententiam reiicit idem Haye loco citato his verbis, sed quis dixit, *Vrim*, & *Thumim* substituta à Deo loco *Theraphim* ex illa auctoritate Oseæ? nam sermo est in eo de his, quæ ad falsum Deorum cultum pertinebant. Per *Vrim* autem & *Thumim* Deum consultum, & per ea respondere solitum, quis nescit? tum cum populus ad idololatriam propensissimus fuisset, si hæc duo fuissent simulacrha, quibus oracula à Deo dabantur, sane illa credidisset quædam numina, quibus adorationem latriæ exhibuisset: sic enim falsis simulachris, quæ ab ipso colebantur, edebat sua dæmon oracula, & responsa.

10. Secunda sententia asserit per *Vrim*, & *Thumim* nihil aliud intelligi, quam duodecim lapides Rationalis, sic sensit Iosephus libro 3. Antiq. capite 12. qui cum dixisset, sardonychem, qui dexterum Pontificis ornabat humerum luces emittere in signum, quod adesset Deus sacrificiis, qui splendor aduentitius erat sardonyci, addit tanquam mirabilius quod sequitur. *Per duodecim vero lapides, quos supra pectus Pontifex in Essim sutos, id est, in Rationali portat, victoriam pugnaturis Deus prænunciabat. Tantus enim splendor fulgebat in eis, cum nondum exercitus moueretur, vt omni fieret multitudini manifestum, eorum auxilijs adesse Deum. Vnde Græci, qui nostras solemnitates honorant, eo quod nihil in his contradicere valeant, Essim Rationale vocant. Cessauit itaque & Essim, & sardonyx splendescere annis ducentis antequam ego hæc scriberem, cum Deus moleste ferret transgressiones legum.* Iosepho assentitur noster Tostatus, quæstione 16. dum ait: *id autem, quod dicit Iosephus, scilicet, quod emicabat fulgor ex illis lapidibus ad iudicanda dubia multum consonat littera Hebraica, quæ dicit Vrim & Thumim id est, luces, & integritates, scilicet quod ab illis lapidibus luces fundebantur.* Idem docuerunt Lyranus, Lyppomanus ibidem, Ribera de vestibus Aaronis lib. 3. cap. 12. Oleaster hîc, Martinus del Rio loco citato, Mendoza tom. 1. Reg c. 2. num. 36. annotat. 24. circa litteram, sect. 4. numero 25. & alij quatenus asserunt per duodecim lapides Deum Prospera, vel sinistra populo prænunciasse. Probant primò hanc sententiam ex eo quod Leuit. 8. num. 8. vbi Pontifex suo ornatu Pontificio vestitur nulla duodecim gemmarum fit mentio, sine quibus ornatum Pontificalem non haberet sacerdos, sed loco earum ponebatur doctrina, & veritas. Nam loquens sacer textus de superhumerali sic ait: *quod astringens cingulo aptauit Rationali, in quo erat doctrina, & veritas*, in Hebræo est: *Vrim, & Thumim*. Ergo ex eo est, quia per *Vrim*, & *Thumim* duodecim gemmæ intelligebantur. Quæ quia perlucidæ, & refulgentes erant, dictæ sunt non solum splendidæ, & lucentes, sed splendores, & illuminationes, *Vrim*: & quoniam selectissimæ, integerrimæ, & perfectissimæ ex illis generibus gemmarum, non solum perfectæ, sed perfectiones, *Thumim* nuncupatæ fuere; ea emphasi, qua solent Hebræi, & Latini abstracta pro concretis vsurpare.

Iosephus. Abulensis. Lyra. Lyppoman. Ribera. Oleaster. Mar. del-Rio Mendoza. Leuit. 8. n. 8.

11. Secunda ratio, qua præcedens sententia fulcitur est desumpta ex cap. 35. Exod. vbi narrat scriptura executioni mandatum, quidquid Deus circa ornatum & vestes Pontificis fieri, Moysi Deus præceperat; & tamen nihil de *Vrim*, & *Thumim* scriptum est. Ergo ex eo fuit, quia duodecim gemmis Rationalis comprehendebantur. Huic rationi nititur Ribera.

Ribera.

12. Oleaster licet huic sententiæ consentiat, alia ratione eam confirmat. Quia *Vrim* est plurale, cuius singulare est, *vr* quod ignem significat, flãmam, seu lucem. Vnde *Vrim* significat ignes, flammas, seu luces, aut illuminationes, quæ mirificè duodecim gemmis aptantur. Per *Thumim* intelligit perfectiones, & completiones à *Thamam* quod est perficere: quod multis probat. Vnde concludit, per *Thumim* nihil aliud

Oleaster.

intelligi, quàm completum numerum lapidum, seu loca impleta lapidibus: ac si diceret sacer textus: dabis ad Pectorale iudicij, seu admonitionis *Haurim*, id est, splendores, seu lucentes, aut flammantes lapides: perfectiones, seu completiones lapidum, aut completos, & perfectos lapides. Confirmat hoc, quia Exod. 25. num. 7. huiusmodi lapides iuxta Hebræum vocantur, *Milluim*, id est, lapides plenitudinum, seu completionis, quia complerent totum Pectorale. Ergo *Vrim*, & *Thumim* non est quid distinctum à duodecim lapidibus Pectoralis. Hæc sententia impugnabitur infra in prima conclusione.

13. Caietanus

Caietanus hic aliquo modo huic sententiæ assentitur, quatenus asserit, per *Vrim*, & *Thumim* non intelligi aliud, quam accommodationem quandam Pectoralis pectori Aaronis; vt *Vrim*, id est vt luces clare possent videri, vt nullo tegmine, nulla ruga pars eius aliqua lateat, aut obtenebretur: & *Thumim*, hoc est, perfectiones, vt totum Rationale, & quælibet eius pars disponatur ita recte, & commensurate relatiue ad brachia, barbam, catenas, laqueos, & baltheum, &c. vt clarè pateat absque aliqua ruga, aut tegmine. Sententiæ Caietani non assentior, ex eo quod Rationale erat iam catenulis, vittis hyacinthinis, & annulis aptatum superhumerali, quando Deus iussit Moysi, vt poneret in Rationali doctrinam, & veritatem. Ergo *Vrim*, & *Thumim* aliud indicabant.

14. Rab. Salom.

Succedat tertia sententia, quam (vt testantur Lyranus, & Eugubinus hîc) tenuit Rabbi Salomon affirmans his nominibus, *Vrim*, & *Thumim* Dei nomen Tetragramaton atque ineffabile יהוה *Iehouah* pro quo *Adonai* significari.

Eugubinus. Vatablus.

Hanc interpretationem sequitur Eugubinus citatus: quam sic refert, & explicat Vatablus: intra Pectorale erat scriptura quædam, quæ complectebatur nomen Dei Tetragramaton יהוה quæ dicebatur *Vrim* & *Thumim*. Hoc autem nomen יהוה *iehouah* Trinitatis mysterium continet, vt veteres Iudæi qui Christum præcesserunt, dixere in suis traditionibus. Nam per י *iod* intelligitur Pater, qui est principium, & origo omnium rerum. Per ה *he* Filius per quem omnia, quæ facta sunt esse cæperunt. Per ו *vau* quæ est coniunctio copulatiua intelligitur Spiritus sanctus, qui est amor, & nexus vtriusque, & ab vtroque procedit. Geminatur autem ה *he* propter duplicem naturam, quæ est in Christo. Per primum ה *he* natura diuina intelligitur: per ה *he* postremum natura humana. Hoc nomen יהוה *iehouah* dicebatur ab Hebræis *semmephoras*, id est, nomen expositum, seu declaratum. Exponebatur ab eis per nomen duodecim litterarum. *Abben, ve Ruachhacados*. Hoc est, Pater, Filius, & Spiritus S. Item per nomen quadraginta literarum. *Ab Elohim, ben, Elohim, Ruachhacados Elohim, seloſabe echadbe seloſaph*, id est, Pater Deus est: Filius Deus est: Spiritus S. Deus est: tres in vno, id est, in vna substantia, vnus, id est, vna essentia in tribus. Hæc autem scriptura nominis Dei יהוה dicebatur, *Vrim*, & *Thumim*, id est, illuminationes, & perfectiones, quod ex huius Trinitatis intellectu mens illuminetur, & perficiatur. Hæc fere ex Rabbi Salomone, ita Vatablus vt refert Barradas tomo secundo, libro tertio, cap. 46.

15.

Quarta opinio docet, Vrim, & Thumim fuisse opus ex incognita materia, non hominum artificio, sed diuinitus elaboratum, & datum Moysi, vel eo tempore, quo lex, & tabulæ datæ fuerunt, vel eo, quo perfectus fuit ornatus sacerdotis, ita sensit Montanus in lib. de vestibus Aaronis. Idem docuerat Seuerianus in catena Græca dum hæc expendens sic exscripsit. *Recte, inquit, impones, non autem facies, perinde ac de aliis iubetur. Non enim hæc pertinent ad artificium aliquod; sed neque Dominus admonuit, quibus doctrina hæc, & veritas conficienda erat.* Quod etiam expendit Montanus: nam de aliis ornamentis ait sacer textus: *& fecerunt, & inscripserunt, & inciderunt*, &c. in hoc vero legitur rei arcanæ commemoratione: *& pones*, &c. siue vt est in Hebræo; *& dabis in Rationali iudicij Vrim, & Thumim*, & Leuitic. 8. num. 8. *dedit ad Rationale Vrim, & Thumim*, id est, indidit ad Rationale. Ergo *Vrim & thumim* inserebantur inter vtramque partem Rationalis, ibidemque seruata pectori hærebant sacerdotis, indeque proferebantur quoties diuinum responsum petendum erat. Materia *Vrim, & Thumim* ignoratur, sicut illorum lapidum, qui à Deo Moysi dati fuerunt primitus; & illius ignis, qui prima Aaronis procurantis sacra corripuit, quem etiam per totos Septuaginta annos à Ieremia absconditum perdurasse auctores tradunt. Nihilominus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 10. & Forerius super caput 24. Isaiæ vers. 15. existimant duos esse lapillos ad eum finem à Deo datos, & comparatos, vt futura prænunciarent, qui inserebantur intra plicas Rationalis, & inde efferebantur ad interrogandum Deum.

Montanus. Seuerianus. Leuit. 8. n. 8 Isid. Pelusiot. Forerius.

16.

Quinta sententia asserit, *Vrim*, & *Thumim* fuisse adamantem, qui cum Pontifex ingrederetur in sancta sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigrescebat; si vero Deus illum punire decreuisset, sanguineo colore radiabat; sin autem albescebat vt nix, atque tempore Zachariæ patris Baptistæ insigniter splenduisse. Ita docuerunt Epiphanius, Anastasius Nizenus, quæstione trigesima octaua in sacram scripturam. Guillielmus Durandus in Rationali libro tertio, capite decimo nono, Cassanæus 1. part. conc. 3. Huc accedere potest, quod Docuit Procopius in Deuteron. 33. *Inter duodecim lapides in Pectorali positos erat claritas & veritas per alios duos lapides repræsentata.*

Epiphanius. Anast. Nizen. Guil. Duran. Cassanæus. Procopius.

17.

Diuus Augustinus quæstione centesima decima septima in Exodum hanc sententiam, & Iosephi relatam, numero decimo his verbis reiicit: *Fabulantur quidam* (loquitur de demonstratione, & veritate Rationalis) *lapidem fuisse cuius color siue ad aduersa, siue ad prospera mutaretur, quando sacerdos intrabat in sancta: & hoc esse, quod ait, & afferet Aaron iudicia filiorum Israel super pectus suum: ostendens videlicet in illa demonstratione, & veritate, quid de illis iudicauerit Dominus; quanquam posset intelligi demonstrationem, & veritatem litteræ impositam super legion.*

Augustinus.

Solum

18. Solum supereſt, vt noſtram mentem aperiamus. Dico ergo primo, doctrinam, & veritatem; *Vrim, & Thumim* eſſe quid diſtinctum à duodecim gemmis Rationalis. Hanc ſententiam quodammodo inſinuat Auguſtinus loco proxime citato dum ait: *quanquam poſſet intelligi demonſtrationem, & veritatem litteris impoſitam ſuper logion.* Si ergo doctrina, & veritas litteris impoſitæ erant: ergo & diſtinctæ à duodecim gemmis. Expreſſe eſt pro nobis Procopius citatus, n. 16. aſſerens eſſe duas gemmas à duodecim diſtinctas: his adde Iſidorum Peluſiotam citatum, n. 15. & Anaſtaſium Nizenum relatum n. 16. & alios aſſerentes fuiſſe adamantem. Expreſſius Cyrillus in expoſitione ſymboli Nizeni vbi ſic ait: *in pectore ſummi ſacerdotis fuere lapides duodecim, in quorum medio figuratum erat manifeſtatio, & veritas, duo iterum alij lapides. Caterum per hos duodecim Apoſtolorum chorus anigmatice demonſtrabatur, quaſi in circulo Emanuelem, qui eſt manifeſtatio, & veritas cingens.* Fauent etiam Philo lib. 3. de vita Moyſis. Rupertus, Hugo Cardinalis, & Victorinus hîc Radulphus lib. 6. in Leuit. cap. 1. D. Hieron. epiſt. 128. ad Fabiolam. Gregorius 2. part. Paſtoral. cap. 2. Rabanus, & Cornel. à lapide hîc. Alcazar. in Apocal. 1. notat. 7. Bellarmin. lib. 4. de Pontifice cap. 3. Sopranis digreſſione 1. §. 9. & alij quam plurimi, ratione confirmatur hoc placitum. Quia poſtquam Deus iuſſit poni in Rationali iudicij duodecim lapides pretioſos, poni etiam ſtatuit doctrinam, & veritatem; *Vrim, & Thumim.* Ergo ideo fuit, quia aliquid diſtinctum erat à duodecim gemmis: alias eſſet inanis repetitio.

Auguſtinus. Procopius. Iſid. Peluſiot. Anaſt. Nizen. Cyrillus. Philo. Rupertus. Hugo Card. Hugo de S. Victore. Radulphus. Hieronimus. Gregor. Raban. Cornel. à lap. Alcazar. Bellarminus. Sopranis.

19. Vidit Ribera huius rationis efficaciam, & eam eneruare conatur, dicens: Deum præcepiſſe prius poni in Rationali iudicij illas duodecim gemmas nominibus Patriarcharum fulgentibus: ſed deinde multis interpoſitis idem repetiit, non quia *Vrim, & Thumim* eſſent diſtincta, ſed vt oſtenderet, qua virtute pollerent: ac ſi diceret: iuſſi, vt in Rationali poneres duodecim gemmas; nunc iubeo, vt in eodem ponas *Vrim, & Thumim*, vt ex eo rerum futurarum prædictiones petas, & ſcias, poni hos lapides, vt per illos futura, & agenda vos doceam, quoties oportuerit.

Ribera.

20. Hæc ſolutio mihi non probatur. Primo: quia ſi eſſet vera, ſacer textus potius diceret: *in Rationali iudicij inuenies doctrinam, & veritatem, aut oracula, aut ſigna ad futura præneſcenda; quam pones in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Illo namque modo expreſſius ſignificaretur munus duodecim lapidum. Deinde: quia verbum illud: *pones*, vel vt eſt in Hebræo: *dabis*, denotat actionem ponendi, non cognoſcendi, vt per ſe patet. Ergo per doctrinam, & veritatem non intelliguntur duodecim gemmæ Rationalis ſecundum munus demonſtrandi futura, ſed aliquid diſtinctum. Præterea: quia particula illa: *autem*, cum dicitur: *pones autem*, &c. apertè ſignificat hic aliquid nouum, & diſtinctum à præcedenti, nempe à fabrica duodecim gemmarum.

21. Dico ſecundo: doctrinam, vel *Vrim*; & veritatem, vel *Thumim* in Rationali poſita nihil aliud fuiſſe, quam ipſa nomina *Vrim, & Thumim* litteris exarata: ac ſi diceret Deus: inſcribes in Rationali hæc duo nomina; *doctrina, & veritas*; *Vrim, & Thumim*: quemadmodum in tiara Pontificis inſcripta fuerunt duo verba: *ſanctum Domino*, vt patet infra vers. 36. Hanc ſententiam tenet Auguſtinus citatus, num. 17. Cyrillus relatus, numero 18. Salianus in annalibus anno mundi 2544. Moyſis 81. Cornelius à lapide citatus, qui pro ſe allegat omnes auctores, qui primam noſtram concluſionem defendunt. Haye hîc, & alij. Ratione roboratur hæc ſententia: quia hic eſt planus, & ſimpliciſſimus verborum ſcripturæ ſenſus, quæ vix alium patitur. Nam ſi Moyſes deſcripſerat iam duodecim gemmas Rationalis: quorſum paulo poſt eaſdem ſub obſcuris nominibus *Vrim, & Thumim* inculcaret.

Auguſtinus. Cyrillus. Salianus. Cornelius. Haye.

22. Solum ſupereſt præcipuis rationibus aduerſariorum ſatisfacere. Ad teſtimonium Ioſephi relatum, numero decimo reſpondemus cum Auguſtino quæſtione 117. citata fabuloſum eſſe, & eſtò demus Ioſepho, duodecim lapides fulgores, & luces emiſiſſe, ſignificaſſeque belli futurum euentum, aut in aliqua re id acciditſſe; non exinde ſequitur, *Vrim, & Thumim* fuiſſe duodecim gemmas Rationalis. Nam Ioſephus non nominat lapides illos radiantes *Vrim, & Thumim*: ſicut neque abnuit, *Vrim & Thumim* inſcripta fuiſſe in Rationali. Rectè enim inter ſe cohærere poteſt, *Vrim, & Thumim* inſcribi vt indices miraculi, ſeu oraculi, quod per lapides, eorumque fulgorem dabatur.

23. Ad primam rationem à Ribera adductam, n. 11. nempe quod Leuit 8. n. 8. cum de ornatu, & veſtibus Pontificis eſſet ſermo, nulla fit mentio duodecim gemmarum; quia *Vrim, & Thumim*, annumerantur, quaſi pro eodem vſurpentur: & ad ſecundam pro eodem Ribera, ſcilicet, quod Exod. 39. cum ornatus, & veſtes Pontificis referantur, nihil de *Vrim, & Thumim* ſit ſcriptum, quia cum duodecim gemmæ annumerentur, ſuperfluum eſſet ea aſſignare: reſpondeo, ideo vice verſa in his locis agi de duodecim gemmis, & de *Vrim, & Thumim*, non quia idem eſſent; ſed quia ſæpe in ſacra pagina quædam referuntur, quædam omittuntur. Nam multa, quæ in vno loco ſubticentur, ſupplentur in alio. Sic Exod. 37. n. 24. agitur de pondere candelabri: & ibid. n. 29. de compoſitione olei, & thymiamatis: Ex. 38 n. 6 de modo inſcriptionis nominum in lapidibus onychinis: Exod. 36. n. 33. de vecte medio: Exod. 39. n. 27. de coronulis mitræ: Exod. 38. n. 8. de ſpeculis mulierum, ex quibus factum eſt labrum æneum: ſimili modo Leuit. 8. n. 8. refertur *Vrim & Thumim*, & ſubticentur duodecim gemmæ, quæ Exodi 39. num. 10. explicantur. Apparet ergo ex his Riberæ rationes infirmas eſſe: quia quod in vno loco ſubticetur, ſupletur in alio.

24. Sed rogabis: quî fieri poſſet, vt in Rationali paruæ quantitatis eſſent duodecim gemmæ, & inſuper iſta nomina *Vrim, & Thumim*? reſpondeo cum Cornelio à lapide citato, hoc non fuiſſe difficile: quia Rationale tam in latitudine, quam in longitudine erat palmaris, vel habebat ſpithamam, id eſt, menſuram palmi. Ergo multo plures lapides capere poſſet.

QVÆSTIO XXIV.
Litteralis.

Quomodo Vrim, & Thumim fuerint in Pectorali exarata?

25. Bellarmin. BEllarminus lib.4. de Pontifice cap.3.putauit ſcripta fuiſſe *Vrim & Thumim* litteris aureis in medio Rationalis. Quia cum hoc eſſet in latitudine palmi ſatis ſpatij ſuppetebat, vt inter gemmas, quæ erant inſtar auellanæ maioris, poſſent depingi.

26. Cornelius. Haye. Cyrillus. Cornelius à lapide,& Haye citati aſſerunt, depicta fuiſſe in ipſo Rationali inter lapides opere Phrygionico, vel acu elaborata. Cyrillus relatus inſinuauit, inſcriptas fuiſſe in duobus lapidibus diſtinctis à duodecim gemmis.

27. Salianus. Salianus autem in annalibus anno mundi. 2544.Moyſis 81.num.543. putat hæc nomina ſcripta fuiſſe in lateribus potius dextero,& ſiniſtro, quam in ſuperiori, vel inferiori parte Rationalis. Nam cum rationale eſſet æquilaterum, ordo rectus minus occupabat ſpatij, quàm perpendicularis. In illo quippe terni erant lapides duntaxat; in hoc quaterni. In vno itaque latere ſcriptum erat, *Vrim*, in altero *Thumim*. Idque vel in tenui lamina vtrimque extenſa,vel ſine lamina opere plumario litteræ filis aureis ſcribi potuerunt. Hac figura ſuam mentem explicat Salianus.



Res hæc ſatis incerta eſt,ſed mihi veriſimilis videtur Saliani ſententia.

QVÆSTIO XXV.
Litteralis.

De vſu Vrim, & Thumim apud Hebræos.

28. NVlli quantunuis in ſcriptura parum verſato in dubio eſt, *Vrim, & Thumim* vſum deſeruiſſe ad oracula monſtranda. Hoc pluribus teſtimoniis ſacræ paginæ poſſem demonſtrare, ſed placet aliqua in medium adducere.

1. Reg.23. num.10. Sit primum ex illo. 1.Reg. cap.23.n.10.in quo refertur, quod cum Dauid reſciuiſſet, Saulem ei clam præparare malum,dixit ad Abiathar ſacerdotem. *Applica Ephod.*(loquitur de Ephod, cui coniunctum erat Rationale, in quo erat doctrina,& veritas)*& ait Dauid, Domine Deus Iſrael, audiuit famam ſeruus tuus,quod diſponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me Ceilitæ in manus eius? & ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? & ait Dominus: deſcendet,tradent*, vbi aperte per applicationem Ephod modo explicato Dauid expectauit reſponſum, & Deus dedit oraculum,& ibidem cap.30. num.7. *Applica ad me Ephod: & applicuit Abiathar Ephod ad Dauid: & conſuluit Dauid Dominum,dicens: perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? dixitque ei Dominus. Perſequere: abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Item Saul pugnaturus contra Philiſtæos, *conſuluit Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes,neque per Prophetas.*1.Reg. 28.num.6.& vbi ſacer textus habet:*neque per ſacerdotes*, legitur ex Hebræo: *neque per Vrim.* Eodem modo inuenitur apud Eſdram 1.cap.2. 63.*& dixit Atherſatha eis,vt non comederent de ſanctis ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos doctus, atque perfectus.* In Hebræo eſt: *donec ſurgeret ſacerdos in Vrim,& Thumim.* Id eſt,donec ſurgeret Pontifex,qui per Rationale,& *Vrim*,doceretur,perfecteque intelligeret à Deo, an illi, quorum incerta erat genealogia, habendi eſſent ſacerdotes,necne?vſus ergo *Vrim & Thumim*, vt ex præfatis teſtimoniis conſtat,erat ad diuina oracula in rebus agendis obtinenda: vt optime explicat Salianus citatus quæſt.præcedenti, non quia per *Vrim, & Thumim* tanquam per inſtrumentum,ſed tanquam per cauſam moralem, vel conditionem ſine qua non, fieret hoc genus reuelationis, quæ tamen aliquando non fiebat,vt patet 1.Reg.28.n.6.

ibid.30.n.7.

ib.n.28. n.6.

1.Eſd.2.n.63

29. Rabbini. Difficultas ergo in præſenti eſt, quo ſigno per applicationem *Vrim,& Thumim* Deus oracula pandebat?res eſt incerta. Rabbini vt vidimus q.23.n.4.putarunt,id factum fuiſſe miniſterio laminarum poſitarum in rationali: in illis,aſſerebant,proponi dubium, & in eiſdem poſtea reperiri reſponſum. Sed abſque fundamento, vt aſſolent, confingunt hoc Rabbini, reiiciturque à noſtro Abul.1.Reg.23.q.7.quia iſtæ laminæ non fuerunt deſcriptæ à Moyſe: neceſſe enim erat,vt Moyſes doceret, qualiter illas fieri oporteret:alias poſteri neſcirent modum,quo formandæ erant,& quæ litteræ in eis ſcribendæ. De his nec veſtigium eſt in ſacra pagina. Ergo abſque dubio eſt commentum Rabinorum.

30. Ioſephus. Anaſt.Nizen Procopius. Ioſephus (vt vidimus quæſt.23. num.10.) Procopius,Anaſtaſius Nizenus (eadem quæſt. 23. num.18. relati) rationem huius oraculi gemmarum ſplendoribus attribuunt. Verum quia ſpecialis eſt modus opinandi Anaſtaſij Nizeni,quæſt.38. placet eius verba referre, qui loquens de Rationali, ſic ait. *In medio quidem habebat tanquam auream ſtellam; ex vtraque autem eius parte duos ſmaragdos,quibus erant inſcripta duodecim tribus Iſrael: in medio autem duorum ſmaragdorum adamantem. Quando ergo ſacerdos erat Deum conſciſcaturus de aliquo capite; alligabat ipſum in ſuperhumerali in medio pectoris, & imponebat ſubter manus ſuas, & inueniebatur expanſa in palmis ſuis tanquam pyxidula, & aſpiciens ad Ephod, Deum conſciſcabatur: ſtatim autem fulgurabat adamas, & lucis eiaculantes emittebat radios, ſi autem Deo non placebat, manebat*

nebat lapis in suo ordine : si autem erat populum gladio traditurus, fiebat sanguinolentus : sin autem mortiferum erat euenturum, fiebat niger. Sententiam Iosephi fabulosam iudicauit Augustinus, quæst. 117. in Ex. vt vidimus quæst 23. num. 17. & impugnat Abulensis. 1. Regum. 23. quæst. 7. & quæst. 15. in cap. 28. Exod. Bellarminus, lib. 4. de summo Pontifice, cap. 3. Item eam refello: quia vt diximus in hac quæst. num. 28. Dauid quando Deum consuluit per Abiathar, vt apertè constat ex scriptura, verbis, & non scriptis consulebat ergo splendore gemmarum Deus non dabat responsa, sed verbis, vt ex testimoniis relatis constat.

31. Salianus. Salianus in annal. anno mundi 2544. Moysis 81. acriter pugnat contra sententiam Iosephi, eamque commentum putat, & meritò. Quia fulgoris gemmarum nullum est exemplum, nullus in tota scriptura locus in quo huius mirabilis fulgoris fiat mentio. Imo nec ipse Iosephus vllum protulit exemplum, in quo praxis huiusmodi fulgoris proderetur. Incredibile enim videtur, rem tam illustris prodigij, tamque ordinariam, ac pene quotidianam, si vera esset, nullo exemplo, nullo verbo tot sæculis prædicatam fuisse, sed opponit sibi ipse Salianus diuum Chrysostomum orat. 3. contra Iudæos in tom 5. celebrantem hunc gemmarum fulgorem futura prædicentem. Respondet tamen Chrysostomum Iudæos suis vrgere telis, & pro vero sumere, quod aduersarij dictitant, siue id verum, siue falsum sit. Non enim sentiebat, quod ipsi, sed ad hominem contra eos arguebat, quod non est inusitatum apud sanctos patres, cum aduersus hæreticos disputabant.

32. Rursus: quia vel hic fulgor fuit necessarius ad cognitionem alicuius rei, vel ipsi Deo, vel sacerdoti respondenti. Non primum: quia siue post studiosam hominum de subiecto negotio consultationem interrogaretur Dominus; siue sortitio aliqua fieret, vt significat Hugo de S. Victore; siue interrogaretur in charta, vt putarunt Rabbini; siue Pontifex cum Ephod. & Rationali gemmato post debitas preces viua voce Domino interrogata proponeret; nihil corruscatione opus fuit, aut vsus, vt per se patet. Neque ad respondendum: quia plerisque interrogationibus non poterat satisfieri simplici affirmatione, & negatione, sed pluribus, & diuersis verbis opus erat, quibus iste fulgor nullo modo satisfacere poterat, vt docet Serarius, quæst. 28. & in cap. 9. Iosue lib. 4. c. 1. quæst. 2. & patet in responsione Dauidi facta quærenti,

1. Reg. 5. n. 23 an contra Philistæos ascensurus esset. 2. Reg. 5. num. 23. *Non ascendes, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum, & cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philistim.* Quæ lapidum radiis hæc tam multa, tam noua, tam improuisa loqui non poterant. Sed respondebit aliquis, fulgoribus lapidum denotari responsum, quando affirmatione, vel negatione, exprimendum erat; secus autem cum opus erat multis verbis, vt in præfato loco. 2. Reg. sed contra est. Nam quid, si Deus respondere nolet, vt Sauli quærenti, an persecuturus esset Philistæos. 1. Reg. 14. n. 17. quo discrimine lapidum agnosci poterat, an negaret, rem esse faciendam, an plane nihil responderet? quapropter figmentum putamus fulgore lapidum Deum prædixisse futura. Vnde non solum sententia Iosephi reiecta est, sed etiam Anastasij Nizeni.

33. Sit ergo prima conclusio communis inter DD. sacerdotem post debitas preces indutum ornatu, & vestibus sacerdotalibus viua voce proposuisse interrogata, expectasseque à Deo responsionem. Ita sentiunt Lyran. Oleaster, & Cornel. hîc. Abul. vbi supra, Mart. del Rio, lib. 4. disq. Magica. c. 1. q. 2. sect. 1. confirmatur hoc placitum ex præfatis testimoniis. 1. Reg. 23. & 30. relatis supra, n. 28. ex quibus aperte constat, Dauidem per Abiathar viua voce Deum consuluisse.

Lyranus. Oleaster. Cornelius. Abulensis. Marti. del-Rio.

34. Secunda conclusio est, Deum ad interrogata per Pontificem ornatum, & indutum vestibus sacris respondisse per *Vrim*, & *Thumim*, hoc est, per sacerdotem sic ornatum. Quod factum fuisse ministerio alicuius angeli, putant Barradas tom. 2. lib. 3. c. 46. & aliqui, quos suppresso nomine citat noster Abul. hic. q. 15. vbi expresse affirmat, responsum dari viua voce. Martin. del-Rio citatus, & Sopranis de re vestiaria Iudæorum digressione 1. § 9. existimant, Dominum responsa, quæ consulentibus reddebat, sacerdoti suggessisse. Quod del Rio lumini prophetico à Deo infuso tribui, non iudicat absurdum. Idipsum tenet Ribera lib. 3. de vestibus sacerdotalibus. c. 12. n. 9. Corn. à lapide hic explicat causam (quam historicam, & litteralem ipse appellat) ob quam Deus responsa daret per sacerdotem summum Rationali, & *Vrim* indutum; scilicet, vt sacerdotij dignitas commendaretur populo, ex eo quod videret Pontificem edoceri à Deo de futuris enentis, & vice Dei oracula fundere.

Barradas. Abulensis. Martinus del Rio. Sopranis. Ribera. Cornelius.

35. Sed rogabis: ad quod tempus hoc oraculum perseuerauerit? Iosephus lib. 3. antiq. c. 9. vsque ad tempus Machabæorum, aut proximè eis succedentium asserit, sed communior sententia Hebræorum tenet, tunc cessasse *Vrim, & Thumim* cum destructum fuit templum Salomonis, sed circa hoc vide Galatin. lib. 4. c. 9. Genebrard. in chronolog. ad an. 3638. & Salianum, & anno 2544.

Iosephus.

EXPOSITIO AD MORES

ILLATIO CCXI.

Veritas obumbrari potest, extingui non potest.

36. POtentissima res est veritas, ideo multas à mendacio patitur insidias; sed terris nebulis sæpe circundata suæ pulchritudinis radios spargit, & tenebras vincit. Quid nitidius sole? Pater est lucis, & tamen aliquando ecclipsis patitur deliquium, inoffenso lumine natiuo. Audaci nube abscondi potest; at flamma illa lucens nec nubium obscuritate, nec imbrium profluuio extingui vale: nam radiis terebrans nubem, vaporem resoluit. Non aliter veritas nebulas quas inuidia maligna spargit,

reducit in nihilum. *Quod enim à Deo est* (ait Tertullianus Tertullianus libro de anima, cap. 41. agens de bono animæ) *non tam extinguitur, quam obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus, extingui non potest, quia à Deo est.* Solet inuidia iustorum virtutes obtenebrare, at eas extinguere non potest. Quod non inepte veritati creatæ accommodare possumus. Veritas creata obumbrari potest, quia non est Deus: extingui tamen non potest, quia à Deo est. Deus eam conseruat, qui aliquando permittit eam obscurari, vt clarius postea depositis tenebris eluceſcat.

37. Inter Iordanis vndas sistebat Christus, vt eas potius lauaret, quàm lauaretur ab eis: tunc æterni Patris vox insonuit dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth 3.n.17 Cyprianus. Matthæi 3. numero 17. Diuus Cyprianus de baptismo Christi præfata verba exponens, notanter exclamat. *Hucusque Domine, sancte Pater non audiuimus te loquentem, qui multifariam olim patribus locutus es in Prophetis. Teipsum non ita ante hoc tempus locutum audiuimus, vt personaliter tibi assignetur locutio, quam proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam, non est, qui ambigat: non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare, non est in cœlestibus agminibus, qui dominum Iesum audeat filium nominare.* Miratur Cyprianus Deum Patrem vsque dum suum Verbum in nostra natura in Iordanis vndis vidit, tacuisse, & eius æternam filiationem non proclamasse. Nunc sic inquiro: cur æternus Pater consubstantialem sibi Christum, æternumque suum filium appellat in Iordane? tacuisti, ô Pater luminum, vsque tunc: cur in Iordane clara voce intonas: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?* profecto, vt per diuinam filiationem omnibus innotesceret Christi sanctitas, & innocentia. Viderat æternus Pater Christum Dominum vndis Iordanis tingi, & ac si macula peccati sorderet, lauari in Baptismo: immunis erat ab omni peccato; tamen illo lauacro speciem peccatoris præseferebat. Quid tunc Pater velut impatiens, quod filij innocentia ab hominibus (licet falso) iudicari posset indigens baptismo? exclamat dicens, hic est Filius meus dilectus, vt exinde neminem lateret, Christum omnis peccati fuisse prorsus incapacem. Veritas innocentiæ Christi vndarum tenebris obscurabatur: ne ergo tanta veritas sepeliretur in vndis, exclamat Pater dicens, hic est Filius meus, vt potius aquam lauari sanctitate Christi, quam lauare intelligatur sacrosanctum corpus, vt Petr. Damas. Cardinalis Damianus sermone 2. de beato Ioanne notauit his verbis. *Iordanis vnda magis est lota, quam lauit.* Pater ergo, qui vsque tunc tacuerat, vocem emittit, ne tanta veritas homines subterfugiat. Item Spiritus sanctus, qui veritatis spiritus est, in columbæ specie descendit, vt suspicio, quàm homines de Christi innocentia habere possent ex lauacro pœnitentiæ, penitus aboleatur. Deus enim, qui aliquando permittit, veritati tenebras obduci, non finit, eam penitus extingui.

38. Matthæi 17. numero 4. Petrus contemplans in monte Christi claritatem ait *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Vbi notauit Marcus capite 9. numero 6. quod Marc 9. n. 6. Petrus, *non sciebat, quid diceret.* Sed videamus, in quo errauit Petrus, vt inscitiæ notetur à Marco? Petrus namque sibi, noluit, construere tabernaculum, sed Christo, Moysi, & Eliæ. In quo ergo errauit? Origines homilia 6. in Leuit. Origenes. hanc causam adducit. *Petrus cum vellet ea tria facere tabernacula, imperitiæ notatur, tanquam qui nesciret, quid diceret. Legi enim, & Prophetis, & Euangelio non tria, sed vnum est tabernaculum, quod est Ecclesia Dei.* Per Moysem lex; per Eliam Prophetæ; per Christum Euangelium designabatur. Notatur ergo Petrus imperitiæ; quia legem, & Prophetas separare voluit ab Euangelio. Sed adhuc vrgeo, quid intererat, quod à lege, & Prophetis separetur Christus? non parum. Nam si inter legem, & Prophetas, & Christum esset diffidium, hoc est, si cum Christo, & Euangelio non concordarent; cum Christus sit suprema, & infallibilis veritas, periclitaretur, quam docuerant lex, & Prophetæ, vtpote separata à prima veritate. Ne ergo legis, & Prophetarum veritas pateretur discrimen, deneget Christus tabernaculorum diuisionem, & Petrus eam desiderans arguatur inscitiæ, vt veritas legis, & Prophetarum inconcussa persistat. Hoc innuit idem Origines relato loco dum ait. *Moyses, &* Origenes. *Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria; vt scias, quia lex, & Propheta, & Euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanent.* Cum Christus non venisset soluere legem, sed adimplere: si lex, & Prophetæ: Moyses, & Elias separarentur à Christo, Iudæorum calumnia, qua Christum contra legem docere, malitia, & inuidia ducti putabant, firmaretur. Conabantur Christi doctrinam obtenebrare: vt ergo Christus eos conuincat falsitatis, & malitiam eorum aperiat, adsit in gloria cum Moyse, & Elia, vt innotescat, quod Deus, qui permisit, Christi veritatem calumniarum nebulis offendi, extingui nunquam permittet.

Proiecerat Moyses, iubente Domino, in terram virgam, quam manu tenebat, & versa est in colubrum. Mirabile hoc: sed mirabilius, quod sequitur: *& tenuit* (intellige serpentem) *versaque est in virgam.* Exod. 4 numero 4. Nota Exod. 4. n. 4 huius virgæ varias transformationes. Nam conuertitur in colubrum; & iterum ex serpente in virgam transmutatur. Cur ita? vt ostendat Deus veram esse virgam, quæ versa fuerat in serpentem: quasi non patiens, quod virgæ natura serpentinum includat venenum. Expendamus amplius virgæ Moysis virtutem, vt exinde fortitudinem veritatis explicemus. Certamen iniit hæc virga in conspectu Pharaonis cum virgis Magorum eius. Proiecit Aaron virgam, & versa est in colubrum: similiter incantatores suas virgas proiecerunt in terram, & versæ sunt in dracones; at virga Aaron deuorauit virgas eorum, quæ rursus cõuersa est in virgam, vt constat Ex. 7. n 15. vbi dicitur: *& virgam* Exod 7 n. 15. *quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua.* Vbi notatu dignum est, virgam Aaronis pristinam recuperasse naturam, secus autem Magorum virgas: nam illa cum adhuc serpens esset istas deuorauit. Origenes hom. 13. in Numeros

39.

expen

expendit: cur incantatorum Virgæ, quæ versæ fuerant in dracones, in hoc statu deuoratæ sunt, & iterum in virgas non sunt conuersæ?

Origenes. Respondet Adamantius. *Potuit ex virga* (loquitur de dæmone cuius iuuamine malefici Pharaonis virgas suas in dracones conuerterunt) *facere serpentem, virgam vero reddere ex serpente non potuit: & ideo consumuntur omnes ex ea virga, quæ Dei virtute versa fuerat in serpentem. Postea vero per diuinam virtutem naturæ suæ redditur, vt naturæ dominum fateretur.* Quod est dicere: potuerunt incantatores, vt instrumenta mendacij, arte Magica virgas in dracones mutare; at non valuerunt dracones iterum in virgas conuertere: hoc enim solum virtute diuina fit. Nam si illi virtute dæmonis, & cooperante mendacio virgarum naturam transmutarunt, quid mirum, quod non possent & eis veram restituere naturam? Multi sunt, qui affirmant, dracones illos, in quos versæ fuerunt Magorum virgæ, non veros, sed apparentes fuisse. Sic Nissenus. Prosper. 1. part. de promiss. cap. 15. Iustinus in

Tertullian. quæstion. Orthodox. q. 26. Rupert. Tertullian. lib. de anima vbi ait. *Solent dæmones phantasmata præstare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniunt: sed Moysis veritas, mendacium eorum deuorauit.* Deuorati ergo sunt dracones, quia fictitij, & ab auctore mendacij apparenter formati: at virga Aaronis vere à Moyse versa fuit in colubrum virtute Dei, à quo omnis veritas dimanat. Prævaluit ergo hæc contra illas, & pristinam naturam recepit, vt veritas Moysis, quæ Magorum incantationibus, & præstigiis apud eosdem mendacij patiebatur speciem, cum similiter virgas conuertissent in serpentes, postea cum non valerent, serpentes conuertere in virgas, falsitatem Magorum superaret. Deus enim, qui permisit veritatem Moysis obscurari, non permisit, extingui: ideo eius virga incantatorum virgas vicit; vt aperte constaret discrimen inter vtrasque virgas, & inter veritatem, & mendacium.

40. Adhuc pro veritate pugnans dicendum existimo, tantam esse veritatis vim, vt pereuntibus dicentibus vera, non intereat veritas. *Apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Matth. 17. num. 3. sed cur hi potius

Matth. 17. num. 3. quam alij ex antiquis patribus? Vt ostenderet Christus, quod licet Moyses iam vitæ curriculum peregisset, & Elias in locum longe dissitum translatus, veritates, quas docuerant miram cum Euangelio habere consonantiam, & semper persistere. Tanta enim est veritatis virtus, vt semper viuat, etiam dicente mortuo, vel translato; semper vincat; & si obscurari possit, extingui non valeat.

41. Doctrina, & veritas Rationalis ornabat pulchritudinem; *Pones in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Sed cur doctrinæ veritas adiungitur? vt doctrina ex consortio veritatis inconcussa maneat. Obscuratur sæpe doctrina argutiis, & Sophistarum nebulis: extingueretur enim, ni veritatem haberet sociam. Veritas ergo est, quæ doctrinam defendit, & ornat. Pulchre hoc dixit

Isidor. Pelusiot. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 64. *Veritas omnibus artibus, & disciplinis ornamentum affert, quæ si absit, omni ornatu, & elegantia carent doctrinæ.* Merito ergo in Rationali veritati associatur doctrina, vt hæc non pereat, tanto fulcita patrocinio. Adsit veritas, & secura est doctrina: desit veritas, & doctrina peribit.

ILLATIO CCXII.

Non docet secundum veritatem, qui non operatur, quod docet.

MEntitur, qui aliud in corde retinet, aliud exprimit voce. Intelligere vnum, & aliud proferre mendacium est: nam mentiri, est contra mentem ire. Est etiam mendacium in operibus, sicut in verbis. Opere enim mentitur, qui aliud quam intelligit, operatur. Ergo qui docet bonum, & mali est auctor, opere ipso mentitur: qui autem operatur quod docet, verax est; nam opera doctrinæ correspondent. Vetetes (vt refert Pierius lib. 54.) veritatem pingebant quasi malum Persicum, cui folium vnum adhærebat. Pomum enim Persicum simile est cordi: folium huius arboris simile est linguæ. Denotabant in hoc, quod sicut pomo folium adhæret; ita cordi adhæreat lingua, & vita; idque tantum proferat sermone, & operibus, quod continetur in corde, non aliud quippiam falsum, & mentitum. 42. Pierius.

Quam verax Deus vndequaque sed in dicendo, & dirigendo populum, Dauid explicuit Psalm. 77. num. 72. Prædicauerat, num. præcedenti, se electum fuisse à Deo, & sublatum de gregibus ouium, & de post fætantes acceptum, vt pasceret, & regeret populum Israël, & subdit: *Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Euthymius ibidem legit: *Et in intelligentias manuum suarum.* Sed inquiro: manus ne habent intellectum, vel gaudent intelligentia? Manus tangit, non intelligit. Quomodo ergo concinit Dauid, deduxisse populum in intellectibus manuum suarum? Euthymius citatus sic respondet. *Per manuum intelligentias ipsas actiones intelligit ratione dispositas, quibus summa cum prouidentia populum dirigebat.* Verum est, manus non intelligere, tamen quodam modo gaudent intellectu, dum, quod ratio dictat, exequuntur. Nam manus, quæ executioni mandant aliud, quàm dictat intellectus, intelligentia carent. Intellectus, & manus mutuo debent sibi correspondere: ita vt sicut intellectus est in manibus dirigens earum actiones, manus in intellectu sint, vt actiones, & intellectus inseparabili societate copulentur. Sic enim veritas erit in intelligendo, mendaciumque aberit in operando. Nam intelligere vnum, & aliud operari, non est veritas, nec in intelligendo, nec in operando. Ob hoc dicebat S. Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio, cap. 14. *Res quidem sancta scientia est, si diligendo operatur, quod nouit. Per se enim non sufficit; non solam scientiam à domino poposcit Propheta, sed bonitatem, & scientiam doce me.* 43. Psalm. 77. num. 72. Euthymius. Laurent. Iustinian.

Est ergo bonitas, & scientia idem quod veritas, & doctrina.

44. 4 Reg. 17. refert sacer textus filiorum Israël ingratitudinem: nam cùm eos Deus eruisset è dura Pharaonis seruitute, & sicco pede diuiso mari transineassent; deindeque cælesti alimonia aluisset, terræque promissionis vrbes subiugasset eis; aliaque innumera beneficia contulisset; Deos coluerunt Gentium ædificantes sibi excelsa in cunctis vrbibus suis, & statuas, & luculos in omni collo sublimi, & alia plena abominatione. Quid tunc? *Testificatus est Dominus in Israël* (ibidem num. 13.) *& in Iuda per manum omnium Prophetarum, & videntium dicens: reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & cærimonias iuxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris, & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum Prophetarum.* Bis repetit sacer textus, Deum suum populum admonuisse per manum Prophetarum. Sed quomodo facta fuit admonitio per manum Prophetarum? Noster Abulensis ad hæc verba, quæst 7. sic respondit: *Dicitur per manum, id est, per os Prophetarum, quia per manum non fit admonitio.* At responsio Tostati difficilius reddit dubium. Nam qua ratione ductus, putare, potuit, per manum os Prophetarum intelligi. Quàm profundè! Quia Propheræ docebant populum: vnde Doctoris manus quasi indistincta ab ore reputatur, dum id, quod isto docet, illa exercet. Fidelissimum est doctoris munus: quare quod ore docet, opere tenetur adimplere. Meritò ergo docet Abulensis per manus Prophetarum ora intelligi, vt quàm fideliter, quam veraciter muneri suo satisfecerint, ostendat, siquidem ita docebant, vt oparentur, & ita operabantur, vt docerent,

4 Reg. 17. num. 13.

Abulens.

45. Quam sonora sit hæc vocum, & operum harmonia, & quàm gratè diuinis auribus modulatur, satis superque ostendit Christus cum triumphali pompa ingressus est Ierosolimam. Matth. 21 num. 8. & 9. *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebãt, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio Dauid.* Id ipsum refert Marcus cap. 11. num. 8. & quàm læto animo Christus istam acclamationem susciperet, explicuit Lucas cap. 19. num. 39. vbi cum quidam Pharisæi liuoris veneno infecti petiissent: *Magister increpa discipulos tuos.* Ait illis Dominus: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Vide qualiter Christus Dominus hîc non solùm non respuit regis acclamationem, verumetiam maximi habuit. Non sic se gessit Iesus cùm in monte stupente natura quinque panibus, & duobus piscibus innumeram saturauit multitudinem. Nam cum illæ turbæ, beneficij tanti non immemores, Christum non solùm acclamatione, sed diademate superposito vellent rapere in regem; *fugit iterum in montem ipse solus.* Ioann. 6. num. 15. Ex his iam dubium non leue se offert. Inquiro: cur Christus illic tanti fecit regis acclamationem in torius ciuitatis conspectu; hîc autem in solitudine constitutus oblatam coronam spernit, & fugit in solitudinem interiorem? Si in ciuibus Ierosolymæ vidit acclamationem, & affectum, etiam præuidit in turbis iam saturatis. Quare ergo illorum admisit applausum, istarum verò vel cogitationes fugit? Certè quia illi depositis palliis, ramisq; scissis viam sternebant, qua Christus iter erat peracturus, clamantes simul, *Hosanna Filio Dauid:* in quo vocibus, & acclamationi manuum exercitium sociabatur: in monte vero desiderio, & affectui diademate regio illum coronandi opera non succesisse. Quid ergo mirum, si ciuium Ierusalem suscipiat affectum, & magnificiat acclamationem; secus autem desiderium saturatæ turbæ? Accipe Drogonem Hostiensem rem alte considerantem, & quod nobis oporteat facere consulentem. *Sterne in via* (inquit) *ramos olivarum, vt opera misericordiæ pedibus eius accommodes: accipe frondes palmarum, vt triumphes de principibus tenebrarum. Nihil in te resideat, quod in occursum Iesu non prodeat, quia nec vngula in Ægypto Pharaoni relinquenda est. Manus, & cor linguæ concinant.* Expende hæc vltima: *Manus, & cor linguæ concinant.* Quasi parum esset, si Ierosolymæ ciues, & discipuli voce tantum clamarent, Hosanna Filio Dauid; si vocibus opera non adiungerent. Si adest linguæ, & cordis harmonia vere laudatur Christus; sin autem mendose eius triumphus decantaretur.

Drog. Host.

Matth. 21. n. 8. & 9.

Lucæ 19. num. 39.

Ioan 6. n. 15.

Pones in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem. In Hebræo est: *Vrim, & Thumim.* Pro *Vrim* legit Montanus: *inflammationes, & perfectiones*: & pro *Thumim*; *illuminationes, & simplicitates.* Sed quid doctrina cum inflammationibus, & perfectionibus? Aut quid veritas cum illuminationibus, & simplicitatibus? Meo videri hæc omnia recte consonant. Pulchre enim doctrina dicitur perfectio, & inflamatio: veritas illuminatio, aut simplicitas. Inflammare proprium est ignis, qui omnium elementorum est maxime operatiuus. Doctrina ignis est, hoc denotat, *Vrim*, id est, ignes. Veritas dicitur simplicitas; & vt in summam redigam totum cogitatum, est dicere: quod vera doctrina debet esse in igne, in operatione, in simplicitate, & veritate cordis. Nam vera doctrina non est, quæ operum, & sanæ intentionis est expers. Dixerat Philo Hebræus lib. 3. de vita Moysis reddens rationem ob quam hæ duæ virtutes doctrina, & veritas tribuantur Rationali: *Decet enim mentem nullum mendacium admittere, orationem autem expedite veritatem proferre, declarareque. Nulla tamen est sermonis vtilitas, si ab hoc discrepent opera.* Ob hoc vbi nostra vulgatio habet: *Pones in Rationali, &c.* Chaldaic legit: *Pones in corde.* Et merito: quia cor requiritur ad veritatem doctrinæ: id explicuit S. Bernardin. Senens. dominica 22. post Pentecost. cap. 3. artic. 1. dicens: *Veritas operis requirit, quod homo non tantum sit verax in verbo, sed etiam quod sit verus, & rectus in facto, non solum diligat, intendat, ac veritatem doceat; sed necesse est, quod eam opere adimpleat: nec sit de his, quibus Matth. 23. dominus ait: dicunt enim, & non faciunt.* Tandem hoc etiam explicuit Cornelius à Lapide hîc dum ait: *Secundo eum debere habere Thumim,* id est,

46. Hebræ Montan.

Philo Hebr.

Bern. Senen.

Cornel.

id est, veritatem, tum in corde, tum in ore, tum maxime in vita, puta integritatem, & perfectionem vitæ, hanc enim significat Thumim. Sicut enim os cordi, ita vita ori, & cordi respondere debet: perinde ac Verbum Dei (quæ æterna est veritas) est imago Patris; sic hominis Verbum, & vita debet esse imago cordis, in quo gignitur, ita vt id indicet, ac repræsentet, quod in corde est, non aliud quippiam fallax, ac diuersum. Quid clarius.

Illatio CCXIII.

Quanta obligatione constringatur doctor ad veritatem docendam; quantaque excellentia polleat, si veritatem annunciat,

47. Mamertin. PRincipis diadema veritas est. Ob hanc Mamertinus Iulianum extollit in actis Grat. dicens: *Mira est in principe nostro mentis linguæque concordia, non modo humilis, & parui animi, sed seruile vitium scit esse mendacium.* Si ergo veritas ornamentum est principis sæcularis; multò potiori iure doctoris Euangelici: nam munus eius est veritatem annunciare, & propter eam, si necesse fuerit, subire martyrium. Doctor enim aut concionator tacens muneri suo non satisfacit. Hoc silentium increpabat Isaias cap. 56. num. 10. dum dixit: *Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* At cur prædicatores, & Doctores canibus comparantur? Aptissime Ambros. lib. 6 Hexa. cap. 4. *Quid autem de canibus loquar, quibus insitum est naturaquadam referre gratiam, & solicitas excubias pro dominorum salute prætendere. Vnde ad immemores beneficij, atque ignauos clamat scriptura: canes muti, nescientes latrare pro dominis, nouerint sua tecta defendere. Vnde, & tu disce, vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ incursant lupi graues. Disce in ore tuo verbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam, quodam prævaricationis silentio deseruisse videaris.* Quibus verbis satis ostendit Ambrosius quanta doctor constrictus sit obligatione ad veritatem annunciandam, ne silentia præteriens, quæ docere oportet, non doctor, aut prædicator, sed mercenarius videatur.

Isai. 56. n. 10.

Ambros.

48. Marc. 1. num. 22. Victor Antioch. Christus Dominus æterna sapientia, doctorumque omnium magister Euangelici doctoris munus exercens apud Capharnaum, quid à doctore, & concionatore in docendo, & prædicando obseruari debeat, docuit suo exemplo. *Et stupebant super doctrina eius, Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.* Marc. 1. num. 22. Notatu dignum est, doctrinam Christi celebrari, imo audientium mentes in magnum stuporem rapere; eo quod doceret quasi potestatem habens, quasi dominus doctrinæ, & non sicut scribæ. Quid enim sibi vult Euangelista cum Christo tribuit potestatem & imperium ad docendum? Et cur eum excludit à modo docendi scribarum? Victor Antiochenus ad præfata verba Marci rem explicuit, sic sibi obiiciens & respondens. *Stupebant super doctrina eius. Cur stupebant? Quia non loquebatur ad gratiam, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate. Hortabatur enim non ad quæuis promiscue, sed ad cælestia, & animæ salutaria, perfidisque & obstinatis peccatoribus imperterrite supplicia comminabatur.* Christi Domini stylus in docendo laudatur, quia cum potestate, hoc est, quasi suæ doctrinæ Dominus, & non ad laudes, & ad gratiam auditorum docebat, sed vt virtutes extolleret, & vitia acriter reprehenderet. Noc sic scribæ, sed ad audientium aures demulcendas, & vt adulatores vitia dissimulantes: non docebant tanquam potestatem habentes, sed vt misere subditi, & dependentes. Ecce discrimen inter doctrinam Christi, & eorum. Qui enim docendi, & prædicandi munus desiderat adimplere, Christum imitetur, cælestia, & animæ salubria doceat, ob Dei honorem, non vt autam capter; & sic veritatem annunciabit.

49. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Quis regi, principi, vel potenti veritatem audebit annunciare? Lingua torpet, eloquentia deficit, & verba in ipsis labiis non solum algent, sed emoriuntur. Huc spectat illud effugium Moysis, cum à Deo mitteretur ad Pharaonem. *Obsecro, Domine,* (dicebat exodi 4. num. 10.) *non sum eloquens ab heri, & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Quid ais, ô Moyses? Doctus es, & omni Ægyptiorum sapientia polles. Cur ergo te ignarum, & ineloquentem prædicas? De te sacræ vocis dicitur testimonio. Actor. 7. num. 22. *Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis, & operibus suis.* Cur ergo coram Deo te insipientem, & impeditæ linguæ fateris? Insuper, noto, verba illa Moysis: *& ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Vnde tam cito Moyses loquelæ, & elegantiæ habuit impedimentum, vt propter hoc recusset legationem? Profecto, non aliunde nisi quia mittebatur ad regem potentissimum, & tyrannum. Id enim sonat: *ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris linguæ sum.* Hoc est: ex ipso instâti, quo me Pharaonem alloqui iussisti, & eius tyrânidem reprehendere, non sum eloquens, sed impeditioris, & tardioris linguæ. Antea potens eram in verbis, & operibus: nunc, si regem sum reprehensurus, loquelam amisi. Vide, qualiter vox faucibus adhæreat, nec labiorum limina audeat salutare, si regis, aut potentis sit vitia increpatura.

Exod. 4. n. 10.

Actor. 7. n. 22.

50. Sed quanto difficilius est, regibus, & potentibus veritatem annunciare, & vitia eorum reprehendere, tantò excellentius exaltat annunciatorem. Omni admiratione dignus extitit Daniel regi Balthasari summa animi fortitudine veram, licet amaram illius scripturæ interpretationem offerens. Sacrilego ausu impius rex vasa sacra in prophanos vsus conuerterat. Quid inde? *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ,* Daniel. 5. num 5. conturbatus est rex, & vultus eius immutatus est, cogitationesque eius conturbabant eum. Tunc vocatur Daniel

Daniel.

vt

vt regi Scripturæ afferat ſolutionem: accerſitus venit, acriter regem reprehendit, legit Scripturam,& ait. *Hæc eſt autem Scriptura,quæ digeſta eſt. Mane,Thecel,Phares. Et hæc eſt interpretatio ſermonis: Mane, numerauit Deus regnum tuum,& compleuit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera,& inuentus es minus habens. Phares, diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis*,ibidem à num.25. vſque ad 28. Nimis audet Daniel! nec timer tot aduerſa regi perfido annunciare. Sed vnde Danieli tanta fortitudo? certe non aliunde,niſi quia totius Trinitatis erat organum, & vox. Sic Gloſſa Moralis ibidem,*Scribens eſt Deus Pater: manus Filius,nam per filium omnia operatur, Ioan.1.omnia per ipſum facta ſunt. Digiti Spiritus ſanctus*, Tota Trinitas contra impium regem ſententiam tulerat: vnde Daniel trium diuinarum perſonarum fuit interpres; per eumque tanquam per vocale organum loquebantur:hinc Propheta tanto perfruitur robore, vt regem non ſolum increpare, ſed aduerſa prædicere, auſus fuerit. Nam qui regibus, & potentibus veritatem annunciant, non qualitercunque munus ſuum adimplent, ſed diuinæ Trinitatis ſunt voces,& organa. Non ob aliam cauſam tot honoribus ſublimatus fuit à rege Daniel vt ibidem conſtat n....niſi,quia ei veritatem annunciauit.

Ibid. an. 25. vſque ad.28.

Gloſſ.moral.

51. Nec ſolum propter tantam dignitatem tenetur doctor veritatem docere, ſed quia ex vi ſui muneris tanta conſtringitur obligatione, vt ſi neceſſe fuerit,vitam offerre debet,vt tanto muneri ſatisfaciat.Quando dominus mittebat diſcipulos ad prædicandum, ait illis:Ite *Ecce ego mitto vos,ſicut agnos inter lupos.* Lucæ 10. num.3. Si Chriſtus eos mitteret ſolum ſicut agnos, non mirarer: agni ſiquidem requiritur innocentia ad diuinum verbum annunciandum,veritatemque prædicandam: at cur inter lupos? ſi ſunt agni;ergo indigni, vt à lupis lacerentur. Quare ergo Chriſtus agnos luporum commiſit ferocitati?Perbelle Caietanus ad hæc verba. *Parum erat, mittere ſicut agnos: ſed addendo in medio luporum, declarauit, quod vorandos eos deſtinabat. Et vere præparatos ad martyrium oportet eſſe eos, qui à Chriſto mittuntur ad prædicandum.* Quando Chriſtus diſcipulos tanquam agnos inter lupos miſit, eos admonuit ad pericula ſubeunda:& ne mortis timore veritatem ſepeliant, à tyrannis ſicut agnos à lupis deuorandos prædicit; vt exinde intelligant, ob nullam cauſam, quantumvis ob vitam conſeruandam, à ſuo munere deſiſtere, nec veritatem cælare debere.

Luc.10.n.3.

Caietan.

52. Poſt tot gemmas vndequaque pretioſas & vndequaque fulgentes, quæ Rationale mira, pulchra, & diuiti varietate exornabant, doctrina,& veritas ſuperadditur. Cur ita? Quia veritas in docendo omnem excedit lapidem pretioſum. Ideo ergo veritas & doctrina non in abſcondito ponebantur, ſed inter micantes gemmas, vt ſacerdotem redderent auguſtum, & per omnia principem, & antiſtitem. Dixerat Philo Hebr. lib. de iudice his verbis: *Quid enim in vita eſt æque pretioſum,ac veritas? Quam vates ſacer inſcripſit loco ſacratiſſimo ea parte veſtis pontificiæ, vbi eſt principalis vis animæ, vt ſacerdotem per hoc ornamentum auguſtiorem faceret.*

Phil.Hebr.

ILLATIO CCXIV.

Non incæptio, ſed conſummatio digna laude exiſtit.

53. NOn pauci totis viribus, & animo indefeſſo viam veritatis, & virtutis aggrediuntur,ſed paulatim in dies deficiunt, & ab incæptis animum auertunt. Idem (vt experientia docet)contingit in quolibet negotio, vel propter rei difficultatem,vel propter operantis inconſtantiam. Fruſtratur labor, ſi in ipſo exordio ſiccetur ſudor,& otij lenitate allectus quis ab incæpto opere deſiſtat. Quamobrem laude non eſt dignus, qui alicui rei dat exordium,ſed qui conſummat,& perficit.

54. Concluſerat ſupremus opifex diei primæ opificium, & proſequens ad ſecundæ extructuram dixit: *Fiat firmamentum in medio aquarum,vt diuidat aquas ab aquis.*Geneſ.1.num.6. Conſidera huius diei fabricam, non tamen inuenies diuina benedictione comprobatam, ſicut de luce legitur ibid. n.4. *& vidit Deus lucem,quod eſſet bona.* Hinc commune excitatur dubium: Cur Deus ſecundam diem à ſua excluſit approbatione? An quia ei huius diei opera diſplicerent? Abſit. Quare ergo ſecunda dies benedictione diuina non comprobatur? multa dixere multi alibi prænotanda: nunc puto,idcirco fuiſſe, quia Deus opus ad quod excauerat firmamentum in ſecunda die non compleuit. Firmamentum excauit,vt diuideret aquas ab aquis: idque non præſtitit perfecte vſque ad tertiam diem, vt conſtat ex illo Geneſ.2.n.9. cum de tertia die eſt ſermo: *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida.* Nam quantumuis vt conſtat ibid. n.7. diuiſio aquarum, quæ ſub cœlo ſunt à ſupernis fuerit conſummata;tamē non ita perfecte, ac quando aquæ, quæ erant ſub firmamento in vnum locum congregatæ ſunt. Ob hoc dixit ſacer textus: *& vidit Deus, quod eſſet bonum*: Quod non dixerat in productione ſecundæ diei,denotans, quod tunc non erat, quod non erat completa aquarum diuiſio, & collocatio. In ſecunda die, firmamento interpoſito,vtraſque aquas inferiores, & ſuperiores diuiſit Deus, eiſque locum aſſignauit; ſed inferiores in die tertia conſtituit in ſuo loco, in qua hoc compleuit. En ergo tibi;quare ſecunda dies benedictione caruit: quia tunc nondum erat conſummata aquarum diuiſio,ad quam faciendam creatum fuit firmamentum.

Geneſ.1.n.6.

Ibid. num.4

Gen.2. n.9.

55. Huius theſis veritas duplici teſtimonio fere in vnum coincidenti poſſumus confirmare. Primum ſit ex Exodo cap.40.num.32. vbi agitur de fabrica tabernaculi. *Poſtquam omnia perfecta ſunt operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Secundum eſt Ex.3.Reg.9. num.1. & 2. *Factum eſt autem cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini,& ædificium regis, & omne quod optauerat, & voluerat facere, apparuit ei Dominus ſecundo ſicut apparuerat in Gabaon.* Sed cur glo-

Ex.40. n.32.

3.Reg.9.n.1.

ria

ria Domini non impleuit tabernaculum vsque tunc? Nec Deus Salomoni apparuit cum tot, & tantis expensis, vndequaque vocatis artificibus templum ædificaret? Isaïas Abbas orat. 8. in 2. tom. Bibl. Vet. Patr. responsum exhibet. *Tabernaculum* (inquit) *non obumbrauit Deus, quoad imperfectum fuit, sed cum esset absolutum, tunc illud obumbrauit. Sic & templum nebula non obumbrauit, quandiu illi quidquam defuit: at vbi perfectum fuit, oblata sunt holocausta, & odoratus est Deus odorem suauitatis.* Isaias Abbas

Cum Moyses tabernaculum, & Salomon templum constituebant, & ornabant, absque dubio faciebant opus coram Deo gratum: tamen tunc illis Deus non apparuit, vsque dum vtrumque opus fuit completum, & consummatum: In quo indicatur aperte, quantum Deo placeat boni operis consumatio, & quod vsque tunc non est diuina præsentia, & approbatione dignum. Placet Deo, quodlibet virtutis opus, non abnuo; sed signum approbationis non exhibet, nec diuino approbatur conspectu nisi consumata fuerit virtus. Tunc seruis suis apparet, eos delitiis ditans, vtpote, quia perfecti sunt in sanctitate, & iustitia. Placet etiam virtutis initium; sed quia ab hac via multi recedunt, non exordia, sed consummationem approbat.

56. Vis hoc manifestiori luce conspicere? Attende, quæso, qualiter se Deus gesserit, cum singula singulis diebus producebat in exordio. Nullus est dies, in quo (si secundum excipias) non referat sacer textus: *& vidit Deus, quod esset bonum.* Genes. 1. num. 10. n 13. num. 19. num. 21. & 25. Consummatisque iam rebus audi sacrum oracullum, ibid num. 31. *Vidit que Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum est vespere, & mane dies sextus.* Fælicissimus fuit hic dies, siquidem in eo omnia creata non solum laudantur, sed eximio Dei approbantur præconio: *Erant valde bona.* Sed vnde rebus omnibus tanta aduenit approbatio, vt quæ antea tanquam bona laudabantur, nunc vt optima celebrentur? Certe non aliunde nisi quia sexto die consummata fuerat rerum vniuersitas, & nihil creandum restabat. Merito ergo vbi orbis completur opificium, & adest creationis perfectio, summis laudibus vniuersa extolluntur; vt exinde colligas, quod quantumuis opus sit eximium, & Deo in exordio placeat; tamen in fine, & cum consummatur, & perficitur, summopere placet: vnde quod in ipso limine operationis approbat vt bonum, in consummatione optimum prædicat. Virtutis initium bonum est: Deo placet: at sanctum propositum consummare, & vsque ad fœlicem exitum perducere, valde bonum. Gen. 1. n. 4. Ibid. nu 31.

57. *Urim & Thumim*, Rationalis, secundum Montanum, illuminationes, & perfectiones sonant: quorum fabrica (teste eodem auctore) à Deo fuit elaborata, ipsique maxime grata, & placens. Nec mirum, quod Deo placeat, quod non solum est perfectum, sed ipsa perfectio. Nam perfectum opus, & vndequaque consummatum non potest non placere Deo, eiusque approbatione celebrari. Obindeque non immerito hoc opus Deo tribuitur.

Illatio CCXV.

Solius intellectus sapientia non est sapientia, sed calliditas: nam intellectu, & corde & intelligendum.

58. Vulgo reputantur sapientes, qui ad agenda negotia prudentes sunt, & prompti, summaque expeditione de rebus sæcularibus agunt. Non damno homines mito acumine intellectus pollentes, dum ingenium rebus honestis applicent; eos solum reprehendo qui tantum intellectu vtuntur ad concinanda mendacia, & ad lites iniustas defendendas. Hi, meo videri, quanto acutius intelligunt, prorsus intellectu carent. Quod sic ostendo. Obiectum intellectus, secundum communem Philosophorum plausum, est *Verum.* Ergo intellectus, qui totis viribus falsum conatur persuadere, ab intelligendo deuiat, & quo magis videtur, intelligere, eo minus intelligit. Dissensu *falsum* intelligitur; quia falsitatem refugit intellectus: assensu *verum* cognoscitur; quia intellectus amplectitur veritatem, & in ea solum conquiescit, teste Aristotele; nam in falso peregrinatur. Ergo qui mendacia quærit, vt omnes decipiat, errat circa obiectum intellectus. Non ergo bene intelligit, sed fallit. Igitur iste dicendus non est intelligens, sed callidus, & seductor.

59. Hoc discrimen satis superque nobis Christus aperuit Lucæ 16. n. 8. cum dixit: *Filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Idest: filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis, & veritatis apud vulgus: hoc sonat illud, *in generatione sua.* Id est, apud illis similes, non apud peritos, vt vere sapientes, qui filij lucis sunt. Sed quæ, & qualis est prudentia filiorum huius sæculi? Noster Tostatus, q. 98. inc. 25. Matth. sic rem explicuit. *Filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua: id est, astutiores: quia prudentia filiorum sæculi non est prudentia, sed dolus.* Ac si diceret: filij huius sæculi falsa inquirunt, eaque persuadent, vt cæteros decipiant: prudentiores videntur, sed non sunt: imo nec intelligentes censeri debent, vt pote à vero aberrantes, sed callidi, & astuti. Intellectu solum intelligunt, non corde. O misera hominum conditio! Luc. 16. n. 8. Abulens.

60. De serpente, qui suo veneno Adamum, & eius posteros infecit, sic ait sacer scriptor, Genes. 3. n. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus.* D. Ambros. lib. de Paradiso ad c. 3. Gen. legit. *Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecit Dominus Deus.* Hinc contra dicta insurgit difficultas. Ergo calliditas, & sapientia idem sunt, siquidem vbi sacer textus serpentem vocat callidum, Ambrosius appellat sapientem. Male ergo diximus, sapientiam non esse confundendam cum astutia. Verum idem Ambrosius, ex quo obiectionem deduximus, ministrauit nobis solutionem nodi. Audi ipsum. *Cum dicit, sapientorem serpentem, intelligis, quem loquatur,* Gen. 3 n. 1. Ambros.

loquatur,id eſt,illum aduerſarium noſtrum,qui tamen habet huius ſapientiam mundi. Sed & voluptas, atque delectatio bene ſapiens dicitur, quia huius carnis appellatur ſapientia,ſicut habes:quia ſapientia carnis inimica eſt Deo. Et ad exquirenda delectationum genera aſtuti ſunt, qui appetentes ſunt voluptatum. Quaſi dicat: non appello ſapientiorem ſerpentem, quia ſapientia polleat; ſed quia in ipſo illum, qui loquebatur, nempe dæmonem conſidero:potius enim ſerpens callidus dicendus eſt,quam ſapiens:aut ſi ſapiens eſt vocitandus, non quia vera ſapientia gaudeat, ſed quia inſtar diaboli ſapiens eſt. Ex quo pater,ſapientes huius ſæculi,qui diaboli ſectatores ſunt,non vere ſapientes, ſed callidos fore cenſendos. Hæc non eſt ſapientia vocanda,ſed calliditas.

61. Primæ ad Corint.3.n.18.ait Paulus. *Siquis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat,vt ſit ſapiens.* Ac ſi diceret:ſæculi ſapientiæ obliuiſcatur,qui Dei deſiderat ſapientiam, S. Saluianus lib.6.de prouidentia præfata verba ſic explicat. *Hoc eſt dicere: ſi quis vult eſſe ſapiens,ſit bonus; quia nemo vere ſapiens, niſi vere bonus.* Inuſitata videtur hæc expoſitio. Nam Apoſtolus ait,quod,qui ſapiens videtur,vt ſit ſapiens,fiat ſtultus:*Stultus fiat,vt ſi ſapiens.* Saluianus autem dicit: *ſiquis vult eſſe ſapiens ſit bonus.* Quare ergo Saluianus bonum appellat, quem Paulus ſtultum? Pollere ſapientia, qui bonitate gaudet, ſatis intelligo: nam ille ſolum bene ſapit, qui bonus eſt; malus autem quantumvis omni abundet eruditione inſipiens eſt. Hoc non eſt difficile intellectu: at Saluianum vocare bonum, quem Paulus appellat ſtultum, haud facile apparet. Verum ſi mundi audiamus ſtylum, ceſſauit difficultas. Mundus namque virtute præditos ſtultos vocat,& velut inſipientes contemnit:eos autem, qui omni malitiæ genere abundant, intelligentes, & peritos veneratur. Ergo qui bonus eſt, apud mundanos ſtultus iudicatur: Vnde recte Paulo conſonat Saluianus;nam idem eſt bonus apud Deum,ac ſtultus apud mundanos.

1.ad Cor.3. n.18.

Saluianus.

62. *Eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & operibus ſuis.* Actor.7.n.22. ſi tamen vocem Moyſis auſcultemus,de ſeipſo ait omni ſapientia,& verborum elegantia fuiſſe deſtitutum Exod.4.n.10. *Ait Moyſes:obſecro,domine,non ſum eloquens ab heri,& nudius tertius:& ex quo locutus es ad ſeruum tuum impedutioris, & tardioris linguæ ſum.* Sed quæres: quî hæc interſe poſſint conciliari? Stephanus de Moyſe prædicat, omni ſapientia Ægyptiorum, & verborum elegantia fuiſſe præditum:ipſe de ſeipſo dicit,ſermonis ornatum ignorare:quis horum veritatem annunciat? Vterque abſque dubio. Nam ſapientia,&elegantia verborum,quam Moyſi tribuit Stephanus, non erat ſpiritualis, ſed huius mundi:hoc modo explicant Ægyptiorum ſapientiam Titinus in Bibl.Magna ad c.2.Exod. & Cornelius ibidem:ſapientia autem,aut elegantia,quam ſibi negabat Moyſes,non huius mundi, ſed ſpiritualis erat ad docendum populum Hebræorum,& Pharaonem reprehendendum.Quid ergo mirum,ſi Moyſes ſibi neget ſapientiam, & eum Stephanus prædicet

Act.7. n.22.

Exod.4.n.10.

ſapientem?Nam ſapientia ſpiritus,quæ Dei eſt ſapiétia,diſtincta eſt prorſus à ſapientia mũdi, imo ei oppoſita. Sapientia mundi, ſi cum illa comparetur,ſtultitia potius eſt dicenda, quia non è corde,ſed à ſolo dimanat intellectu:illa vera ſapientia eſt,quia ab intellectu,& à corde ducit originem. Pulchre hoc diſcrimen aſſignauit D.Ambroſ.lib.2.de Abraham c.10. dicens. *Alia eſt ſapientia ſpiritualis,alia ſapientia huius mundi. Ideo autem Ægyptia ſcribitur, quia Philoſophica eruditio abundauit in Ægypto. Denique Moyſes eruditus erat omni ſapientia Ægyptiorum,ſed abiecit eam,præferens Ægypti theſauris opprobrium Chriſti. Nam ſi illam iudicaſſet alicuius momenti eſſe ſapientiam,non vtique dixiſſet:precor,domine, non ſum eloquens ante heſternam, & nudius tertiam diem, neque ex quo cepiſti loqui ſeruo tuo: gracili enim locutione, & tardiori lingua ego ſum. Denique quaſi inerudito reſpondetur ei, quod erudiretur à Domino: ego aperiam os tuum,& inſtruam te, quod debeas loqui.* Quid illuſtrius?Moyſes dicitur ſapiens,& ſtultus. Illud ſecundum ſapientiam huius mundi,quæ non eſt vera ſapientia,ſed calliditas fundata fallacibus doctrinis: iſtud, quia vſque dum eruditus fuit ſapientia Dei, quæ vera ſapientia eſt, indigne vocaretur ſapiens.

Ambroſ.

Doctrinam, & veritatem poni iuſſit Deus in Rationali iudicij. At cur Deus hæc iuſſit? Caietanus hîc ſecundum Hebræum: *Pones doctrinam,& veritatem ſuper cor Aaronis.* Hac expoſitione creſcit difficultas. Nam locus doctrinæ,& veritatis eſt intellectus, non cor. Ergo aptius eſſent doctrina,& veritas in tiara Pontificis, quæ eius ornabat caput, quod ſedes eſt intellectus. Quare ergo non in capite, ſed in corde iubentur collocari? Putarem, vt denotetur,non quamlibet doctrinam,quæ ab intellectu procedit, fuiſſe dignam doctrinæ cognomine, ſed quæ etiam à corde dimanat. Item non debet reputari vera doctrina, quæ huius mundi ſapientia eſt, ſed quæ ducit ad cæleſtem patriam. Pulchre Arnoldus Carnotens. tract. de ſeptem vltimis verbis loquens de Rationali. *In primis diligenter attendendum eſt, quod qui hac veſte induitur, in qua litteris, doctrina,& veritas impreſſa eſt, conſecratum doctrinæ, & veritati pectus ſuum intelligat: neque debere ſæcularibus negotiis,& actionibus,& lucris occupari; ſed doctrinam fidei exemplo,& moribus indicare: quia omnino infame eſt abuti ratione, & corrumpere doctrinam,& circumuentionibus, vel technis opprimere veritatem.* Doctrina enim non poteſt non ab intellectu procedere, vt per ſe patet: at ſi ab eo,& non à corde ducat originem,quantauis verborum exprimatur elegantia,non vera ſed falſa dicenda eſt.

63.

Alnod.Carn.

ILLATIO CCXVI.

Prudentia,& ſcientia polleat,qui regimen ſuſcipit animarum.

64. IN ſuperioribus illatione.113.ſatis ſuperque probauimus ineptum eſſe ad regimen animarum,qui litterarum,& doctrinæ caret ornamento:nunc confirmare intendimus, litteris, & prudentia ornatum digne aſſumi ad regimi-

nis

giminis celsitudinem. Quam apte Seneca. *Reges, ac principes mente alios pollere, ac iudicio reliquis præstare debent: Ideo enim caput, quod mentis, ac iudicij sedes est, redimitur.* Caput regis diademate coronatur, quod est præcipuum regis insigne; quia in capite residet intellectus: per hoc ostenditur, in rege præcipue considerandum fore intellectum. Nam Rex, aut Prælatus litteraturæ carens, non rex verus, sed scænæ videtur: at prudentia, & scientia pollens iuste purpura condecoratur, & redimitur corona.

Seneca.

65. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ait Deus Genesis 1.n.26. Duo hîc disquirenda sunt. Primum: quare Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit? Secundum: Quid per hoc denotare voluit. Primo quæsito occurrit sacer textus dum prosequitur: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra: & creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum.* Quasi diceret: Ideo Deus ad imaginem, & similitudinem suam fecit hominem, quia totius orbis creabatur præsul, & rex. Secundo dubio sic satisfacio. Homo creatus fuit ad imaginem, & similitudinem Dei, hoc est, capax intelligendi. Quia cum eum ad regendum destinauerat, operæ pretium duxit, eum intellectu, & prudentia ornare; insuper rerum omnium cognitione, vt expeditius regimen exerceret. Perbelle Iunillius ad præfata verba. *Et præsit piscibus maris. Quia nimirum in hoc maxime factus est homo ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus animantibus antecellit, capax videlicet rationis conditus, per quam, & creata quæque in mundo recte gubernare posset.* Quia cùm Deus hominem ad mundi regimen crearet, opus fuit, vt ad ipsius imaginem, & similitudinem eum produceret, hoc est, ad intelligendum idoneum, rerumque omnium creatarum scientia imbutum, vt sic creata recte gubernare posset. Æquum enim est, vt qui vel bruta est recturus acumine polleat intellectus, & scientiarum ornatu fulgeat, vt sic corona rutilet scientiarum radiis, potius quam gemmarum splendoribus.

Gen.1.n.26.

Gen.1.n.26.

Iunillius.

66. De virga illa ex radice Iesse orta iam, tunc oriunda, sic diuini Spiritus verbis prædicebat Isaias cap.11.nm.1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilij, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis.* Nota; Prophetam semel tantum virgam, semelque florem; ter vero intellectus nominasse affectas, nempe sapientiam, scientiam, & consilium. At cur sacer vates cum huius virgæ, & floris prædixit excellentiam; tam sedulo meminit intellectus, scientiæ, sapientiæ, & consilij; & hæc omnia permanenter insedisse in virga, vel in flore pronunciat? Virga, seu flos Christum Dominum denotabat, vt expresse fatentur Chrysost. tom.2. hom.30 in c.12. Matth. Ambros. serm.54. & lib.3. officior cap.14. Clemens Alexandr. lib.1. Pedago cap 7 Origen in Ieremiam cap.2. & in c.17 Numer. homil. 17. Rursus per virgam imperium intelligitur. Ob hoc olim Deus, vt Moysis imperium solidaret, virgam commutauit in serpentem, & hunc in virgam iterum restituit. Hoc sonat illud Psalmi 2.n.9 *Reges eos in virga ferrea* & Psal.109.n.3. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Et alibi sæpe. Itaque nomine virgæ, & floris hîc à Propheta secundum horum patrum consensum Christus Dominus potestate regia præditus intelligitur. Meritò ergo ipse præscribitur ornatus spiritu intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilij, quia regis nomine insignitus prædicebatur: in quo aperte ostenditur, quot dotibus ornatus debet existere, qui aliorum regimen suscipit.

Chrysost. Ambros. Clem. Alex. Origen.s.

Psal.2. n.9.

Psal.109.n.3.

67. Actor.7.n.21.& 22. de Moyse loquens Stephanus sic ait: *Expositio autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis, & operibus.* Fluctuabat infans inter vndas Nili, quem cum videret filia regis, fere iam naufragiũ patientem, liberauit, adoptauit in filium, & eruditit omni sapientia Ægyptiorũ. Non mirarer, si Pharaonis filia infantis allecta pulchritudine, eum ab vndarum procellis erexisset, & adoptasset in filium: at cur tantam impendit curam, vt omni eruditetur Ægyptiorum sapientia? Profecto, quia eum, vt filium diligebat, & adoptabat, quo innuebat, in principem enutririm. Iure ergo tanta cura instruitur, qui ad regiam coronam nutriebatur. Patronum habeo Ambrosium lib.1 Hexam.c.2. *Moyses vtique ille*, inquit, *eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis, vt filium dilexit, & subsidiis regalibus fultum, omnibus sæcularis prudentiæ, disciplinis informari, atque instrui designauit.* Ac si diceret: quia filia Pharaonis Moysem in filium adoptauerat, ex qua adoptione ius quoddam habebat ad regnum, vel saltem assumebatur in principem; idcirco omnibus sæcularis prudentiæ disciplinis informari, & instrui designauit. Et fortassis ob id etiam à Deo in populi ducatum eligitur; quia iam eum prudentem, & doctum adinuenit. Ad gubernandum namque, non quilibet est aptus, sed qui scientia, & doctrina pollet.

Actor. 7. n.21.& 22.

Ambros.

68. In Rationali Pontificis, seu in eius pectore doctrina, & veritas erant, & fulgentioribus radiis super duodecim gemmas emicabant: vt sciret sacerdos, qui alios erat recturus, quod licet aliis virtutibus ornari debet præcipue doctrina, & veritate, vt alios doceat erudite, & gubernet prudenter. Sic D Hier. lib.2. in Malachiam c.2. *Idcirco*, inquit, *in sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali doctrina, & veritas ponitur: vt discamus sacerdotem doctum esse debere, & præconem dominicæ veritatis.* Sacerdos, aut Pontifex consecrabatur ad regimen animarum; & ob hoc doctrinam, & veritatem gestabat in pectore; vt sciamus, non fore assumendum ad tantum munus, nisi qui polleat doctrina, & sapientia, qua alios possit instruere.

Hieronym.

ILLATIO CCXVII.

Immunitas Deiparæ à peccato originali stabilitur.

69. OPtatus mihi iam adest dies (O beatissima virgo-mater!) in quo tuas laudes possim

celebrare. Sed quid de te dicam pauper ingenio (vt cum Augustino exclamem) cum de te quidquid dicam minor laus sit, quam dignitas tua meretur? Suscipe affectum (Regina Cœli) & esto mihi ductrix, quæ stella maris diceris, & cum tuarum gratiarum immensum pelagus tranandum suscipio, ducito ad portum: in eo etiam pelagus inueniam. Pauca sum dicturus: Verum de te, quis plura valeat dicere, quin semper plurima addenda superstint? Ergo à tua immaculata conceptione exordiri, non erubesco, & quæ tibi felicissimum dedit exordium, sit & mihi mihi certum patrocinium. Sed ne hîc extra rem de beatissima Maria agere, alicui forte videatur, afferam D. Anselmi carmina in Psalt. Virg. p. 3. pro conclusione salutationis B. Mariam gemmam singularem Rationalis decantantis his versibus.

Anselmus. *Aue gemma singularis*
Habens scripta mysteria
In æterni Pontificis
Rationali posita.
Aue sola virginitas,
Cuius Deus fœcunditas
Nostrum superhumerale
Diuina fit ex virtute.

Anselmus (ni fallor) præter duodecim illas gemmas, aliam singularem concedit Rationali, forsan adamantem, vt putauit Anastasius Nissenus relatus quæst. 25. num. 30. Gemma illa Mariam repræsentabat: imo & ipsum Rationale obumbrabat Mariam. Rationale quadrangulare erat, quæ figura stabilitatem designat; in quo Marianæ gratiæ firmitas, & soliditas præsignabatur. Insuper hæc gemma singularis inclusa erat auro: ita Maria tota fuit inclusa auro charitatis, & gratiæ, vt in ea, nullum instans excogitari possit sine gratia, & charitate. Ex quo satis apte colligo puritatem, & sanctitatem Mariæ in sua conceptione; pro eaque aliqua hîc expendere summopere placet.

70. Ex sterili matre Anna nomine concipitur Maria, precibus, & votis parentum. Sed quid est, quod ex matre Anna concipitur? Non vacat mysterio, Mariæ matrem Annæ nomine insigniri. Anna enim gratiam significat. In visceribus ergo Annæ Maria concipitur, vt nihil sit in Mariæ conceptione, quod gratiæ suauitatem non expiret. Sic Damascen.

Damascen. lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 15. *Itaque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur) vere etiam rerum conditarum domina facta est, cum creatoris mater extitit.* Concipitur Maria in viscetibus Annæ, ac si in viscetibus gratiæ conciperetur. Et quid mirum, cum Maria crearetur à Deo, vt mater eius esset.

71. *Egreditur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Isai. 11. n. 1. D. Bern. serm. 2.

Isai. 11. n. 1. Bernard. *Super missus est* sic ait: *In hoc tamen Isaiæ testimonio florem filium, virgam intellige matrem.* Nunc inquiro: cur potius Maria ex radice Iesse egressura prædicitur, quam ex radice, vel stirpe Abrahami, Isaaci, Iacobi, Dauidis, aut aliorum à quibus duxit originem? Certè, quia *Iesse* iuxta Hebræum significat munus, donum, vel gratiam. Cum igitur Propheta de Conceptione Mariæ ageret, quæ est primus eius egressus; meritò à Iesse, omissis aliis Patriarchis, prædicat ducere originem, vt ostenderet à gratia sumpsisse exordium.

Nec solum Maria in luce, & candore gratiæ vitam accepit; imo potius tanta ornata fuit gratia in sua conceptione, vt conceptio Mariæ videatur conceptio gratiæ. Gratissima erit hæc propositio, si aliquo testimonio roboretur. Adest Ioan. cap. 19. num. 27. referens verba illa Christi Domini è cruce pendentis, & ad eundem Ioannem sic affantis: *Ecce mater tua:* Ioan. 19. n. 27. *& ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* D. Ambrosius in exhortatione ad virgines ingenio, & deuotione inquirit. *Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & sæcularia non habebat?* Nec reliquit quæsitum indecisum Ambrosius, nam sic respondet. *Quæ ergo habebat sua, nisi ea, quæ à Christo acceperat? Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ.* Ambros. Quod est dicere: Ioannes, qui Domini sequens vestigia omnia reliquerat temporalia, solum bona illa possidebat, quæ acceperat à Christo, nempe bona gratiæ: inter hæc numerat Ambrosius Mariam, cum ait, Ioannem eam in sua recepisse. Nam si Ioanni nulla nisi bona gratiæ erant; cum ipse in sua bona Mariam recepisset; absque dubio inter bona gratiæ Maria est annumeranda. Maria ergo tanta gratia fuit ornata, vt videatur esse ipsa gratia. Ergo non inepte dicerem, Mariam concipi, perinde esse, ac si gratia conciperetur. Pia sane cogitatio, & Mariæ, & seruis eius satis grata. Nam si Damascenus oration. 1. de Natiuitate Virginis eam gratiæ fœtum appellauit, & meritò: quid mirum, si ego Mariam appellem gratiam. Non erubesco trita Damasceni verba excribere, & aliis alte satis expensa, siquidem rem nostram aperte confirmant. *Quoniam itaque futurum erat,* inquit, *vt Dei genitrix, ac virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum anteuertere minime ausa est: verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Damascen. Ex mente ergo Damasceni, Maria fructus fuit gratiæ: ex Ambrosio, vt vidimus, inter dona gratiæ computatur. Liceat ergo dicere, Mariam fructum, & donum gratiæ concipi, perinde esse, ac gratiam produci. Maria ergo in sua conceptione à labe originali immunis fuit.

72.

Hoc denotauit Gabriel, cum ad Mariam missus ait: *Aue gratia plena Dominus tecum.* Lucæ 1. n. 28. D. Bernard. serm. 2. de Natiuitate Domini dixit: *Archangelus non ait: Aue Maria replenda, sed plena. Non, Dominus veniet in te, sed Dominus tecum: quia inde totam eam sibi rapuerat Spiritus Sanctus, & cœlestibus insignierat ornamentis.* Hæreo in illo: *Totam eam sibi rapuerat Spiritus Sanctus*, &c. Quid est, totam Mariam sibi rapuisse Spiritum Sanctum? Hoc est, ab initio vsque ad finem totam Mariam sibi consecrauit Spiritus Sanctus. Nullum fuit instans in Maria, in quo eam Spiritus Sanctus non possideret. Idem roborare placet ex aliis eiusdem Archangeli verbis. Audierat ab eo beatissima virgo dignitatem matris, & respondit ei: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ibidem n. 34. cui respondit Angelus: *Spiritus*

73. Lucæ 1. n. 28 Bernard. Idem. n. 34.

Ibid. n. 35. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ibid. num. 35. sed vnde scire potuit Gabriel Spiritum Sanctum superuenturum in Mariam? Angelus enim ad hoc fuit missus, vt solum Mariam tanti mysterij certiorem faceret: à quo ergo didicit Spiritum Sanctum descensurum in ipsam? Profecto, quia eam, vt matrem Dei salutabat, ab Spiritu Sancto non iudicabat dissitam. Concipitur Maria, vt Deum gigneret: ergo Spiritus Sanctus erat cum ea.

74. Cant. 4. num. 12. ait sponsus: *Hortus conclusus soror mea sponsa: hortus conclusus, fons signatus.* Quæ verba Deiparæ conceptionem immaculatam prædicant: nam Rupert. lib. 7. in Ioan. hæc Mariæ attribuit, quæ vndequaque circumsepta Spiritus Sancti gratia fuit hortus conclusus, ne venenum serpentis eam inficeret. Insuper fons signatus prædicatur Maria: seu vt Gregorius Nissenus legit ad hæc verba: *Fons signatus, perinde est, ac si dicas: custoditus.* Vtroque modo puritas Marianæ conceptionis patebit, si prius examinemus: cur dicitur fons, & quo sigillo signatus, aut custoditus? Sigillatus fuit hic fons Dei sigillo, hoc est, Dei imagine, gratia nempe, quæ diuinitatis est imago, vt pote participatio illius: custoditus ergo fuit Spiritus Sancti clypeo. Ergo quando Maria est fons, signata fuit, & custodita diuina gratia. Sed rursus inquiro: Quando Maria fuit fons? Quando concipiebatur, & in illo primo instanti sui esse: tunc solum fuit fons. Quod sic explico. E terra emanat aqua, & hilari motu per gramina currit: non dicitur fons cum rigat herbas, & flores, sed cum primo incipit scaturire: hæc prima origo aquæ ab omnibus appellatur fons, cursus aquæ dicitur riuulus, vel fluuius. Maria ergo, quæ ab sponso cœlesti prædicatur fons, fons fuit in sua conceptione, cum primum fuit, & in illo suæ vitæ primo instanti: deinde fluuius (parum hoc) mare, & pelagus gratiarum, & pietatis. Dicitur ergo fons signatus, vel custoditus, vt intelligamus Mariam fontem in primo sui esse exordio signatam fuisse diuina gratia, & clypeo Dei custoditam.

Cant. 4. n. 12. Rupertus.

Greg. Nisse.

ILLATIO CCXVIII.

Originalis Mariæ puritas, ex eo, quod eius conceptio Deo opifici tribuatur, maxime ostenditur.

75. DVo in præsenti illatione statuenda sunt. Primum: Mariæ conceptionem Deo fore tribuendam. Secundum: exinde ab originali labe fuisse immunem. Deo tribuitur Mariæ conceptio, non quia absque sanctissimorum parentum Ioachimi, & Annæ concursu fuerit genita; sed quia ita in sua Conceptione Dei genitrix virgo tot gratiarum priuilegiis fuit ornata, vt gratiæ potius eius generatio (sicut ex Damasceno illatione præcedenti num. 72.) tribuenda sit, quam naturæ. Est ergo Maria naturæ, & gratiæ effectus; sed præcipue gratiæ, quam naturæ. Meritò ergo Deo vt supernaturali opifici Mariæ conceptio tribuitur. Hoc expressit B. Bernardus serm. de beata Maria dum dixit. *Arca quoque testamenti typum tenet Dei genitricis: illam fecit Beseleel, istam condidit Emmanuel.* Et ibidem adducens discrimen inter fœderis arcam, & Mariam, quæ Manna illud cœleste miro clausit ordine ait. *Beseleel ergo cum socio arcam testamenti fabricauit; sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit, hospitiumque mundissimum sibi præparauit: thalamum quoque, de quo sponsus præ filiis hominum speciosus ad publicum procederet, decenter præordinauit.* Quæ verba vndequaque originalem munditiam Marianæ conceptionis prædicant: vt denotant illa: *Sanctificauit, consecrauit, præparauit, præordinauit.* Ex quibus aperte constat, Mariam non solum à Deo conditam, sed etiam ex hoc immunem ab originali macula.

Bernard.

Prouerb. 8. n. 22. de beata Virgine dicitur. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Septuag. legere: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Quod de Virgine matre intelligit Ecclesia in festo Conceptionis. Ergo Maria fuit opus Dei. Nec ob aliam causã in Christi genealogia à Matthæo non recensentur Mariæ parentes, nisi vt Maria potius ad Deum, vt factorem suum, quam ad proprios parentes referatur. Hoc expressit B. Birgitta lib. 1. reuelationum c. 9. cum ei dixit B. Virgo. *Ioachimus, & Anna ex charitate diuina, & ex verbo Angeli conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra suam voluntatem ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est.* D. Bernard. serm. 2. *super missus est.* id expressit, dicens: *Factor hominum, vt homo fieret nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit eligere imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Meo videri, nihil expressius potest pro hoc mysterio allegari. Nam ex mente Bernardi debuit Deus non solum eligere, sed condere matrem, qualem & se decere, & sibi nouerat placituram: ergo & à Deo condita, & absque labe concepta.

76. Prou. 8. n. 22. Septuag. Brigitta. Bernard.

Ecclesiast. 1. n. 8. & 9. dicitur. *Vnus est altissimus creator omnium omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus. Ipse creauit illam in Spiritu Sancto.* Et ibid. c. 24. n. 12. *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Neminem latet hæc Mariæ ab Ecclesia, & Patribus accommodari. Ergo Mariæ creatio, seu conceptio Deo tribuenda est. Nam licet omnium Deus sit auctor, & opifex supremus; Mariæ tamen speciali modo, quod aperte innuit illud: *& qui creauit me.* Nam postquam Deum supremam omnium causam, & factorem prædicasset, statim addidit, *& qui creauit me*, vt ostenderet, ipsam à Deo fuisse speciali modo, non absque parentum concursu, sed absque hæreditate maculæ originalis. Ideo ergo eam à congerie creaturarum segregauit Spiritus Sanctus, vt non sicut cætera suæ naturæ individua, sed vt speciale Dei opificium concipi, denotaret. Nam quando omnes vitam naturæ accipimus, prius veluti respiramus morte peccati: Maria autem è contra prius aura gratiæ respirauit, quam naturæ vitam reciperet. Quid mirum, cum esset speciale Dei opificium.

77. Ecclesiast. 1. n. 8. & 9. Ibid. 24 n. 12.

79. Pulchertimæ naturæ productio, lucis inquã, hanc theſim confirmauit. Sic enim dicitur. Gen.1.n.2. Geneſ.1. n.2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus fiat lux, & facta eſt lux.* Mirum ſane eſt,& notatu dignum Spiritum Sanctum (de eo hæc communiter intelliguntur) aquarum vehiculum ſibi præparaſſe ante lucis productionem. Cur ſi tunc adhuc tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, Spiritus Sanctus ſuper aquas inſedit ? Si vt honoraret aquarum elementum ; expectet lucem, vt eius radiis velut auratæ vndæ fulgeant : cur quando aqua apparet horribilis tenebrarum iniuria, tunc ſuper eam inſedit Spiritus Sanctus ? D.Ambr. Ambroſ. lib.1. Hexam. c.9.hanc adduxit rationem. *Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas. Et dixit Deus: fiat lux. Meritò præmiſſus eſt Spiritus Dei, vbi diuina incipere debebat operatio.* Quod eſt dicere : lux fuit prima creatura, cuius Deus ſpeciali modo prædicatur auctor. Nam quamuis cœlum,& terrã luci præmiſerit,vt ex ſacro textu aperte liquet, lucis tamen pulchritudinem loquendo produxit : non ſic cœlum & terram (ſaltem non refertur Deum locutum in eorum productione) ob hoc ergo lucis creatio prima vocitatur ab Ambroſio. Præmiſſus itaque fuit Spiritus Sanctus ante lucis operationem, quia lux erat prima operatio Dei,& ſpeciali modo, loquendo ſcilicet, producebat. Fuit ergo lux, non prima in duratione, ſed in excellentia,& pulchritudine,& ob hoc prima, hoc eſt, præcipua inter viſibilia nominatur. Merito ergo præmittitur Spiritus Sanctus, quaſi expectans creaturam, quæ inter viſibilia tenet primatum Hinc non leue Marianæ conceptionis, & eius puritatis ſumitur argumentum. Luci, quia prima creatura ſpeciali modo producta à Deo, præmittitur Spiritus Sanctus: ne vel inſtans habeat lux,in quo tanti numinis careat præſentia,& fauore. Æquum enim erat, vt Dei operi ſpecialiſſimo diuinus Spiritus præſto adeſſet. Maria, vt vidimus à Deo creata ſpecialiſſimo modo. Ergo diuini Spiritus gratia præuenta. Deinde : lux,quia inter creaturas pulchertrima tanto perfruitur fauore in primo inſtanti : ergo Maria, quæ illuminatrix ſicut lux interpretatur, hac gratia gaudet in primo ſui eſſe momento. Pulchrius enim Dei genitrix cœlos, terram, hominesque illuſtrat,quam lux. Ergo ſi hæc ob ſuam pulchritudinem, quam ſpargit, præuenitur Spiritus Sancti præſentia : quanto potiori iure Maria, per quam condita ſunt omnia,& illuminata, hoc gaudere debet priuilegio. Tandem, ſi putas,ob id factum, quia lux mater ſolis futura erat Maria ipſius ſolis auctorem genuit. Ex his omnibus aperte conſtat, beatam Mariam, quæ diuinum fuit opificium principale tanta à Deo ornatam fuiſſe gratia in primo inſtanti, vt ſicut lux, antequam fieret ab Spiritu Sancto fuit præuenta. Merito ergo ob hoc eam ab originali labe immunem prædicamus.

80. In *Vrim & Thumim* aperte myſterium puriſſimæ Marianæ conceptioni præſignabatur. Nam gemma illa *Vrim*, & *Thumim* ſignificata repræſentabat Mariam (vt illatione præcedenti n.69. ex Anſelmo vidimus) Rurſus ex Montano, vt expoſitum manet in hoc verſu 30. num.15 hæc gemma à Deo fuit creata : ex quo non inepte deducitur, Mariam à Deo fuiſſe productam. Ergo vere Deus eam poſſedit in conceptione,non diabolus. Ergo abſque communi nota concepta.

Illatio CCXIX.

Eadem puritas originalis ex matris titulo comprobatur.

81. TAnta prærogatiua in Maria, vt ipſa ſola inter pure creaturas abſque primi parentis labe fuerit concepta, non aliunde, quam ex præcelſa matris Dei dignitate prouenire poteſt. Nam ſi Mariæ decet in conceptione puritas ; non minus decebat, Chriſtum matrem ſuam ab originali culpa præſeruare. Hoc abſque dubio exprimere voluit Archangelus dum Mariam ſalutans dixit : *Ne timeas Maria, in-* Lucæ 1.n.30 *ueniſti gratiam apud Deum.* Lucæ 1. num. 30. Sed inquiramus, quam gratiam Maria inuenit? Nam ſi inuenit gratiam,perdidiſſe illam, videtur, denotari. Solum enim inuenitur, quod erat perditum. Dicemus ne, Mariam gratiam amiſiſſe ? Abſit. Imo ex verbis Archangeli, ni fallor, contrarium haurire poſſumus ſenſum. Non enim dixit, gratiam inueniſſe Mariam, ſed è contra Mariam inueniſſe gratiam. Vnde ſi quod erat perditum inuenitur ; Maria gratiam amiſſam inuenit, nempe gratiam ; quam amiſimus in Adam. Atqui gratia, quam amiſimus in Adamo, fuit gratia, & iuſtitia originalis. Ergo hanc prædicat Gabriel, Mariam inueniſſe. Adeſt pro nobis Albertus Magnus. ſermon.1. ad annunciatione. *Inueniſti* Albert.Mag. *gratiam*, inquit, *non creaſti, vt Deus ; non rapuiſti, vt Angelus ; non perdidiſti, vt Adam ; non emiſti, vt Simon Magus ; non abſcondiſti, vt infidelis doctor, ſed reſtituiſti potius.* Expende illud : *Non perdidiſti, vt Adam.* Quod ſi coniungas cum illo : *inueniſti gratiam :* abſque dubio colliges, Mariam inueniſſe gratiam, quam nobis perdidit Adam. Cum ergo hæc ſit iuſtitia, & gratia originalis : Maria proculdubio hac fuit ornata : ergo abſque labe primi parentis concepta. Sed quorſum Gabriel cum Mariam ſalutat, etiam in ipſo æterni Verbi incarnationis limine, mentionem facit illius fæliciſſimi inſtantis, in quo concepta fuit in ſplendoribus gratiæ? Quænam eſt connexio inter Conceptionem Mariæ,& Verbi diuini incarnationem ? Certe, vt exinde pateat, Chriſto Domino interfuiſſe, ſuam matrem eſſe conceptam abſque labe primi parentis. Cum enim Dei filius cæpit eſſe Mariæ, oſtendere voluit, dignitatem matris ſuæ, vt conſtet natum ex matre ab omni culpa immuni : quia glorioſum fuit Chriſto ex matre munda ab omni peccato ducere originem.

82. Hanc ſuæ matris excellentiam, prærogatiuamue ore Dauidico explicuit Deus cum de filij ſui incarnatione agens dixit Pſal.71. n.6. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* Verbum diuinũ Pſal.71. n.6. fuiſſe hanc pluuiam,eiuſque ſacratiſſimam matrem hoc vellus, nemini dubium eſt, & communi patrum calculo comprobatur. Hinc liceat inquirere : cur regius vates cum de Incarnatione

carnatione æterni Verbi sermonem instituit, sanctissimam eius genitricem velleris nomine appellat? S. Amadæus hom. 3. sic nodum soluit.

Amadæus. *Vellus, cum sit de carne, excrescit extra carnem, & carnis passiones ignorat.* Ac si diceret: Vellus ab ariete, vel oue ducit originem: & tamen nec aries, nec ouis est, sed vellus, hoc est, alterius naturæ: carnem vt matrem agnoscit; attamen carnis passiones ignorat, in quo non parua velleris excellentia relucet, nempe, quod tametsi à bruto ducat originem, est absque brutalitatis contagio. Ad rem ergo. Mariam velleri confert Dauid diuinum Verbum in suis sacratissimis visceribus hospitantem, vt in die Incarnationis maternæ conceptionis puritatem redigat in memoriam. Quod velleris exemplo mirifice explicuit. Nam sicut vellus, cum sit de carne, excrescit extra carnem, & carnis passiones ignorat: ita Dei genitrix, quæ tanquam pulcherrimum, & candidum vellus Deum ipsum corporauit, & in quam pluuia illa fæcunda Verbi descendit; quamuis ab Adam, & tot progenitoribus lachrymabili culpa infectis ducat originem; ita longe à culpa extitit, ac si ab illis non descenderet, vel ac si alterius esset naturæ. Ergo cum regius Psaltes Mariam appellat vellus, purissimam eius conceptionem prædicauit. At instabis: cur Dauid æterni Verbi incarnationem prædicens, suæ genitricis intemeratam conceptionem in medium attulit? Vt exinde noscas, Christo Domino honori, & vtilitati vertendum, matrem habere tanta sanctitate nobilem, quæ nec per minimum instans culpæ vilitate fædaretur. Ergo Maria, quia mater Dei ab originali culpa fuit immunis.

83. Ex matris dignitate (vt vidimus) hanc excellentiam fatemur in Maria dimanasse: nam si Dei Verbum primos parentes nostros in gratia, & sanctitate condidit, potiori iure matri suæ debuit impendere, quod aliis curauit elargiendum. Adest pro nobis locus Matth. 12. n. 48. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Respondit Christus, cum diceretur ei, matrem, & fratres foris expectare. His Verbis primo aspectu videtur Christum minus attente se habere cum matre, sed non sic visum fuit Chrysostomo tom. 3. homil. 20. in Ioannem, cum diceret. *Quæ est mater mea, & fratres mei? Non quod matrem contemneret. Absit. sed vt maxime vtilitati consuleret, neque occasionem daret, vt quispiam de seipso abiectum coniectaretur: nam si aliorum curam habebat, & digna se opinione illos imbuere moliebatur, longe magis id in matre curasset. Cum enim consentaneum sit Mariam, vtpote matrem priores sibi partes vindicasse.* Contendit Chrysost. ostendere, Mariam nullatenus repulsam fuisse à filio, & ad hoc confirmandum tale deprompsit argumentum. Christus Dominus aliorum curam habuit. Ergo longe melius hoc circa matrem præstitit. Et deinde hoc confirmat: quia consentaneum est, Mariam, vt pote matrem, priores sibi partes vindicasse. Ex aureo Chrysostomi ore subsume tibi argumentum ad rem nostram. Dei filius primos parentes in gratia, iustitia, & sanctitate produxit. Ergo potiori iure hoc erga matrem suam curauit. Consentaneum enim erat, vt non negaret matri, quod aliis concesserat.

Matth. 12. n. 48.

Chrysost.

Non semel expendi, Spiritum Sanctum in rerum primordio aquæ elementum sibi in vehiculum consecrasse: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Genes. 1. num. 2. Vbi notanter aduerte, prius nominari Spiritum Sanctum, quam aquarum nomen aures feriat. Vnde ergo aquis tanta aduenit excellentia, vt inter creata in tanti numinis assumatur vehiculum? Caret cœlum stellarum radiis; terra adhuc informis, inuisibilis, & incomposita non vernat florum pulchritudine, fructuum vbertate, & viridi arborum ornatu: aër tenebrarum densitate tristitiam ostendit, & solus liquor vectaculum Deo subiiciebat! Cur, nec per minimum instans, aqua Dei præsentia caret? Aptissime Leo Papa serm. 5. de natiuitate Domini. *Originem,* inquit, *quam sumpsit in vtero virginis posuit in fonte baptismatis. Dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, vt Maria pareret saluatorem, eadem fecit, vt regeneret vnda credentem.* Id ipsum dixit Cæsarius Arelatensis homil. 5. his verbis. *Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per omnem terram multitudines de solo sinu fontis tanquam partu virginis procreantur. Gaudeat Christi Ecclesia, quæ ad similitudinem beatæ Mariæ Sancto Spiritu operante ditatur, & mater diuinæ prolis efficitur.* Horum Patrum intentum, vt ex eorum verbis perspicue patet, est demonstrare, aquam ad similitudinem Mariæ operante Spiritu Sancto matrem effici diuinæ prolis. Dixerat hoc Christus Nicodemo. Ioan. 3. num. 5. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Ex fonte ergo baptismatis prægnante fæcunditate Spiritus Sancti renascuntur filij Dei, non natura, sed gratia. Ex Maria, & Spiritu Sancto natus est filius Dei naturalis. Vtraque ergo habet prolem diuinam: aqua adoptiuam: Maria naturalem. Ecce nunc, quare nec solum instans permittitur, quo Spiritus Sancti careat præsentia; quia per baptisma filios Dei adoptiuos paritura erat. Si ergo aqua, quia mater filiorum Dei erat futura in primo instanti diuini Spiritus ditatur fauore: quanto potiori iure Virgo mater, quæ mirante natura suum genuit genitorem filium Dei naturalem, in primo instanti debuit, Spiritus Sancti ornari muneribus? Consentaneum enim erat (teste Chrysostomo) Mariam, vt pote matrem priores, & potiores sibi partes vindicasse. Dicamus ergo beatissimam Mariam tot gratiis ornatam fuisse productam, vt nullatenus in conceptione fuerit maculata. Nam quæ, vt mater Dei esset, concipiebatur, ab omni labe debet existimari aliena, vt decebat, quæ paritura erat Deum. 84.

Genes. 1. n. 2.

Leo.

Cæs. Arel.

Ioan. 3. n. 5.

Illatio CCXX.

Si Maria communi primorum parentum labe esset infecta, indecens mater Dei haberetur.

NOn solum Mariam absque labe primi parentis conceptam, sed fœtum gratiæ, vt Dei genitricé decebat, huc vsque probauimus: nunc hoc ipsum placet ostendere, ex eo quod, 85.

si eius conceptio culpæ originalis macula fœdaretur, haberetur indecens mater Dei. Cum Moyses populum adorantem vitulum aureum conspexisset, confregit tabulas legis ad radicem montis, sibi persuasum habens, mandata Dei à populo contemnenda, qui Deum ipsum iam contempserat. Exod. 32. n. 19. Occisis triginta millibus placatus est Dominus ib. n. 29. & sequentibus. Tandem c. 34. n. 1. Sic Dominus loquitur ad Moysem. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.* Sed cur Deus præcepit Moysi, præcidere duas tabulas lapideas instar priorum? Si vt iterum scribãtur in eis mandata legis; haud difficulter potuit Deus Moysem ab hac cura eximere priorum fragmẽta coniungendo. Poterat enim Deus ita priores tabulas in pristinũ statum restituere, & solidare, absque eo quod earum vnio à visu perspicacissimo posset percipi. Cur ergo alias tabulas requirit? Aptissime noster Tostatus q. 3. in cap. 34. Exodi. *Quasi dicat: Oportet, quod nunc scribam ego alias tabulas; quia tu fregisti tabulas primas continentes præcepta decem.* Sed vnde colligit Abulensis oportuisse, alias tabulas præcidere, quia Deus in eis scripturus erat legem? Profecto, quia Moyses primas tabulas confregerat. Indecens enim putauit Deus in tabulis, quæ confractionis iniuriam passæ fuerant, tametsi postea sũmo artificio solidarentur legis præcepta, & verba sua scribere. Quia, etsi partium vnio non appareret, & ita consolidatæ existerent, ac si confractæ non fuissent; tamen passas fuisse illud damnum, Deus non posset impedire. Vult ergo Deus, quod tabulæ, in quibus verbum suum, & præcepta scribenda erant, ita immunes sint ab omni iactura; vt confractas fuisse, indecens reputet, vt in eis verbum suum scribatur. Hinc ad præsens thema operosum non erit deducere argumentum. Maria tabula est, non lapidea quomodolibet, sed pretiosissima super omnem lapidem pretiosum, in qua æternus Pater æternum Verbum scripsit, cum naturam nostram assumpsit Filius. Ergo tabula indecens esset, vt in ea tanta exararetur scriptura, si primi parentis passa fuisset iniuriam. Nam, si tabulæ illæ, quia à Moyse confractæ, inutiles fuere, vt Deus in eis iterum suam legem scriberet, etiam si summo primore, & artificio essent consolidatæ; quia confractas fuisse, nec ipse Deus posset impedire: si Maria semel, vel per solum instans, originalis culpæ ictu fracta esset, quantumuis postea gratiis, & priuilegiis à Deo ornaretur; vulneratam fuisse, contraxisseque maculam, semper persisteret. Hoc ergo indecentia esset, vt Maria præcelsa dignitate Deiparæ gauderet.

Exod. 34. n. 1

Abulens.

86. Victoria parta contra Lisiam Iudas ille Machabæorũ splendor cogitauit, reædificare templum, sanctaque mundare, & ait sacer textus 1. Machabæor. c. 4. n. 44. & 45. *Et cogitauit de altare holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit in illis consilium bonum, vt destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminauerant illud gentes, & demoliti sunt illud.* Et statim n. 47. *Et acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificauerunt altare nouum secundum illud, quod fuit prius.* Duo (vt constat) à Iuda facta sunt in hoc casu. Primum: altare antiquum redegit in puluerem: secundum: aliud altare construxit. Altare antiquum demolitus est Iudas (quod approbat sacer textus dicens: *Et incidit in illis bonum consiliũ*) quia contaminauerunt illud gentes, indecens iudicans, vt Deo vero deseruiret, quod falsis numinibus fuerat oblatum. Sed cur hoc altare esset indecens ad exhibendũ cultum Deo vero, si sacris ritibus mundaretur à contaminatione gentium? Illis iam esset reconciliatũ, vt diuino cultui deseruiret: ergo tunc iam non esset in opprobrium Iudæ, & populo. Quare ergo demolitur? Quia quantumuis altare illud mundaretur cæremoniis sacris; non aboleretur, contaminatum fuisse, & pollutum à gentibus falsis superstitionibus. Merito ergo aliud altare nouũ subrogatur purum, incontaminatũ, & mundum: nam altare, quod Deo deseruire debet, vt in eo illi exhibeatur cultus debet esse mundum non solum à macula præsenti, verumetiam à contractione omnis maculæ. Maria est hoc altare. Sic Andreas Cretens. orat. 2. de natiuit. circa finem. *Maria est altare, in quo agnus Christus vinum sacrificium spiritualiter offertur.* Sic etiam Abbas Celensis c. 21. & passim alij. Ergo non fuit contaminata primorum parentum peccato. Alias enim indecens esset altare, si infælicis maculæ contraheret immunditiam. Nam quantumuis deinceps gratiæ priuilegiis ornaretur, verum est, quod mundaretur à culpa, at hoc, quod est, eam contraxisse, nunquam aboleretur, & hoc maxime indecens esset, vt Deum gigneret. Quia si contaminatum fuisse, obstauit altari holocaustorum, vt in eo Deo exhiberetur cultus; potiori iure obstasset Mariæ, quæ multò sacratius altare est, vt filij Dei esset mater.

1. Mach. 4. n. 44. & 45.

Ibid. n. 47.

Andr. Cret.

Illatio CCXXI.

Si originalis culpa Mariam infecisset; præsumeret peccatum etiam infecisse Christum.

87. Quam aliena originalis culpa à Maria sit, quamque indecens esset, matrem Dei maculatam fuisse infausta illa primi parentis labe, ex hoc aperte constabit; quia si Maria à prima præuaricatione non esset immunis, sed veneno serpentis infecta, superbè presumeret culpa, ipsum Christum tantæ matris filium infecisse. Tanta inter matrem, & filium est connexio, imo identitas, vt verbis vtar Petri Damiani serm. 1 de natiuit. Virginis, cum dixit: *Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Non quia persona Christi sit persona Mariæ, Absit, sed quia Maria carnem, & sanguinem dedit Christo. Dico ergo, quod si caro Mariæ contraheret Adami culpam, superbè præsumeret peccatum infecisse Christũ omnis peccati prosus incapacem.

Petr. Dam.

88. Illusus à Magis Herodes, irâ, & inuidia accensus Regem verum Iudæorum adhuc infantem formidabat, & solicite ad perdendum quærebat, ne regni iniustam possessionem amitteret. Quid inde? Apparuit Angelus in somnis sanctissimo Mariæ sponso Ioseph, & dixit illi: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in*

Matth. 2. n. 13.

in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Matth. 2. n. 13. liceat hîc quærere. Cur si Herodes Iesum infantem quærebat, & non matrem, admonetur Ioseph ab Angelo, vt secum ferat in Ægyptum Filium, & matrem? Tota tyranni Regis solicitudo erat interficiendi Christum, non occidendi Mariam: nam illum formidabat, & è medio tollere cupiebat, vel regni ambitione, vel timore tyrannidis, non matrem: quare ergo Iosepho præcipitur, vt simul cum Maria fugiat in Ægyptum? Certe quia cum Herodis furor Christum quæreret, vt interficeret, eo non adinuento, si matrem inuenisset, furorem, & rabiem in eam conuerteret, iudicans idem esse matrem, ac filium interficere. Fugiant ergo ambo, ne in matre Rex impius audeat complere: quod cupiebat in filio. Ad rem nunc. Si originalis culpa Mariam maculasset, auderet præsumere (superbe satis) etiam Christū infecisse. Sic enim Christi, & Mariæ cōmunis est honor, eadem est gloria: inter vtrūque tanta est connexio, imò & naturæ identitas (vt cum Damiano loquar) quod contenta esset culpa, si Mariam maculasset, putans, aliquo modo Christum, in matre infecisse.

89. Ob hoc putarem, quod si Maria in peccato originis concepta fuisset, Christus Dominus, vt pietati filij satisfaceret, teneretur lachrymas fundere ob tantam matris infelicitatem. Quid enim ægrius ferret filius erga matrem deuotus, quam eam videre labe ignominiæ infectam. Mortuo Iacob fratres Ioseph, timore correpti, sic ad castissimum Præsulem sunt locuti. Genesis 50. à num. 17. Gen. 50. n. 17 *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obsero, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, vt seruo Dei Patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph.* Examinemus huius Patriarchæ lachrymas. Cur, ô vir strenue, lachrymas fundis, qui quondam mira fortitudine pulchritudinem ad cupidinem te allicientem superasti? Hîc multa se offerunt dicenda. Fleuit Ioseph, quia eius fratres, cùm essent orti ex perillustri Iacobi genere petulanter mentiebantur, verba illa à Patre animam iam agente commendata finxerunt, vt notauit Lyranus ad præfata verba, vbi nobiles reprehendit à veritate aberrantes, & amplectentes mendacia. Fleuit etiam, quia putauere fratres, Iosephum vindicaturum præteritam iniuriam proditionis; quo dedecorabatur virtus, & nobilitas Iosephi. Nam vindictam sumere de iniuriis, ignominiosissimum genus est; idque de viro ingenuo suspicari lachrymabile prorsus. Tandem rem ad præsentem respondeo: ideo fleuisse, quia cum fratres Ioseph redigerēt in memoriam proditionem illam Ismaëlitis factam, Iacobum parentem tanti flagitij complicem fecerunt dicentes: *Nos quoque oramus, vt seruo Dei Patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Quid ergo mirum, quod Ioseph lachrymas effundat: *Quibus auditis fleuit Ioseph:* Cùm audit, patrem fraterna proditione à fratribus maculari? Alienus fuit Iacob à tanto crimine: attamen quia audiuit à fratribus falsum flagitium attribui, lachrymas fundit Ioseph, adhuc falsum in patre crimen deplorans. Nam quî fieri posset, Iacobum contraxisse culpam, & Iosephum filium ex ea dedecore non affici? Si ergo Ioseph vel mentitum crimen à fratribus parenti impositum deplorat: quas lachrymas Christus non effunderet, si Maria, quæ est decor, & stella Iacob, mortifera illa culpa originis esset infecta, veritus ne culpa matris in filium transfundi putaretur.

Adhuc altiorem volatum sumit discursus. 90.
Ausim dicere: quod si Maria originis labe esset infecta; videretur indicari, ipsum Christum absque gratia conceptum. Non dico Christum originis peccatū contraxisse. Absit hoc. Scio enim naturam humanam Christi in sensu composito vnionis hypostaticæ peccādi fuisse incapacem: quia ab eo instanti in quo humanitas vnita fuit diuinitati in supposito verbi, omnis culpa repugnauit ei. Hæc vera sunt: attamen, si Maria originali culpa fuisset maculata; Christus Dominus videretur indicare in sua conceptione caruisse gratia, & sanctitate. Multa Christus prædixerat signa Discipulis suis diem illum, in quo vniuersis hominibus posituras est rationem præcedentia: Discipuli autem illius tremendi diei desiderabant, certam, & statutam durationem scire. Quibus sic respondit Dominus: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Matth. 24. n. 36. Matth. 24. n. 36. Aliquid amplius addidit Marcus cap. 13. n. 31. Quo difficiliorem reddit hunc textum, dicens: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius hominis, nisi Pater.* Marc. 13. n. 31. Hæc verba multum torsit Patrum, & Expositorum ingenia. Quia Christum consubstantialem Patri fatemur. Ergo ita sapiens sicut Pater: imò ambo sunt ipsa & eadem sapientia. Quomodo ergo ignorare potest Filius, quod Pater non ignorat? Multa dixere Patres, & Interpretes circa huius textus explicationem suis locis opportune referenda. Ad rem nostram respondit Origenes in Catena S. Thomæ ibid. his verbis: *Donec Ecclesia, quæ est corpus Christi ne scit diem illum, & horam, tandiu nec ipse Filius dicitur, diem illum, & horam scire.* Origenes. Quod est dicere: Christus dicitur, diem illum ignorare; quia eius Ecclesia eum ignorat. Sed quid referre poterat, quod Ecclesiæ cognitionem subterfugeret illa dies, vt dicat Origenes, ideo Christum indicasse, se illum diem ignorasse, quia eum ignorabat Ecclesia? Quid dicet blasphemus Arius? Quid perfidus Eunomius æqualitatem cum Patre Filio abnegantes? Cur igitur, bone Deus, illius diei notitiam, quam habes, negas? Quia Ecclesia Christi dilecta sponsa illum diem ignorat. Tanti enim Christus facit Ecclesiam, vt quia illa ignorat illum diem, insinuat, & ipsum ignorare. Hinc iam non erit operosum argumentum deducere ad præfati thematis confirmationem. Nam sicut Christi infinitæ bonitati repugnat peccati malitia; ita eius infinitæ scientiæ implicat ignorantia. Ergo sicut Christus velut cedens scientiæ, cum certo scriret diem iudicij, insinuat, eum ignorare, quia eius sponsa Ecclesia illum ignorabat: si Maria Mater Christi, & sanctior ipsa Ecclesia, (imò infinite omnes Ecclesiæ Sanctos excedens, vt ait Damascenus orat. 1. de dormit. Virg. his verbis: *Infini* Damasc.

tum Dei seruorum, ac Matris discrimen,) in illo primo instanti suæ conceptionis gratiæ,& sanctitatis careret ornatu; ipse Christus videretur teneri,etiam insinuare,illo caruisse. Alias enim ardentius diligeret Ecclesiam, quam Matrem: siquidem ob Ecclesiæ amorem veluti cessit cognitioni, quam habebat, indicans non habere.

ILLATIO CCXXII.

Maria, quia Virgo, absque peccati originalis labe concepta.

91. MAria Dei genitrix non solum semper Virgo corpore, sed etiam anima prædicatur à Damasc.lib.4.de fide orthod.c.15.his verbis: *In domo Dei plantata,atque per spiritum saginata,& instar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur, vt quæ videlicet ab omni huiusce vitæ, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita Virginem vnâ cum corpore animam conseruasset, vt eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.* Idem expressit Ambros. lib. 2. de virginib. *Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea,quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit?* Et statim addidit: *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente.* Idem docuit Bernardus serm.2.*Super missus est*, dicens: *Missus est Angelus ad Virginem. Virginem carne,Virginem mente.* Augustinus docuerat libro de sancta virginitate,c.5.cùm dixit: *Sola ergo Maria & spiritu, & corpore, & mater, & virgo.* Hæc testimonia, ni fallor, vidit Ioannes Gerson sermone de conceptione ex quibus hanc consequentiam intulit: *Alias non Virgo mente si peccato originali corrupta.* Examinare, placet,efficaciam huius consequentiæ. Intulit hic Doctor, Mariam non fuisse virginem mente, si peccato originali esset corrupta. Duplex est virginitas. Altera est corporis: scilicet, qua quis se immunem à venereis seruauit cum proposito non amittendi integritatem corporalem. Sic sanctus Thomas explicuit 2. 2. quæst.152.art.2.ad 1. *Homines*, inquit, *ex sua natiuitate habent id, quod est materiale in virginitate, scilicet integritatem carnis immunem ab experimento venereorum. Non tamen habent id quod est formale in virginitate, vt scilicet habeant propositum seruandi integritatem propter Deum: & ex hoc habet rationem virtutis.* Altera est virginitas animæ, scilicet sic puram conseruare animam, vt nec leuis culpæ aura hic flos marcescat. Hinc iam mentem sanctorum Patrum attribuentium Mariæ vtramque virginitatem satis calleo; Gersoniſque argumentum expono. Sicut Maria in suo corpore nullam maculam admisit, quæ eius corporalem integritatem violaret;sic in eius sanctissima anima tanta adfuit integritas, vt nihil contra animæ virginitatem reperiretur. Nullatenus ergo mente extitisset Virgo, si originalis culpæ macula fuisset violata: sicut nec virgo corpore, si venerei motus admitteret corruptelam. Si ergo animæ virginitas, & integritas, vel leui culpa marcescit; originali labe potiori iure tolleretur è medio. Maria ergo, quia virgo mente, concepta sine peccato.

Damasc.

Ambros.

Bernard.

Augustin.

Gerson.

S.Thom.

Hanc mentis integritatem satis explicuit ille cœlestis sponsus cùm amasiam Mariam alloquitur. Cant.5.n.2. *Aperi mihi,soror mea,amica mea, columba mea.* Tribus amoris nominibus sponsam honorat, eo quod originali,veniali,& mortali culpa careat. Sed quod expendo est: cur cùm eam vocat, postulat, vt sibi Soli cordis ianuam aperiat? Quia sponsi sponsa tam cautam, & castam vitam agebat, vt nisi sponso,& satis cognito ianuam non aperiret. Erat quippe virgo non solum corpore,sed etiam mente. Quid mirum,si solum sponsum,& non alium admittat intra cordis affectus? Apte Ambros. lib. de Isaac.c.6. *Aperi*,inquit,*mihi;sed extraneis claude. Aperi ergo mihi,noli aperire aduersario, neque locum des diabolo.* Nam virgo non solum corpore, sed etiam mente soli Deo cordis ianuam aperit. Ergo Maria flore vtriusque virginitatis vernans solum Deum intra cordis intima admisit. Non ergo fuit ab aduersario possessa. 92.

Cant.5.n.2.

Ambros.

93. Et quid dicam: iamiam Mariæ, hoc est, primum illud suæ creationis momentum, diabolo occlusam fuisse? Audeam dicere, nec Angelum Domini sine Dei præsentia Mariæ vestibulum salutasse: *Aue gratia plena, Dominus tecum*: Dixit Gabriel Mariam summa reuerentia salutans. Luc.1.n.28. Quæ verba expendens Chrysol. serm. 143. sic intulit: *Ergo erat cum Virgine,qui ad Virginem miserat.* Erat sanè: hoc denotat illud: *Dominus tecum.* Imò addit Rauennas: *Præcessit Nuncium suum Deus.* Prius cum Virgine sacratissima erat Deus, quàm Gabriel legationis functionem inchoaret. Hinc dubium: cur Deus omni mora secluſa, & omni cura adhibita Angelicum ingressum ad Virginem præuenit sua præsentia? Profectò: quia Angelus ad Virginem corpore, & Virginem mente mittebatur: quasi non pateretur Deus, vt vel per solum instans Angelus sua natus putus Mariam alloqueretur, quin iam Deus esset cum illa. Sic sic Deus Mariæ puritatem zelat, vt non permittat, Angelum cum ea habere colloquium, absque eo quod ipse Deus iam in ea habitet. Si ergo Deus maternæ puritatis ita fuit solicitus, vt nec Angelum cum Maria colloqui permittat, quin & Angelum præcedat: qui intelligi potest, adhuc per vnum instans Virginem Matrem à dæmone possessam,& culpa corruptam? Luc.1.n.28.

Chrysol.

94. *In dolore paries filios.* Euæ prædixit Deus in pœnam suæ præuaricationis. Gen.3.n.16. Hæc sententia omnes fœminas cõprehendit, si vnam Mariam excipias: quia ipsa sola sine exemplo virginitatis flore seruato filium concepit,& peperit. Sic sensere Nicetas lib. 2. thesauri, c.31. Gaudent.serm.9. Aponius lib.4.in Cantic. Leo serm.3.de natiu.Christi. Bonauent.in Amator. Amadæus homil.13.de laudibus virg. Nissenus homil.13.in Cant. Omnes isti Mariam doloris ignorasse molestias in partu fatentur, quia Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum permansit. Sed audi Petr.Damian.homil.46.de natiu.Virg. vbi sic ait: *Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Euæ: in dolore paries filios. Quæ sententia in aliis matribus viguit, in Maria modũ sui iuris amisit.* Ergo si dolor in partu,& ius in omnes fœminas acquisitũ, in Maria nõ viguit; quia absque

Gen.3.n.16.

Nicetas.

Aponius.

Leo.

Bonauent.

Amadæus.

Nissen.

Pet.Dam.

absque præiudicio pudoris,& virginitatem immarcessibilem;& incontaminatam seruans florem Nazaræorum Christum dedit sæculo:absque dubio propter virginitatem à primæ fœminæ sententia libera extitit. Ergo Maria, quia virgo primam maculam non contraxit.

95. Aspice hominis formationem,& inuenies in ea huius thematis verum simulachrum. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ,& inspirauit,in faciem eius spiraculum vitæ,& factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2.n.7.At quænam fuit hæc vita, qua limus ille vixit?Interlin.ibid. de hac vita,qua viuimus intelligit.Lyranus sic: *Et inspirauit ad ostendendum,quod anima hominis est ab extrinseco per diuinam creationem, & infusionem, quia simul à Deo creatur, & corpori infunditur.*Glossa moralis aliter explicuit: Factus est homo in animam viuentem: scilicet vita gratiæ, quæ perfectio est naturalis vitæ.Itaque Deus luto non solum animam infudit, qua naturali vita frueretur, sed homini perfectiorem vitam,gratiæ scilicet, liberaliter contulit.Hinc dubium insurgit: quare ergo Deus limum vilem honorat, cùm ex eo Adamum plasmauit,vt non solum naturalem, sed gratiæ vitam tribuat? Perbelle respondet Tertull. lib. de carn. Christi,c. 17.*Virgo erat adhuc terra,nondum opere compressa, nondum sementi subacta:ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam.* Quod est dicere:tanto honore Deus terram affecit,quia vomeris non sensit iniuriam, aut ligonis ignorauit molestiam:erat enim virgo adhuc terra,ex qua formauit Adamum. Ideo ergo corpus illud terreum,adhuc vitæ expers diuina respiratione animatur, potiturque non solum naturali vita,sed gratiæ prædita informatur anima, quia virgo erat terra, ex qua illud finxit Deus;ne per vnum solum instans terra virginitatem seruans vita sine gratia fruatur. Integritati ergo debet terra hominis, quod supernaturali vita ornetur.Si ergo primus parens, quia ex virgine terra plasmatus, anima viua, hoc est, gratiæ prædita perfruitur in exordio: Maria Domina nostra, & pia mater, quæ non solum corpore, & animo virgo extitit, sed fuit ipsa virginitas,aut persona virginitatis(vt cum Damasceno loquar orat. 2.de natiu.Mariæ,col.13.) quia sicut hypostasis puritatis virginitatem sustentauit. Vel si profundius intelligas Damascenum;Maria dicitur virginitatis persona,quia sicut in ea nullum potest instans excogitari, in quo non intelligatur persona; ita nullum apprehendi potest momentum, in quo non consideretur Virgo. Propter eius perpetuam integritatem nullum fuit in ea instans, in quo vita gratiæ non respiraret. Ergo ex perpetua virginitate corporis,& mentis à Maria Virgine non solum actualis venialis, vel mortalis, sed originalis etiam culpa releganda est. Totum hoc petit puritas Mariæ vt disertis verbis docuit Angelicus Doctor S Thomas in 1. dist. 44. art. 3. ad 3.vbi sic ait: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.* Quid clarius.

Genes. 2.n.7.

Interlin. Lyran. Glossa Mor.

Tertullian.

S. Thomas.

ILLATIO CCXXIII.

Maria, quia vniuersalis benefica, originalis culpæ expers.

MAriæ beneficentiam nemo non experitur. Audi Bernardum serm. 2. *Super missus est*, sic dicentem: *Ad Virginem sicut ad Medicum,sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam respiciunt,& qui in cœlo sunt,& qui in terra, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequuntur.* 96. Bernard.

Et nati natorum,& qui nascentur ab illis. Illi, qui in cœlo sunt, vt restaurentur;& qui in inferno, vt eripiantur, & qui nos præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, & qui sequuntur, vt glorificentur. Rursus idem Bernardus sermone 98 prosequitur. *De plenitudine Mariæ accipiunt vniuersi: captiuus redemptionem; æger curationem; tristis consolationem; peccator veniam; Angelus lætitiam; denique tota Trinitas gloriam, Filij persona humanæ carnis substantiam,vt non sit, qui se abscondat à calore eius.* Cyrillus Alexand. homilia 6. contra Nestorium dixit: *Per te, ô Virgo, Trinitas sanctificatur:* hoc est,per Mariam ab hominibus vt sancta colitur Triniras. Et German. Constantinopol de Zona virg. sic de Maria loquitur: *Propterea patrocinium tuum maius est, quàm intelligentia apprehendi possit.* Quod nostrum captum superat infinitum est, & incomprehensibile. Hoc diuinitatis encomium singulare Germanus Mariæ tribuit patrocinio. Quid mirum, si Angelis. Filio Dei, & totæ Trinitati aliquid tribuit Maria, vt dixit Bernardus? Ex hac ergo beneficentia immunis fuit ab originali labe.

Cyrill. Alex.

Germ. Cõst.

97. Leui. 11. Sanctione diuina erat statutum, vt qui morticinia tangeret, tanquam immundus excluderetur à Tabernaculo, populique ei negaretur consortium vsque dum ab illa abluerentur immunditia. Hæc lex sic stricta erat,vt non solum viros, & fœminas comprehenderet; verumetiam vestes,vasa,cibos,& alia,si semel contactui morticiniorum deseruissent. Cùm hæc ità vniuersaliter sanxisset Deus, solam aquam excepit,quæ horum contactu non polluebatur,vt cõstat ibid.n. 36.*Fontes vero,& cisternæ,& omnis aquarum congregatio munda erit.* Noster Abulens. ibid.q. 16.inquirit: cur Deus fontes, cisternas, omnemque aquarum congregationem excipit ab hac lege:cùm Sacerdos,etiã summus si morticinia tangebat, hac lege comprehendebatur, polluebatur, & velut irregularis suspendebatur à functione sacerdotali? Sic dubium soluit Tostatus. *Dicendum est ergo, quod causa huius fuit ex quadam necessitate. Nam si forte aquæ viderentur esse pollutæ non possent homines inde bibere. Decuit ergo, vt non permitteretur idem in fontibus, & congregationibus aquarum, quod in aliis, quæ tangerentur à cadaueribus, quia non consistebat eadem necessitas in aliis rebus, sicut in fontibus, cæterisque aquarum congregationibus.* Quod est dicere: quia aqua erat benefica vniuersalis, & eius solatio, & iuuamine homines indigent ad conseruandam vitam;non comprehenditur in lege vniuersali morticiniorum:hoc est dicere:non comprehenditur lege vniuersali,

Leui. 11. n. 36

Abulens.

cui

cui ex officio competit omnibus benefacere. Maria ergo, cuius patrocinio indigemus omnes; de cuius plenitudine accipiunt vniuersi; quia vniuersalis benefica non fuit comprehensa lege vniuersali peccati originalis contrahendi.

98. Exemplo Estheris hoc ipsum confirmare placet, Pia Regina ingressa est in aulam regiam, cùm instabat lex, qua præcepit Assuerus, quod si aliquis non vocatus ab eo, siue vir, siue mulier in atrium interius Regis intraret absque vlla cunctatione interficeretur. Quid tunc Rex videns Reginam? Sermone blando, vultu hilari eam alloquitur: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus: noli metuere: non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Vbi Emanuël Sa. *Po aliis.* Legit: Menochius ibidem: *Pro omnibus*, id est, pro omnibus Regi, & Reginæ subditis intelligit. Sed cur Esther ab hoc edicto immunis, & à lege, quæ omnbus Hebræis imminebat exempta? Quia pro vniuerso populo Hebræorum in mortis discrimine existente Regem exorabat. Ibidem, cap. 7. Quæ namque omnibus intendit remedium; imo ab vniuersali, & imminenti liberat periculo, illo non comprehenditur. Totum hoc transfert doctissimus & piissimus Canisius ad Beatam Virginem Mariam, lib. 1. cap. 2. de Deipara dicens: *Hæc est illustris illa Esther, deliciæ Regis æterni, abscondita, & custodita, incredibilisque pulchritudinis fœmina, præ aliis omnibus electa Regina, & summo Regi summe grata: quæ toti populo ad depellendum triste mortis decretum singularem gratiam impetrat, atque conseruat.* Maria Dei misericordiæ Mater damna humano generi imminentia depellere nitens, veluti illustrior Esther cœlorum Regem in nos iratum precibus demulcet, rigoremque eius in clementiam conuertit: pro omnibus exorat: & nemo est, qui per eam à periculis non sit liber, Ergo sicut Esther à communi periculo fuit immunis cùm pro vniuerso populo deprecatur, legeque vniuersali non comprehenditur: ita sanctissima Deipara, cuius, nemo est, qui non experiatur auxilium à communi damno propter Adami transgressionem imminenti prorsus fuit libera. Æquum enim erat, vt quæ omnibus parabat remedium, non solum non expetiretur damnum, imò nec incideret in periculum.

Esther. c. 15. n. 12. & 13.

Sa.

Menoch.

Canisius.

99. *Maledicta terra in opere tuo*, &c. ait Dominus Adamo, præuaricationem eius plectens. Genesis 3. num. 17. Quæ verba expendens Alcuinus quæst. 10. in Genesim sic inquirit: *Quare Creator in Adæ maledicto terræ maledixit, & non aquis?* Audi ab eodem responsum. *Quia de terræ fructu contra mandatum Dei manducauit homo, non de aquis bibit.* Remotissima peccati causa fuit terra arborem illam producens, quæ primis parentibus causam obtulit delinquendi, & tamen maledictione diuina plectitur. Sed attende aliam rationem, quam ad rem nostram obtulit idem Alcuinus, ob quam aqua non fuit maledicta. Hæc est: *Et quod prædestinauit Deus abluere peccatum in aquis, quod de fructu terræ contraxit homo.* Propter duo ergo Deus aquæ non maledixit. Primo, quia de illa non bibit homo contra Dei mandatum. Secundo: quia per eam tanquam per instrumentum peccatum erat abluturus: in quo beneficentia vniuersalis aquæ erga genus humanum satis apparuit. Meritò ergo aqua Adæ maledictione non comprehenditur, quæ ipsius maledictum erat ablutura. Venio ad Mariam, quæ excellentius instrumentum fuit nostræ Redemptionis; siquidem ipsum Redemptorem nobis genuit. Ergo potiori iure Maria sub Adæ maledicto non comprehenditur; quia vt vniuersalis benefica sanguinem, quo Christus nos ablueret, eidem contulit.

Gen. 3. n. 17.

Alcuinus.

100. Pro nostro themate est, quod de Beata Virgine testatur Ioan. cap. 19. num. 25. cùm ait: *Stabant iuxta Crucem Iesu Mater eius, & soror Matris eius.* Si consulas Ambrosium, ab eo disces, ideo Mariam iuxta Crucem stare, vt pro salute nostra, si opus esset animam ponetet. Sic ipse in Catenam sancti Thomæ: *Aula regalis etiam sua morte putabat, se aliquid publico adinturam muneri.* Vnde communi calculo à sanctis Patribus Maria titulo corredemptricis honoratur: non quia pro nobis posset de condigno satisfacere (scio enim hoc non posse præstare puram creaturam quantauis gratia prædita,) sed quia impetrabat nostram salutem. Solus enim Christus nos redemit, & solus pro omnibus satisfecit, sicut ipse dixerat Isaiæ 63. num. 3. *Torcular calcaui solus:* & num. 5. *Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret.* Vt explicat idem Ambros. lib. de instit. virg. cap. 7. & epist. 82. illud Psalmi 87. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Verum quia Maria tanto erga genus humanum amore flagrabat, impetrabat nostram redemptionem stans iuxta Crucem. Ob hanc causam eam appellauit Hieronimus in epistola de assumptione salutis hominum auctricem: Augustinus sermone 17. de natiuitate meriti auctricem vocat: Anselmus hominum reparatricem: Irenæus libro tertio contra hæreses, capite 38. causam salutis generis humani: Bernardus sermone secundo de assumptione, totius generis humani mediatricem. Accedunt his Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ. Anselmus de excellentia virginit. cap. 9. Petrus Damianus sermone 1. de annunc. Andreas Ierosol. in orat. de dormitione virg. Richard. Victor c. 26. in Cant. qui omnes vno ore Mariam nostræ salutis causam prædicant. En ergo tibi, ad quid stabat iuxta Crucem. Verumenimuerò quamuis hoc verbum; *stabat*; commune sit in hoc loco Deiparæ, & aliis fœminis, quæ ibi referuntur: recte sentiunt Catholici Scriptores, eam non solum pedibus, vt aliæ fœminæ, sed maxime animo stetisse stabilem, immotam, & infractam. Sic Ambr. de instit. Virg. c. 7. & epist. 82. Estius, & Tirinus ad præfata verba Ioan. Stabat ergo Maria, & sola stabat, quia sola non patiebatur animi deliquium. Et cur sola Maria stat immota, & infracta cùm totus orbis passione Christi concutitur? Cœlum obducitur nubibus; sol tenebris obcæcatur; terra natiuæ quietis oblita cõmouetur; mare fremet, vniuersaque creatura deliquium patitur, & sola Mater Virgo stat, & permanet inconcussa. Cur sic? Perbellè Ambr. epist. 82. cit. circa fin. *Maria*

Ioan. 19. n. 25.

Ambros.

Isaï 63. n. 3. Ibid. n. 5.

Hieron.

August. Anselmus.

Irenæus.

Bernard.

Fulgent. Damian. And. Ierosol. Richard.

nec

Ambros. *nec minor quam Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & pius spectabat oculis filij vulnera: quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortẽ mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putabat, se aliquid publico adiuturam muneri.* Pulchra sane verba. Mundus totus turbatur, vniuersaque concutitur creatura, & sola Maria stat. *quia expectabat mundi salutem.* Ergo in conturbatione illa vniuersali creaturarum Maria sola constanti animo stabat, quia hominum expectabat, coadiuuabat, & deprecabatur redemptionem. Si ergo Deigenitrix Virgo iuxta crucem vniuersale faciebat negotium: quid mirum, quod sola ab vniuersali turbatione sit immunis. Ergo propter hanc vniuersalem beneficentiam vniuersali, & infelici illa peccati originalis turbatione non comprehenditur. Hoc verbum *stare*, significat statum iustitiæ originalis sic Greg. Magn. lib. 3. moral. c. 2.

Gregor. ad illa verba: *Donec reuertaris in terram*, sic ait: *Sic primus homo conditus fuit, vt manente illo decederent tempora, nec cum temporibus ipse transiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustius, quanto semper stanti ardentius inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenso Creatore cæpit ire cum tempore, statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit. Et dum à iuuentute ad senium, à senio traheretur ad mortem, transeundo didicit, stando quid fuit.* Ecce quomodo ex mente Greg. *stare* denotat felicissimum statum iustitiæ originalis. Stabat ergo Maria iuxta Crucẽ, quando vniuersa turbatur creatura, in signum suæ iustitiæ originalis, & quod in sua conceptione steterit, & non incidit in turbationem Adæ.

Illatio CCXXIV.

Mariæ imperium ab originali labe eius liberat conceptionem.

101. Quanto splendore fulgere, quantaque claritate ornari debeat, qui regia amictus est purpura, & regali corona redimitus, satis superque à nobis ostẽsum est supra illat. 55. Ibi enim probauimus regiam maiestatem omni prorsus maculæ suspicione esse liberam. Hinc Mariæ immunitatem ab originali labe, non erit operosum confirmare. Nulli dubium est, Deiparam Virginem, ex eo quod Deum genuit, omnium creaturarum extitisse Reginam. Sic expressere communiter Patres: dabo vnũ & alterum. Audi

Athanas. Athanas serm. de SS. Deipara, dicentem: *Quia ipse est Rex, & Dominus* (intellige Christum) *quæ eum genuit, Regina, & Domina vere censetur.* Idem docuit

Damasc. Damasc. lib. 4. de fide, c. 15. *Vere enim rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater extitit.* Ergo Matris Dei dignitatem consequitur omnium creaturarum imperium. Iuxta mentem Chrysol. serm. 144. nullum est excogitabile instans in Maria, in quo non intelligatur sui conditoris Mater. *Maria*, inquit, *Mater vocatur, & quando non Maria Mater.* Ergo nullum excogitari potest momentum, in quo regia purpura non ornetur. Ergo ob hoc absque communi labe concepta.

102. Accipe totum Deum occupatum, ac deditum, vt hominem conderet. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* Gen. 1. n. 26. Si tamen causam desideres, ob quam totus occupatur Deus in hominis conditione, eumque ex limo formãs, ad imaginem, & similitudinem suam producit, ibidem inuenies. *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginẽ suam, ad imaginem Dei creauit illum* Quod est dicere: Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidit: hoc est, in gratia, in iustitia, & sanctitate, vt explicant interlinealis ibidem, & alij quamplurimi: quia ei orbis ab initio suæ conditionis concedebat imperium. Vbi attente considera Dei curam in ostensione regiæ maiestatis. Ter expressit sacer textus, hominem ad imaginem Dei factum, vt constat ex præfatis verbis: ter repetit hominem in gratia, & iustitia conditum. Sed cur toties hæc hominis primæua felicitas, quæ summæ felicitatis est pignus, hominum notitiæ traditur? Quia Deus condiderat hominẽ, vt omnibus præesset creaturis. Æquum enim erat, ne maiestas macularetur, vt nullum esset instans, in quo Dei imagine non frueretur. Tex ergo primus parens prædicatur imago Dei, vt omnes temporis differentias eius sanctitas amplectatur; vel vt copia sanctitatis exprimeretur triplici appellatione. Ter namque Sanctus sanctissimum indicant, iuxta Hebraïsmum in c. 6. Isaïæ in illo seraphico Trisagio. Nec hoc mireris; plus audet Lippom. ibid. cùm ait: *Vides ergo, quomodo beneficiis suis veluti obrueret Deus hominem, antequam conderet.* Id est: quia Deus hominem erat conditurus, vt orbis clauem teneret, imago Dei præuenitur. In quo indicatur, tanti Deum facere maiestatem regiam, vt antequam fit, ornet eam beneficiis, & veluti obruat suis donis. Lyppoman.

103. Nec solum maiestas regia cùm in lucem est proditura omnem repellit maculam, diuinisque obarmata gratiis secura procedit: verumetiã, vel à longe spectata, præcauet omne, quod maculæ, aut notæ obnoxium est, Mirifice huic consonat doctrinæ Iacobi studium cum Iosephi filij gauderet natali Gen. 30. n. 25. *Nato autẽ Ioseph, dixit Iacob socero suo: dimitte me, vt reuertar in patriam meam, & ad terram meam.* Si tamen causam desideres, ob quã Iacob de regressu in patriam non curat, vsque dum Ioseph extra vterum Rachelis fruitur luce communi, non est facile assignare. Nam Iacob decem genuerat filios, prius quàm Ioseph prodiret in lucem; & tamen nullus eum, vt reuertatur in patriã impellit: & solus Ioseph vix terrã salutans, & miseræ vitæ ingressum adhuc flens, tacite suadet reditum in Chanaam. Quid enim, ô Iacob, in infantulo recenter nato vides, ob quod à socero petis permissum, vt in patriam redeas? Natus Rubem, Simeon, Leui, &c. non venit in mentem Iacob desiderium reuertendi in patriam; & nato Ioseph Chananæam suspirat regionem. Quid est hoc? Aptissime ad rem nostram respondit Isaïas Abbas orat. 6. dicens: *Posteaquam vidit Ioseph, reuerti voluit ad parentes suos; cum vtique sibi eum natum aspexisset, qui Rex foret inter fratres suos.* Viderat Iacob in Iosepho recenter nato, diuina illustratus luce quædam signa purpuræ regiæ, qua ornandus Gen. 30. n. 25. Isaï Abb.

erat

erat apud Ægyptum. Hinc Iacobi desiderium in terram Chanaam sumpsit exordium. Sed adhuc huc insto. Quid, quod Ioseph apud Pharaonem regio redimendus diademate, vt Iacob viso Ioseph tanta anxietudine desideraret redire in paternam domum? Profecto, quia Mesopotamia, in qua tunc habebat domicilium, idololatriæ, & superstitionibus inseruiebat. Cùm igitur certo sciret Iacob, filium Ioseph regali ornandum purpura, & maiestate Regis potiturum apud Ægyptios; cordate satis, & prouidenter cùm primum aspexit infantem, desiderat in Chanaam proficisci, & dimittere solum tot vitiis infectum, ne vel per instans in ea degat infans, quem expectat regnum, & subiaceat periculo peruersionis. Nam sic maiestas dedecoratur culpa, vt vel à longe spectata laborat scrupulo, ne ei aliqua macula contingat.

104 Ex his iam haud difficille erit sanctissimæ Deiparæ purissimam conceptionem deducere, provt decet cœlorum, & omnium creaturarum Reginam. Quod sic ostendo. Nam si maiestas regia, & vniuersalis tot radiis gratiarum fulget, vt ante sui durationem velut sua imagine, & similitudine sigillauerit Deus, vt vidimus in Adamo; & ita maculari abhorret, vt adhuc per instans mansionem in terra periculis obnoxiam fugiat, vt Iacobi studium ostendit in regressu ad terram Chanaam, ne infans gentis Mesopotamiæ periculis subiaceret; quia currentibus annis apud Ægyptios redimiendus erat regio diademate: ergo cum B. Virgo Maria omnium creaturarum fruatur imperio; ne huius vniuersalis imperij maculetur purpura, nec per solum instans peccati labe fuit infecta: imò sicut Adam, potiori iure antequam conciperetur Dei imagine fuit præventa, & diuina similitudine sigillata. Hoc intendebat Damascenus orat. 1. de natiuitate Virginis tritis illis verbis, sed nunquam satis pro meritis expensis, loquens de conceptione Mariæ, vbi cum gratiæ, & naturæ pium certamen describeret super Deiparæ formatione post multa pretiosa verba, sic ait: *Natura tantisper expectauit, donec gratia fatum suum produxisset.* Quibus verbis manifeste asserit, conceptionem Mariæ simul, hoc est, in eadem duratione à gratia, & natura processisse; attamen in prioritate naturæ gratiam antecessisse, & sic Mariæ conceptio prius gratiæ tribuitur, quam naturæ. Maria ergo non solum in primordio suæ conceptionis, quia Regina est omnium creaturarum, caruit labe culpæ originalis, verumetiam antequam conciperetur, gratia, & sanctitate intelligitur præventa.

Damascen.

105. Videamus insuper qualiter Maria omnium Domina libera extiterit in suo primordio à communi peccato, quia omnium Regina. Fauet nobis visio illa celebris Ioan. Apoc. 12. n. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Verba hæc vndequaque Mariæ puritatem in conceptione explicant. Expendamus singula: *Signum magnum apparuit in cœlo:* quia Maria tota cœlestis est, vtpote fœtus gratiæ, vt præmisimus n. præced. *Mulier amicta Sole:* id est vndequaque radians Solis pulchritudine, amore, scilicet, & ardore charitatis, vt communiter exponunt Interpretes. Ergo si vndequaque lucet, & vndequaque ardet, nullo modo peccati tenebris obscuratur, nec Aquilone culpæ alget. *Et Luna sub pedibus eius.* Per Lunam Bernardus ibi intelligit culpam, iuxta illud, *Stultus, vt Luna mutatur.* Eccles. 27. n. 12. Sub pedibus Mariæ culpa calcata, & deiecta iacet. *In capite eius corona stellarum duodecim.* Regio diademate stellarum ornatur caput, non vt illis fulgeat, sed vt eis fulgorem impertiat, ait Bernardus his verbis: *Dignum plane stellis coronari caput, quod & ipsis longe clarius micans ornet eas, quàm ornetur ab eis.* Per has stellas Rupertus duodecim tribus intelligit: alij Angelos, sic Gerson super *Magnificat.* Alphabet. 82. litt. Q. & R. Et quid mirum quod Maria caput suum hominibus, & Angelis ornet; tum vt eos reddat fulgentiores; tum vt denotet, Reginæ munus adimplere, subditos honorans? Non enim decet maiestatem regiam plurimi habere subditos, dedecori autem verteretur dignitati regiæ, si eos parui penderet, aut opprimeret. Post hoc aliud signum refert Ioan. ibid. n. 3. *Et visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram, & stetit ante mulierem.* Communiter Patres, & Interpretes per hunc draconem dæmonem intelligunt. Hac facta hypothesi, sic inquiro. Et in primis haud mihi difficile est, nec nouum Mariam tantam cum dracone oppositionem habere, sicut huius Reginæ ornatu ostenditur, nam Maria stellas habet in capite, draco in cauda: illa pietate ornatur, hoc denotant radij Solis; ille crudelitate, & sæuitia; *draco rufus*, ait Primasius, *id est, cruentus, & sæuus:* Quod notatu dignum existimo, est, quod quando Ioannes refert hæc duo signa, prius describit Mariam totius cœli claritate fulgentem, & vndequaque radiis solaribus circumseptam, ita vt in ea nullus supersit tenebris locus; & postea cruentum draconem describit. Cur non apparuit priusquam mulier, aut cur non simul? Quia cùm hæc mulier typus esset Mariæ cœlorum, & creaturarum Reginæ; & draco dæmonem denotaret serpentem pestiferum, qui protoparentes decipiens, totum humanum genus culpæ veneno infecit; oportuit, vt Maria totius cœli claritate prius fulgeret, quàm dæmoni veniret in mentem, quod posset eam inquinare macula peccati. Quî enim posset Angelorum, & hominum Regina tot lucibus ornata, & præfulgens à tenebrarum Principe obscurari?

Apoc. 12. n. 1.

Eccl. 27. n. 12.

Bernard.

Apoc. 12. n. 3

Primasius.

106. Cantic. 6. num. 9. Angeli admirantes Mariæ conceptionem se ad inuicem interrogabant hoc modo. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens; pulchra vo Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Non miror, Mariam auroræ comparari. Scio enim, munus auroræ gessisse annunciando Christum Solem iustitiæ: vel quia sicut aurora tenebras pellit, & mundo in vmbrarum obscuritate iacente, radiante aurora distinguitur specierum diuersa varietas: sic Maria Solis iustitiæ aurora tenebras peccatorum expulit, & Christi aduentum annunciauit. Insuper aurora dicitur Maria in sua conceptione; quia sicut aurora inter tenebras noctis oritur, quin ab eis iniuriam patiatur; non aliter Maria à tot parentibus in peccati caligi-

Cant. 6. n. 9.

ne

ne conceptis, & in vmbra mortis formatis, lucet sicut aurora tenebrarum peccati expers. Quod mihi videtur maxime expendendum est: cur lunæ, & soli comparetur Maria dum concipitur? Dicam: quia sicut hæc cæli luminaria magna in primordio suæ creationis luce fuerunt ornata: sic Dei genitrix in primo suæ conceptionis momento gratiæ splendore fulsit. Sed adhuc ad rem nostram superest ratio, videlicet; quia sicut sol, & luna temporum gaudet principatu: sol namque diei sceptrum tenet, & luna noctis vt Ex. 1. Gen. n. 16. aperte aperte constat; idcirco ab exordio suæ creationis lucis micarunt splendore. Maria ergo in ingressu vitæ soli, & lunæ cõfertur, vt aperte constet, quod sicut sol, & luna à primo instanti luce splendidissima enituerunt, quia temporis habebant principatum, & ad hunc honorem à Deo producta; sic Deipara beatissima, quæ à Deo fuit condita, vt regina cæli, & omnium creaturarum existeret, in suo exordio sanctitatis luce enituit, libera prorsus à tenebrarum culpæ originalis iniuria. Habuit ergo Maria in conceptione diei, & noctis imperium: illius fulgens sicut sol: istius micans sicut luna noctis tenebras pellens.

107. Tandē existimo, quod si Maria in illo primo instanti suæ conceptionis gratiæ ornatu nudata esset, in eo immerito diceretur regina omnium creaturarum. Nam perinde esset, tunc Mariā existere, ac si non esset concepta. 1. Reg. 19. n. 24. Cum Saul malo animo interficiendi Dauidem veniisset in Ramatha: *Spoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele.* Angelomus ad hæc verba sic ait: *Quæstio magna hîc oritur, cum in præcedentibus legatur, & non vidit Samuel Saulem vsque in diem mortis suæ, & hîc prophetasse corā Samuele dicatur.* Respondet idem Angelomus. *Non vidit indutum habitu regio, quo indutus erat, ideoq; dictum est: non vidit eum vsque in diē mortis suæ, sub audi tur, indutū habitu regio.* Verū est, vt constat. 1. Reg. c. 15. n. 35. Samuelem non vidisse Saulem vsque ad diem mortis suæ: & etiam est verū, Saulem prophetasse coram Samuele: quia quando Samuel vidit Saulem prophetantem, carebat ornatu regio. Videre autem regem regiis insignibus spoliatū, perinde est, ac eum non videre. Hinc sume tibi argumentum, vt reginæ cæli adstruas puritatem conceptionis. Nam si Maria in primo illo instanti, in quo iam omnium creaturarum regina intelligitur, quia in ipso Dei mater, (vt deduximus ex Chrysol. n. 101.) ornatu regio, hoc est, purpura charitatis careret, perinde esset, eam concipi, ac non concipi. Reginam enim videre (sicut retulimus de Saule) habitu regio spoliatam, non est videre reginam: imo si tunc peccati labe esset sordida, dæmonisque subiaceret seruituti: quis eam angelorum reginam appellaret? Esset, & non esset pro tunc, quod manifestam includit repugnantiam. Dicendum ergo est, Deiparam virginem Mariam, ex tunc ab omni culpæ labe immunem fuisse, quia regina extitit omnium creaturarum: alias concepta esset, & non concepta; regina, & non regina.

1. Reg. 19. n. 24.

Angelomus.

ILLATIO CCXXV.

Idem ex Angelorum, & prootparentum gratia, in qua conditi sunt, manifeste deducitur.

108. NEmini dubium est, Angelos à Deo fuisse conditos in sanctitate, & gratia. Sic sentiunt communiter Patres, & Theologi. Basil. in illud: Psalm. 32. *& spiritus oris eius omnis virtus eorum.* Damascen. lib. 2. de fide, c. 3. Hieron. in priora verba Oseæ, 3. cap. & illud Iob. 4. *Et in angelis suis reperit prauitatem* Augustin. lib. 12. de ciuit. c. 9. Greg. lib. 32. Moral. c. 18. alias 25. circa finem, & alij. Ex Theologis S. Thom. Caiet. & recentiores Thomistæ, 1. p. q. 62. ar. 3. Albert. 2. p. summæ tract. 4. q. 18. memb. 1. Durand. in 2. dist. 4. q. 2. Capreol. q. 1. ar. 3. ad 1. contra 5. conclusionem. Vasquez 1. p. disp. 227. cap. 2. & plurimi alij. Similiter de primis parentibus testantur iidem Patres, & doctores, in gratia, iustitia, & sanctitate fuisse conditos, quod nonnulli Theologi de fide esse putant ex Concil. Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali. Id ipsum docuere Dionis. c. 3. de Ecclesiastica Hierarch. Irinæus lib. 13. contra hæreses c. 37. explicans quid sit, fuisse productum hominē ad imaginem Dei. Et clarius lib. 5. c. 20. Chrysost. Homil. 8. & 9. in Genes. Cyrill. lib. 1. in Ioannem c. 9. & li. 2. c. 3. & lib. 11. c. 25. & lib. 12. cap. 56. & lib. de adoratione, & spiritu. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 7. explicans imaginem secundum quam factus est homo. August. lib. 14. de ciuit. c. 11. & 17. & lib. 13. c. 19. Et Prosper responsione, 8. ad capitula Gallorum. Ex his formo argumentum. Angeli, & primi parentes fuerunt in gratia constituti, & conditi. Ergo Dei genitrix, quæ eorum fuit regina ab instanti ipso conceptionis fuit in gratia condita, & concepta. Nec solum hoc deducitur ex præfato imperio, verum etiam excellentiori gratia prædita fuisse in illo instanti, qua angeli, & protoparentes fuerunt ornati. Nam si hi in gratia conditi, Mariam vtriusque naturæ reginam in exordio maculatam inspicerent, gloriarētur, puriorem habuisse originem, & insultarent ei peccati labe sordidæ. Ne ergo serui reginam tantam despiciant, dicendū iudico, ex imperio, quod Maria habet super Angelos, & protoparentes, inferri, non solum à peccato originali immunem, verum etiam in sua conceptione multò excellentiori gratia eos excedere. Nam regina in excellentiis, nobilitate, & gratiis seruos debet excellere. Vide quæ dicta sunt illatione 12. & insuper audi.

Basil. Damascen. Hieron. Augustin. Gregor. S. Thom. Caietan. Albertus. Durand. Capreol. Vasquez.

Dionis. Irinæus. Cyrillus. Chrisostom. Ambros. Prosper.

109. De primo illo Hebræorum rege, quem Deus elegit, Saule scilicet, refertur. 1. Reg. 10. n. 23, quod, *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.* Non casu Saulis statura celebratur: si tamen causam desideras, audi Glossam Moral. ibid. *Altior fuit vniuerso populo: per quod significatur supereminentia virtutis, quæ debet esse in promoto.* Elegerat Deus Saulem in Regem: vt ostenderet ergo, qualiter Rex debet vniuersum populum excedere, de eo dicitur, quod fuit altior vniuerso populo ab humero, & sursum; innuens per

1. Reg. 10. n. 23.

Gloss. Mor.

hoc, quod nullus ex populo coæquatur regi. Hoc apertè explicuit Samuel n.24. ibid. cum
Ibid.n.24. dixit: *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi in omni populo.* Noster Abul. ibid.q.24.circa finem, ex corporis statura, qua reliquos præcellebat, sumit argumentum, vt excessum eius probet in virtutibus, quia à Deo fuerat electus in regem, dicens. *Et sicut*
Abulens. *arguebat Samuel de magnitudine Saulis super alios, ita etiam arguebat, quod non esset ei aliquis similis quantum ad alias perfectiones spirituales: nam modicum proficiebat corpore cæteros excellere, nisi simul & bonitate præstaret.* Itaque rex virtutibus, gratiis, & animi nobilitate cæteros debet anteuertere. Ergo Angelorum, & hominum regina in gratia, & animæ nobilitate eos debet excedere. Propter hæc dicebat ille sapientissimus Idiota lib.6. Mariam allo-
Idiota. quens: *Sanctorum omnium priuilegia, O Virgo, omnia habes in te congesta: nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus.* Ergo Maria, quæ in sua conceptione supergressa est omnes creaturas, non solum gratiam, vt Angeli, & protoparentes nostri, habuit, sed etiam sublimiori sanctitate fuit ornata. Sic Bernardus, serm. de priu-
Bernard. ileg. Ioan. Baptistæ de B. Maria loquens. *Ipsa materna circumsepta visceribus sublimioris sanctificationis genere mundata sit, vt pote sanctuarium illud, in quo Deus, & Dei filius carnem fuerat susceptura.*

110. Ecclesiast.24.n.12.dicebat Maria: *Dixit mihi*
Ecc.24.n.12 *creator omnium, & qui creauit me.* Nota stylum. Deus dicitur creator omnium, & Mariæ Nunquid Maria supputanda est extra numerum creatarum rerum? Absit. Nam licet omnium in gratia, & dignitate sit excellentissima, tamen non est Deus, sed creatura. Ergo sat erat dicere: *Dixit mihi creator omnium*, cum intra spheram creaturarum comprehendatur. Quare ergo addidit; *& qui creauit me?* Quia sermo erat de creatione Mariæ, & de illo fæliciſſimo instanti, in quo omnium creaturarum concipiebatur regina. Perbelle ergo dictum est, nec vlla redundat littera: *creator omnium, & qui creauit me*: vt intelligas, quod licet Maria Deus non sit (est enim pura creatura) cum tamen à sui exordio omnium creaturarum regina extiterit, eius conceptio, & creatio non est similis in donis, & gratiis cæterarum conceptioni. Nam quamvis Angeli in cælo, & primi parentes in paradiso à primo instanti vita gratiæ respirauerint, tamen non sine discrimine amittendi eam. Maria autem non solum in primo instanti abundantiori gratia fuit prædita, verum etiam in ea fuit confirmata, ita vt nequaquam eam posset amittere. Hoc indicauit Bernardus verbis iam datis, cum dixit; *Sublimioris sanctificationis genere mundata sit.* Nam si hoc de maiori gratiæ intentione intelligas parum esset. Intensio enim gratiæ non constituit aliud genus gratiæ nec ad sublimiorem naturam eleuat, sed intra eamdem conseruans reddit efficaciorem. Cum ergo gratiæ sublimitas, qua ornata fuit Maria in sua conceptione, non fuerit gratia vnionis, restat vt sit stabilitas, aut confirmatio in gratia. Nam si Angeli, qui superbiam luciferi contempserunt, in sequenti instanti fuerunt firmati in gratia; & Apostoli in die Pentecostes per aduentum Spiritus sancti similiter in ea roborati: vt eorum reginæ aliquid amplius concedamus, dicendum iudico, in primo instanti hoc dono fuisse ornatam. Æquum enim erat, vt hominum, & Angelorum regina in primo instanti sublimiori genere gratiæ ornarerur, quam eius serui.

Cant.6.n.9.Soli, Lunæ, & Auroræ compa- 111.
ratur Maria in sua conceptione. *Quæ est ista,* Cant.6. n.9.
quæ progreditur quasi aurora consurgens: pulchra vt luna, electa vt sol. Sed nota attente, stellis non comparari. Cur ergo istis Dei genitrix non confertur? Radiis solis micat, lunæ nitet luce; cur non radiat stellarum splendore, vt sic totam cæli includeret claritatem? Respondet Galfridus apud Godofridum in cap.24. num. his verbis: *Quæ sola solem iustitiæ genuit,* Galfridus.
non humanas tantum, sed angelicas stellas supergressa est. Ratio ob quam stellis non confertur Maria est; quia stellæ vtramque naturam angelicam, & humanam denotant; & Dei genitrix vtramque excellit, in donis, in gratia, in claritate, & luce. Ergo cum vtraque natura in gratia, & sanctitate fuerit condita: Maria, quæ vtramque naturam est supergressa, vt pote mater Dei, & omnium creaturarum regina, tanta gratia, tot priuilegiis ornata fuit in conceptione, vt non solum sancta tunc extiterit, sed sublimioris sanctitatis genere sancta, nempe, vt nullatenus eam posset amittere.

ILLATIO CCXXVI.

Peccati originalis vmbra, aut suspicio in Mariæ Conceptione non apparet.

BEatissimam Virginem Deiparam ab ori- 112.
ginali labe exemptam hucusque ostendimus: nunc restat probandum, in tantæ matris conceptione nec vmbram, aut suspicionem primæ culpæ reperiri. *Egredietur virga de* Isaias 11.n.1.
radice Iesse, concinit Isaias c.11.n.1. cur non dixit egredietur arbor? Vt ab egressu Mariæ penitus omnem vmbram originalis culpæ intelligamus exterminari. In arbore præuaricati sunt primi parentes: dicitur ergo Maria dum egreditur, & concipitur virga, non arbor, vt nec nomine tenus ad causam primi peccati dicat analogiam. Ob hoc Petrus Damian. Semone de Annunciatione dicebat:
Germinat ergo virga Iesse de tortuosa radice Petr. Dam.
generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem erumpens omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit. Expende illud: *foliorum tenebras nescit.* Quid est, Mariam nescire tenebras foliorum? Puto, denotasse, non solum Mariam peccati originalis labe caruisse in conceptione, sed etiam vmbram peccati ignorasse. Arboris foliis, in qua præuaricati fuerunt primi parentes, fecerunt sibi perizomata, & operuerunt se, nudati gratia, foliis peccati. Hæc folia ignorauit Maria, quorum vmbra nunquam fuit cooperta.

Nato Christo Saluatore nostro, ait Angelus 113.
pastoribus: *inuenietis infantem pannis involutũ,* Luc.2. n.12.

&

Lucæ 2. n. 12 Bernardus. *& positum in præsepio.* Luc. 2. n. 12. D. Bernardus serm. 3. de natali Domini deuotè hæc considerans, miratur Mariæ, & Ioseph inopiam, & ait: *& cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem.* Cur miraris mellifluè doctor? vel cur ibi nulla pellium sit mentio, aut illis infans Deus non obuoluitur, sed pannis mundissimis? ideo tunc Verbum infans pellibus non inuoluitur; quia pelles primorum parentum à Gen. 3. n. 21. paradiso fuerunt ornatus, iuxta illud Gen. 3. n. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Cum pelles parentum nuditatem operuerint, ineptæ erant, vt eis inuolueretur Christus; ne vbi aderat Maria originalis culpæ esset recordatio: vt sciamus Mariam non solum fuisse immunem à peccato Adami, verumetiam ab eius vmbra, & memoria. Hoc denotauit satis emphatice Bernard. loco cit. *Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obuoluitur.* Quod est dicere: primus Adam pelliceis vtitur tunicis in signum suæ nuditatis, & præuaricationis: secundus vero non pellibus, sed pannis obuoluitur, ne vbi aderat Maria, vel minima primi delicti sit recordatio.

114. Notatu dignum est, & iamdiu notaui, Mariam, quam Christus tanti fecit, abfuisse à cænaculo, in quo Christus augustissimum Eucharistiæ sacramentum instituit. Adfuerunt discipuli, & Maria abfuit. O bone Deus! quî compatitur tantus erga matrem amor, & eius ab institutione tanti sacramenti exclusio? in illa nocte sub panis, & vini speciebus corporis, & sanguinis tui hominibus præparasti conuiuium, & secundum mentem Augustini in Ps. 98. Eusebij Emissèni hom. de natiuit. Domini. Richar. de S. Laurentio lib. 1. de laudibus Mariæ, & aliorum, carnem, & sanguinem, quem ex Maria assumpsisti nobis ministras sub illis speciebus. Cur ergo matrem à tanto honore, & tanta celebritate excludis? neminem legi, qui asserat, Mariam tunc huic institutioni adfuisse. Cur ergo abest? quia in gratia concepta; dicerem, sed adhuc vrget maior difficultas. Nunquid Eucharistiæ institutio oppositionem habet cum conceptione Mariæ, vt dicamus, ideo illius institutioni non adfuisse Mariam, quia in splendoribus gratiæ fuit concepta? absit, imo mirifice consonant hæc duo. Nam si hoc ineffabile sacramentum fuit præsignatum in Manna; sic & Maria; & sicut de illo prædicatur de cælo descendisse, idem de B. Virgine asseruit Ambros. in Psalm. 21. dicens: *ipsam Mariam Manna dixerim: quia est subtilis, & splendida, suauis, & virgo, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* In super arca fœderis, quæ typum Eucharistiæ gessit, Mariæ etiam vmbra fuit, & sic de aliis. Hæc ergo cum ita sint, & inter Mariam, & Eucharistiam sit consanguinitatis cognatio: cur cum Christus Eucharistiam instituit, non adest Maria? iterum dico, quia fuit in gratia, & sanctitate concepta: non quia Eucharistia oppositionem habeat cum conceptione Mariæ; sed quia cum Christus in cænaculo illo pedes discipulorum lauit, & hac functione, vt sensit Ambros. lib. 3. de sacramentis cap. 1. peccati originalis abluit venenum; consultò Christus ad tanti sacramenti institutionem dilectissimam matrem non vocauit, ne adesset Maria, vbi de peccato originali agebatur antidoto. Audi Ambr. *Quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua insidiatus est serpens maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis.* In discipulis adhuc erat venenum illud paradisi, quod Christus lauit, pedes discipulorum abluens: idcirco Maria tunc abfuit; ne de illa suspicari possit, etiam fuisse ablutam. Tanto studio Dei Filius maternæ conceptionis puritatem curauit, vt non permiserit, Mariam adesse tunc, quando discipulos à veneno serpentis abluebat; quia illic de peccato originali destruendo, & in aliis existente agebatur. Ambrosius.

Non me latet, contra istum cogitatum obiici posse: ergo eodem modo debuit Christus matrem virginem prohibere ablui in fonte baptismatis; siquidem baptismus etiam lauat venenum serpentis, imo ad id est institutus, & tamen scimus, Mariam sacro fonte fuisse tinctam, & secundum mentem Euthymij in c. 3. Ioannis, ab ipso Christo baptizatam. Male ergo præmisimus, ideo Mariam Eucharistiæ institutioni non adfuisse, quia tunc Christus discipulorum abluebat pedes, vt eo lauacro peccatum originale deleret. Verum facillimo negotio huic satisfaciam obiectioni, si dixero, Mariam baptismali fonte tinctam fuisse, non vt originalis macula abstergeretur (non contraxit eam) sed vt suo exemplo nos ad suscipiendum baptisma inuitaret; vel vt hoc sacramento augmentum gratiæ susciperet. Ergo potiori iure existimandum est, baptismum Mariæ peccati originalis non fuisse indicium, sed augmenti gratiæ, & sanctitatis. Vnde quod in aliis peccati originis esset vmbra; in Maria hæc vmbra inueniri non potest: nam in ea siqua vmbra est, solum est vmbra lucis, & Spiritus sancti splendor. 115. Euthymius.

Salutat angelus Mariam, & ei dignitatem Deiparæ proponit: turbatur regina cæli, & respondit: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? cui angelus satisfacit dicens. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. n. 35. si tamen desideres scire, quænam sit hæc altissimi virtus, qua Maria erat obumbranda? respondit Greg Niz. ad c. 5. Cant. n. 10. his verbis. *Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax nuptialis Spiritus S. splendor.* Itaque Maria obumbrari dicitur Spiritus S. splendore, sed quî potest intelligi splendorem Spiritus S. vmbram fuisse Mariæ? vmbra namque secundum rectam Philosophiam lucis est carentia, & priuatio. Non ergo lux, & splendor Spiritus S. potest esse vmbra Mariæ. Potest sane: quia Maria gaudet tanta excellentia, vt si in ea est aliquid, quod videatur vmbra, sit ipsa lux, & splendor Spiritus sancti & sic quamuis in baptismatis susceptione apparebat aliqua peccati originalis vmbra; ita ab hac suspicione libera extitit Maria, vt baptisma in ea potius denotaret gratiæ & sanctitatis augmentũ, quam expulsionem peccati. Ergo quod in aliis adumbraret peccatum 116. Lucæ. 1. n. 5. Greg. Nix.

tum, in Maria gratiam designabat.

117. Mat.Christi Dñi genealogiã secundum carnem referens, sic incipit: *liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham.* Vulgare dubium hîc controuerti solet: cur Abraham, qui multis sæculis anteceſſit Dauid, postponitur in Christi genealogia? omissis variis responsionibus, dicam, quod ad præsens institutum attinet. Abrahamo iusserat Deus in pacti, & fœderis signum, vt omne masculinum circuncideret; iuxta illud Gen.17.n.10.& 11. *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circuncidetur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* Insuper circuncisio peccati originalis erat remedium in masculis, siue hoc esset ex opere operantis, vt docuit S.Thom.3.p.q.62.art.6.& q.70.art.4.& alij quamplurimi: siue hoc esset ex opere operato, vt docuerunt Scotus in 4.dist.1.q.6.& alij. Præponitur ergo Dauid Abrahamo antiquiori in Christi genealogia, & Mariæ: ne cum agitur de eius exordio, ab eo sumat initium vitæ, qui peccati originis sumpsit remedium; & ne in initio generationis Mariæ, vel distans memoria originalis labis inueniri possit. Incœpit etiam à Dauide regia purpura candens, in qua diuinæ charitatis splendebat insigne, vt ab ea credamus fuisse Mariæ exordium.

Mat.1.n.2. Gen.17.n.10 & 11. S.Thomas. Scotus.

ILLATIO CCXXVII.

Mariæ parentum non contraxit peccatum: nam sic concepta, ac si ab illis non duceret originem.

118. DEi genitrix virgo Maria ab Adamo duxit originem: attamen culpæ originalis venenum, quod totam Adæ posteritatem infecit, Mariæ non fuit ausus tangere conceptionem. Nam sic concepta fuit, ac si à primo parente originem non duxisset. Eccles. 24. Maria dum concipitur rosæ comparatur, *& quasi plantatio rosæ in Iericho*, n.18. At dices: rosa spinis est circumsepta: male ergo Deiparæ conceptio rosæ confertur, sed vt nodum soluas, hanc veritatemque confirmes, dabo tibi vnum, & alterum Cælius Sedu patronum. Primus sit Cælius Sedulius lib. 2. operis Paschalis sic concinens.

Eccl.24.n.18

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habẽs, matrẽq; obscurat honore:
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria.
Virginis antiquæ facinus noua virgo parit:

Anonymus. Idipsum docuit Anonymus Pater in Rythmo de laudibus Virginis, tom.3. Bibl. vet.Patrum vbi canit.

Rosa floret inter spinas, vincit nubes matutinas
roris tecta pallio,
Sed non lædit spina rosam, sic nec mentem virginosam peccati contagio.
Hæc est rosa princeps florum,
Quam depinxit auctor lucis, ex colore suæ crucis, qui colorat omnia.

Mariæ conceptio rosæ comparatur pulchritudini, & aptissimè: nam quemadmodum rosa ab stipite spinis pleno originem trahit; ipsa tamen mollis, & suauis est, omnesque flores excedit pulchritudine, & fragrantia, ac si spinas parentes non haberet: sic Maria de stirpe Adami veniens spinis scatente peccati, micans charitatis, & gratiæ ardore, & pulchritudine in sua conceptione purpurata fuit, ac si à parentibus culpa infectis non duxisset originem.

119. In virga Aaronis, quæ fronduerat, huius mysterij non obscuram spectare possumus vmbram; & præsentis thematis confirmationem apertam. Refertur Numer.17.n.8.vbi dicitur. *Sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Noster Abul.ad hunc locum q.11. inquirit; an Aaronis virga fuerit ex amygdalo, vel ex alia arbore? huic quæsito respondet his verbis: *sed potius videtur è contrario, quia illa virga erat de alia arbore, & vt totaliter supernaturaliter fieri appareret, fructus alterius generis produxit.* Miraculum esset absq; dubio, germinasse virgam Aaron, etiamsi ex amygdalo excisa esset, cum iam diuturna ariditate virtutem amisisset germinandi: sed multo maius miraculum, cum esset ex alia arbore folia, & fructus amygdali produxisse: & ob hanc rationem putauit Tostatus virgam istam non ex amygdalo, sed ex alia planta fuisse excisam. Virga ergo Aaron licet fronduerit foliis amygdali, diuersæ arboris erat germen; & folia hæc dissimilia fuere foliis stipitis. Hinc nostrum theorema confirmamus. Nam nemo dubitat, hanc virgam designasse Mariam (sic sentire communiter Patres.) Habuit ergo virga Aaronis folia, sed non stipitis; vt intelligamus virgam nostram Mariam, quam diuinus Aaron elegit in matrem, non habuisse folia primi parentis. Non abnuo ab Adamo duxisse originem, sed foliis arboris paradisi obtectam, quæ culpam originis repræsentant, inficior. Folia, quæ protoparẽs induit, vt suam operiret nuditatem, omnes posteros misere obtexerũt: Maria autem aliis foliis ornabatur in conceptione, nempe foliis gratiæ, & Spiritus S. vmbraculo. Tandem, vt omnem cõceptum amplectamur: sic hæc virga cœlestis à foliis Adæ fuit immunis, ac si ab eius stipite non duceret originem: quemadmodum virga Aaronis, quia Mariam repræsentabat, folia suæ stipitis cõtempsit, & aliis alterius naturæ ornata fuit. Quod autẽ virga Aaronis non solum typus extiterit Mariæ, sed etiam eius immaculatæ conceptionis expresse testatur. B. Brigitta l.6.c.55. dixisseq; B. Virginem. *Aurea hora fuit cõceptio mea, nam tunc incœpit principium salutis hominum, & tenebræ quasi festinabant in lucem, Deus namque singulare quodam & à sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virga arida floreſcente*, quib. verbis totus conceptus roboratur.

Num.17.n.8. Abulenſis. Brigitta.

120. Vix cum de Mariæ purissima conceptione agimus, obliuisci possumus illius virgæ Isaiæ: ait enim sic celebre illud vaticinium, capite 11.numero primo. *Egredietur virga de radice Iesse*, celebrat Propheta virginis conceptionem in egressu huius virgæ, & emphatice eam magnis extollit encomiis. At quænam excellentia in hoc egressu inuoluitur, vt toties eam reuocemus in memoriam? Eam explicuit Bernardus sermone 2. de natiuit. Domini his verbis. *Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice*

Isa.11.n.1. Bernardus.

radice generis humani, & Patriarcharum arbore, & in altitudinem, & rectitudinem erumpens omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, &c. Quod dignum admiratione in huius virgæ egressu inuenit Bernardus, id fuit, quod Maria procedens de tortuosa radice generis humani, sit recta, stirpis ignorans nodositatem, filiorum tenebras nesciens, & in eius egressu sancta, & lucens, ac si alterius esset naturæ, tametsi eius parentes miserabili tenebrarum nocte concipiantur. Ob hoc Maria comparatur velleri, quia vt diximus illatione. 219. n. 82. *Vellus cum sit de carne, excrescit extra carnem, & carnis passiones ignorat*, ex Amadæo Amadæus. Homil. 3. vide ibi. Nec ob aliam causam fauo distillanti comparantur labia Mariæ iuxta illud Cant. 4. n. 11. *Fauus distillans labia tua sponsa.* Quia sicut fauus ab apibus fabricatus, & ab eis ducens originem, apum ignorat naturam: nam istę aculeis mordent, fauus autem dulcis est, & suauis, in quo manifeste apparet nihil obesse dulcedini faui habuisse matrem mordentem: sic Maria quantumuis à parentibus originali labe maculatis, ab eis non inficitur, quia fauus est, & quantum ad hoc ac si alterius esset naturæ. Cant. 4 n. 11.

121. De aquarum inconstantia soliditatem firmamenti extraxit Deus. Genes. 1. num. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* D. Ambr. lib. 2. Hexam. cap. 2. mouet hanc quæstionem. *Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illæ profluunt, illud constringitur: illæ currunt, hoc manet.... Quomodo iubet, quod scit secundum elementorum rationem esse contrarium?* Respondet ipse. *Sed cum sermo eius ortus naturæ sit, iure vsurpat dare legem naturæ, qui originem dedit.* Ex aqua, quæ fluida, & inconstans est, tanquam ex matre Deus condidit firmamentum solidum, & stabile. Nec mirum, cum sermo eius naturæ sit origo: omnia namque sermone, & verbo Dei creata sunt. Potens enim est sermo eius ex natura inconstanti constans firmamentum solidare. In hoc, meo videri, manifeste apparet Marianæ conceptionis specimen. Nam sicut ex natura inconstanti, & fluida, qualis est aqua, Deus condidit firmamentum permanens, & stabile, ac si ex ea originem non traxisset: ita Dei genitrix, quæ multò excellentius, & firmius firmamentum est, fuit concepta non in inconstantia parentum suorum, sed ita stabilis, & constans, ac si ab eis non esset genita, vel ac si alterius esset naturæ. Aptissime Bernard. serm. 3. in *Salue regina*, hoc dixit *Omnibus firmamentis tu firmius firmamentum, O Virgo, quæ Dominum concepisti, perperisti, & non defecisti.* Nota hoc: *non defecisti.* Defecerunt aquæ, id est, omnis Adæ posteritas (iuxta illud Apocal. 17. n. 15. *Aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ,*) pomi veneno mortifero: attamen Maria, quæ omnibus firmamentis firmius est firmamentum, nunquam defecit, nec super eam sedit peccatum. Gen. 1. n. 6. Ambros. Bernard. Apo. 17. n. 15

122. *Veni de libano, veni, veni coronaberis de capite Amanæ, de cubilibus draconum, de collibus pardorum.* Cantic. 4. num. 8. Ter vocatur Maria à cælesti sponso, & trinam coronam ei promittit, in quibus triplex victoria declaratur, contra peccatum originale, mortale, & veniale, à quibus omnibus libera extitit. De libano dicitur venire Maria, hoc est, à candore. In libano semper nix perseuerat; ideo libanus dealbatio dicitur. Maria semper fuit alba candore gratiæ. Et cur dealbata venit de cubilibus pardorum, & de collibus draconum? Quia originem trahens à parentibus peccato originis infectis, qui dracones, & pardi sunt propter culpam ab Adamo deriuatam, ipsa fuit alba, & absque maculis eorum, ac si ab illis non duceret originem. Cant. 4. n. 8.

Illatio CCXXVIII.

Sacerdotes à negotiis sæcularibus vacare debent.

PHilo Hebræus lib. quod Deus sit immutabilis sic de Sacerdotibus loquitur: *Dei vero homines Sacerdotes, & Prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quam vt se misceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues sint.* Sacerdos, & qui Deo est consecratus non est ciuis huius mundi, sed est ciuis sanctorum, & domesticus Dei: quare oportet, Sacerdotem tantæ dignitatis esse memorem, & negotiis sæcularibus non vacare. 123. Phil. Hebr.

Hæc dicit Dominus Deus Israël (ait Moyses ad Pharaonem Exod. 5. n. 1. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Orig. hom. 3. in Exodum dubitauit, cur Deus populum Hebræorum sacrificia offerre in Ægypto non permisit: Respondet Adamantius. *Non vult Moyses, vt populus in Ægypto seruiat Domino, sed vt exeat in desertum, & ibi seruiat Domino Hoc est, sine dubio ostendit, quia donec quis in tenebris sæcularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino. Non enim potest, duobus Dominis seruire, non potest Domino seruire, & Mammonæ, exeundum igitur nobis est de Ægypto, relinquendus est mundus, si voluerimus Domino seruire. Relinquendus autem dico non loco, sed animo: non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo.* Prohibuit ergo Deus populo suo in Ægypto offerre sacrificia; quia sacrificare est munus Sacerdotis, & illic erat populus irretitus negotiis sæcularibus, & palearum oneribus oppressus, & qui in negotiorum obscuritate versatur, Deo vacare non potest. Quî fieri poterit, vt Sacerdos, qui Deo seruire debet ex munere, & dignitate, negotiationibus non turbetur? 124. Exod. 5. n. 1. Origenes.

Genes. 1. n. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Si inquiras: cur sol, qui est luminare maius diei coarctatur iurisdictione, & nocti suos negat radios? Respondet Ailredus apud Gotfridum ibi, ideirco factum, quia per solem diei præsulem designantur Episcopi, Sacerdotes, & Dei ministri, qui in Ecclesia velut in cœlo constituti, & diuino cultui dicati, sicut sol debent emittere doctrinæ, & sanctitatis fulgorem: per lunam reges, & principes sæculares, qui negotiationibus, litibus, bellis vacantes, sicut in noctis tenebris vitam transigunt. Negatur ergo luminari magno noctis imperium, vt intelligant Dei ministri, vt pote Deo 125. Gen. 1. n. 16.

consecrati, à sæcularibus negotiis abstinere debere. Nam sicut contra naturam esset, si sol noctis frueretur imperio: sic contra institutum sacerdotale, si sacerdotes rebus sæcularibus se ingerant; sicut etiam è contra si laici agere Ecclesiastica præsumant. Audi Ailredum. *Luminare maius sacerdotium, vt præsit diei, id est, spiritualibus: luminare minus regnum, vt præsit nocti, id est, sæcularibus. Contra naturam proinde est, si sol nocti, si præsit luna diei; si princeps ad spiritualia se ingerat; si sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.* Diem vertit in noctem sacerdos negotiorum sæcularium studiosus: & noctem in diem mutat Laicus in spiritualia manus extendens: vtrumque monstruosum, & horribile.

Ailredus.

126. Ambobus oculis hanc sacerdotum peruersionem, & sacerdotij dedecus deflebat Oseas cap. 4. num. 9. cum præuidens damna eminentia Ierusalem dixit velut grauius damnum annuncians: *& erit sicut populus, sic sacerdos.* Sed in quo impletum est hoc vaticinium? aut quando sacerdotes cum populo confunduntur? diuus Gregorius 2. part. Pastoralis cap. 7. sic respondet: *sacerdos quippe est vt populus, quando ea agit is, qui spirituali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt, qui adhuc de studiis carnalibus indicantur.* Summa infelicitas Reipublicæ, vel regni est, quando sacerdotes cum laicis confunduntur: tunc, scilicet, cum illi, sicut isti de rebus sæcularibus agunt, negotiationibus vacantes, cupiditatibus irretiti.

Oseas 4. n. 9.

Gregorius.

127. Hoc damnum præcauebat Deus, cum ornatum Pontificis disponens, iussit seruo suo Moysi: *pones in Rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron*, iuxta venerabilis Bedæ expositionem lib. 5. de tabern. cap. 3. dicentis: *ideo doctrina, & veritas in Rationali iudicij est impressa, vt eadem veste indutus meminisset, se studijs doctrinæ, & veritatis inquirendis, non autem curandis, rimandisque sæcularibus negotijs in sacerdotium fuisse consecratum.*

Beda.

Vers. XXXI. Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam.

Vers. XXXII. In cuius medio supra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.

Vers. XXXIII. Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.

Vers. XXXIV. Ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum.

Vers. XXXV. Et vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.

EXPOSITIO LITTERÆ.

TErtia vestis quam hîc refert sacer textus, erat tunica talaris, & hyacinthyna. Dicitur: *superhumeralis*, quia illi supponebatur immediatè, sic Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 6. *Tunicam dicit superhumeralis, cuius pars non minima superhumerali tegebatur.* Hæc tunica erat propria Pontificis non communis aliis sacerdotibus: vsque ad talos pertingens, proindeque talarem appellant, Septuaginta. Diuus Augustinus quæst. 118. in Exod. diuus Hieronimus epist. 128. ad Fabiolam. Clemens Alexan. lib. 5. strom. Prosper de promissione, cap. 3. part. 2. Beda loco citato. Abulensis hîc quæst. 16 Lorinus in cap. 18. sapientiæ. Cornelius à lapide hîc. Sopranis de re vestiaria Iudæorum §. 4. digressione 1. & communiter interpretes. *Totam hyacinthinam*, id est, ex colore hycinthino, siue violaceo cum cæruleo suauiter mixto; ita sentiunt auctores citati vnanimi consensu. 1.

Beda. Septuaginta. Augustinus. Hieronimus. Clem. Alex. Prosper. Beda. Abulensis. Lorinus. Cornel. à lap. Sopranis.

Circa materiam huius ornatus variant interpretes. Nam Caietanus hîc putauit, fuisse sericam. Ribera, Cornelius, & sopranis locis citatis laneam existimant. Circa formam etiam est controuersia: an habuerit manicas? negat Iosephus, quanuis pro parte affirmante citetur ab Abulensi hîc quæst. 16. tamen in eo non potui id inuenire, nec in lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. versus finem: nec in lib. 3. antiq. c. 9. vbi de vestibus Aaronis sermonem instituit: imo hîc contrarium videtur insinuare, nam cum de hac tunica loqueretur, ait; ad collum tantum habere sectionem, non è latere, sed in longum fissam à pectore ad medias scapulas, & vittam ei consutam, ne eius aperitio posset turpiter apparere: & his præmissis statim subdit: *similiter & vnde manus egrediuntur apertum est.* Ergo ex mente Iosephi cum nulla manicarum ibi fiat mentio, aperte constat, tunicam hyacinthinam manicis caruisse: & Abulensis id Iosepho tribuit aliqua mendosa translatione Iosephi deceptus, vt notat Ribera de vestibus sacerdotalibus lib. 3. cap. 9. Diuus Hieronimus loco citato, Sixtus Senens. lib. 3. Ribera de ornatu Pontificis Aaronis, Cornelius, & Sopranis relati manicatam fuisse hanc tunicam affirmant, sed meo videri in re incerta sententiæ Iosephi standum est. Ita sentiunt Ribera loco citato, Barradas tom. 2. lib. 3. cap. Arias Montanus in descriptione sanctarum vestium, & alij. 2.

Caietanus. Ribera. Cornelius. Sopranis. Iosephus. Hieronimus Sixt. Senens. Cornelius. Sopranis. Ribera. Barrad. Arias Mont.

3. Hebræo. Menochius. *In cuius medio supra erit capitium.* In Hebræo est: *& erit os capitij eius in medio eius.* Menochius legit: *& erit os capitis*: id est, apertura seu foramen in summo, per quod caput transmittatur. Ita exponunt Augustinus, Hieronimus, Cornelius, & alij. *Et ora per gyrum eius textilis*, id est, fimbria, vel limbus huius aperturæ, seu capitij latera erant textilia, id est, facta non acu, sed opere textili firmans per circuitum, ne rumperentur. In Hebræo est: *sicut limbus loricæ erit ei, ne rumpatur.* Hoc est, tanta firmitate erat, ac si limbus esset loricæ.

Hebræo.

4. Ad extremas oras habebat hæc tunica tintinnabula aurea, & malogranata admirabili textura ex hyacinthi, purpuræ, coccique bis tincti filis contexta miro artificio elaborata, ita vt naturam eorum imitaretur artifex. Philo Hebræus lib. 3. de vita Moysis, flores adiungit inter tintinabula, & malogranata, per suas vices insertos, sed eorum non meminit scriptura. *Quasi mala punica*, ponitur vox, *quasi*, quia non erant vera, & naturalia mala punica, sed artificiosè contexta, vbi nota, quod quando sacer textus agit de tintinnabulis omittit particulam, *quasi*: quia erant vera tintinnabula.

5. Caietanus. Verum quia num. 1. diximus hanc tunicam fuisse talarem, explicare oportet, quomodo hoc intelligendum sit: nam Caietanus hîc putauit, minus rationi quadrare hoc, vt malogranata, & tintinnabula percuterent pedes Pontificis: quapropter dixit: *ideo vestis ista non erat tam longa, quanuis de termino longitudinis nihil sit scriptum.* Lorinus in cap. 18. Sapient. ait, quod quanuis talaris dicatur, non ideo tam demissam, ac longam fuisse, vt aliam interiorem tunicam, nisi prout comprehendebat tintinnabula, & malogranata, Salianus an. mundi 2544. Moysis 81. ait, dici posse talarem, id est, ob longam, & valde demissam comparatione Ephod, quod tam breue erat, vt non multum vltra zonam descenderet, sic Iosephi tunica talaris dicitur Gen. 37. in editione vulgata, & ab Aquila, quam tamen aliquanto breuiorem, & viæ non incommodam possumus accipere. Illa autem vestis poteris in lib. Sapientiæ cap. 18. num. 24. ad vtramque tunicam tam byssinam, quàm hyacinthynam pertinet, vt ibi notat Iansenius. Idemque de Ecclesiastico 45. num. 10. dici potest, vt Riberæ lib. 3. de templo, cap. 9. & Saliano placet.

Lorinus. Salianus. Iansenius. Ribera. Salianus.

6. *Et vestietur ea Aaron in officio ministerij sui.* Id est: hac tunica vtetur Aaron, & eius successores in sacerdotio, quia hoc non ad Aaronis personam solum, sed ad dignitatem spectabat, *in officio ministerij sui.* Hoc est quando ministrare debet: sed non in omni administratione; quia extra sanctuatium (accipiendo illud pro toto tabernaculo) non vtebatur Pontifex hoc ornatu, nec ei erat licitum, vti eo ad prophanos vsus, ita Abulensis hîc quæst. 16. & diximus supra quæst. 8. litterali. *Vt audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur sanctuarium*, id est: pendebant tintinnabula è fimbria tunicæ hyacinthynæ, vt cum Pontifex ingreditur, & egreditur sanctuarium non intret, aut egrediatur cum silentio, sed audiatur tintinnabulorum sonitus, ita Origenes homilia 9. in Exod. Abulensis quæst. 17. & Caietanus: & addit Cornelius hîc, audiri sonitum tintinnabulorum in egressu, & ingressu Pontificis, disposuisse Deum, ad excitandum in eo, & in populo reuerentiam Deo debitam.

Abulensis.

7. *In conspectu Domini.* Aliqui putant, hæc verba intelligi de ingressu, & egressu in sancta sanctorum, quos reiicit Abulensis loco citato; quia Pontifex quando ingrediebatur in sancta sanctorum, solum ornabatur vestibus lineis communibus etiam minoribus sacerdotibus, non autem Pontificalibus, vt diximus supra, quæst. 8. Noster Abulensis quæst. 17. cum aliis autumat, Pontificem portasse ista tintinnabula, quando ingrediebatur sanctuarium, veluti ad ianuam tabernaculi clamans, vt non introiret hospite non vocato; sicut contingit, quando aliquis ad domum aliquam accedit, prius clamat ad ianuam, sed hoc mihi non placet. Primò: quia Deus non indiget tali cæremonia; tum quia omnia sunt perspicua in oculis eius; tum etiam, quia non eget aliquo signo; vt celet quod agebat, sicut hominibus contingit, in quorum domibus clamamus ad ianuam, vt Domini illarum, si oportuerit, desistant à negotiis, in quibus erant occupati. Secundò: quia etiam tintinnabula sonabant, quando sacerdos egrediebatur de sanctuario, vt patet in littera, & tunc non vrgebat causa adducta ab Abulensi. Quare mihi persuasum habeo, ista tintinnabula pendere, vt illorum sonitu sacerdos reuerenter ingrederetur, & egrederetur. Nam sonitus eorum animum sacerdotis excitabat ad maximam Dei reuerentiam, & populum ad cultum Deo exhibendum. *Et non moriatur*: quasi diceret, si aliter fecerit morietur propter inobedientiam. Emanuel Saa hîc explicat: *me puniente si aliter faciat.*

Abulensis. Saa.

QVÆSTIO XXVI.

Litteralis.

Quot fuerint mala punica, & tintinnabula, quæ alternatim disposita lymbum huius tunicæ ambibant.

8. PLurima fuisse malogranata, & tintinnabula, quæ oram, vel limbum huius tunicæ ambibant, constat Ecclesiast. 45. num. 10. & alternatim fuisse disposita ex nostro textu, vers. 34. Quot autem fuerint, incertum est. Clemens Alexandr. lib. 5. stromat. trecenta, & sexaginta sex tintinnabula concedit, & consequenter tot malogranata. Prosper de promissionibus Dei, part. 2. cap. 3. quinquaginta fatetur. Iustinus in Triphon apud Saa ad hunc locum, ait, fuisse duodecim in figuram duodecim Apostolorum. Guillelmus Durand. in Rational. diuin. offic. lib 3. cap. 19. octoginta tintinnabula, & totidem malogranata admittit. Idem docet Cassanæus 1. part de gloria mundi, concluf. 3.

Clem. Alex. Prosper. Iustinus.

Quanuis circa eorum numerum nihil in sacro oraculo determinatum sit; tamen communis sententia tenet, septuaginta, & duo fuisse tintinnabula, & totidem mala punica, sic sen-

fere diuus Hieronim. epist. 128. ad Fabiolam. Diuus Isidorus lib. 1. Ethymolog. cap. 2. & lib. 19. cap. 21. Sixtus Senensis in Biblio. de ornatu Pontificis. lib. 3. Cornelius, Sopranis, & communiter interpretes. Si tamen desideres rationem, ob quam sub hoc numero potius, quam sub alio contineantur, ea est: quia ex eodem Hieronimo in cap. 26. Matth. Augustino lib. de ciuitate cap. 3. Epiphanio in Panario sub initium, & aliis quos citat Pereyra tom. 2. in Genes. lib. 16. disp. 10. & Mendoza tom. 1. Regum lib. 1. cap. 2. num. 10. annotat. 15. circa litteram sect. 1. num. 26. totidem dicuntur fuisse genera linguarum, in quas homines in confusione turris Babel dissipati abierunt. Nec sine magno mysterio: vt intelligeremus, nullam fore in toto orbe nationem, quam non esset Euangelicæ doctrinæ vox peruagatura, & magna ex parte ad Ecclesiæ gremium adductura.

Hieronymus. Isidorus. Sixt. Senens. Cornelius. Sopranis.

Hieronymus. Augustinus. Epiphanius. Pereyra. Mendoza.

QVÆSTIO XXVII.
Litteralis.

An malogranata tunicæ fuerint ex auro contexta: & tintinnabula illis coloribus picturata?

10. DVbitandi ratio est: quia in littera vers. 34. legitur: *ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum.* Ex quo videtur inferri aurea etiam fuisse malogranata, sicut tintinnabula. Diuus Hieronimus epist. 128. citata. Abulensis, Caietanus hic & alij respondent, malogranata non fuisse aurea, sed mentem sacræ scripturæ fuisse, quod post tintinnabulum aureum sequatur malum punicum contextum coloribus relatis in littera. Imo addit Hieronimus, mala punica filis aureis non constare: quia ista eisdem coloribus constabant, quibus cingulum Pontificis, de quo sic ait: *textum est autem sub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & staminе byssino ob decorem, & fortitudinem.* Cum ergo ex mente Hieronimi cingulum careret auro, consequenter dicendum est, malogranata ex filis auri non fuisse contexta. Tintinnabula aurea erant, vt expresse refertur in littera, non autem coloribus relatis picturata: nam colores claritatem sonitus impedirent, potius quam iuuarent.

Hieronymus

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCXIX.

Sacerdotij dignitas diuinitatis gerit vices, eamque quodam modo imitatur.

11. SAcerdotum culmen, & dignitatem eleganter expressit. Diuus Bernardus. serm. in cœna Domini dicens. *O præclara, ô reuerenda potestas vestra! certe non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertius, quænam sit ista potestas, cui nihil in cœlo, vel in terra valeat comparari. Ad quod ego: consecrare videlicet corpus, & sanguinem Domini, super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis vestræ priuilegio stupet cælum, miratur terra, contremiscit homo, reuereatur plurimum angelorum celsitudo.* Quid illustrius? verum sub vmbra tantorum verborum, aliqua pro paruitate nostri ingenij encomia huius præcelsæ dignitatis, placet, in medium adducere.

Bernardus.

Mirabile, & omni notatione dignum semper mihi fuit visum, Christum Dominum post crucis ignominiam, & passionis acerbitatem, sic discipulos allocutum. Ioan. 20. num. 23. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Potestatem remittendi peccata Christus contulit discipulis. Quis audiuit vsquam tale? hæc potestas soli Deo à natura inest: cur ego hominibus conceditur, angelis semper negata? profecto: quia iam sacerdotali fulgebant dignitate, quoad consecrandi munus; ideo eos super angelicas Hierarchias extulit Dominus, eisdem suam conferens potestatem. Pulchra sunt verba Chrysostomi lib. 3. de sacerdotio in tom. 5. hoc ipsum expendentis. *Etenim quidnam hoc esse dicas, nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam? quorumcumque enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam Filio potestatem dedit, ceterum ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo Filio illis traditã, nam quasi iam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa?* expendit Chrysostomus, Christum in Apostolos, & per eos in sacerdotes eandem potestatem à Patre sibi traditam, transtulisse. Potestas, quam Deus Pater Filio tradidit, Filium aperte Deum demonstrat. Ergo si hanc Christus concessit discipulis, videtur inferri, sacerdotes Deos appellandos. Nonnulli patres Deorum cognomen sacerdotibus accommodari, non renuunt. Id explicuit mirifice Gregorius Magnus in registro epist. lib. 4. cap. 75. dicens: *nam in diuinis eloquiis aliquando sacerdotes Dij vocantur. Nam & per Moysem de eo, qui ad iuramentum ducendus est, dicitur: applica illum ad Deos, id est, sacerdotes, & rursum scriptum est: Diis non detrahes; scilicet sacerdotibus.*

12. Io. 20. n. 23.

Chrysostom.

Gregorius.

13.

Hoc ipsum innuit sacer textus dicens, quod quando Rebecca signa matris in se sensit, & passa fuit magnæ molestiæ dolorem, cum duo paruuli, quos habebat in vtero, in ventris palæstra iugiter decertabant. *Perrexitque, vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi, ex ventre tuo diuidentur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori.* Chrysostomus homil. 5. in Genes. tom. 1. disertis verbis profert, Rebeccam non Dominum, sed sacerdotem consuluisse, ipsumq; dedisse responsum. Hinc instat dubium: quî fieri potest, vt cum sacer textus, Rebeccam dominum consuluisse affirmet, Chrysostomus asserat, non à Deo, sed à sacerdote oraculum accepisse? numquid sacerdos pro Deo vsurpandus est? satis opportune dubio occurrit idem Chrysostomus ibidem. *Vide* (inquit) *quanta, & tunc erat sacerdotum dignitas. Nusquam enim dicit, quod sacerdos ei respon-*

Gen. 25. num 22. & 23.

Chrysostom.

de

ponderit, sed postquam dixit: abiit, vt consuleret Dominum, subiecit: & dixit Dominus ei, nempe, per sacerdotem. Sacerdos dabat oraculum, & tamen Deum respondisse asseritur: quasi æquiuocetur dignitas sacerdotis cum diuinitate. Vide quanta & tunc erat sacerdotum dignitas! quanto perfectius hoc in sacerdotibus Euangelij certum sit, satis apertè manifestant verba nostrorum sacerdotum, dum sacra celebrant, & à peccatorum vinculis absoluunt. *Hoc est corpus meum*, profert sacerdos, cum consecrat: quæ, vt patet, non possunt verificari de corpore sacerdotis, sed de Christi Domini corpore. *Ego te absoluo à peccatis tuis*, dicit, cum nodos & vincula peccatorum soluit; & tamen Deus est, qui absoluit, vel sacerdos nomine Dei. Quid est hoc: nisi quod sacerdos gerens Dei vices, cum ipso Deo æquiuocatur?

14. Huius altissimæ dignitatis non vulgarem excellentiam aperte ostendent nobis Matthæus, & Lucas Christi genealogiam recensentes: ille, vt regis à Dauide, & Abrahamo; iste vt sacerdotis à Iordane vsque ad Deum. Matthæus sic fuit exorsus: *liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham.* Lucas autem à Iordanis vndis cum superaquas æternus Pater intonuit: hic est Filius meus dilectus; & super eum in columbæ specie descendit Spiritus sanctus; deinde per longam seriem ascendens ad ipsum Deum peruenit, dicens: *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Sic Christi, vt sacerdotis terminauit genealogiam. cap. 3. à num. 22. vsque ad 28. valde diuersa est Euangelistarum supputatio, vt aperte constat. Verum ex ipsa diuersitate quanta sit sacerdotum dignitas, non erit operosum ostendere, si quoddam dubiolum proponamus; vt hæc celsitudo magis eluceſcat. Inquiro ergo: cur Matthæus à Dauide, & Abrahamo descendit vsque ad Ioseph virum Mariæ: & Lucas à Iordanis vndis, à Patris testimonio, à testificatione Spiritus sancti ascendit gradatim vsque ad Adam non peccati reum, sed iustum, & Dei amicum: *qui fuit Adam, qui fuit Dei?* Matthæus descendens narrat Christi genealogiam: Lucas ascendens eam refert. Cur ita? diuus Augustinus tom. 4. lib. 2. quæst. quæstione 83. acutissimè ad rem nostram respondit his verbis. *Lucas vero alius Euangelista, quoniam & ipse generationem Domini, quæ secundum carnem est, sed in sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio, & abolitio peccatorum, non à principio libri sicut Matthæus, sed ab illo loco vbi baptizatus est Iesus, vbi peccatorum nostrorum mundationem præfiguravit, incipit parentum eius originem gradatim prosequi, neque deorsum versus, sicut ille, qui eum ad susceptionem peccatorum tanquam descendentem ostendebat, sed sursum versus tanquam is, qui eum post abolitionem peccatorum tanquam ascendentem designabat.* Quod est dicere: ideo Matthæus Christi genealogiam à Dauide, & Abrahamo incæpit, quia eum vt regem ostendebat, & in se omnium peccata susceipientem, vt pro eis Patri Deo satisfaceret. Lucas autem, quia Christum Dominum vt sacerdotem ostentabat, à Patris testimonio, manifestatione Spiritus sancti, & Iordanis vndis, quibus ipse Christus virtutem gratiæ conferendi dedit, baptismum instituens, incæpit genealogiam, ipsamque vsque ad Adam, qui fuit Dei, protendit; vt innueret, dignitatem sacerdotalem habuisse originem à Deo gratiæ, & sanctitatis fonte, ipsumque Deum respicere, vt terminum. Ex quibus aperte liquet, quantum dignitatis sacerdotalis regiam excedat maiestatem, siquidem inter Deum, à quo sumpsit exordium, & Deum, in quem terminatur, videmus eam concludi.

Matth. 1. n. 1.

Luc. 3. à n. 22 vsque ad 28.

Augustinus.

15. Sed age iam, vis videre, quanta excellentia polleat sacerdotalis dignitas? ausim dicere: Verbum diuinum, cum Dei Filius prædicatur, quasi honorari titulo sacerdotis. Adest huic cogitatui Psalm. 109. num. 1. qui cum æternum Filium Patri consubstantialem prædicaret, dicens: *dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* (hoc enim denotant hæc verba secundum mentem Augustini ibidem) statim eum annunciat dicens: *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* ibid. num. 5. Miror Dauidem totum in prædicando Dei Filio occupatum, & in exponenda suprema illa maiestate solicitum, quasi à re intenta alienum, ipsum Verbum prædicare sacerdotem! Quid enim habet æterna illa generatio cum sacerdotio? Dauidis intentum erat celebrare Christi æternam generationem, non autem extollere eius sacerdotium: quare ergo toto animo se diuertit Propheta, & cum de Christo vt Deo instituit sermonem, illum vt sacerdotem annunciat? Christus vt homo sacerdotio est functus, non vt Deus, teste eodem Augustino loco citato sic dicente: *nam secundum id, quod natus est de Patre Deus apud Deum, coæternus gignenti, non sacerdos: sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam, quam pro nobis offert à nobis acceptam.* Cur ergo Dauid cum de Christo agit vt Deo, illum prædicat sacerdotem, dicens: *tu es sacerdos in æternum?* idem Augustinus ibidem nobis tribuit solutionem cum dixit. *Iste ergo Dominus, qui est à dextris, de quo iurasti, & cui iurasti dicens: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; ipse vtique Christus dominus à dextris tuis.* Quod est dicere: considera Christum in sinu Patris quiescentem, coæternum, & consubstantialem ei, & sedentem in throno maiestatis immensæ: hunc ipsum Dominum sacerdotem affirmo. Non quia vt Deus sacerdos sit; hoc enim habet vt homo: sed vt constet, ipsum Christum apud Patrem existentem non dedignari de sacerdotio; imo quodammodo honorari tanta dignitate. Nam si aliquo honorandus est apud Patrem, præter id, quod vt Deus habet, procul dubio dignitate sacerdotis est.

Ps. 109. n. 1.

ibid. num. 5.

Augustinus.

16. Tunica superhumeralis tota hyacinthino fulgebat colore, cœlestisque erat vndequaque, vt sacerdotem totum prædicaret cœlestem, & quid mirum: cum sacerdotalis dignitas vices gerat diuinitatis, incœperit à Deo, & in Deum fuerit terminata?

ILLATIO CCXXX.

Sacerdos homo cum sit, humanam, imo angelicam excedit naturam.

17. HOminibus non angelis Deus commisit sacerdotium: nec mirum homines angelis prætulisse, qui nusquam angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Ergo sacerdotes homines sunt: sunt vtique: attamen si tantæ dignitatis celsitudinem attendamus, sacerdos homo cum sit, plus est quam homo, & superior angelis est censendus. Vtrumque probandum nobis est in præsentiarum. Primum ergo, nempe sacerdotes plusquam homines reputari, tametsi homines sint, ostendit illud, quod Dominus iussit Moysi Exod. 30 num. 30. 31. & 32. in consecratione Aaronis, & filiorum eius, vbi dicitur: *Aaron, & filios eius vnges, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israel dices: hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras, caro hominis non vngetur ex eo.* Oppositа videtur continere hæc littera. Nam ex vno capite iubet Deus, Aaronem, & filios eius oleo sancto deliniri: ex alio c. prohibet, carnem hominis vngi ex eo. Ergo vel Aaron non est vngendus, vel non habet carnem. Elias Cretensis in Apolog. Nazianzeni orat. 1. ad illa verba: *nec vnctionis oleum*, respondit. *Quod autem ait caro hominis non vngetur ex eo, hinc nimirum illud iudicat, sacerdotale genus supra hominem esse velut Christi particeps, qui suprares recõditas est.* Quasi dicat: verum est, Aaron, & filios eius humana constare natura, sed quia sacerdotij fulgebant dignitate, plusquam homines reputantur. Quapropter cum dicitur: hominis carnem oleo sancto non vngendam, sub hoc præcepto sacerdotes non comprehenduntur, quia sacerdotale genus supra hominem intelligitur.

18. Nec solum sacerdotij dignitas hominem supra hominem eleuat, verumetiam angelicæ naturæ reddit similem. Genes. 18 num 10. angelica voce Isaaci successio promittitur Abrahamo, Sansonis quoque natiuitas eadem voce promittitur, Iudicum 13. num. 3. Præcursoris Baptistæ Gabrielis ore profertur exordium, Lucæ 1. num. 13. At Samuelis Prophetæ non angelico, sed sacerdotali annunciatur oraculo 1. Reg. 1. num. 17. Quid sibi vult tanta differentia? Samuel futurus erat Propheta magnus, fidelis Dei seruus, integerrimus iudex: ergo dignus extitit angelico prænuncio: quare non sic, sed sacerdotali voce prædicitur? putarem, non minori oraculo Samuelis natiuitatem annunciari, quàm Isaaci, Sansonis, & Baptistæ. Quia si hi angelica voce prædicuntur, ille sacerdotis oraculo: nec minoris excellentiæ est sacerdotale oraculum quàm angelicum. Dignus vtique fuit Samuel angelica voce prænunciari; verum cum sacerdotis prædicitur oraculo nihil Samueli derogatur, quia idem prorsus videntur angelus, & sacerdos. Quid aliud indicat scriptura cum toties angelos vocat sacerdotes? sic appellantur Malach. 2. num 7. & alibi. Sic etiam à Patribus communi consensu vocitantur. Chrysostomus homilia 2. in cap. 1. epist. 2. ad Timot. Augustinus serm. 36. ad fratres in eremo. Gregorius in regist. epist. lib. 4. cap. 75. Elias Cretensis Apologet. Nazianzeni oratione prima ad illa verba: *nunc autem diuini.* Remigius Altisiodorens. in cap 2. Malach. & alij.

19. Parum hoc, ipsos angelos superant sacerdotes. De angelis sæpissime in sacro eloquio legimus adstare in conspectu Domini, non sedere. Sic Seraphim apud Isaiam, cap. 6. num. 2. *Seraphim stabant super illud*, etiam Danielis 7. numero 10. *Centena millia assistebant ei.* Tobiæ 12. num. 15. *Ego sum Raphael angelus vnus ex septem, qui stamus ante Deum.* Stant ergo angeli tanquam serui in conspectu Domini, obinde ille superbus, qui in monte testamenti male cupiebat sedere, misere se præcipitauit in barathrum. Isaiæ 14. numero 15. Non sic de Apostolis legimus: nam Matth. 19. numero 28. sic promisit Christus discipulis suis: *cum sederit Filius hominis, sedebitis & vos super sedes duodecim tribus Israel.* Vbi nota; non solum Christum promisisse discipulis sessuros, sed iudicaturos. Sed vnde tantus honor Apostolis, vt sedeant cum Christo angelis adstantibus? certe, non aliunde nisi quia sacerdotali gaudebant dignitate. Hoc absque dubio innuebat Caietanus ad præfata verba cum dixit. Hoc absque dubio innuebat Caietanus ad præfata verba cum dixit: *Ecce præmium dignitatis, & honoris gloriosa sessio, eritis participes gloriæ meæ, in tantum, quod me sedente in maiestate, vos non stabitis, sed vos quoque sedebitis*, & statim subiungit: *dignitati adiungit officium, vt in dignitate sedendi, & in officio iudicis assimilentur Christo*, sedent discipuli tanquam iudices adstantibus angelis: quia quibus vices suas Christus commiserat in sacerdotio, præ angelis honores suos communicauit, ex quibus clare constat, pluris Christum habere sacerdotes, quàm angelos.

20. Hoc expressit Christus Mathæi 18. num. 18. cum dixit discipulis. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio tom. 5. expendit hanc potestatem his verbis: *etenim, qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis, neque archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata, & in cælo.* Ex quibus verbis sic formo argumentum. Discipulis, quia sacerdotes erant, & non angelis, concessit Christus ligandi, & soluendi facultatem. Ergo pluris Christus facit sacerdotes, quam angelos.

21. Quam alte ille Verbi æterni præcursor Ioannes extulit hanc dignitatem cum de Christo loquens dixit: *fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare.* Matthæi 3. numero 11. Rupertus in hunc locum per calceamenta hæc Christi Apostolos intelligit. *Ioannes ita iudicando, ita non quæ sua sunt, sed quæ aliorum erant considerando: & superiores sibi futuros Apostolos arbitrando, regulam custodiebat sanctæ, & veræ humilitatis semetipsum deprimens, tanquam minor esset omnibus illis.* Ioannes, quo non surrexit

Exod. 30. n. 30. 31. & 32.
Elias Cret.
Chrysostom. Augustinus.
Gregor. Elias Creten Remigius.
Isa. 6. num. 2. Dan. 7. n. 10 To. 12. n. 15
Mat. 19. n. 28
Caietanus.
Mat. 18. n. 18
Chrysostom
Mat. 3. n. 11 Rupertus.

rexit maior inter natos mulierum (imo vt dixit
Augustinus. Augustinus sermone 2. de Ioanne Baptista tomo 10. *quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne*) sibi futuros superiores arbitrabatur Apostolos, sed vnde hoc in mentem Ioannis venit? quia futuri erant sacerdotes, quibus in tanta dignitate non communicauit Ioannes. Hanc ergo dignitatem venerabatur Baptista, cum se indignum portandi calceamenta Christi prædicauit: quia per illa Apostolos intelligebat sacerdotali stola potituros. Tanti sacerdotium Euangelij fecit Baptista!

ILLATIO CCXXXI.

Sacerdos totus cœlestis, & ab huius sæculi rebus abstractus esse tenetur.

22. TAm miserè cupiditatis flamma hominum corda incendit, vt à laicis acquirendi cupiditas (proph dolor!) in altaris ministros sit translata. Quis non doleat, sacerdotes, qui Deo tantum vacare debent, à negotiis sæcularibus, & frequenter ab illicitis negotiationibus, non
Augustinus. vacare? ob hoc dicebat Augustinus. serm. 37. ad fratres in eremo: *omne lucrum remotum à presbyteris esse debet: nam non sæculi, sed eorum, quæ Dei sunt, negotiatores sumus.* Hoc ambobus oculis deflebat Ieremias, suspiriis, & lachrymis
Trenor. 4. n. 1 miscens verba Trenor. 4. numero 1. cum dixit: *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt sunt lapides sanctuarij in*
Pasch. Ratb. *capite platearum?* Paschasius Ratbertus lib. 4. in lamentationes Ieremiæ in principio, præfata verba de sacerdotibus negotia sæcularia tractantibus intelligit. *Per aurum namque obscuratum* (inquit) *reprobam electorum, seu sacerdotum Dei in diuersis ordinibus deplorat vitam, quondam per gloriam virtutum claram: nunc vero per actiones infimas, & negotia sæculi obscuratam: ac proinde color optimus fertur immutatus, quia ille sanctitatis nostræ habitus per terrena, & abiecta præsentis vitæ opera ad ignominiam deformationis venit,* & inferius prosequitur: *quid ergo putas sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispersi nisi sacerdotes Christi, & ministri altaris, & etiam monachorum sancta, & Deo consecrata societas,* sacerdotum vita cum Deo vacat, aurum optimum est, pulcherrima, & aspectu omnium dignissima: at si negotiis sæculi irretita sit, obscuratur, & omnibus videtur contemptibilis, & deformis, si sacerdos per plateas & nundinas vagetur negotiationis gratia, perinde est, ac si lapides pretiosi, qui Dei templum ornant, dispersi essent per plateas, vt ab omnibus conculcarentur. Hoc deplorat Propheta, & meritò: nam sic esse dispersos ministros altaris fletus excitat, & suspiria vocat.

23. Cum Deus promissionis terram diuideret
Iosue 13. n. 33 inter tribus, Leuiticam excluſit. Iosue 13. num. 33. *Tribui autem Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius, vt locutus est illi*, satis superque explicat sacrum eloquium rationem ob quam Deus Leuiticam tribum in distributione terræ non admisit,
Sulpitius Seu nempe, quia Deus est eius possessio. Verum ex ea Sulpitius Seuerus Archiepiscopus Bituricensis lib. 1. sacræ historiæ aliquas colligit. *Viginti, & nouem regna* (ait) *imperio Hebræorum subiecta: quorum terra per vndecim tribus viritim distributa est. Leuitis enim in sacerdotium assumptis nulla portio data, quo liberius seruirent Deo, equidem hoc exemplum non tacitus prætermittam, legendumque ministris Ecclesiarum libenter ingesserim, etenim præcepti huius non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiat possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque quæstui per omnia student.* Patet ergo Leuiticam tribum, ex qua sacerdotij dignitas sumpsit exordium; ideo nullam sortitam fuisse portionem, vt semper præ oculis haberet, Dei esse hæreditatem, vt semper à terrenis desideriis cohiberet affectum.

De summo sacerdote dicitur Leuit. 21. num. 24.
12. *Neque egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vnctionis* Leu. 21. n. 12.
super eum est. Noster Abulensis ibid. quæst. 21. Abulensis.
asserit non prohiberi sacerdoti, ne vsquam è sanctuario egrederetur, sed quod sacerdos, si esset in sanctuario eo tempore, quo aliquis moreretur, non egrederetur exinde ad plangendum. Petrus Damianus opusculo 25. de digni- Petr. Damia
tate sacerdotis cap. 1. aliam adducit rationem nostro themati satis aptam, cum dixit: *de sanctis enim sacerdos egreditur, cum neglectis animarum curis per desideria terrena vagatur. De sanctis egreditur cum ecclesiastica disciplina postposita transeuntium causarum negotiis immoderatius implicatur. Vbi mox apte subiungitur: ne polluat sanctuarium meum. Sanctuarium quippe polluitur, cum sacerdos, quilibet per terrena desideria sparsus, causisque sæcularibus dissolutus sacrosanctis altaribus audacter assistere non veretur; cum videlicet fit, quod per Prophetam dicitur: & erit sicut populus sic sacerdos.* Quid clarius.
Oseæ 4. n. 9.

25. Hoc absque dubio explicuit sacer scriptor in nostro textu, dum tunica tota hyacinthina indutum proponit Pontificem. *Facies, & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam.* Sed cur tota hæc tunica hyacinthino fulgebat colore? Albinus Flacus Alcuinus lib de diuinis officiis Alcuinus.
cap. de singulis vestibus hanc rationem reddit: *Tunica tota hyacinthina, quæ aereo refulgebat colore cœlestem designat conuersationem: quæ tota erat hyacinthina: quia sacerdos nihil debet curare terrenum: nemo enim, ait, Apostolus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Abulensis hîc quæstione 22. Abulensis.
licet Alcuini tangat rationem, aliquid aliud superaddit. *Sacerdos magnus* (inquit) *totus hyacinthinus erat tam in capite, quam in reliquo corpore, quia hyacinthus est color cœlestis, sacerdos autem magnus totus cœlestis esse debebat. In capite autem, quia omnes cogitationes suæ de rebus cœlestibus esse debent, ita vt totum desiderium sit in bona æterna. In corpore autem, quia in omnibus operationibus tota vitæ habitudine apparere debebat, quod solam vitam æternam desiderabat, & inter cæteros quasi quoddam exemplar cœlestis vitæ, atque futuræ beatitudinis sit, ita vt illud Apostoli dicere, possit: cupio dissolui & esse cum Christo, ad Colosenses secundo capite.* Expende ex his cum Tostato, sacerdotem non solum hyacinthino colore in corpore ornari, sed eodem in capite fulgere; vt sciat sacerdos, à pedibus vsque ad caput debere esse totum cœlestem;

nec

nec ſolum opera, verumetiam cogitationes ad æternam beatitudinem dirigere; itavt tota eius vita cœleſte ſpiret deſiderium. Dedecet ergo, ſacerdotem, qui cæteris vitæ cœleſtis exemplar debet eſſe ex munere, negotiis terrenis implicari.

ILLATIO CCXXXII.

Iudex ex æquo partium iura ex proprio munere tenetur reſpicere; non autem affectu, vel ſanguinis amore.

26. DOminandi, & iudicandi poteſtas, quia diuinas gerit vices, non debet muneribus corrumpi, præcibus flecti, ſanguine, aut affectione violari, ſed ſemper recta omnium negotia ex æquo reſpicere. Iudex namque qui in ferenda ſententia, vel perſonam attendit, vel muneribus corrumpitur, vel ſanguine, aut amicitia flectitur, curuam reddit iuſtitiæ virgam, & Deo ſummopere diſplicet. Notatu dignum eſt, aquilam, quæ vulgo ætheris princeps, & auium regina vocitatur, ſæpe in diuinis litteris damnatam, & eius eſum interdictum, vt conſtat Leuitici vndecimo, numero decimo tertio, vbi dicitur: *hæc ſunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis: aquilam, &c.* Sed cur aquila inter immundas aues cenſetur, quæ regia inter volucres ornatur corona? Aldrouandus libro primo, Ornithologiæ obſeruat, aquilam inæqualibus, & diſcoloribus conſtare pedibus, dextro ſiniſtrum ſuperante. Pedum autem vitium ſepe damnat ſcriptura. Sic Leuitic. vigeſimo primo, numero decimo octauo, arcetur claudus, ne offerat panes Deo: & Deuteron. decimo quinto, numero vigeſimo primo, prohibetur claudum animal immolari: & Malachiæ capite primo, numero octauo, dicitur: *ſi offeratis claudum, & languidum; nõne malum eſt?* ſed cur diuina lege claudum immolari, & miniſter claudus prohibetur altari deſeruire? Quia claudus inæqualibus incedit paſſibus, cum diſcurrit, modo in hanc partem, modo in illam inclinatur, & non ex æquo omnia reſpicit. Meritò ergo à diuino arcentur altari. Ob hanc etiam cauſam aquila quanuis inter volucres ſceptrum, & coronam teneat, à Deo reprobatur; quia regina cum ſit diſcoloribus, & inæqualibus conſtet pedibus. Damnatur ergo in aquila inæqualitas, vt in regibus, & prælatis condemnetur.

Leu. 11. n. 13.

Malac. 1. n. 8.

27. Infauſtè ſatis Saul triumphauit de Amalech: victoria eius verſa eſt in ruinam; nam vincens regem à propria cupiditate eſt victus. Pugnauit ſtrenue, vicit glorioſe, apprehendit Aggag Amalecitarum regem viuum, omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Pepercit ergo Saul Aggag regi, optimis gregibus ouium, & armentorum; & vniuerſa, quæ pulchra, & pretioſa erant, noluit diſperdere; vilia vero demolitus eſt. Quid felicius primo aſpectu euenire poterat Sauli? ſed audi Samuelem ſic ad eum loquentem primo Regum decimo quinto, numero vigeſimo tertio. *Pro eo ergo, quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis rex.* Videamus nunc quomodo Saul verba Domini abiecit? ſed rei euentus ſatis declarat regis inobedientiam, ſic enim Dominus præceperat Sauli ibidem, numero tertio. *Nunc ergo vade, & percute Amalech, & & demolire vniuerſa eius: non parcens ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactantem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum.* Ex quibus ſatis conſtat, Saulem Dei non obtemperaſſe mandato, eſtne deiectus à ſolio, quia diuinum violauit præceptum? abſolute, & in vniuerſum hanc cauſam aſſignat ſacer ſcriptor, dum ait: *pro eo quod abieciſti ſermonem Domini, &c.* Verum, ni fallor etiam exprimitur cauſa particularis. Nam Saul miſſus fuerat, ad pugnandum contra Amalech, & ex vi ſui muneris tenebatur Domini adimplere mandatum, nempe, interficiendi omnes, parcendi nemini, bona non concupiſcendi: non ſic fecit, ſed ſibi non parcens, regi Aggag pepercit; ſua perdens, aliena vſurpauit; regem abſoluit, populum interficiens. O inique iudex, claudus es! non paſſibus æquis ducis exerces officium: regem dimittis, quem cum populo tenebaris occidere: perſonam accipis, & mandatum Dei ſpernis: meritò ergo regnandi ſpoliaris corona. Nam qui regnandi, aut iudicandi onus ſuis imponit humeris conſtringitur æquo animo iura partium, non perſonas, dignitates, aut bona reſpicere.

1. R. 15. n. 23.

ibid. num. 3

28. Hæc æqualitas ſolem, & lunam luminaria magna conſtituit. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Geneſis primo, numero decimo ſexto, ſed cur ſolem Deus diei conſtituit præſulem, & lunæ dedit noctis imperium? Diuus Ambroſius libro quarto. Hexamer. capite ſexto, hanc excellentiam non tribuit ſolis, & lunæ pulchritudini, ſed quia æqualiter omnes illuminant. *Quæ in quacumque parte fuerint cœli, illuminant omnia, & æque expectantur à cunctis, vt ea tanquam ſuis tantum regionibus immorari, & ſibi tantum adeſſe, atque lucere ſinguli populi credant, cum ſimiliter luceant vniuerſis, vt nemo his propiorem alium, quam ipſe, arbitretur.* Sol, & luna æqualiter radios emittũt: & non aliter pauperem, & abiectum, quàm diuitẽ, & ſublimẽ illuminant. Merito ergo eis conceſſum fuit imperium.

Gen. 1. n. 16.

Ambroſius.

29. Conditarum rerum exordium narrans Moyſes, terram, & aquam ſic deſcripſit. Geneſis primo, numero primo. *In principio creauit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Non miror, Moyſem terram deſcribere vacuam, inordinatam, incultam, & inuiſibilem: erat vtique aquarum humiditate cooperta; eamque impietatis poſſet arguere, ſiquidem noluit eum adhuc infantulum occultare, tradens vndarum procellis. Quod admiratione dignum eſt, Moyſem aquam, inter cuius vndas velut inter materna brachia aſylum inuenit, tenebrarum horrore opacam, & obſcuram proponere. Poſſet namque aquarum iniuriam ſubticere, ne pie matri videretur ingratus, primordialem eius defectum pandens: deberet vrſus obliuioni non tradere, ab aqua nomen

Gen. 1. n. 1.

accepisse, siquidem *Moyses* interpretatus *eductus ab aqua*. Exod. 2. n. 10. Quare ergo aquis non parcens earum tenebrosam caliginem retulit? Quia Moyses diuinæ iustitiæ erat minister. Nam si terræ referens defectus, aquarum taceret obscuritatem, videretur partialis, & aquis indulsisse, quia ab eis in communi illo Hebræorum infantum naufragio fuerat protectus, in quo integritas Moysis non parum obscuraretur. Ne ergo de tanto iudice id suspicari possit, aquarum defectus refert, vt neminem lateat, æquo animo terram, quæ in eum impia mater fuit, & aquam, à qua vitam mutuauit, respexit.

30. Hanc animi integritatem, qua iudices tenentur sententiam proferre, & subditorum causas prospicere, satis indicabat hyacinthinæ tunicæ ornatus, dum de ea dicitur: *In cuius medio supra erit capitium*. Hoc est (vt ex Menochio diximus, n. 3.) erit os capitis, vel apertura, aut foramen in summo, per quod caput transmittatur. Quod indicabat, caput, id est, qui regimen tenet, semper debere esse in medio, vt omnes ex æquo respiciat: hæc enim est obligatio gubernantis.

Illatio CCXXXIII.

Fugiat virgo hominum conspectum, si desiderat custodire virginitatem.

31. Virginitatis, seu castitatis lilium faccillime marcescit: vel tenuis impuræ cogitationis aura illud detruncat. Quid dicam auram? Desiderium videndi, & videndæ florem virginitatis deuenustat. Accipe Tertullianum cap. 2. de velandis virginibus reprehendentem abusum, qui iamiam in virgines irrepserat, detegendi capita, cùm in templa veniebant ad sacra. *Nam illam*, inquit, *consuetudinem, quæ virgines negat, dum ostendit, nemo probasset, nisi aliquæ tales, quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo, quæ videri volet. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est, videri, & videre.* Et in eodem libro in fine capitis tertij sic ait: *Omnis publicatio virginis bonæ stupri passio est. . . . O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid peius aliquis persecutor feciisset, si hoc à virgine electum cognouisset? Denudasti puellam a capite, & tota iam virgo sibi non est, alia facta est.* Quibus verbis satis ostendit Septimius, quàm caute virgo hominum debet fugere conspectum, ne à lasciuientibus oculis patiatur stuprum. Nec solum hoc: sed ipsa etiam visum cohibere debet, ne aliquem videat, qui possit, hunc pulcherrimum florem decerpere: quia eiusdem libidinis est profecto videndi, & videndæ desiderium.

Tertull.

32. Hanc cœlestis Sponsæ circumspectionem, & sedulam curam summis laudibus extollebat Sponsus. Cantic. 4. num. 4. dicens: *Sicus turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis multis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Non est vulgare encomium, quo Sponsus Amasiæ suæ celebrat collum, id est, obedientiam per collum significatam, eo quod sit collum, quod iugo supponitur, vt docent Origines, Theodoretus, Bernardus, & alij apud Tirinum in Bibl. magna. Alij per collum intelligunt totius corporis habitus excelsus, erectus, & firmus ita Menochius ibidem. Digna enim erat Sponsæ obedientia tanta celebritate: quare non miror Sponsum collum Sponsæ comparare cum eburnea turre Dauid. Hoc non miror: quod meum torquet ingeniolum est; cur turri vndequaque munitæ innumeris clypeis comparetur? Turrim clypeis muniri; quibus hostium incursibus posset resistere, & sagittarum cuspides retundere, docet ars militaris: at quid hæc cum collo Sponsæ? Communiter Interpretes per hos clypeos gemmas, , & vniones, quæ velut scuta è collo Sponsæ pendebant, & micabant, intelligunt. Voluit ergo significare Sponsus cùm collum Sponsæ Dauidicæ turri comparauit; quod sicut illa erecta, constans, rotunda, fortis, spoliis, & armis instructa; sic Sponsæ collum erat erectum, procerum, eburneum, gemmis, & vnionibus ornatum velut quibusdam scutulis. Sed in hac similitudine adhuc inuenio rationem nostro instituto aptissimam. Dico ergo collum Sponsæ clypeis ornatum celebrari, vt significetur, quanto studio cœlestis Sponsa suam pudicitiam, & castitatem custodiebat. Quod sic explico. Clypei namque corpus defendunt absque aduersarij læsione, & defendunt occultando, protegendo: hoc enim est scutorum officium. Ait ergo Sponsus, è collo Sponsæ mille pendere clypeos, vt significet, tanta cura sponsam occultam esse, ac si mille clypeis obtegeretur. Insuper: hos clypeos vocat omnem armaturam fortium. Sed cur scuta dicitur omnis armatura? Alia enim sunt armorum genera, vt lancea, gladius, arcus, sagitta: quare ergo clypeis omnis armatura tribuitur? Attende, quorum dicitur armatura? Fortium, robustorum, virginum, quæ continuo à carnis rebellione victoriam reportant. Meritò ergo dicitur clypeus omnis armatura: quia solis clypeis vincunt virgines, hoc est occultando se, & omnium aspectus fugiendo.

Cant. 4. n. 4.

Orig. Theodor. Bernard. Tirinus. Menoch.

33. Huius thematis exemplum, & confirmationem nobis præbuit Sara, cùm apud Abrahamum coniugem Angeli hospitarentur. Audiuit ipsa adhuc cancellis tabernaculi occulta: *Habebit filium Sara vxor tua*. Gen. 18. n. 10. Sanctus Epiphanius in Ancoratu notanter aduertit, Saram nunquam coram Angelis adfuisse, nec eis pro tanta promissione egisse gratias: in quo videtur nobilissimam fœminam ingratitudinis nota suam obscurasse nobilitatem. Cur ergo foras non egreditur, & tantum beneficium debita gratiarum actione non recompensat? Propter castitatem seruandam respondet Epiphanius. *Risit Sara, quæ intus erat, & vult sic ostendere ipsius castitatem, quæ exemplum est earum, quæ in veritate pietatem exercere volunt: quo vbi susceperint peregrinos propriis quidem laboribus inseruiant, verum propter verecundiam, & castitatem faciem suam viris ne ostendant.* Nec

Gen. 18. n. 10.

Epiphan.

vrbanitatis, nec gratitudinis iura violauit Sara Angelis pro tanta promissione debitas gratias non tetribuens; siquidem propter verecundiam, & castitatem faciem suam ab Angelis abscondit. Sed adhuc vrgeo. Quî suspicari posset Sara, suam periclitari castitatem, tametsi Angelicis se offerret obtutibus? Certe: quia eos in specie virorum conspiciebat: & quæ perfecte seruat castitatem, vel de Angelis, si vt homines appareant, debet formidare.

34. Quam sine periculo, hoc castitatis, & virginitatis periculum nos docuit beatissima Virgo salutata ab Angelo: *Turbata est in sermone eius.* Lucæ 1. num. 29. Si causam huius turbationis inquiras, reddit Ambrosius lib. 2. de virginibus hanc turbationem expendens: *Denique & Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, vt cognoscas aures religiosas, oculos verecundos.* Maria frequentissime conuersabatur cum Gabriele in specie angelica loquente, non in specie viri. Vidit eum? Non vidit, sed audiuit vocem hominis, & turbata est, & quæ Angelum non peregrinaretur audire, virum expauit: vt cognoscas aures religiosas, quæ vocem humanam fugiunt; oculos verecundos, qui speciem viri videre, metuunt. Sed cur Maria sic timet? Cur turbatur, quæ suæ virginitatis non timebat iacturam? Verum est, Mariæ virginitatem nunquam potuisse periclitari, sed turbationem passa est, vt quantum discriminis secum afferat viri cum virgine conuersatio admoneret, & exinde discerent virgines non solum vocem, sed viri aspectum fugere. Idem Ambrosius lib. 2. in Lucam ita explicuit his verbis: *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri.* Et Tertullianus de velandis virginibus, cap. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam, etiam fœminarum oculos pati non vult.* Virginis studium debet esse, ita abscondi, vt nec fœmineos oculos pati possit. Sic virginitatis lilium candescit; sic custoditur.

Luc. 1. n. 29.

Ambr.

Ambros.

Tertull.

35. Visitauit Maria Elizabetham vxorem Zachariæ, & Baptistæ matrem, & ait facer textus. Luc. 1. n. 56. *Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.* Quamuis plures Doctores affirment, Baptistam recenter natum inter brachia Mariæ requieuisse, & virginitatis donum ex eisdem infantulo fuisse communicatum, vt docet Bernardus sermone quodam de priuilegiis B. Ioannis Baptistæ, & Bonauentura tom. 6. cap. 30. meditationum: tamen Titus Bostrensis ad præfata verba existimauit, Mariam in domum suam rediisse paulò ante Ioannis natiuitatem. Si tamen ab eodem Tito causam huius reditus desideres, eam tibi offert his verbis: *Rediit autem, quia circa Elizabethis partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat: Virgo autem sanctissima virgineo quodam pudore tenta hominum conspectum declinabat.* Tanto studio sacratissima Virgo suam custodiebat virginitatem, vt quia præuidit, in Elizabethæ partu cognatorum, & amicorum Zachariæ multitudinem congregandam, declinandi causa hominum aspectum, rediit in domum suam. Quo facto satis erudiuit virgines, vt omnium etiam cognatorum fugiant intuitum, si florem pudicitiæ, & virginitatis conseruare desiderant.

Luc. 1. n. 56.

Bernard. Bonauent.

Tit. Bostr.

Nescio, an huius documenti memor esset sponsa, cum ardentissimo amore quærebat Sponsum. Cantic. 3. num. 2. dicens: *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni.* Cumque non inueniret, amore impatiens inquirendi repetiit studium. Miror sane, Sponsum, qui diligentes se diligit, quærentes se non quærere, imò abscondi ab oculis eorum! Quæ ergo fuit causa, vt Sponsa dilectum non inueniret? Diuus Hieronymus epistola 22. ad Eustochium, capite vndecimo. Nullam aliam causam, quam quia Sponsa cùm esset Virgo per plateas, vbi frequentes hominum concursus adsunt, inquirebat Sponsum. *Nolo, te,* inquit, *quærere sponsum per plateas: nolo, te circumire angulos ciuitatis, dicas licet: surgam, & circuibo ciuitatem, & in foro, & in plateis quæram, quem dilexit anima mea: & interroges: num quem dilexit anima mea, vidistis? Nemo tibi respondere, dignabitur. Sponsus in plateis non potest inueniri.* Monebat Hieronymus Eustochium virginem, vt suæ pudiciriæ curam maximam haberet, præcipue se in lucem non ederet, nec publica loca circumiret; idque Sponsæ cœlestis exemplo confirmabat. Hæc namque amore languens quærebat Sponsum, non tamen inueniebat; quia eum per loca publica quærebat, forum, scilicet, & plateas, vbi plurium pateret obtutibus: & Sponsus ibi non potest inueniri. Voluit ergo ostendere Hieronymus, quod tametsi Virgo amore Sponsi saucia ipsum quærat, non inueniet, si eum inquirat extra domum, & in publicum exiens. Sit Sponsa abscondita, & ab Sponso quæretur. Quid aliud indicauit ipse. Cantic. quinto, numero secundo, cùm dixit? *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea immaculata mea.* Hîc quæritur Sponsa ab Sponso: quia intra domus angulos erat clausa. Hoc summopere placet Sponso: & hoc etiam tuta est virginitas.

36.

Cant. 3. n. 2.

Hieron.

Cant. 5. n. 2

Talarem tunicam induebat Pontifex colore hyacinthino fulgentem. Vt quid ergo vsque ad talos hæc tunica? Vt byssinam, & strictam penitus obtegeret. Tunica stricta hyacinthinæ supponebatur: illâ (vt infra versu trigesimo nono, numero vigesimo tertio dicemus) significabatur castitas, vel virginitas. Est ergo talaris tunica hyacinthina, vt illam operiat: indicans, castitatem, vel virginitatem tutam esse, si occulta sit.

37.

ILLATIO CCXXXIV.

Perseuerantia Deo placet; Inconstantia displicet.

38. INcipere bonum, felicitatis auspicium est: at persistere in bono, felicitatis est possessio. Qui bo

bonum, quod incepit proſequitur, ſummis laudibus à Deo celebratur. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ:* ait cœleſtis ſponſus ſuæ amaſiæ celebrans venuſtam corporis ſtructuram. Cant. 7. num. 7. Sed cur ſponſus corporis ſponſæ pulchram conformationem palmæ comparauit? An vt eius ſignificaret proceritatem? Forſan ob hoc. Verum D. Ambroſ. lib. 3. Hexamer. cap. 17. aliam agnouit cauſam, cùm dixit: *Palma autem virens ſemper manet, conſeruatione, & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinauerit folia, ea ſine vlla ſubſtitutionis ſucceſſione conſeruat. Imitare ergo eam, ô homo, vt dicatur tibi: ſtatura tua ſimilis facta eſt palmæ.* Non comparauit ſponſus ſponſæ corporis ſtructuram cupreſſo, quæ ſemper virens pyramidem pulchram format: non cedro, quæ in Lybano ſupra cæteras arbores exaltatur, ſed palmæ. Quia tametſi nunquam viriditatem amittat cupreſſus, eam conſeruat varia mutatione foliorum; & marceſcentibus foliis alia ſuccedunt eadem apparent, ſed non ſunt ipſa. Cedrus quamuis omnibus palmis ſit ſupereminens Aquilonis iniuria foliis ſpoliatur, nec eſt conſtans eius amœnitas: ſola palma inuariata ſuam conſeruat natiuam viriditatem: Nam quæ primo germinauit folia ea ſine vlla ſubſtitutionis ſucceſſione conſeruat. Vide ergo cauſam, ob quam ſtatura ſponſæ palmæ comparatur; non tam vt eius proceritatem, quàm vt eius conſtantiam celebraret ſponſus. Perſeuerabat ſponſa in amaſij amore; ideo aſſimilata eſt palmæ, & ab ſponſo celebratur, indicans, quantum Deo placeat, qui firmo animo in eius amore perſeuerat.

Gen. 7. n. 7.

Ambroſ.

39. *Neminem per viam ſalutaueritis: in quamcumque domum intraueritis, primum dicite pax huic domui*: Dicebat Ieſus Diſcipulis, cùm eos mitteret ad prædicandum. Luc. 10. num. 4. & 5. Nunc vellem Chriſtum interrogare: cur Diſcipulis prohibet aliquem in via ſalutare, & permiſit, vt cum apud aliquem hoſpitentur, (imò præcepit,) dicere in ingreſſu illius domus, pax huic domui? Si ſub nomine pacis (vt notauit Caiet. ibid.) omnis boni imprecatur aduentus: cur tanto bono priuat iteragentes, eis hanc ſalutationem negans? Ingenioſe & ſubtiliter reſpondet citatus Cardinalis. *Prohibuit ſalutationes vanas: præcepit ante omnia in ingreſſu domus ſalutare: vtpote congruum loco, & hoſpitibus.* Quod eſt dicere: Ideo Chriſtus ſalutare aliquem in via prohibuit, quia hoc vanum eſt, & abſque fructu, nam id obiter fit: at hoſpites ſalutare, apud quos detinendi erant Diſcipuli, congruum eſt tempori, loco, & hoſpitibus; quia perſeueranter in illa domo erant permanſuri. Vt ergo Chriſtus oſtenderet, quantum illi placeat perſeuerantia in bono, Diſcipulis præcepit, vt cum alicuius domus limina ſalutarent, dominis etiam apud quos honorifice, & liberaliter erant excipiendi, pacem annunciarent, quod eſt quoddam genus ſalutationis; quia ibi permanſuri erant; qui tamen eiſdem ſalutationes in via prohibuit, vt inconſtantiam in bono reprobaret. Nam quid intereſt, inchoare bonum, ſi inceptum non proſequitur?

Luc. 10. n. 4. & 5.

Caietan.

40. Geneſis 1. numero decimo ſexto. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei; luminare minus, vt præeſſet nocti.* Id eſt: fecit Solem in poteſtate diei, & Lunam in poteſtatem noctis. Inquiro: cur Luna, quæ paulò antea luminare magnum dicebatur, poſt luminare minus dicitur? Et cur Sol ſemper retinet excellentiam magni luminaris? Profecto: quia Sol ſemper eodem modo lucis radios emittit: Luna vero nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed menſtruis defectionibus extenuatur, modo amputato circulo, modo toto corpore illuminato ſatiatur. En ergo cauſam, cur Sol luminare maius dicitur: quia ſemper idem perſeuerat. Luna nunquam eadem apparet, ſemper mutatur. Meritò ergo hæc maioritatem amiſit, conſeruauit ille. Ob hoc dicitur Eccleſiaſticæ vigeſimo ſeptimo, numero duodecimo. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol: ſtultus ſicut Luna mutatur.* Vbi ſatis oſtendit ſacer textus per Solem animum firmum; per Lunam inconſtantem deſignat.

Gen. 1. n. 16.

Eccl. 27. n. 12.

Creauerat Deus hominem extra paradiſum, ſed vt illius nemoris frueretur deliciis: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Geneſ. 2. n. 15. Nota, duo ab homine Deum exigere. Operationem: ecce vnum. Cuſtodiam: ecce alterum. Sed cur Deus, qui hominem, vt operaretur in paradiſum tranſtulit, inſuper cuſtodiam ab eo exegit? D. Ambroſ. lib. de paradiſo, c. 4. reddit rationem his verbis: *Non idem eſt, operari, & cuſtodire. In opere enim quidem virtutis proceſſus eſt, in cuſtodia quædam conſummatio operis deprehenditur, eo quod quaſi conſummata cuſtodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, & parta cuſtodiat.* Operari in paradiſo, hoc eſt, virtutum actiones elicere, bonum eſt: ſed non ſufficit hoc: inſuper requiritur harum virtutum cuſtodia, id eſt, conſummatio, & vſque in finem perſeuerantia. Sine hac Deo placere non poteſt virtutis inceptio: *Hæc duo ab homine requiruntur*, &c.

41.

Gen 2. n. 15.

Ambroſ.

Talaris tunica cœleſti micans colore ornabat Pontificem. Sed cur talaris hæc tunica? Beda libro tertio de tabernaculo, capite ſexto: Id ita fuiſſe diſpoſitum, reſpondit, ad ſignificandum in bonis operibus conſtantem animum vſque ad finem vitæ. *Item tunica talari Sacerdos tota hyacinthina veſtitur, vt admoneatur opus cœleſte non inchoandum tantummodo, verumetiam vſque ad finem vitæ in eo eſſe perſeuerandum omnibus, qui ſalui eſſe voluerint.* Parum eſſet, hanc tunicam cœleſti fulgere colore, & ea Pontificem ornari, qua virtutum opera ſignificantur, ſi non talos vſque pertingeret, hoc eſt, ſi extremam partem Pontificis, vitæ eius videlicet extremum. Sic enim iſte ornatus Deo placebat: quia in bono perſeuerantiam denotabat.

42.

Beda.

ILLATIO CCXXXV.

Ignominioſum eſt, declinare à via, quæ ducit ad vitam.

SOlent humani, ſi aliquid intentant, ab eo non retrocedere, ne in honore lædantur, quaſi ignominioſum putantes ſemel ab inten-

43.

to reſilire. Quam multa efficiunt propter rationem ſtatus contra ſtatum rationis, quia ſemel incæperunt? Solent enim dicere: hoc proſequimur, non quia iuſtum, ſed quia incæpimus. Sic res mundanas agunt: vtinam ſic agerent negotium ſalutis, & ſaluationis; & qui ſemel viam veritatis, & virtutis inuenerunt, eodem conatu incepta proſequerentur! Perſuadere deſidero mortalibus, non minus ignominiæ vertendum, ſi à diuinis deſiſtant, quam putant ignominioſum, cum humana iam incepta deſerunt. Fauet huic cogitatui infelicis illius fœminæ vxoris Loth euentus ignominioſus, quæ ſimul cum marito, & filiabus Sodomitarum incendium fugiens, animum in Sodoma relinquebat: reſpexit retro, vt miſeram videret ciuitatem, & miſerrima trãsformatione in ſtatuam
Gen. 19. n. 26 ſalis eſt commutata. Geneſ. 19. n. 26. *Recipiensque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Si cauſam huius pœnæ inquiras, eam ſatis explicuit diuinum Oraculum: nam ibidem, n. 17.
Gen. 19. n. 17 dictum eſt Lotho ab Angelo: *Salua animam tuam: noli reſpicere poſt tergum.* Propter tranſgreſſionem huius mandati mulctata eſt vxoris Loth vana curioſitas. Sanctus Nilus libro Aſcetico inconſtantiæ huius fœminæ, & omnium, qui viam iniquitatis relinquunt, & ad bonam frugem refugientes, parum perſtiterunt in ſancto propoſito, & iterum ad præterita vitia redeunt, attribuit. *Nihil prodeſt,* inquit, *mundo renunciaſſe, niſi in propoſito perſeueres, ſed ſinas te retrahi, & terga vertas rationi, ac ſemper ad ea, quæ reliquiſti te conuertens, tuum erga illa ſtudium declares: vxor Loth, quæ reſpiciens retro ſtetit exemplum inobedientibus, conuerſa, vt nunc eſt, in ſtatuam ſalis.* Sed adhuc ſupereſt inquirendum: cur potius in ſalis ſtatuam, quàm in aliùs materiæ fuerit tranſmutata? Sale quaſdam vrbes ira victorum legimus ſeminatas, vt Iudicum, cap. 9. num. 45. Factum eſt in ciuitate Si-
Hieronym. chem: & Diuus Hieronymus lib. 1. comment. in cap. 5. Matthæi refert, vt nullum in ipſa germen oriretur, ſterilitatique adderetur ignominia. Deinde: cum aliquis crimen læſæ maieſtatis committit, præter capitalem pœnam, quã plectitur, domus eius demolitur, & ſale ſeminatur in ignominiam delinquentis, & aliorum
Gomeſius. exemplum. Vt docent Bernardinus Gomeſius Miedes in commentariis de ſale, lib. 2. num. 43.
Pegna. Pegna in directorio Inquiſitorum, 3. part. §. *Illud hîc addiderim.*
Parlador. Parladorius lib. 1. rerum quotidianarum, cap. 21. per totum. Conuerſa igitur fuit vxor Loth in ſalis ſtatuam, quia relicta peccatorum via, & virtutis tramitem ſequens, reſpexit retrorſum, hoc eſt, ad præteritam vitam; vt ſignificetur per hoc tanta ignominia affici, qui à virtutis tramite diſceſſit, & iterum miſerè in priſtina vitia rediit, ac ſi committeret crimen læſæ maieſtatis.

44. Fugientem Agar ancillam Abrahæ ſic alloGen. 16. n. 8. quitur Angelus in deſerto: *Agar, ancilla Sarai vnde venis? Et quo vadis?* Geneſis 16. num. 8. Cui reſpondit Agar: *A facie Saraï dominæ meæ ego fugio.* Nota, hanc ancillam diminute Angelo reſpondiſſe. Nam duo ab ea quæſiuit Angelus, videlicet, quo tenderet, & vnde veniret: ſolum enim reſpondit; fugere iram dominæ ſuæ. Si tamen quæras; cur non dixit, fugere à domo Abrahami, & in Ægyptum tendere? Reſpondet Lippomanus ibidem, ideo id tacuiſſe, quia indignum Lippoman.
putauit, domum ſanctam deſerere, qualis erat Abrahami, & ad Ægyptios idololatras redire. *Erubuit*, inquit, *confiteri, à domo ſancti viri, probataque domina ad Ægyptios rurſus redire idololatras.* Seruitutis nota ſignata erat Agar; & tamen rubore ſuffunditur, quia domum ſanctam deſerebat, & in terram idololatriæ, & ſuperſtitionibus ſubiectam migrabat: pudebat, fateri à virtute ad vitia, à fide ad infidelitatem remeare: iudicauit infamiam ab incepto bono deſiſtere; quaſi vilius hoc eſſet, quàm nota ſeruitutis inuri. O vtinam, nos qui tanto pretio æſtimamus honorem, propter honorem ſaltem perſeueraremus in bono!

Nec ſolum ignominioſum eſt ab incepto 45.
bono deſiſtere: verum etiam, qui vices alternat, nec perſeuerat in bono, dignus eſt, amittere maximum principatum. Expende, quæſo, certamen illud inter Phares, & Zaram fratres gemellos. Certabant ambo non tam pro prima luce, quàm pro Iudæ principatu, & imperio glorioſo. Zaram vel fortior, vel callidior adhuc in vtero exiſtens, *Protulit manum,* Gen. 38. n. 28
in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: iſte egre- & 29.
dietur prior. Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter. Geneſis 38. num. 28. & 29. Ex diuino eloquio ſatis conſtat: Zaram ligato coccino manum retraxiſſe, & fratri Phares permiſiſſe, vt luce primus frueretur, & paternam hæreditatem obtineret: *Poſtea egreſſus eſt fra-* Ibid. n. 30
ter eius, in cuius erat manu coccinum, quem appellauit Zara. Ibidem, num. 30. Phares ergo, quia natiuitate prior, & paternam domum hæreditatis iure poſſedit, & in Chriſti genealogia meruit recenſeri vt nobilis domini progenitor. Matthæi 1. num. 3. Hinc non leuis reſurgit difficultas, videlicet: cur Zaram, qui ex prolatione manus, & coccino ligato iu ad primogenituram Iudæ videbatur acquiſiuiſſe, (vt nec obſtetricem latuit dicentem: *Iſte egredietur prior*,) excluditur ab hæreditate paterna, & à Chriſti genealogia, & pro eo ſubſtituitur Phares? Si dicas, quia Phares natus fuit prior: hoc de Zara videtur potiori iure dicendum; ſiquidem primus protulit manum. Ergo Zaræ, & non Phares debebatur hæreditas, & paterna nobilitas. Verum quis dubitet, iure optimo exhæredem fuiſſe Zaram, & Prælatum Phares, cùm à Deo ſic diſpoſitum credamus? Sed cur Zaram exhæredatur? Quis cognouit ſenſum Domini? Verum ad mores multa ſe offerunt, & ad noſtrum inſtitutum audi rationem, quam iamdiu cogitaui. Quia Zaram è materno vtero egredi nitens, & manum proferens, ab inceptis deſtitit retrahendo manum, & fratrem egredi permittens. Certabant ambo pro hæreditate paterna: bene incepit Zaram manum oſtendens, & abſque dubio hæreditatem obtineret, ſi proſequeretur inceptum: deſeruit intentũ, & quod quærebat amiſit. Meritò ergo tot bonis, & honore priuatur. Quî namque poſſet fieri, vt progenitor eſſet Chriſti, qui inconſtantiæ maculabatur ignominia, antequam proderet in lucem? Phares autem perſeuerauit ſemper: dignus ergo

fuit

fuit tanta dignitate. Ex his ergo collige quanti momenti sit, permanere in bono: & quam parum interfit, bene incipere, si male desinas. Hoc satis aptè doceris in tunica hyacinthina Pontificis: talaris erat, & colore cœlesti fulgens: vt scias opus cœleste non tantum inchoandum, sed perficiendum fore: vsque ad pedes erat protensa, id est, vsque ad finem; vt vsque ad illum in bono opere perseueres. Sic Petrus Damianus opusc. 25. c. 2. de dignitate Sacerdotij reddens rationem, ob quam talaris esset tunica hæc, & in ora mitra opere ornata, cùm dixit: *Pes est corporis terminus: quid per hoc nisi boni operis designatur extremum? Nimirum, vt omne bonum, quod incipimus, perseueranter etiam vsque ad felicem terminum perducamus.*

Per. Dam.

Illatio CCXXXVI.

Fugit pericula, qui prudenter præcauet.

46. Temeritati potius, quàm fortitudini tribuendum est, si quis rem aliquam aggreditur absque periculorum diligenti examine. Multa intendimus cœco quodam impetu, quæ si exacto consilio, & animaduersione expenderemus, liberaremur à multis damnis, quæ deinceps vix valemus fugere. Cordati animi solicitudo est, præuidere peiora, & incommoda vitare. Ob hoc dicebat Tertullianus libro de cultu fœminarum, cap. 2. *Qui præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris.* Estò ergo nimis præcauens, si periclitari non desideras.

Tertullian.

47. Pericula timens, & euitare cupiens, cordate satis petebat Dauid, pedes eius diuini Verbi lumine illustrari, dum dixit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Psalm. 118. num. 105. Miror, prudentem Regem, & in rebus grauissimis versatum petere à Deo, diuina voce pedes illustrari. Non mirarer, si hanc lucem auribus exoptaret. Aures namque diuino eloquio fœcundæ alram, vtilem, & spiritualem pariunt cognitionem: at pedes nec vocem percipiunt, nec cognitionem adiuuant: quare ergo Dauid diuinam petit vocem ad illustrandos pedes? Exorari non desiderat, qui incongrua petit: non valent pedes vocem percipere, (hoc enim auribus tantum concessit natura.) Ergo minus apte petebat Dauid diuinum eloquium, vt eo tanquam lucerna illustrarentur pedes. Si lucem postularet, qua ductoribus oculis dirigeret gressus suos cordata, & laudabilis esset oratio: at vocem desiderare pedibus, deprecatio videtur inutilis. Verum, si petitionis penetremus sensum satis cordate petit, ait Diuus Bonauentura ad præfata verba: nam Dauid non desiderabat diuinas voces pedibus immediate, sed auribus, quibus anima eius instructa, & admonita effugeret pericula, detineret pedes, ne inciderent in damna. *Pedibus*, inquit, *prouidere debemus, ne inquinentur; ne illaquentur; ne subuertantur; sed puri, & firmi seruentur.* Accipe emphasim verborum Bonauenturæ expressam. Pedibus vtimur ad omnia negotia peragenda: pedibus hinc illuc transmutamur, vt consequamur, quod semel in animo proposuimus: pedibus carens omni negotiationi iudicatur ineptus: tandem pedes aptissima sunt instrumenta, vt in omni negotio felix adsit exitus. Ecce iam, quare regius Psaltes pedibus verba, quæ salutaria consilia præbeant, & pericula caueant, expostulabat: non quia pedes voces percipiant, sed quia mente diuino eloquio instructa, & periculorum, quæ imminent, præuenta, facillimo negotio pedes in viam salutis dirigentur. Quod est dicere: si animus meus fuerit præuentus, & admonitus; pericula, quibus pedes offendi sæpissime contingit, haud difficulter effugientur.

Psalm. 118. n. 105.

Bonauent.

48. Quam inoffenso pede, & secura via procedat, qui attente, & prudenter futura damna præcauet, satis ostendit Christus Dominus Discipulos suos mittens ad annunciandum Euangelium, dum dixit illis: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* Lucæ 10. num. 4. Sed cur Dominus, quando eis sacculum & peram negat, calceamenta saltem non permisit? longum, & asperum iter agrediuntur spinis consitum, & calculis plenum: quare ergo nudis pedibus sunt incessuri? Quia eos mittebat Christus ad prædicandam Fidem, & propagandum Euangelium. Ideo ergo absque calceamentis eos mittit, vt ad tantum negotium prudentiores, & cautiores redderet. Nam sic incedentes aliquando lapillulis offendentur, aliquando etiam pungentur spinis, doloremque sentientes, deinde considerabunt, vbi figant pedes, & simul instruentur ad præcauenda discrimina, periculaque fuganda.

Luc. 10. n. 4.

49. Quàm vtilis, quamque conueniens in omni negotio sit hæc attenta consideratio satis innuit Deus, cùm in primordio rerum ad hominis accessit formationem, siquidem velut inito consilio inter diuinas Personas dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. n. 26. O rem admirandam! Sol creatur nulla deliberatione præcedente (loquor pro nostro modulo,) eodemque pacto cœlum, quibus nulla corporea & inanimis creatura æquatur: & in sola hominis formatione Creator velut consideratione præuia accedit! Cur ita? Vt hominem instrueret, qui ad Dei imaginem creabatur, ne inconsiderate, & despectis agendi negotij circunstantiis operaretur. Prodest D. Greg. lib. 9. moral. c. 36. dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Neque enim de eo sicut de rebus cæteris scriptum est: neque vt aquæ volatilia, sic terra hominem protulit: sed priusquam faceret, faciamus, dicitur: vt videlicet, quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur.* Quamuis Deus omnia in sapientia creauerit, tamen ad hominis structuram quasi consilium iniit, quia creaturam rationalem condebat diuinæ naturæ imagine præsignatam. Quod est dicere: Ideo Deus quasi cum consilio hominem fecit, vt hominem, qui Dei imaginem præseferebat, instrueret, omnia cum consilio exacto, & matura consideratione operari. Sic enim ageret vt rationalis creatura, & summi Dei imago.

Gen. 1. n. 26

Gregor.

50. Cæcus arcebatur diuina Lege à ministerio
Leu 21.n.18. altaris. Leuit.21.n 18. *Nec accedet ad ministerium eius,si cæcus fuerit*. Sed cur Deus orbatum oculis à Sacerdotio excludit? Ad sacrificia animæ requiritur perfectio; corporis pulchritudo si desit, nullius est momenti: quare ergo cæcum in ministerio altaris Deus non admisit. Non ob aliud,nisi quia ad tantum ministerium homo prudens, & cordatus exigitur, qui res mature consideret: cæcus autem absque consideratione ambulat,nec præuidere potest pericula; & æquo animo in foueam se immittit,ac si per viam planam ambularet. Sit ergo ineptus ad Sacerdotium,qui sic inconsiderate procedit.
Gregorius. D.Greg.1.p.Pastor.c.11.id dixit: *Cæcus est,qui supernæ contemplationis lumen ignorat,qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum veram lucem nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat nescit.* Sacerdos creabatur ad instructionem populi: si cæcus esset, male alios dirigeret: nam ducatus cæci præcipitium est. Quî alios ducet, qui ducere se, non valet? Meritò ergo à Sacerdotio excluditur, qui pericula nequit præcauere.

51. Hyacinthinæ tunicæ erat superius orificium, per quod Sacerdos immittebat caput, idque Limbo firmissimo adinstar loricæ antiquæ muniebatur, ne facile rumperetur. Sed cur tanta adhibetur cura in hoc orificio muniendo?Satis id indicauit sacer textus cùm dixit: *Ne facile rumpatur*. In quo docemur,præcauere pericula, si ea euitare desideramus. Nam damnum,quod præuenitur,haud difficulter vitatur: & prudenti, & maturæ meditationi felix exitus succedit.

Illatio CCXXXVII.

Sacerdotum dignitas Regum superat maiestatem.

52. Nvlli dubium est de rebus nostræ Fidei bene sentienti, Sacerdotales infulas Regum diademata superare: verum quia potentia Reges tumidos fecit,contra elatos,& superbos Monarchas, qui se pluris faciunt, quàm Sacerdotes, militandum est. Id expressit D Ambros. lib. de dignitate sacerdotali, cap. 2. sacerdotalem dignitatem cum regia conferens, his verbis:
Ambros. *Si Regum fulgori compares,& Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credent se communiri.* Id ipsum docuit Bernardus sermone ad Pastores in Synodo, dum ait: *Quantam dignitatem contulit vobis Dominus? Quanta est prærogatiua ordinis vestri? Prætulit vos Deus Regibus, & Imperatoribus, prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus.* Et in libr. testamentorum Patriarcharum in 5.tom.Bibliothecæ veterum Patrum,Iudas in suo testamento differentiam inter ipsum,
Testament. Iudæ. & fratrem Leui assignauit dicens: *Mihi dedit Dominus Regnum, & illi Sacerdotium, & subiecit Regnum Sacerdotio. Mihi dedit, quæ in terra, illi, quæ sunt in cœlis. Vt supereminet cœlum terræ ita supereminet Dei Sacerdotium regno, quod est in terra.*

Nihil magis tritum in sacro eloquio, quàm 53.
Reges à Prophetis,& Sacerdotibus vnctos fuisse: sic Samuël vnxit Saülem.1 Regum,cap.10. num.1.Idem & Dauidem ibid.cap.16.num.13. Salomonem vnxerunt Sadoc Sacerdos, & Natham Propheta, 3.Reg.1.n.45. Quid plura referam? Verum inquirere liceat, cur Deus cum aliquem ad regiam eleuabat dignitatem, vngi disposuit per manus Sacerdotum? Posset enim Deus, quem vellet regio diademate redimire vnctionis ritu prætermisso: quare ergo hanc non omisit cæremoniam? Chrysost.tom.1.homilia 4.de verbis Isaïæ respondet,ideo hoc ita dispositum, vt Rex Sacerdoti caput submittat, & sacerdotalis dignitatis supra Regiam ostendat excellentiam. *Propterea*, inquit, *Rex caput* Chrysost. *submittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes vngebant Reges.*

Non leue huius excellentiæ signum indica- 54.
uit illud præceptum, quando Deus iussit Iosuë eligere ex singulis tribubus duodecim viros ad tollendos è medio Iordanis totidem lapides, quos portarent super humeros, eo quod à Sa- Iosuë 4.n.2.
cerdotibus calcati fuerãt.Iosuë 4.n.2.*Elige duodecim viros singulos per singulas tribus,& præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum duodecim durissimos lapides*: & ibid. n.9. Fecerunt ergo filij Israël sicut præcepit eis Iosuë. Principes populi lapides, quos Sacerdotes pedibus conculcarunt super humeros portant. Quid hoc significat? Certè Sacerdotum dignitatem, sic Principum excellere principatum, vt quod Dei ministri pedibus conterunt, super humeros portare debent Principes.

Nec hoc mirum est; quia Regum supremus 55.
ornatus est infimus Sacerdotum: & quod inter Sacerdotis pedes atteritur Reges super caput imponunt,vt illo coronentur. 1 Reg.c.14.n.2. de Saüle dicitur: *Porrò Saül morabatur in extre-* 1. Reg. 14.
ma parte Gabaa sub malogranato. Sub hac arbore n.2.
velut sub papilione erat Saül, vt ibi quiescere posset. Sed cur hanc arborem, potius quàm aliam, cùm tot ibi essent, elegit Rex? Putatem quia fructu onusta erat, & vt malogranata super caput imponeret. Sed ad quid tantum studium? Super caput Regis solum quiescit corona, illa ornatur vt Rex: quid malogranata cum diademate, vel corona? Vt sic Saül ostenderet,Sacerdotis infima Regum suprema excellere. E tunica hyacinthina qua speciosè ornabatur Sacerdos malogranata pendebant, fimbriaque eius illis erat circundata. Exod. 28. num 34. Hæc in Sacerdotis ornatu infimum locum obtinebant:vt ergo indicaret Saül,quanti æstimandi sunt Sacerdotes, quantamque excellentiam sacerdotalis dignitas obtineat, imò quantum Sacerdotium excedat dignitatem regiam, sub malogranato morabatur, vt fructum eius super caput poneret, quem Sacerdos habebat in pedibus, & sic honoratissimum haberet diadema, si Sacerdotis infimo coronaretur ornatu. Alia ratio excogitari potest huic affinis. Malogranatum (teste Gregorio 2. parte Pastoralis, cap.4.Beda, & Ambrosio libro 7.in Lucam, cap.13.) optimum Regis typum gerit: quia dum suam in granis purpuram, & suam in cortice coronam præfert,nihil potius, quam

Regem

Regem coronatum, purpuratumque adumbrat. Ornabatur ergo ſacerdotis tunicæ fimbria malogranatis, vt oſtenderetur, reges vix poſſe vſque ad fimbriam ſacerdotum pertingere, ſuperius non poſſe.

ILLATIO CCXXXVIII.

Pacis diademate coronetur, qui pacis per ſacerdotium miniſterio fungitur.

56. QVam procul à ſacerdotum animis debeant eſſe rixæ, & diſcordiæ verba, ipſorum munus ſatis oſtendit. Mediatores enim ſunt inter Deum, & homines; ima ſummis conciliant; & diuiuum numen peccatis offenſum ſacrificiis placant. Qui ergo ex proprio munere homines Deo conciliant, ſi hominum corda diſcordare efficiunt, proculdubio contra ſuum munus operantur. Tenentur ergo ſacerdotalibus infulis redimiti fidelium corda non diuidere, iurgia non ſeminare, ſed ex multis cordibus per vnitatem, & pacem vnum cor, & vnum animum conſtituere.

57. Ad Hebr. 5. n. 1. & 2. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate.* Ad Hebræos 5. num. 1. & 2. Quid eſt, Pontificem aſſumptum ex hominibus pro hominibus conſtitui in his, quæ ſunt ad Deum? An quia Pontifex non ſit homo? Minime. Homo eſt ſacerdos, qui Deum interpellat: verum in quantum ſacerdos, quaſi homo non eſſet, pro hominibus conſtituitur ad interpellandum. Quod eſt dicere: homines ex ſe iurgia ſeminant, diſcordias nutriunt, lites alunt; at ſacerdos, qui ex ſuo munere humanam tranſcendit naturam, concordiam, & pacem fouere tenetur. Sic explicat Elias Cretenſis in Apologetic. Nazianzeni orat. 1. ad illa verba, *vix porro*, cum dixiſſet, ſacerdotes inter Deum, & homines eſſe me-

Elias Cretenſ. diatores. *Quod quidem ſacerdotis munus eſt: quemadmodum liquet in Epiſtola ad Hebræos, in qua diuinus Apoſtolus ait: omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ad Deum ſunt, vt offerat dona, & ſacrificia pro populi ignorantiis. Hanc autem vocem fortaſſe idcirco poſuit, non quod dubitaret, quia hoc ſacerdotis munus ſit, verum vt falſos, & hæreticos ſacerdotes perſtringeret, qui non modo hominum mediatores, ac reconciliatores apud Deum non erant, verum contra, per ea, quæ dicebantur, Deum ipſis inimicum, atque hoſtem reddebant.* Quaſi ſic argueret Cretenſis: ex proprio munere tenentur ſacerdotes, homines Deo reconciliare, & pro populi ignorantiis intercedere, diuinumque numen ſacrificiis placare. Ergo ex proprio munere tenentur, euitare iurgia, & impedire diſcordias, quibus Dei, & hominum diſſoluitur amicitia. Nam ſacerdos diſcordiarum amator non ſolum fidelium corda dilacerat, verum infulas, quibus redimitur, diſrumpit.

58. Nec hoc ſiluit regius vates, Prophetico ſpiritu Chriſti ſacerdotium prædicens, cum ce-

Pſal. 109. n. 5. cinit. Pſalmo 109. num. 5. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Diuus Hieronymus in Pſalm. 75. ſic inquirit. *Non dixit ſecundum ordinem Aaron, ſed Melchiſedech. Quid voluit dicere: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech?* Aaron typum geſſit Chriſti Domini: quare ergo Dauid Chriſti ſacerdotium referens, fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech affirmat, & non ſecundum ordinem Aaronis? Audi eundem Hieronymum nodum diſſoluentem. *Aaron* (inquit doctor maximus) *victimas obtulit, Aaron hoſtiarum ſanguinem fudit. Melchiſedech nihil horum fecit, ſed tantum modo panem, & vinum obtulit. Hoc fecit Melchiſedech, & propterea dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hieron. Sed examinare placet Hieronymi rationem, ea eſt. Ideo Chriſtus non dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Aaronis, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, quia Aaron hoſtiarum ſanguinem fudit, ſecus Melchiſedech. Sed quid impedit, fudiſſe Aaronem victimarum ſanguinem, vt Chriſtus eſſet ſacerdos ſecundum ordinem Aaron? Victimæ illæ, quibus tunc diuina placabatur maieſtas, typum gerebant, incruentæ victimæ, & ſacroſanctæ, quam nunc offerunt ſacerdotes Chriſti: quid ergo obſtare poterat illa victimarum effuſio ſanguinis, vt Chriſtus eſſet ſacerdos ſecundum ordinem Aaronis? Quam profunda eſt cogitatio Hieronymi. Aaron cum ſacrificia offerebat, mactabat animalia, ſanguinem effundebat, cruoreque hoſtiarum manus eius tingebantur, quæ omnia diſcordiarum, & litium erant inſignia, ſiquidem diuidebat victimas. Meritò ergo Chriſtus Aaronis ſacerdotium non admiſit. E contra Melchiſedech rex Salem, vel rex pacis ſanguinem non effudit, ſed panem, & vinum obtulit, per omnia pacem oſtendens. Iure ergo optimo Chriſtus ſacerdos dicitur ſecundum ordinem Melchiſedech, vt exinde ſciant ſacerdotes eius ex proprio munere teneri ad fugiendas diſcordias, & inquirendam pacem.

59. Malach. 2. n. 6. De Leui ſacerdotum parente dicitur Malachiæ 2. n. 6. *In pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Duo notanda hîc præmitto. Primum: laudari Leui, quia pacificus. Secundum: quia multos ab iniquitate auertit. Et meo videri, ſecundum fecit, quia diligebat pacem. Qui enim in pace ambulat, viam occludit iniquitati. Sed cur de Leuitica tribu tanta prædicantur à Propheta? Remigius Altiſiodorens. Ibidem ſic reſpondet:

Remig. Alt. *Ex perſona Leui ore diuino laudati deſcribitur officium ſacerdotis, & qualis eſſe debeat.* Et poſt multa, quibus ſacerdotij celebrat dignitatem, proſequitur. *In pace, & in æquitate ambulauit mecum, quo & ipſe pacem haberet, & cæteros pacificaret.* Quaſi ſacerdotum munus non ſit ſolum pacem in ſerpſis habere, ſed etiam diſcordes in concordiam redigere. Hoc ſi fecerit ſacerdos, cum Deo ambulat: ſin aliter, muneri ſuo minime ſatisfacit.

60. Baruc. 3. n. 24. Proponit Baruc Iſraëlitico populo magnitudinem Domus Dei, hoc eſt, Eccleſiæ amplum palatium, & ait cap. 3. à num. 24. *O Iſraël, quam magna eſt Domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem,*

excelsus, & immensus. Ibi fuerunt gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt. Sed cur Deus gigantes à domo sua, vel ab Ecclesia exclusit? D. Ambros. lib. de Abel, & Caïn cap. 5. sic respondit: *Non hos eligit Deus. Et meritò non elegit: quia prælium, non pacem sciebant. Et ideo tu pacem disce, vt eligaris à Deo.* Magni erant gigantes illi, statura proceri, & apud omnes nationes famosi: sed quia non paci, sed bellis studebant, ideo, vt dominicæ domui inseruirent habiti sunt inepti. Disce hinc ô sacerdos, qui domui Dei inseruis, & in altari ministras, pacem diligere, fidelium animos pacare, non discordiarum incendia fouere, & insufflare.

Ambros.

61. Ex fimbria tunicæ hyacinthinæ pendebant mala Punica, per quæ (teste Gregorio Magno in Glossa) vnitas fidelium designatur. Et recte; nam malum Punicum mira, & summa vnitate tot grana continet, & munit sub cortice. Quam ob rem non inepte per id fidelium concordia exprimitur. Sed notatu dignum est, Pontificem vndequaque vnitatem, & pacem spirasse in suo ornatu. Nam onychini lapides, in quibus nomina filiorum Israël erant sculpta, eorum præsignabant vnionem: Superhumeralis oræ inuicem connexæ; quid nisi vnitatem designabant? Catenulæ, quibus firmiter superne, & inferne Rationale alligabatur, nonne erant insigne concordiæ? Tandem mala Punica pacem prædicabant. At cur tot pacis insignibus ornatur sacerdos? Vt exinde colligas, sacerdotes semper ex proprio munere ad pacem teneri: & quemadmodum illis ex proptio officio hic conueniebat ornatus, sic etiam pacem conuenire. Nec ob aliud putes, inter mala Punica aurea pendere tintinnabula, nisi, vt exinde constet, sacerdotem pacis, & vnitatis studiosum voces aureas proferre, quas Deus exaudiens, innumera conferat beneficia.

ILLATIO CCXXXIX.

Sacerdotum lingua ad honorandum, non ad detrahendum concessa.

62. VIx inter humanos reperitur aliquis, qui linguæ possit reprimere motus: vel cordatissimus aliquando linguæ non valet sedare velocitatem. Verum qui linguæ non potest legem imponere, vt taceat, laxet habenas, vt de omnibus benè loquatur. Quod si id omnibus videtur difficile, saltem ministris altaris debet esse inuiolabile. Hoc innuebat præceptum illud Leuitic. cap. 22. num. 22. vbi de animali, quod à sacro altari arceri debebat, dicitur: *Si cæcum fuerit; si fractum; si cicatricem habens.* Vbi Septuaginta: *si lingua fractum.* Tanquam pollutum, & sacrificio indignum censebatur brutum, si lingua fractum probaretur. Sed cur Deus ab altari reiicit victimam, quæ linguam haberet scissam? Elias Cretens. in Apolog. Nazianzeni orat. 1. putat hoc præceptum non solum ad victimam referendum, sed etiam ad ipsum sacerdotem, qui eam immolabat. *Lingua autem fractum eum appellat, qui recte loqui nescit.* Quando Deus animal lingua fractum à sacrificiis excluſit, non solum victimam reprobabat scissam linguam habentem, sed etiam ministrum lingua laborantem maledica, qua omnium honorem, & famam frangit: indicans, indignum esse sacerdotio, qui proximi laceraret honorem. Sit sacerdos præditus lingua, ea tamen quæ doceat, quæ honoret, non quæ detrahat.

Leuit. 22. n. 22. Septuag. Elias Cret.

Magnis encomiis tribum Leuiticam extollit Malachias cap. 2. & post multa sic ait num. 7. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Nota causalem: quia sacerdos est Angelus Domini labia eius custodiunt scientiam, & lex requiritur ex ore eius. Sed quidnam est, legem requiri ex ore sacerdotis, & labia eius custodire scientiam? Lex enim Dei est, fratri non detrahere, alienum honorem seruare illæsum, neminem verbis iaculari: hanc scientiam custodiunt sacerdotis labia, & in eis inuenitur adimpletio legis, quia Angelus Domini est: hoc est: sicut Angelus contra neminem loquitur, imo omnium defendit honores, sic sacerdos, vt Angelicum impleat ministerium, nullius sit detractor, & sic in ore eius requiretur lex.

63. Malach. 2. n. 7.

Siquis autem putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seduceus cor suum: huius vana est religio. Iacobi. cap. 1. num. 26. Religiosum non esse, ait Iacobus, quantumuis Deo per vota se dedicauerit, qui linguæ suæ laxat habenas. Sed qui hoc fieri possit? An maledicus à religione expellitur linguæ peruersitate? Certe, nec Dei minister putandus, nec religioni dicatus censendus est, qui lingua omnium honores vulnerat. Sic Bernardus sermon. 17. quamdam religiosam alloquens. *Igitur linguam tuam refræna, & eris religiosa: quia si eam non refrænaueris, religiosa non eris. Sed si forsitan mihi non credis, audi Iacobum Apostolum dicentem: siquis putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Proh dolor! Quot sunt sacerdotes, & religiosi, alias probatæ vitæ, qui tamen linguam suam refrænare nesciunt! Hi profecto indigne sacerdotes, & religiosi appellantur. Sacerdotum enim, & ministrorum Dei dignitas, non patitur linguæ fracturam, qua honores maculentur, & disrumpantur.

64. Iacobi cap. 1. n. 26. Bernard.

Tintinnabula aurea è tunica pendebant Pontificis, quibus totus vocalis erat sacerdos. Sed cur aurea tintinnabula? Vt intelligas sacerdotem vocem auream, non ferream, hoc est, vocem, quæ honoret, non quæ feriat, prolaturum.

65.

ILLATIO CCXL.

Humilis abiectio magnes est beneficiorum Dei.

66. ABiectos, & humiles despicit mundus, qui superbia alitur, & honoris vani aura nutritur: non sic Deus, non sic, sed vilem pulueream tanti facit, vt abiectio diuinæ beneficentiæ

tiæ sic magnes. Moysem Deus alloquitur, vt libertatem à misera seruitute Iacobeæ stirpi largiretur; & cui Cherubim solium constituunt, qui etiam ad Patris dexteram sedet, insidet in

Exod. 3. n. 2. rubo. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. num. 2. At cur elatas cedros non elegit, quibus elideret superbiam Pharaonis, sed abiectum rubum? Cur non palmam, qua contra Ægyptios indicaret victoriam? Profecto: quia tubus arbuscula est, quæ velut humi reptans ab omnibus concutitur. Rubi vilitas tanto eam decorauit honore, vt in ea Deus solium constituere dignaretur. Deus enim humilia respicit, despicit elata: ob hoc non cedros, non palmas, sed rubum elegit.

67. Volatu aquilino, aut lynceo acumine discipulus ille, qui è Christi pectore tot ebibit mysteria, paterni pectoris meditatur arcanum, in quo diuinæ sapientiæ thesaurum inuenit Verbum æternum, de quo post multa sic ait

Ioan. 1. n. 9. cap. 1. num. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Sed cur Verbum æternum lux hominum, & non Angelorum perhibetur? Angeli quippe spiritus purissimi potiori iure à Verbo illuminari deberent, siquidem in cœlesti regno ei inseruiunt, & assistunt. Quare ergo Ioannes non prædicat Verbum lucem Angelorum, sed hominum? Quæsitum soluit acumen Caietani

Caiet. ibidem dicentis. *Describit autem supremam lucem intelligibilem per hoc quod est lux hominum potius, quam per hoc, quod est lux Angelorum; quia homo infima est creatura inter omnes creaturas intellectum habentes.* Si angelicam naturam consideres, absque dubio humana multò præstantiorem inuenies. Vtraque intellectu pollet; vtramque Verbum illuminat: & licet Angeli diuini Verbi lucem participent, tamen Ioannes id solum prædicat hominum lucem: *Erat lux hominum:* quia homines inter creaturas intellectu præditas infimum continent locum. Abiectio humilis, quam homines habemus per naturam, iter præbuit, vt præstantiores essemus ad gratiam, & præ Angelis maiori afficeremur honore.

68. De illis viginti quatuor senioribus, qui sedebant in circuitu throni Apocalips. 4. num. 4. refertur, coronis aureis habuisse tempora redimita: *Et in capitibus eorum coronæ aureæ.* In-

Apoc. 4. n. 4. super ibidem num. 8. Quatuor animalia describuntur incessanter canentia cantica, & lau-

Ibid. n. 8. des Deo: *Et requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus,* &c. Tandem num. 9. & 10. sic de senioribus refertur:

Ibid. n. 9. & 10. *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum: procidebant viginti & quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Ex his omnibus non leue, aut contemnendum dubium insurgit: videlicet, qui hæc inter se constare possint; cum dicat Ioannes, hos seniores coronis aureis redimitos, & quod dum animalia Trisagium illud canebant, presbyteri deponebant coronas ante thronum? Nullum est instans intelligibile, in quo cessarent animalia à diuinis laudibus: at dum laudes intonant Angeli per animalia designati, seniores coronas mittunt ante thronum: ergo nullum est instans assignabile, in quo seniores coronas capitibus haberent superpositas. Quomodo ergo refert Euangelista: *Et in capitibus eorum coronæ aureæ?* Quam apte si rem profunde consideres! Quid intendebant viginti, & quatuor seniores cum ante thronum mittebant coronas suas? Quid aliud quam sedentis in throno diuinam reuereri maiestatem, & propriam vilitatem recognoscere: vsque ad terram se humiliabant, & in pauimento mittebant coronas. Quid ergo mirum, quod coronas, quas vsque ad terram demittunt, super capitum vertices reponant? Nam sic Deus propter sui amorem abiectum extollit; vt quia coronæ illæ capita relinquentes seniorum, & culmina dignitatis renunciantes abiectionem terræ quærebant, tunc, tunc supra capita eorum eleuantur. Nam idem est, eas abiicere in Dei cultum, & reuerentiam, ac eas supra veneranda capita seniorum eleuare. Meritò ergo dixit Euangelista has coronas, & capita seniorum ornare, & throni in pauimento demitti: quia idem est, propter Deum humiliari, ac exaltari vsque ad summum. Vel dicito, si placet, idem esse coronas illas demittere seniores, ac eosdem coronari: quia qui humilitate propter Dei obsequium abiicit se, diademate regio redimitur. Recte ergo stat, semper seniores coronas in capitibus habere, & sedere ante thronum, cum eo quod statim refert Ioannes, nempe, quod procidebant ante sedentem in throno, & mittebant coronas suas: quia idem est propter Deum coronam abiicere, ac coronari; idem sedere in circuitu throni, ac humiliari. Quod vt vno verbo comprehendam, est dicere: sic Deus humiles honorat, vt voluntaria, & spontanea abiectio regio æquiualeat diademati.

69. Adhuc expendenda est hæc abiectionis propter Deum dignitas. Dico pro coronide huius thesis, humilem ad tantam euehi dignitatem, vt videatur, omnipotentia, aut infinitate perfrui. Celebris est inter Theologos, & Philosophos quæstio: an scilicet pura creatura possit ex nihilo aliquid producere? Quod est idem, ac quærere: an valeat aliquid creare? Omnes negatiuam amplectuntur partem duce doctore Angelico 1. p. quæst. 45. art. 5. ad 3. fruere ratione D. Thomæ: *Quia nulla creatura* S. Thom. *habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum: relinquitur, quod nulla creatura possit creare.* Itaque ex mente S. Thomæ & omnium Theologorum, producere aliquid ex nihilo, quod est creare, infinitatis, & omnipotentiæ est argumentum. Si autem humilis, & voluntariè abiectus aliquid ex nihilo produceret: nonne ei quodammodo infinitas, & omnipotentia attribuenda esset? Ostendo primum, vt exinde colligamus secundum. Nam qui vera humilitate se abiicit, se vt nihil despicit. Humilis corde cognitione propria fit nihil; & cum nihil se fecit, ex hoc nihilo aliquid facit, imo multum, & magnum: nam ex nihilo quod factus est, rem ita magnam producit, quam Deus ardentissimo amore prosequitur;

ſequitur, & cui innumera confert bona. Ergo humilis corde ex nihilo aliquid producit. Cum igitur efficere aliquid ex nihilo omnipotentiæ, & infinitatis ſit argumentum ; conſequitur aperte, humilem, & propter Deum abiectum, qui ex nihilo aliquid producit, quodammodo infinitate, & omnipotentia perfrui. Eſto ergo humilis, vt honoreris ; abiice te ipſum propter Deum, & videberis omnipotens.

70. Mirabilis erat tunicæ hyacinthinæ limbus; ex eo aurea tintinnabula, & mala Punica variis coloribus artificioſe contexta pendebant. At cur fimbria pretioſiori, quam tunica conſtabat materia? Dicerem : quia fimbria humiliorem habebat locum. Qui enim humiliter abiicitur, pretioſus eſt in conſpectu Domini. Illam ergo tunicæ partem, quæ terræ erat proximior, aut quam pedibus inculcabat ſacerdos, celebri ornatu Deus honorauit, quia humiles corde repræſentabat: oſtendens per hoc voluntariam abiectionem ſuorum beneficiorum eſſe magnetem.

ILLATIO CCXLI.

Puluis, in quem homo reuertendus eſt, non iniuriæ, ſed fauori eſt tribuendus.

71. QVi contra protoparentes noſtros ſententiam illam, qua Deus eos pulueri mancipauit, audiret, qui non putaret, ſeuerum fuiſſe iudicium? Verum ſi rem attentius examinemus, proculdubio in ea inueniemus, diuinam oſtentari miſericordiam, hominique ad plurima beneficia ianuam aperiri. Sic D. Bernardus apud Godofridum ad cap. 3. Geneſis. Bernard. *Grauis equidem ſententia*, inquit, *ſed non ſine grandi miſericordiæ temperamento.* Sed in quo (melliflue doctor) miſericordiæ aperitur via? Reſpondet ibi. *Terræ adictus es, factus es terra, vt ipſa tibi ſit patria, quæ materia fuit.* Itaque homo in puluere, cui addictus eſt, patriam inuenit. In patria homo ſummam requiem, & perpetuam fælicitatem inueniet : eſt ne hæc fælicitas in puluere? Non eſt in eo ſumma illa viſio, quæ beat hominem ; at eſt via ad illam, & pignus beneficiorum Dei.

72. Celebris eſt, non tamen ſatis pro meritis celebrata illius virgæ deſcriptio tradita ab Iſaia Iſaias 11. n. 1. c. 11. n. 1. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, &c. Non miror, virgam de radice Ieſſe pullulaſſe : ſed mirabile admodum eſt, florem de radice erupiſſe. Admiraretur natura, quæ non radici, ſed ramis flores conceſſit. Quare ergo Propheta florem non ramis, ſed radici adſcribit? Muta ſtylum (vates ſacer) vel reuoca ordinem naturæ! Flos tametſi à radice vegetet, non tamen in radice diſtendit folia : vt quid ergo radicem floridam appellas? Magnum Sacramentum continet hoc vaticinium. Virga Mariæ, & flos Chriſti præferebant figuram, vt communis Patrum docet conſenſus. Radix virgæ Chriſti decoratur flore, vt initium Mariæ ſemper cum Deo fuiſſe, defendas : & exinde puriſſimam eius conceptionem adſtruas. Verum reuertamus ad noſtræ theſis intentum. Cur in radice flos? Quia radix ſemper in humo ſepulta, & à terra nunquam extranea humorem fugit, ſemperque cum puluere amicabilem vitam agit: cæteræ arboris partes à terra fugiunt, elatiſque ramis extenduntur per aëra. Idcirco in radice huius mirabilis virgæ naſcitur flos, vt radix honoretur, quæ puluis, & terræ memoriam retinet, & conſortium. Flos (teſte Ambroſio lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5.) diuini Spiritus deſignabat fauorem. Accipe eius verba : *Opus ſpiritus flos radicis eſt. Ille, inquam, flos, de quo bene eſt prophetatum : exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Radix Ieſſe Patriarchæ familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Chriſtus.* In radice ergo virgæ flos naſcitur Chriſtum præfigurans, non in ramis virgæ, aut inter eius folia, vt fauorem ſuum elargiatur : quia radix dum vegetat, nunquam ſeparatur à terra, ſemper cum puluere ſeruat pactum : folia extenſa per aëra velut nutriuntur, & ſaginantur aura. Quid mirum, ſi flos ſit in radice, & non in foliis? Hoc enim eſt dicere, Chriſtum florem beneficia ſua impertire non foliis aut ramis vanitatis aura nutritis, ſed radici cum puluere indiuiſam vitam degenti, id eſt, homini ſe puluerem conſideranti. Ambroſ.

Rebeccæ in vtero colluctabantur duo illi fratres Eſaü, & Iacob : triſtatus mater futuræ inter fratres diſcordiæ præſaga : inſtat partus tempus, & Eſaü egreditur prior. Quid inde? *Et protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Vix naſcitur Eſaü, cum Iacob celeri curſu fratris plantam tenebat. Sed ad quid, ſi iam Eſaü primus adeptus eſt lucis vſuram : Certamen erat pro maioratu Iſaac; nec Iacob deſtitit à lucta, tamerſi Eſaü prior lucis pulchritudine frueretur; imo putauit, ſi plantam eius teneret, excluſurum à paterna hæreditate. Sed quî hoc fieri poſſet? Dicam. Plantam fratris tenebat, ne ea terram attingeret, & puluis gauderet beneficio, & ſic à paterno maioratu excluderet. Hæreditas Iſaaci beneficiorum Dei erat compendium, & in ea Deus pluuiam benedictionum effuderat. Voluit ergo Iacob tenens plantam fratris puluis contactum impedire, vt eum tanta benedictione orbaret. Quaſi diceret Iacob: frater meus Eſaü, non fortior, ſed callidior, paternam mihi artipuit hæreditatem, quæ beneficiorum Dei eſt epilogus: ſed impediens eum, ne terram tangat, hæreditatem mihi vindicabo: ignoret Eſau puluerem: vt beneficiorum Dei non ſit particeps. Sic enim puluis recordatio animam ditat; ſicque Deus cineris memoriæ beneficia ſua ligauit, vt qui eam amiſerit, prorſus ſit extraneus à diuina domo. Ergo ſatis prudenter in hac re ſe geſſit Iacob, fratrem à contactu cinerem auertens, vt ſic à paterna domo excluderet. Nam qui puluerem ignorat in quem reſoluendus eſt, diuinam etiam benedictionem ignorabit. 73. Gen. 25 n. 25.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Geneſ. 2. num. 7. Hunc hominem tranſtuli in paradiſum. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio : in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Tertullian. lib. 1. contra Marcio. cap. 24. ſic inquirit : *Factus eſt homo in animam viuam. Quis?* Et reſpondet: 74. Gen. 2. n. 7. Ibid. n. 8. Tertullian.

pondet: *Vtique qui de limo. Et poſuit Deus hominem in paradiſo: quod finxit, non quod flauit; qui caro nunc, non qui anima.* Ex mente ergo Septimij, hîc homo accipitur pro corpore, quod Deus ſuis manibus plaſmauit è limo: hanc ſtatuam luteam inſpirando animauit: in eius formatione totus Deus fuit occupatus, & deditus; & hoc corpus in paradiſum voluptatis tranſtulit. Ecce iam dubium: quare Deus cum tanto animæ præiudicio, & velut eius dignitati derogans, tot fauores corpori impendit? Nonne anima principalis, & conſtitutiua hominis pars eſt? Nonne vitæ principium, potentiarum radix, ita nobilis vt Angelis ſit cognata? Quomodo ergo Deus videtur corpus animæ prætuliſſe: *quod finxit, non quod flauit?* Quia hominis corpus formauit Deus, *de limo terræ*, vel iuxta Hebræum; *de puluere terræ.* Erat hominis corpus terreum, & luteum. Quia ergo Deus vidit in corpore humano puluerem, ex quo fuit plaſmatum; idcirco tot fauores ei conceſſit. Vilitas puluꝛis velut conſtrinxit Deum, vt quodammodo corpus animæ, præponeret. Merito ergo dixit Bernardus citatus num. 71. maximum beneficium fuiſſe, Deum puluꝛi addixiſſe hominem; ſiquidem in eo dedit fideiuſſorem ſuorum beneficiorum.

75. Ad Hebr. 2. n. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Ad Hebr. 2. n. 16. Id eſt, nunquam, vel nequaquam naturam Angelicam hypoſtatice vniuit ſibi Dei Filius, ſed humanam, vt paſſim ſancti Patres, & interpretes. Sed vnde hominibus tanta fælicitas, Angelis autem infælicitas tanta, vt cum vtraque natura ſui auctoris oblita ſuum opificem deſeruerit, homines Deus delegerit redimendos, ſecus Angelos? Et cur naturam apprehendit humanam, non angelicam: cum illa fragilis; iſta conſtans: illa corpus; hæc ſpiritus? Certè, quia cum Angelus ſpiritus priuilegio gaudeat, cineris ſpernit memoriam, nec timet in puluerem reſoluendum: at natura humana, licet ſpiritu conſtet, & conſtituatur, corporis habet ſarcinam; puluꝛi addicta eſt, in terram eſt conuertenda. En tibi rationem, ob quam natura humana Angelicæ præfertur, & ſummo, & inenarrabili vnionis hypoſtaticæ beneficio honoratur, quia lutea eſt, & apta vt reducatur in puluerem. Hanc rationem tribuit Bernardus in declamationibus; totamque diaboli miſeriam, & damnationem perpetuam reducit, ex eo quod in cineres non ſit reſoluendus: Bernard. *Miſer ille Angelus*, inquit, *de terra ſumptus non eſt, nec in terram aliquando rediturus: propterea non habet donec, ſed ignis ei præparatur æternus.* Quid illuſtrius?

76. Gen. 13. n. 16. Ibid. 15. n. 5. *Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ:* promiſit Deus Abrahamo Geneſ 13. num. 16. Deinde cap. 15. n. 5. iterum promiſit ei: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes: & dixit ei. Sic erit ſemen tuum.* Vidiſti iam, Abrahæ ſucceſſores in prima promiſſione puluꝛi terræ comparati, in ſecunda ſtellis: at quî hæc conſtare poſſunt? Quid ſtella cum puluere, cum inter puluerem, & ſtellam tanta diſtantia ſit, ac inter terram, & cœlum? Quare, ſi Deus Abrahæ poſteros puluꝛi comparauit, poſtea cum ſtellis contulit? Ob eandem rationem: ac ſi diceret Deus; ideo Abrahæ poſteri ſunt ſtellæ; quia prius fuerunt puluis. Vis eſſe ſtella? Eſto prius puluis: conſiderate puluerem, & in ſtellam tranſmutaberis. Recognoſce tuam originem; & quod è terra formatus es, & in terram conuertendus, & non ſolum eris ſtella, ſed ab æternis flammis ita ſecurus eris, ſicut ſtellæ.

77. Sæpius conſideraui actiuitatem ignis; omnia conſumit, & in ſe conuertit. Duæ ſubſtantiæ ab hac voracitate ſunt immunes: Cœlũ, & cinis. Cœlum tametſi ſpheræ ignis ſit contiguum, nullam ab igne patitur iniuriam; nec ignis conſumit cœlum, nec in ſe conuertit. Parum hoc: nam cœlum ſupereminet igni: Quid mirum quod ab inferiori non lædatur? Magis mirabile eſt quod cœlum, quia ſuperius inferiorem ignem non conſumat. In ſublunaribus omnia conſumuntur ab igne, quia corpora inferiora ſunt. Aurum, argentum, gemmæ, ferrum, metalla omnia, &c. ab igne conſumuntur: ſolus cinis, in quem ignis reſoluitur liber eſt à tanta actiuitate. Sic notauit noſter Abulenſ. in cap 3. Leuit. q. 5. *Cinis comburi non poteſt*, inquit, *ſicut in igne noſtro videmus, qui licet ligna comburat, cinerem tamen comburere nullatenus valet.* Sed cur cinis tanto gaudet priuilegio? Non miror, cœlum à contiguo igne iniuriam non pati, cum peregrinarum impreſſionum prorſus ſit incapax per naturam: at cinerem tantam habere immunitatem, vt ab igne nequeat, conſumi; vnde prouenit. In promptu eſt ratio Philoſophica; quia ignis reſoluitur in cinerem; ideo cinis ab igne non conſumitur. Verum ad noſtros mores ſuppetit alia ratio. Dico ergo: ideo cinerem eſſe immunem ab ignis actiuitate, vt intelligamus, quod ſi homo in ſua æſtimatione ſit cinis, liber exiſtit ab æterni ignis voraci, & moleſta flamma. Cum ergo cinis in hoc cœlo æqualis exiſtat: etiam dicere licebit, hominem, qui ſe cinerem cogitat, cœlo eſſe ſimilem, & æqualem. Hinc intelliges, quid intendat ſancta mater Eccleſia cum noſtri finis repetit memoriam, dicens: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* In fronte nobis cineres figit non ad contumeliam, ſed ad honorem, & ſalutẽ. Intendit ergo nos cineribus ab æterno igne liberare. Adſit iugis memoria cineris, & continua noſtræ in cineres mutationis meditatio, & abſque dubio ab æterno igne liberabimur. Abulenſ.

78. Hoc pharmacum ad ſalutem, & contra æternum ignem remedium ſatis explicuit Chriſtus cum Lucæ 12. n. 49. dicebat. *Ignem veni, mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Sed O mitiſſime Ieſu, quid ais? Vix adhuc infans requieſcis in præſepio, cum pacem terræ prædicant Angeli dicentes: *Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus.* Ergo venis mittere pacem, & non ignem. Quomodo ergo dicis: *ignem veni mittere in terram?* Chryſol ſerm. 164. aurea voce reſpondit his verbis: *Ignem mittit primùm maximus magiſter in terram, & quidquid naturalis ſqualefecerat luxus, quidquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat, & conſumit incendio: quatenus ſola exhauſta ieiunio ipſo ſuo cinere ſaginata pingueſceret, & poſt diuturnam duritiem* Lucæ 12. n. 49. Lucæ 2. n. 14. Chryſol.

ritiem tenera redderentur, & mollia. Artificioſo benefaciendi modo vtitur Chriſtus, cum terræ parat incendium. Iniuria terræ videtur incendium: at ſi rem attente conſideres, maximum in eo ſplendet beneficium. Nam in ipſo cinere, in quem ignis reſoluitur, beneficiorum Dei compendium includitur. Igne calefit terra, comburitur, & cineribus ſaginatur. Ergo tam longe abeſt, quod hoc incendium terræ ſit iniuria, vt potius iudicet Chryſolog. in eo ſummum contineri beneficium. O beneficia cineris memoria! Vtinam, mortales, tui nunquam eſſemus obliti; quenta fælicitate frueremur! Nam puluꝛis recordatio beneficiorum Dei eſt fideiuſſio.

79. Hoc ſonant hyacintinæ tunicæ tintinnabula; hoc mala Punica artificioſe contexta, & ſumma pulchritudine variegata prædicant; hoc etiam vocitat fimbriæ artificialis ornatus. Sed cur in limbo tunicæ ſtudium tantum artificis? Cur in textura tunicæ artis primor non oſtenditur? Quia limbus vſque ad talos pertingens puluꝛis erat receptaculum, vtpote terræ vicinior. Vt ergo Deus oſtenderet, quanti apud ſe habeat puluerem, limbum tunicæ ornat miro artificis ingenio, quia puluere incineratur. Conſtat ergo ex his, quod licet homo ex puluere ſit plaſmatus, & in puluerem reſoluendus, non eſt iniuria naturæ, ſed diuinæ largitatis vadimonium.

ILLATIO CCXLII.

Cineris recordatio mentem illuminat, & oculos aperit.

80. MOrtis conſideratio frequens, & iugis cineris memoria, in quem reſoluendus es, vſque adeò proficua erit, vt non tantum te à via peccatorum ad virtutis tramitem reducat, IſaiasAbbas. vt oratione 9. docuit Iſaias Abbas dicens: *Ita viue, vt ſi diem agas quotidie vltimum, & non peccabis:* Verum etiam, vt perfectius ab errore animum reuoces, & à tuis paſſionibus reportes victoriam, erit maxime auxiliatrix: tuam mentem illuſtrabit, & tuos oculos à cæcitatis vindicabit iniuria.

81. Trecẽtos viros ducebat Gedeon pugnaturus contra Madian, Amalec, & omnes Orientales, armatos non ferro, ſed tubis, lagenaſque habẽtes, in quibus lampades erant incluſæ. Quid Iudicum. 7. n. 20. inde? *Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaueruntque gladius Domini, & Gedeonis.* Iudicum 7. n. 20. fugatiſque Madianitis glorioſam Gedeon comparauit victoriam. Trecenti tantum ſunt milites Gedeonis, & tamen innumerabiles hoſtes conuerterunt in fugã Si tamen huius præclaræ victoriæ cauſam deſideres, quamuis eã facer textus Dei gladio tribuat, non dubitabo Gedeonis ſtratagemati, lucique lampadũ intempeſta nocte radianti adſcribere, ſic diuino numine diſponente. Nam vt ibid. n. 21. cõſtat, cum milites hydrias confregiſſent, & lumina radiaſſent, inimicorum caſtra turbata ſunt, & vociferantes, & vlulantes fugerunt. Ergo tribuenda eſt hæc victoria, tum buccinarum ſono, tum lampadum ſplendori. Ita ſane. Sed notanter aduerte, hydriarum confractione ſtatim lucem apparuiſſe inter noctis caliginem, exindeque grauem metum Madianitis incuſſum, ita vt terga vertentes mutua ſe cæde trucidarent. Quid enim habet hydriarum confractio cum victoria, & triumpho; vt eo ipſo, quo confringuntur hydriæ, fugiant inimici, & Gedeon victoria perfruatur? An quia Madianitæ, qui tenebrarum principi, ſacrilego idololatriæ cultu, erant mancipati, lucis radios ſuſtinere non poſſent? Forſan ob hoc fugerunt: ſempet enim peccati, & dæmonis ſeruis lucis ſplendor exoſus fuit. Aliam rationem adducit ad noſtrum inſtitutum Iſaias Abbas orat. 17. his verbis. *Niſi Gedeon hydrias confregiſſet, non aſpexiſſet lampadum ſplendorem: itidem homo niſi corpus contempſerit, diuinitatis lumen non intuebitur.* Quod eſt dicere: Gedeon vicit innumeram Madianitarum multitudinem, quia hydrias confregit, & lumen apparuit. Connexa erant hæc: lagenæ iſtæ teſtaceæ erant: ergo ex puluere fictæ: vnde hoc ipſo, quo fuerunt confractæ, fuerunt reductæ in puluerem. Ecce cur lux apparuit, qua fugaret hoſtes Gedeon: quia vbi adeſt puluis, lucis non prohibetur vſura, tametſi reſiſtat noctis, & tenebrarum caligo: nec deeſſe poteſt fælix victoriæ euentus vbi cinis adeſt in patrocinium. Dicam expreſſius. Vbi cineris, & puluꝛis adeſt præſentia illuminatur mens, & oculi lucis veritatis fruuntur beneficio; vincuntur hoſtes qui militant aduerſus animam, & victoriæ ſuccedit corona. IſaiasAbbas.

82. Ezechiel. primo numero decimo octauo deſcribens Propheta illius celeberrimi currus rotas ſic ait. *Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipſarum quatuor.* Id eſt, tota rotarum circunferentia plena erat oculis. Septuaginta ſic legere. *Dorſa eorum plena erant oculis.* Difficilis primo aſpectu videtur hæc tranſlatio: nam quî poteſt intelligi, rotas habere dorſa? Verum non inepte in rotis dorſa inuenerunt Septuaginta. Per rotarum dorſa intelligerem, partem illam rotarum, quæ terræ nitens, totam circunferentiæ ſuſtinet molem, cum ſucceſſiuo motu circumuoluitur rota, aut cum quieſcit. Sicut enim dorſa onus ſuſtinent, ſic pars illa infima rotarum, ſuper quam tota circunferentia grauitat, non omnino improprie dorſum appellaretur. Hæc quantum ad iſtam verſionem. Sed adhuc reſtat difficultas examinanda, videlicet: cur ſacer textus rotas has per circuitum oculis plenas refert, & Septuaginta oculatas ſolum in parte illa infima, quæ terræ tangit, admittunt? Verum hoc diſſidium facile ſedatur: quia cum rotæ illæ continuo, & ſucceſſiuo motu gyrarent, nulla eſt in eis pars excogitabilis, quæ aliquando terram non tangeret. Si ergo pars illa, cui tota rotæ machina nitebatur, plena erat oculis, & nulla eſt in rotis pars excogitabilis, quæ motus ſucceſſione totam rotam non ſuſtentaret: conſequens eſt, omnem earum circumferentiam oculis eſſe plenam. At cur pars illa; quæ per terram gyrabat oculorum luminibus illuſtratur? Vel cur non etiam tota rota intra circumferentiam Ezech. 1. n. 18 Septuag.

hoc

hoc gaudet beneficio? quia pars illa vtpote infima, & cui cæteræ nitebantur tangebat terram, & volutabatur in puluere. Tanta enim vis in puluere inest, vt quia rotarum circunferentiæ incineratæ erant, gaudebant oculorum luminibus. Vel dicito, si placet; ex puluere oculos accepisse, quibus Deum, qui in ipsis erat, posset intueri, igitur puluis præstat vires ad intuendum Deum. Vis, ô homo, in hac vita in Deum figere obtutum? considera te ex puluere formatum, & in eum conuertendum, & oculos accipies, quibus possis Deum intueri. Nec enim tibi negabit Deus visum, quem rotis concessit: quinimo non solum tibi hoc præstabit; verumetiam veram cognitionem, vt Deo vero cultum exhibeas.

83. Errore decepti putabant Babilonij idolum Bel Deum esse viuentem, eo quòd quotidie pinguibus epulis saginaretur ad victum: sic iu-
Dan. 14. n. 5. dicauit rex Cyrus cum dixit Prophetæ Danieli capite decimo quarto, numero quinto. *Nonne videtur tibi esse Bel viuens Deus? an non vides quanta comedat, & bibat quotidie?* O miser rex! falleris. Quia non est Deitatis argumentum, quod quotidie comedat, & bibat Bel: nam verus Deus non comedit, sed ieiunat. Verum Daniel noluit vti priuilegio, aut excellentia ieiunij, vt regis sententiam improbaret, sed ad hominem arguit contra eam dicens. *Ne erres rex, iste est enim intrinsecus luteus, & forinsecus*
ibid. num. 6. *æreus, nec comedit aliquando*, ibidem, numero sexto. Nam quî fieri posset, vt Bel quadraginta oues quotidiana voracitate deglutiret, & sex vini amphoris crapula luxuriante maderet? quapropter (rex, crede mihi, ait Propheta) sacerdotes Bel callida voracitate, & auaritia oblatas dapes numini rapiunt: nam per subterranea repentes cibos idolo appositos furantur. Hac fallacia, & regem, & populum prædonum turba sacerdotum seducebat. Sed quid, vt furtum panderetur? *Præcepit Daniel pueris suis, &*
ibid. num. 13. *attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege*, ibidem, numero decimo tertio, sed ad quid cinere templi pauimentum respergitur? quia nocte veniebant sacerdotes, & vxores, & filij eorum, & comedebant omnia. Sequenti die venit rex cum Daniele, & vidit vestigia in cinere impressa, cognouitque dolum, & interfecit sacerdotes, & vxores, & filios eorum. Expende nunc: deceptus erat rex, & ac si clausos haberet oculos, non videbat sacerdotum fallaciam, sed quid vt oculos aperiret, & vinceret dolum? vtitur cinere, & in eo clare fraudem aspexit sacerdotum. Hæc enim est potentia cineris, vt vel deceptum regem, & qui non facile admoneri permittit, valeat illuminare. Nec solum adfuit admonitio: nam videns Cyrus, se illusum fuisse à sacerdotibus:
ibid. num. 21 *Tradidit Bel in potestatem Danielis, qui subuertit eum, & templum eius*, ibidem, numero vigesimo primo, vnde ergo numini, & templo tanta ruina; & vnde regi idololatræ tanta cognitio, vt falsæ Deitatis agnosceret mendacium? nec vnde quam ex cinere, qui totum templi pauimentum asperserit, exinde regios oculos deliniuit, vt mentitam Deitatem contemneret, & templum eius desolaret. Ecce quomodo puluis non obcæcat, sed aperit oculos, & idololatram à falsæ Deitatis reuocat cultu.

Fimbria hyacinthinæ tunicæ tintinnabulis ornabatur: sed mirum est, limbum huius tu- 84.
nicæ eorum sonitu tinnire. At cur infima pars huius ornatus est vocalis? Origenes homilia 9. in Exodum circa finem hanc reddit rationem. Origenes.
Hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimenti sunt posita, idcirco credo, vt de extremis temporibus, & de fine mundi nunquam fileas: sed inde semper sones, inde disputes, & loquaris, secundum eum, qui dixit: memor esto nouissimorum tuorum, & non peccabis. Illis tintinnabulis in extremitate tunicæ pendentibus, vitæ nostræ annunciabant finem, puluerisque resolutionem tam sacerdoti summo, quam populo prædicabant. Quid mirum quod ad eorum sonitum attenderet Pontifex, & seipsum, tametsi in tantæ dignitatis fastigio constitutum humiliaret, & sui principij cognosceret vilitatem. Nam si cymbali pulsatio etiam dormientem excitat: multò melius pulueris memoria, & cineris recordatio.

Vers. XXXVI. Facies, & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino.

Vers. XXXVII. Ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.

EXPOSITIO LITTERÆ.

VARTVM ornamentum, quo summi sacerdotis fulgebat maiestas, erat lamina aurea, vt in hoc versu aperte explicuit sacer textus dicens: *facies, & laminam de auro purissimo.* His verbis aperte materia huius ornatus exprimitur: forma tamen subticetur, de qua quæstione sequenti. 1.

In qua sculpes opere cælatoris. Abulensis vbi 2.
infra distinguit duo: cælare, & sculpere. Illud Abulensis.
(inquit) est cauare, vel radere: illud est, superlinire, vel pingere. Vtrumque in lamina factum existimat. Nam prius aperiebantur litteræ, & deinde colore rubro, vel alio liniebantur cauaturæ, vt litteræ clare, & distincte percipi possent: ac si Hispane diceremus: *Despues de abiertas las letras en la lamina, se daba el colorido con esmalte, paraque sepudiesen ler.* Idem docuit Tostatus de litteris, quibus cælata fuerunt in gemmis nomina filiorum Israel: & hoc mihi videtur maxime congruum, alias, etiamsi litteræ essent apertæ in lamina, vix legi possent, si colorem aliquem, quo apertura illa adimpleretur, secludas. Scriptura huius laminæ hæc erat: *sanctum Domino.* In Hebræo est: *sanctitas Domini, vel Domino.* Ita Oleaster & alij quos sup- Hebræus. Oleaster.
presso nomine citat Saa, quamuis ipse legat si- Saa.
cut editio vulgata quasi dicat: *sanctus est Dominus, sancteque colendus.* Abulensis asserit his lit- Abulensis.

teris ſecundum idioma Hebraicum ita dici: *Cod es la Adonai.* id eſt: *ſanctitas ad Dominum.* Caietanus: *ſanctitas iehouah.* Huic conſentiunt Menochius, & Cornelius à lapide ibi, ſed quid per iſtam ſanctitatem intelligatur dicemus, quæſt. 29. ſequenti.

3. Abulenſis. *Ligabiſque eam vitta hiacinthina:* ſermo eſt de eadem lamina. Noſter Toſtatus ait hanc laminam habuiſſe in duabus extremitatibus, quæ erant verſus aures ſacerdotis, duo foramina, per quæ immittebatur vitta hyacinthina, qua Septuaginta. ſtringebatur, ne caderet: hoc eſt, vt Septuaginta legunt: *in hyacinto retorto*, id eſt: colligabatur lamina tiaræ Pontificis funiculo coloris cœleſtis, qui hyacinthinus dicitur, *& erit ſuper tiaram*: intelligitur de tiara Pontificali, non de cidari, quæ communis erat, tum Pontifici, tum etiam ſacerdotibus inferioribus. Cidaris enim erat linea, & rotunda ad modum caſſidis: vt volunt Guillelmus Durandus libro 3. capite 19. Guill. Duran. Caſſanæus. & Caſſanæus in catalogo gloriæ mundi 1. parte, concluſione 3. quamuis diuus Hieronymus epiſtola 128. ad Fabiolam contrarium teneat dicens: *hac* (id eſt lamina) *ſuper pileolum lineum & commune omnium ſacerdotum, in Pontifice plus additur, vt in fronte vitta hyacinthina conſtringatur, &c.* Putauit ergo doctor maximus, tiaram, & cidarim non diſtingui. Contrarium Ioſephus. Barradas. ſenſerunt Ioſephus, & Barradas, ille libro 3. antiquit. capite 8. iſte tomo 2. libro 3. capite 46. Tiara Pontificalis, ſecundum Abulenſem erat hyacinthina: ſecundum Ioſephum lib. 3. antiquit. capite 11. ex hyacintho variata, & circundata aurea corona tribus ordinibus facta: & ſecundum Durandum, & Caſſanæum in acutum procedens habens circulum aureum cum malogranatis, & floribus; ex qua pendebat lamina aurea, quod aperte denotat ſacer textus, dum proſequitur: *imminens fronti Pontificis*, vel vt Septuaginta: *& erit ſuper fronte Aaron:* id eſt, ita pendens ante faciem mitræ, aut tiaræ, vt frontem Aaron operiat, taliter, vt oculi eius expediti ſint ad eliciendam viſionem, ſic Origenes. explicuit Origenes homilia 6. in Leuiticum cum dixit: *& impoſuit mitram ſuper caput eius, & poſuit ſuper mitram ante faciem eius laminam auream ſanctificatam, ſanctam, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

QVÆSTIO XXVIII. Litteralis.

De forma, & figura huius laminæ aureæ.

4. QVantumuis circa materiam huius laminæ nulla ſit apud interpretes controuerſia, vtpote explicita in ſacro textu: tamen circa eius formam, & figuram non eſt paruum diſſidium Philo Hebr. inter eos. Nam Philo Hebræus libro 3. de vita Moyſis aſſerit, figuram huius laminæ fuiſſe inſtar coronæ, his verbis: *ad hac lamina aurea quaſi corona, &c.* Nititur huius auctoris ſen- Eccl 45. n. 14. tentia teſtimoniis ſcripturæ. Primum ſit Eccleſiaſtici 45. numero 14. vbi de hac lamina dicitur: *corona aurea ſuper mitram eius impreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris.* Secundum teſtimonium eſt. Sapientiæ 18. numero vigeſimo quarto. *Magnificentia tua in diademate capitis illius ſcripta erat.* Vide qualiter lamina illa, in qua ſcripta erat magnificentia Dei, dicitur corona, vel diadema. Sap. 18. n. 24.

Caietanus cenſuit, incertam eſſe figuram huius laminæ. Oleaſter ad hæc verba, ait, lami- 5. Caietanus. Oleaſter. nam Hebraice dici, *ſis.* Quod verbum varias apud Hebræos habet ſignificationes. Nam ſecundum quoſdam dictio, *ſis*, ſignificat *laminam:* ſecundum alios, *florem*, & *alam*: & verbum, *ſiſit*, fimbriam veſtimenti, & cincinnum capitis: quare propter hanc varietatem, hæſitat hic auctor, quid intelligi debeat in hoc loco. Quanuis aſſerat, ſignificari, aut intelligi poſſe per vocem, *ſis*, & *ſiſit*, alam, vel aliquid ſubtile, aut limbum, marginem, ſeu terminum cuiuſcunque rei. Concludit ergo hic auctor intelligi poſſe, florem, aut aliquid quod in marginibus poni, ſolet, aut laminam ſicut eſt in vulgato.

Noſter Abulenſis hîc quæſtione 17. putauit, 6. hanc laminam fuiſſe ad modum ſemicirculi Abulenſis. cooperientis ab aure ad aurem, & peruenientis per frontem, latam quaſi duorum digitorum opere malleatorio ſubtiliter extenſam ne nimio pondere capiti eſſet moleſta. Sic etiam docuerunt Durandus, & Caſſanæus citati, Viegas in cap. 4. Apocal. ſectione 10. Nullam tamen in his auctoribus inueni rationem, qua ſuum placitum confirment, licet ſit magis commune: poſſet tamen deduci, ex eo, quod ſacer textus dicat, hanc laminam pendere ſuper frontem Pontificis: nam ſi rotunda eſſet, vt putauit Philo, & ad modum coronæ, cingeret totum caput, & non indigeret ligari vitta hyacinthina. Inſuper deduci hoc poteſt ex illo Ecc. 45. n. 14. & Sap. 18. n. 24. vbi hæc lamina dicitur corona & diadema: non quia totum caput cingeret, ſed quia velut corona eius tempora redimiebat; hoc eſt, dimidiata corona erat, quæ ſacerdotem coronabat, & in forma, aut figura dimidiæ lunæ.

QVÆSTIO XXIX. Litteralis.

Quid per ſanctum Domino, *quod in lamina erat exaratum, ſignificetur?*

DIuus Hieronymus epiſtola 128. ad Fabio- 7. lam: & libro 2. in Ezechiel capite 6. ſen- Hieronymus. ſit hac inſcriptione, *ſanctum Domino*, intelligendum eſſe, nomen ſanctum à Græcis tetragrammaton: ab Hebræis יהוה *iehouah* dictum. Ita Ioſephus, libro 3. antiquit. cap. 11. Philo Ioſephus. Philo Hebr. Hebræus libro 3. de vita Moyſis, Auguſtinus Auguſtinus. quæſtione 120. in Exodum, Beda libro de ta- Beda. bernac. capite 7. Lyra hîc. Petrus Damianus Petrus Dam. opuſculo 25. capite 3. Bachiarius de recipiendis lapſis epiſtola ad Ianuarium in 3. tomo Bi- Lyra. blioth. vet. Patr. Guillermus Durandus in Ra- Guill. Duran. tionali lib. 3. cap. 19. Caſſanæus in catalogo Caſſanæus. gloriæ mundi conc. 3. Sixtus Senenſis libro 2. Sixt. Senenſ. Bibliot. verbo. Pontificalis. Ribera de veſtibus Ribera. ſacerdotalibus lib. 3. cap. 14.

Placet

8. Placet hîc referre verba Philonis loco citato. *Ad hæc* (inquit) *lamina aurea quasi corona insculpta erat quatuor litteris nominis illius, quod solis aures linguamque sapientia purgatis fas est audire, nominareque in sacris, præterea nemini, id Theologi aiunt esse tetragrammaton, fortasse quod significet plures numeros, vnum, duo, tria, quatuor. Quaternioni enim insunt omnia, punctum, linea, superficies, soliditas*, &c. & paucis interpositis prosequitur: *eam laminam mitra sustinebat, ne caput attingeret, superimposita erat cidaris, quo insigni reges Orientis malunt vti, quam diademate.* Philo Hebr.

Audisti Hebræum accipe Hieronymum loco citato: *octaua* (inquit) *est lamina aurea: id est, sis Zahab, in qua scriptum est nomen Dei hebraicis quatuor litteris,* י *iod,* ה *he,* ו *vau,* ה *he. Quod apud illos ineffabile nuncupatur.* Hieronymus

De nomine *iehouah* cum essem Compluti, consului sapientissimum patrem Gasparem Sanctium virum tum virtute, tum eruditione præclarum, & dixit mihi, continere plurima mysteria. Nã in illis quatuor litteris ineffabile arcanum sanctissimæ Trinitatis obumbratum explicuit ex Diuo Isidoro. Idipsum refert Estius in Bibliotheca magna ad cap. 28. Exod. nam littera prima *iod*, Patrem designat tanquam principium reliquorum omnium: secunda, *he*, Filium per quem cæpit esse omnis creatura: tertia, *vau*, quæ Hebræis est coniunctio copulatiua, significat Spiritum sanctum, qui est amor, & nexus Patris, & Filij, ab vtroque procedentem: quarto autem loco repetita littera *he*, quæ secundo loco posita fuit, & designabat personam Filij, etiam designat eiusdem naturam humanam. Vide quæ dicta sunt supra vers. 30. num. 14. Gasp. Sanct. Estius.

9. Sed adhuc examinandum restat: an solum nomen, *tetragrammaton*, illis quatuor litteris contentum inciſum fuerit in lamina? an etiam dictio, *kodesech*, id est, *sanctitas*, vel, *sanctum*: vt dicitur in tex. & Ex. 39. n. 29. Hoc dubium inuenio excitatum à Barradas t. 2. l. 3. c. 46. Iosephus solius nominis Dei meminit, nempe nominis *tetragrammaton*, verum hoc dissidium facile componitur. Nam vtrumque sculptum erat, vt tenet Haye hîc: quia noluit Deus absque præfatione sanctitatis suum nomen proferri, vt quanto cum honore, ac reuerentia proferendum, tractandumque sit, doceat. Quo spectant illa verba Ecclesiastici cap. 45. num. 14. *Corona aurea super muram eius impressa signo sanctitatis, & gloria honoris*, id est, lamina expressa signo, vel sigillo, quoniam sanctum Dei nomen inciſum habuit. Idem denotatur Sapientiæ 18. numero 24. *Magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat*, id est, nomen Dei ibi erat sculptum. Ecc. 45. n. 14 Sap. 18. n. 24.

10. Superest adhuc alia quæstio: cur videlicet, *sanctum Domino*, vel *sanctitas Domini* sculpatur cum nomine ineffabili *tetragrammaton*? triplicem causam assignat Cornelius à lapide ibi. Prima est; vt scias Deum non solum esse sanctum, sed ipsam sanctitatem. Deus enim sanctissimus est, & ipsa sanctitas Deo propria, & essentialis, vt scias, eum à te coli oportere sanctis actibus, & sacrificiis. Secunda causa est: vt nomen Dei coronet Pontificis pulchritudinem, & protegat maiestatem, vt inquit Hieronymus. Tertia; vt Pontifex esset typus Christi, cuius nomen in fronte gerit, ideoque instar Christi portet omnes omnino iniquitates, etiam in ipsa oblatione commissas, eaque expiet inuocato nomine Dei. Corn. à lap.

11. Sed controuerti adhuc potest: an per nomen *iehouah*, quod in lamina erat inciſum, sanctissimum, & dulcissimum nomen Iesu posset intelligi? Arnoldus Carnotensis tractatu de vltimis verbis Domini in primo tomo Bibl. vet. Patr. sic ait: *Pro lamina aurea in qua nomen Dei sculptum erat, lignum ceruici supereminens, in quo Pilatus, pro Beseleel, conscripserat nomen, quo nihil in cælo, vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius: Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Ex quibus verbis aperte constat nomen illud tetragrammaton indicasse sanctissimum nomen Iesu. Idem docuerunt Iacobus Valentinus Episcopus Christopolitanus, Paulus Burgensis Exod. 3. & alij, vt refert Galatinus libro tertio, capite vigesimo. Refragatur tamen Barradas tomo primo, libro nono, capite tertio, in principio, sed prior sententia est satis deuota. Ara. Carnot.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCLXIII.

Diuinitas Christi mirifice splendet ex crucis ignominia.

12. PEtrus Damianus opusculo 25. capite tertio, mysterium crucis lamina illa aurea, quæ frontem coronabat Pontificis, figurati cognouit cum dixit. *Idipsum signabat* (loquitur de vexillo crucis) *lamina illa aurea, quam summus sacerdos in gloriam, & decorem gerebat in capite, cui videlicet nomen Domini tetragrammaton erat inscriptum, sicut enim quatuor illic erant litteræ, ita nihilominus quatuor sunt crucis cornua quadrifidi orbis partes amplectentia. Hanc sacerdos portabat in gloriam, & decorem.* Glorioſum ergo vel vmbra crucis reddebat sacerdotem. Nemini dubium est, Aaronem egisse personam Christi Domini. Portabat ergo sacerdos laminam hanc in fronte, quæ crucem præsignabat, vt Christum præfigurans existeret glorioſus, & diuinitatis exprimeret imaginem: obindeque laminæ sanctum Domini coniungitur; quia lamina crucem designans Christi, eius diuinitatis erat indicium. Crucis namque ignominia Christum prædicat Deum. Petrus Dam.

13. Deutoronom. 34. numero 6. vrna, quæ Moysis cineres continebat, dicitur hominum subterfugisse cognitionem. *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Non parum laborant interpretes in aperienda causa, ob quam Deus Moysis occultarit sepulchrum. Dixere multa multi. Lyra ad præfata verba hanc rationem exhibuit. *& non cognouit homo sepulchrum eius: quod factum est, ne Iudæi colerent ipsum tanquam Deum propter multitudinem signorum.* Eximia est Lyrani ratio, si eam quibusdam dubiis elucidemus. Quænam signa fecit Moyses, quæ ipsum diuinitatis Deut. 34. n. 6. Lyra.

consortem prædicare possent? nonne studio, & prouidentia Ioſephi famem futuram prædicentis Ægyptus tota alita vniuersali annona egestatis molestiam superauit? imperio Iosue solaris globus stetit immotus, donec Gabaonitas deuinceret. Iosue 10. numero 13. Elias ignem auocauit è cælo 3.Reg.18. num.38. Sareptanæ viduæ filium emortuum reuocauit ad vitam,res vsque tunc inauditam 3. Reg. 17. n. 23. Quid de Elisæo dicam?Iordanis vndas diuisit, & sicco pede transmigrauit in Iericho 4. Reg. 2.num.14. Puerum vitæ restituit,ibidem, cap.4.num.35.Naaman Syrum mundauit à lepra,ibid.cap.5.num.14.aliaque innumera fecit prodigia: & tamen horum sepulchra apud Hebræos nota fuerunt:quare ergo Moyses sepulchrum occultum fuit?si propter signa,vt putauit Lyranus, ne Iudæi ad idololatriam proni, ei diuinitatem tribuerent, qui dum vixit, tot patrauit miracula: cur Ioſephi,Iosue,Eliæ,Elisæi & aliorum sepulchra ante omnium oculos proposita, cum non minora mirabilia fecerint? aut quid speciale in Moyse splenduit,ob quod Iudæi auderent ei diuinitatem tribuere?dicam. Duo inter multa præstitit Moyses virgæ adminiculo,in qua crucis obumbrabatur insigne,vt patet Exodi à cap.7. vsque ad cap.14. Rursus ibid,cap.17. num.11. cum populus dubio certamine contra Amalec dimicaret;Moyses eleuatis manibus in monte orans,non armis, sed oratione dimicabat,& vincebat:*cumque leuaret Moyses manus vincebat Israel: sin autem paululum remisisset superabat Amalec*: qui vt placet Tertulliano lib. 3. aduersus Marcio. cap. 18. Christi Domini pro nobis pendentis è cruce gerebat effigiem: audi Africanum rationem reddentem huius miraculi. *Quia illic vbi nomen Domini Iesu dimicabat, dimicaturi quandoque aduersus diabolum, crucis quoque erat habitus necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus,* idipsum expressit Ambrosius serm.56.cum dicit:*hoc etiam exemplo*(loquitur de cruce) *Moyses sanctius cum contra Amalec bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis ad Deum manibus superauit.* Quia ergo Moyses eleuatis manibus in monte Christum præfigurans è cruce pendentem, deuicit aduersarios; ideo sepulchrum eius fuit tanto studio occultum, ne Iudæi eum colerent tanquam Deum:quia ita crucis iniuria diuinitatis mittit splendorem,vt ex eo, quod Moyses extensis brachiis in vertice montis Christi Domini pendentis è cruce præferebat insigne, visum fuerit Lyrano, conuenienter satis eius sepulchrum ab omnium oculis fuisse semotum,ne velut Deus coleretur.Ioseph autem,Elias,Elisæus, & alij quantumuis magna patrauerint, eorum tamen sepulchra omnibus fuerunt proposita,quia in eis nullum fuerat idololatriæ periculum:non enim crucifixi figuram prætulerunt:at Moysis ossa diuino cultu forsan venerarentur Hebræi,quia crucifixi in monte personam agens aduersarios Dei superauit,& pro salute populi in monte apparuit crucifixus.

14. Vt verum Deum,cui sacrum exhibebat cultum probaret. Elias coram Achab rege Israel, falsumque numen esse Baal, quod impius rex colebat, proposuit regi, vt accersirentur falsi numinis Prophetæ, vt holocaustis super duobus altaribus propositis, vnusquisque suum Deum inuocaret,& Deus qui per ignem exaudiret cælitus missum, vt verus Deus coleretur, cuncto populo placuit arbitrium, clamauerunt Prophetæ Baal:non tamen exaudiuit eos.Tunc Elias refecit altare Domini, quod demolitum fuerat, in circuitu altaris fecit aquæductum (vel vt Rabbi Salomon sensit: *fecit in circuitu altaris fossam quinquaginta cubitos patentem*) fusisque quatuor hydriis aquæ super holocaustum, & super ligna, currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est. Tunc Elias sic Dominum exorauit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Deus meus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini,& deuorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Quo facto omnis populus Deum Eliæ verum numen confessus est ibidem, numero trigesimo nono. Hinc non leue resurgit dubium. Qui fieri potuit, vt quatuor hydriis aquæ ter repetitis (vt ait sacer textus ibidem, numero trigesimo quarto) fossa aquæductus impleretur, præsertim si esset (sicut tenet Rabbi Salomon, cui non videtur Lyra dissentire) ducentorum cubitorum in circuitu, quia quodlibet latus habebat quinquaginta cubitos?Lyra ex mente Rabbi Salomonis, id miraculose factum, respondit: *Quia Eliæ discipulus effundendo hydriam suam effudit aliquam partem eius à casu super manus Eliæ, & tunc aquæ fluere cæperunt de digitis eius miraculose, sicut de fontibus abundantibus: & per hoc fossatum fuit repletum.* Hoc idem confirmat ex illo, quarto Regum, capite trigesimo, numero vndecimo, vbi dicitur, quod cum tres reges, videlicet rex Iuda, rex Israel, & rex Edom pergerent per desertum Idumeæ, & siti oppressi perirent, dixit Iosaphat rex Iuda: *estne hic Propheta Domini, vt deprecemur dominum per eum? & respondit vnus de seruis regis Israel: est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Quæ verba sic Lyra ex Rabbi Salomon explicat: *Quasi dicat: iste est aptissimus ad quærendum signum aquæ; quia per effusionem aquæ de manu sua factum fuit miraculum in multiplicatione aquæ modo prædicto.* Sed adhuc superest dubitandum: an posset Elias alia via aquam multiplicare, quin per manus eius transiret? posset sane diuino fauore adiutus. Quare ergo per manus multiplicauit? dico primo: quia ad multiplicanda bona non sat est magnos habuisse prouentus; sed vlterius requiritur, quod dominus illorum conscius sit, & suis manibus contrectet, & teneat: nam licet ministri tanta polleant fidelitate, ac Elisæus, requiritur Domini ratio, imo & eius manus, vt bona non diminuantur. Adhuc adderem: aquam ab Elia multiplicatam,quia minister eius, nec guttam retigit. Heu!quot diuitiæ dissipantur, quia plures manus eas contrectant: vnusquisque per cuius manus transeunt, sibi aliquid vsurpat: vnde nec thesauri regij sufficiunt. Verum ad rem nostram respondeo secundò:

Rabbi Salo.

1.Reg. 18. à n. 36. vsque ad 38.

Lyra.

4. Reg. 3. num.11.

Lyra.

id

idcirco aquam fuisse multiplicatam prius per manus Eliæ currendo, quia cum Propheta dexteram poneret supra sinistram, varam crucem efformabat. Sed ad quid in hoc miraculo introducitur crux? quia de vero Deo agebatur. Cælitus tunc emissus fuit ignis, qui Eliæ combussit holocausta, & quo signo Deus verus fuit cognitus, & falsus contemptus. Quasi male Deus verus cognosceretur, si crucis abesset vexillum.

15. Nascitur Christus, & vix nascitur, cum iacet in præsepio: admonentur pastores angelicis vocibus, & claritate cælitus missa. Lucæ 2. num. 9. stella micante docentur Magi. Matth. 2. num. 2. vtrobique lux diuini Verbi est præco. Faciamus gradum à præsepio ad montem, in quo pendebat è ligno, & videbimus tunc terram opertam tenebrarum caligine: solem lucis parentem obscuritatis iniuria cæcum: sic refert Luc 23 n.44 Lucas cap. 23. num. 44. *& tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & obscuratus est sol.* Liceat hîc dubitare, vt veritatem aperiamus. Primo aspectu videtur immutatus ordo: nam si Christus tenebris est operiendus, adsint in præsepio, quia tunc adhuc iacet ignotus: luces verò & angelicæ voces seruentur ad manifestandum eum in cruce pendentem. Hic, Domine, vbi potatus es felle, verberatus flagris, clauis confossus, spinis coronatus, & pendes è ligno; hîc quanuis adiutore non eges ad salutem hominum; opportune tamen adstarent angeli, qui te à tantis probris vindicarent, & solutis vocibus te Deum confiterentur. Adsint etiam lumina, quæ mutis radiis lucem inaccessibilem, quam inhabitas ostendant. Cur in monte tenebræ, & in præsepio luces? cur in natiuitate angeli; & in morte hostes perfidi principis tenebrarum ministri? profecto: quia in præsepio Christus trophæo crucis non fulgebat; & in monte perfruebatur ignominia crucis: & quem lignum crucis Deum commendat, non indiget lucis testimonio, aut angelorum commendatione: nam tenebræ illæ, quæ vniuersam terram operiunt caligine, patientem in ligno Filium Dei manifestant, sic Athanasius Magnus Athanasius. de incarnatione Verbi. *Neque vel ipsum mundum in silentio esse voluit, sed quod mirum est, in morte, vel potius in trophæo de morte excitato (crucem intelligo) vniuersa rerum fabrica confitebatur, eum, qui in corpore apparebat, & supplicia patiebatur, non hominem simpliciter, sed Dei Filium, ac saluatorem esse omnium. Nam & sol se auertebat, terra quatiebatur, disrumpebantur montes, omnes metu, ac pauore contrahebantur. Hæc omnia eum, qui in cruce erat, Christum Deum esse declarabant, ac rerum naturam eius ancillam esse pauore suo contestantem Domini sui præsentiam.* Siluerunt creaturæ, nec Christum Dominum ediderunt auctorem, vsque dum ipsum in cruce conspexerunt pendentem: tunc vero silentij compedibus dissolutis omnes contestabantur suum pati creatorem, quia viderunt è cruce pendentem. Ex ea ergo Christi splendere cæpit diuinitas.

16. Quæsierat à discipulis Christus, quonam modo apud homines de ipso circumferretur opinio? referunt discipuli varias hominum sententias erroris, & falsitatis non vacuas. Petrus autem Apostolorum vertex cælitus admonitus hominum confutans falsum iudicium, Christum verum Deum, Patrique consubstantialem confessus est. Quid tunc Christus? *cæpit docere eos, quoniam oportet, Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & scribis, & occidi.* Marci 8. num. 31. Marc. 8. n. 31 O Domine Iesu, quid ais? Petrus te verum Deum prædicat impassibilem, Dei viui Filium. Ergo mortis expertem, & perpetuæ vitæ socium. Quare ergo tunc passionis, & mortis appetis ignominias? aut quid diuinitas cum passione? Victor Antiochenus ibidem Vict. Ant. sic respondit. *Postea quam diuinitatis suæ sensum illis impressit, doctrinam de cruce, & passione mox subiungit.* Acumine est plena Victoris sententia; sed rigoroso scrutinio est examinanda. Ait ergo iste doctor, post manifestationem suæ diuinitatis statim Christum doctrinam de cruce, & passione subiunxisse; Adquid? an quia diuinitas viam sternit ad crucem? certe diuinitas cruci præstitit honorem. Verum talis est crucis excellentia, vt ipsa diuinitas disponere videatur ad crucem, sed ad rem dico: ideo Christum post abscissum velum suæ diuinitatis, & cum iam à Petro Deus fuerat confessus, statim texuisse sermonem de cruce, vt facilius eius diuinitas crederetur. Quia cum crucis patibulum diuinitatem ostendat; cum diuinitatis fit sermo, crucis inseritur doctrina, tum vt firmo animo ab omnibus eius diuinitas credatur; tum etiam denotans, quod absque cruce nolebat, Deus prædicari. Hoc ipsum confirmat, quod paulo antea Petro eius diuinitatem confitente dixerat ibidem, numero trigesimo, *& comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.* ibid. num. 30 Sed vsquequo, Domine, silentio tantæ veritatis comprimendi sunt discipuli? vsquedum passionis, & crucis pelagus tranauerit. Quasi nollet Christus antequam è crucis penderet patibulo, Dei Filium prædicari, ne assensus diuinitatis apud homines periclitaretur, si crucis radiis non fulgeret. Quod optimè explicuit angelicus doctor ibidem dum ait: *Volebat enim interim suam gloriam occultare.* S. Thomas. Id est: noluit, Deum prædicari, vsque dum crucis subiret ignominiam.

17. Audi Dominum, & accipe Christum Deo Patri colloquentem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matthæi vigesimo septimo, numero quadragesimo sexto, sed Mat. 27. n. 46 cur Christus, qui semper in sinu Patris erat, derelictus conqueritur? aliqui autumant, ideo id fecisse, vt suam humilitatem ostenderet. Sanctus Hilarius in catena sancti Thomæ, vt Hilarius. se hominem prædicaret, qui iam se Deum latroni ostenderat promittens paradisum: *Habes in conquerente ad mortem* (ait sanctus Hilarius) *relictum esse, quia homo est. Habes eum, qui moritur profitentem, se in paradiso regnare, quia Deus est.* Origenes etiam in catena S. Th. Origenes. putauit, querelam hanc proposuisse propterea, quòd tenebræ densa caligine tunc terram occultabant: in quibus iudæorum meditabatur tenebras. Tanti enim populum illum faciebat, vt propter eorum damna, derelictus à Patre quereretur. Alij aliter præsenti dubio respondent. Putarem ego: Christum hîc non querimoniam, sed verba mysteriis plena protulisse.

Hoc,vt mihi videtur denotat illud : *Clamauit Iesus voce magna dicens, Deus meus,&c.* vt notauit Origenes, sed admittamus, Christum querelas ad Patrem non detulisse : quis negare potest, ab eo fuisse derelictum ? sic Bernardus serm.5. de verbis Isaiæ. *Dicerene audebimus, quod aliquando fuerit sine Patre ? nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset : Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me ?* At in quo fuit derelictus à Patre?idem Bernardus ibidem. *Quasi quædam enim ibi derelictio fuerit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio,nulla ostensio maiestatis.* Itaque ex mente melliflui, non quæritur Christus,quia absque Patre esset, sed quia ab eo derelictus:hoc est, quia æternus Pater tunc non ostenderet suam maiestatem, & illum genuisse in splendoribus sanctitatis. At cur Pater tunc manifestè Filium non declarauit, vt sic ludibria aduersariorum in aduersarios retorqueret ? certè,quia tunc superflua esset diuinæ filiationis expressio, vbi Christus pendebat è cruce. Ipsa enim crux Deum manifestabat pendentem ex ipsa. Rectè ergo diximus, voces has non ad querelas, sed ad mysterium formatas : quia si quatenus se derelictum ostendit, se hominem manifestat, quia pendebat è cruce verum se Deum prædicabat.

Bernardus.

ILLATIO CCLXIV.

Falsum numen alienum est à gloria crucis.

18. EX ignominia glorioſa crucis probauimus illatione præcedenti, diuinitatem Christi: nunc restat probandum numen falsum indignum esse excellentia crucis. Capta fuit arca à Philistæis, & asportata in templum Dagonis: bis inuenerunt sacerdotes illius falsæ deitatis Dagonem iacentem super terram : sed audi sacrum oraculum 1. Reg.5. num. 4. *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini : caput autem Dagon, & duæ palmæ eius abscisſæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat,&c.* Diuus Isidorus ibidem reddens rationem ob quam Dagon remansit truncus manibus, & capite amputatis, sic ait. *In manibus Dagon præcisis opus idololatriæ amputatum, & in capite eius diaboli superbia præcisa significabatur.* Sed cur Hispalensis Antistes iudicauit in capite Dagonis superbiam præcisam,& in manibus opus idololatriæ amputatum?vt mihi videtur mens Isidori fuit: in capite Dagonis eius superbiam præcisam,& in manibus idololatriam amputatam : quia idolum illud sine capite, & brachiis crucis figuram habere non poterat. Ecce quomodo amputata est superbia, & idololatria:quia sine cruce male coleretur Dagon : nam sine cruce apertè ostendebatur falsitas illius. Quomodo ergo verus Deus esset, in quo crucis saltem non splendebat imago ? meritò asseruit Isidorus in brachiis amputatam esse idololatriam; quia sine brachiis carebat forma crucis, & sine hac non poterat apparere Deus. Ergo indignus, vt ei exhiberetur cultus. Ergo amputata idololatria,

1.Reg.cap.5. num.4.

Isidorus.

Peccauit Israel murmurans contra Dominum:quamobrem immisit Dominus in populum ignitos serpentes, quorum morsu moriebantur Israelitæ, vt pœna culpæ corresponderet, & qui male loquendo deliquerant, malo morsu plecterentur. Quid inde?Ileuit populus peccatum:& tunc Dominus ait Moysi. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo ; qui percussus aspexerit eum,viuet.* Numer. 21. num.8. Tertullianus lib.contra Iudæos cap.10. sic inquirit: *Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum, pendentis habitu in spectaculum Israeli salutare proposuit, eo tempore, quo à serpentibus post idolatriam exterminabantur ?* huic quæsito respondet perdoctè his verbis. *Nisi quod hic dominicam crucem intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuilibet ab eiusmodi colubris, id est angelis eius, à delictorum peccatis ad Christi crucis sacramenta intento, salus efficiebatur.* Nota Septimij responsum, prohibuerat Moyses omnia simulachra, ne populus idololatriæ pronus falsum coleret numen : & tamen serpentem æneum huic populo proposuit non veritus periculum idololatriæ ; eo quòd in illo spectaculo crucis insigne repræsentabat. Sed quid, quod ibi figura crucis ante populum proponeret, vt non esset periculum idololatriæ ? satis ingeniosè cogitauit Tertullianus: quia ad præsentiam crucis diuinitas falsa non poterat consistere. Pronus erat populus ad falsos Deos colendos ; & ob id omnia ei simulachra fuerunt prohibita: attamen in præsenti nullum erat periculum idololatriæ ; quia vbi adest crux,falsum numen abest.

19.

Num.21.n.8.

Tertullianus.

Si obliti sumus nomen Dei nostri,& si extendimus manus nostras ad Deum Alienum : nonne Deus requiret ista ? dicebat Dauid Psalm. 43. num.21. Duo reprehendit Propheta : obliuionem Dei ; & extendere manus ad Deum alienum. Primum nempe obliuisci nominis Dei, & ei negare cultum, dignum est magna reprehensione:at extendere manus ad Deos alienos, quam deformitatem habet ? an per hoc denotatur, offerre munera idolis ? forsan hoc:quod absque dubio magna reprehensione dignum est. Verum, ni fallor, præter hoc aliquid amplius, & execrabilius significauit Dauid. Execrabile crimen est, falso numini exhibere cultum ; at ad eum extendere manus magis execrabile. Quia per hoc ei attribuitur crux, quæ vero Deo solùm debet tribui. Nulli dubium est, per manus extensionem in sacris litteris glorioſam ignominiam crucis denotari. Sic communiter intelligunt Patres,& Interpretes illud Exodi 17. num.11. de sancto Moyse : *cumque leuaret Moyses manus, &c.* sic etiam illud Psal. 140. num.2. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, Ecclesiastici 51. num. 26. *Manus meas extendi in altum*, & Isaiæ 65. n. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*, & alibi. Ait ergo Dauid maximum esse crimen,ad Deos alienos manus extendere:quia est illis crucem offerre, quæ soli Deo congruit; & eos veros prædicare, falsi cùm sint, ex eo quòd crucis ornarentur ignominia.

20.

Psal 43.n.21.

Ex.17.n.11.

Ps. 140. n.2.

Ec.51.n.26.

Isa.65.n.2.

ILLA

ILLATIO CCXLV.

Trinitatis hypostases crucis specimen libenter amplectuntur: & exinde quanta sit excellentia crucis monstratur.

21. LAmina aurea, quæ frontem ornabat Pontificis (vt illatione 243. vidimus ex Damiano) in qua sanctum nomen erat incisum, crucis
Beda. erat effigies. Idipsum docuit Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 7. vbi de sancto nomine in ea exarato sic ait. *Significat autem professionis nostræ fiduciam, quam in fronte portamus, dicente Apostolo: mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, & rursus idem venerabilis pater ibidem, *& bene quatuor litteris idem nomen Domini in fronte Pontificis erat scriptum: propter videlicet significantiam totidem partium dominicæ crucis, quam in fronte portaturi eramus. Hoc est: supremam, dextram, lævam, & infimam.* Insuper (vt in hoc versu, num. 8. vidimus) nomen tetragrammaton sanctissimę Triados præsignabat mysterium, sed notatu dignum est, in hac lamina vtriusque sacramenti Trinitatis, & crucis arcanum obumbrari. Quid Trinitas cum patibulo crucis? ibi gloria infinita, indiuidua maiestas: hîc contumeliæ innumeræ, iniuriosa opprobria. Quomodo ergo in sacro nomine *Iehouah* Trinitas ineffabilis, & crucis patibulum obumbrari possent? ? an quia Trinitas capax sit crucis? absit. Nequeunt enim diuinæ hypostases, qua tales, iniuriis, & opprobriis dehonestari. ? verùm quantunuis hoc sit fidei orthodoxæ consonum: tanta est crucis excellentia, vt diuinæ hypostases quodammodo crucis figuram amplectantur.

22. Id obumbratum inuenio in primi hominis formatione, & nomenclatura. Inquiramus eius
Gen. 2. n. 7. originem. Expressit eam sacer textus. Gen. 2. num. 7. his verbis: *formauit Deus hominem de limo terræ.* Audis de limo terræ formatum Adam, si tamen consulas Augustinum tract. 9.
Augustinus. Cyprianus. Beda. super Ioan. Cyprianum in tract. de Sina, & Sion, & Bedam in Commentariis super Ioannem, inuenies eos vno ore asserentes, Ethymologiam huius nominis, *Adam*, deducere, ex eo quòd fictus fuit à Deo ex terra, quæ assumpta fuit ex quatuor mundi cardinibus; qui quatuor litteris eiusdem nominis comprehenduntur. Nam, A, Græcè significat Orientem: D, Occasum: aliud A, Septentrionem: & M, Meridiem.
Sybilla. Hanc nominis interpretationem Sybilla in 2. lib. Oraculorum his carminibus expressit.

Nimirum Deus is finxit Tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus est, & qui nomine complet,
Ortumque, Occasum, Austrum, Boreamque rigentem.

In huius nominis Ethymologia crucem descriptam agnosco. Nam ab Oriente in occasum lineam rectam duci, non difficulter percipitur: rursus ab Austro vsque ad Septentrionem aliam lineam protendi facilè agnoscitur: & vtramque lineam crucem formare, nemo inficias ibit; cum per medium copulentur, & statim protendantur versus peripheriam mundi, igitur in nomine Adam figuram crucis Deus expressit. Vlterius in eiusdem primi parentis creatione sanctissimæ Trinitatis obumbratur mysterium. Dixit enim Deus: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. num. 26. vbi per verbum, *faciamus*, Gen. 1 n. 26. multi Patres, Trinitatem diuinarum personarum, non dubitant, intelligere. Sed cur in primo parente Triados, & crucis imprimitur imago? & cur cùm Trinitatis opus profertur in lucem, ei nomen imponitur, quod crucem significet? dicerem: quòd diuinæ hypostases, velut crucis anxiæ, cùm in seipsis eam non possent suscipere, in imagine, hoc est in homine voluerunt imprimere, vt ostenderent, quanto erga crucem amore flagrarent, & crucem Trinitatis sanctissimæ esse sigillum.

Quantum obsequium diuinis personis exhibeatur, singulis suam crucem accommodando saltem in imagine, & repræsentatione, satis innuit illud miraculum, quod patrauit Elias, cùm puerum mortuum reuocauit ad vitam. Attende signi præludium *Expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus* 3. Reg. 17. 3. Reg. 17. num. 21. num. 21. in hac cerimonia, vt apertè constat, crucis formauit effigiem Elias. Homo enim extensis brachiis crucis exprimit imaginem, sic sensit Augustinus serm. 3, de annunciat. in Bi- Augustinus. bliot. virginali loquens de Elisæo, qui eadem cerimonia vsus fuerat. *Hoc sacramento crucis sanctus Elisæus Sunamitis filium os ori, manus suas manibus eius applicans orando suscitauit, & vnum matri restituit.* Sed adhuc restat examinandum: cur tribus vicibus hoc ritu vsus fuit Propheta? Gilibertus, apud Tilmanum ad hunc Gilibertus. locum, nodum extricauit dicens: *ideo tribus metitur vicibus, vt Trinitatis cognitionem conferat, & diuidat mensuram fidei.* Dixerat hic auctor, Eliam Christi egisse personam, cum extensis brachiis mensus est super puerum: quia crucifixum repræsentabat. Metitur ergo tribus vicibus formam exhibens crucis, vt mysterium Trinitatis declararet. At quomodo tantum exprimeret arcanum? profecto: singulis personis suam crucem præstabat. His namque mysterium tantum obũbrabatur. Vel dicito: fuisse tet illa ceremonia vsum, vt sic à tribus personis exaudiretur: quia singulis suam crucem offerebat. Nam quemadmodum, qui alicui præstat obsequium dignus est ab illo exaudiri: sic putauit Elias à tribus personis exaudiendum fore, si singulis crucem accommodaret.

Sed vt nostri thematis propositio roboretur, 24. sigillatim in vnaquaque persona erga crucem amor ostendendus est, incipiamus à Patre, & ipsum quodammodo crucis stemmate ornatum inueniemus: non quia passus sit in cruce (absit Patripassianorum error) sed cum hominibus dignatus est apparere, vt suam ostenderet maiestatem crucis vexillum affixit in throno. Huius intenti inuenies rationem, si thronum illud seraphicum contempleris. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: sanctus, sanctus, sanctus, &c.* Isaias 6. num. 2. & 3. sed liceat in- Isaias 6. num. quirere: quisnam est, qui sedebat in throno? 2. & 3.

expreſſe docuit Propheta, eſſe Dominum. An
Athanaſius. Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus? Athanaſius magnus de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, titulo, declaratio, ſanctam Trinitatem ſedere in throno excelſo putauit. Idipſum ſenſit Paſchaſius lib. 1. de Spiri-
Paſchaſius. tu ſancto, cap. 6. in 9. tom. Bibl. vet. Patr. idque ratione non contemnenda confirmat. Nec id ſilentio prætereunt Cherubini, cum Triſagium illud intonant in laudem tanti myſterij dicentes: *ſanctus, ſanctus, ſanctus.* Sed alius nodus diſſoluendus reſtat, inquiro: cur diuina Trinitas in throno inſidet: & cur Seraphini Triſagio illo declarant tantum myſterium? vtrique dubio ſatisfacies, ſi dicas, ita factum, quia Seraphini tam alis, quibus faciem, & pedes tegebant, quàm illis, quibus volabant ſtantes, crucis
Rabbanus. formabant effigiem. Expreſſit hoc Rabbanus Theutonicus in opere in laudem ſanctæ crucis cum cecinit:

Signa crucis Chriſti aſt Seraphim cœleſtia monſtrant.
Pennarum, atque ſitu hæc cuncta ſacrata probant.

Ecce cogitatum. Quia Seraphim crucis habebant effigiem, tam cum volabant; quia extenſis alis imitabantur crucem: quam etiam cum faciem velabant; nam alarum pennis ſuper faciem, & pedibus poſitis crucis etiam exprimebant figuram: ideo Triſagio illo Trinitatem prædicant perſonarum, vt quaſi ſcuto crucis muniti tantum myſterium valeant prædicare. Inſuper diuinæ perſonæ in throno Seraphico ſedent: quia vndequaque ſeraphini crucem efformant. Allectæ ergo diuinæ hypoſtaſes lenocinio crucis, quærunt ſeraphinos, ſuper quos ſolium conſtituant, ſi tamen, vt plures ſentiunt, ſolus æternus Pater inſidebat in throno; dicito: idcirco ſeraphinorum ſedem elegiſſe, in quibus tot cruces apparebant. Vnuſquiſque tres, ni fallor, cruces effigiabat. Alis, quibus faciem tegebat, primam: pectoris alas extendens ſecundam: tandem illis, quibus pedes tegebat, tertiam. Ergo ſiue tres hypoſtaſes diuinæ, ſiue Pater ſolum inſiderent in throno, ideo ſeraphinorum humeris ſolium figunt; quia tot crucibus erant inſigniti. Tanta ſacrati ligni erat excellentia, & gloria tanta, vt diuinæ hypoſtaſes quodammodo crucis flagrent deſiderio.

25. Iam morti proximus Chriſtus, vt ſe verum hominem oſtenderet cum diſcipuloſque ad patiendam mortem exhortaretur, ſic æternum Patrem alloquitur: *Pater, clarifica nomen tuum,*
Io. 12. n 28. Ioan. 12. num. 28. quaſi diceret: Pater ſancte in cuius ſinu gaudio æterno requieſco, clarifica nomen tuum, ita vt apud omnes gentes veneretur: cui ſtatim reſpondit Pater è cœlo: *& clarificaui te, & iterum clarificabo*, ibid. num. 29.
ibid. num. 29 Verum; ſi Patris reſponſum attentius conſideremus, non videtur, Chriſti precibus aſſentiri. Nam Chriſtus Patrem exorat, vt nomen ſuum manifeſtet glorioſe, ita vt nulla ſit orbis regio, apud quam non ſplendeat præclare: quare ergo dicit; *& iterum clarifi abo?* an quia paterni nominis gloria Filio communicat claritatem? non abnuo, ſed, ni fallor, Filij preces, &
Chryſoſt. Patris reſponſio aliud intendebant. Audi Chryſoſtomum in catena ſancti Thomæ ad præfata verba. *Non dico, eripe me ex hac hora, ſed contrarium dico, clarifica nomen tuum, oſtendit enim, quoniam pro veritate moritur, gloriam Dei hoc vocans, & hoc euenit: futurum enim erat, vt poſt crucem conuerteretur orbis terrarum, & cognoſceret nomen Dei, & coleret, non ſolum Patris, ſed etiam Filij.* Quando Chriſtus Patrem exorans, ſui nominis petiit claritatem, mortem non recuſabat; imo eam petebat; quia in cruce gloriam paterni nominis inuenire non dubitabat. Crux namque diuinum nomen per totum orbem diſperſit, prædicauit glorioſe, apud omnes rationes diuulgauit: Merito ergo Pater Deus cum Filium exaudit, ait, iterum clarificabo: quia per crucem Filij Pater ipſe clarificatur: *vt poſt crucem conuerteretur orbis, & cognoſceret nomen Dei, & coleret non ſolum Patris, ſed etiam Filij.* Eſt ergo crux ſic ſplendens, vt vel ipſe Pater æternus per ipſam clarificetur.

Vidiſti Patrem, velut crucis anxium crucis 26.
non dedignari figuram: vide nunc quanti Filius fecerit crucem. Ficto animo ſic Iudæi perfidi Domino crucifixo fidem promittebant, dummodo crucem deſereret, *ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.* Matthæi 27. num. 40. O ſtulti, de- Mat. 27. n. 40
feciſtis ſcrutantes ſcrutinio! ô quam obcæcati caligatis, ſiquidem diuinitatis radios, quos lignum ſacrum emittit, non valetis percipere! videte ipſam vitam mortem expectantem, vt deſtruat moriendo, & inclinato capite glorioſum ſumat de morte triumphum. Deus eſt, qui pendet è cruce clauis confoſſus. Fallitur veſtra ſpes, ſi putatis, deſerturum crucem, vt eius diuinitatem confiteamini: quia tanti æſtimat gloriam crucifixi, vt cedat veſtam acclamationem, ne contempta cruce Deus eſſe videatur.
Athanaſius. Aptiſſime Athanaſius magnus in Euangelia de paſſione, & cruce hunc cogitatum explicuit, dicens: *Neque deſcendendo de cruce voluit Filius Dei agnoſci, ſed ex eo quod in cruce permaneret.* Noluit Chriſtus crucem deſerere, quantunuis perfidus populus fidem promittat: quia non vult ſine cruce, vt Filius Dei venerari, ſed quid ais, bone Ieſu, qui animarum ſalutem ſitiebas anxiè; quomodo populi contradicentis conditionem non admittis? an quia ficta promiſſione pactum offerebant? forſan ob hoc. At Athanaſius id ita factum ob crucis gloriam putauit: *neque deſcendendo de cruce, &c.* in quo innuebat, pluris feciſſe gloriam crucis, quam à populo venerari vt Deum.

Ingenioſe expendit Tertullianus cap. 6. de 27.
reſurrectione carnis hominem ex limo fictum, Tertullianus.
& in eius ſtructura totum Deum occupatum, ac deditum, & poſt multa ait. *Ita limus ille iam tunc imaginem inducens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed & pignus.* Quod eſt dicere: quia limus ille fuit imago Chriſti futuri, non tantum Dei opus erat, ſed & pignus. Hæreo in his: *ſed & pignus.* At quomodo Adami corpus adhuc exanime Chriſti futuri fuit pignus? aut cur Dei Filius ſuæ incarnationis in limo Adami promiſit myſterium? dicam: conſidera hominis ſtatuam iacentem in terra, capite erecto velut expectante diuinum inſpiraculum: rurſus, à capite vſque ad pollices pedum lineam protractam: inſuper, ex humeris

brachia

brachia pendentia conſpice: vel vt melius dicam, extenſa, & iacentia ſuper gramina: ſi hæc attente conſideres, ni fueris cæcus, crucem in hominis ſtatua delineatam videbis. Ita expreſſit Anaſtaſius Synaita lib. 1. Anagog. contempl. in Geneſim dicens: *Homo ad formam crucis figuratam habet imaginem, vt qui ſit ad imaginem Chriſti crucifixi.* En ergo tibi rationem ob quam, Deus totus ſe occupat in hominis formatione, & ſuæ incarnationis pignus exhibuit: quia Chriſti futuri crucifixi inducbat imaginem Non me latet æternum Verbum carnis aſſumpſiſſe naturam, vt pro carnis defectibus plene, imo ſuperabundanter ſatisfaceret: hic enim fuit ſcopus motiuus incarnationis: attamen impulſiuus, ni fallor, crucis fuit deſiderium. Tanta enim huius pretioſi ligni eſt lux ſplendens, vt vel eius vmbra, quam in protoparentis ſtatua Verbum diuinum conſpexit, illud allicuit, vt naturam crucis capacem aſſumeret. Probemus hoc.

Anaſt. Synai.

28. Hoc abſque dubio expreſſit Paulus, cum expendens ſummum illud erga genus humanum beneficium incarnationis Verbi, dicebat ad Hebræos 2. num. 16. *Nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* At cur Dei Filius relicta, & velut contempta natura angelica, humanam aſſumere dignatus eſt? cecidit homo à felici illo ſtatu, in quo fuerat conditus: ſimiliter angelus non ſtetit: quare ergo homo præfertur angelo; cum vtrumque peccati deliquium à Dei amicitia reddidit extraneum? varia ſancti patres, & interpretes reſpondent. Omitto plurima alibi danda, & do tibi primarium illum Complutenſem Theologum Ludouicum Tena ad præfata verba reddentem hanc rationem: *Quia natura angelica non eſt capax paſſionis, & mortis; ſicut eſt natura humana.* Ac ſi diceret: ideo humana natura præfertur angelicæ, & hypoſtatice vnitur à Verbo, quia capax erat ſubeundi tormentum crucis; ſecus autem angelica, quæ corporis expers patiendi eſt immunis, ſi Dei Filius, & incommutabile Verbum naturam vniret angelicam, nequaquam crucis ſplendore frueretur: at in natura noſtra pati, & crucifigi potuit. Merito ergo humana natura antefertur angelicæ, vt in ea Verbum trophæo crucis gauderet.

ad Hebr. 2. num. 16.

Tena.

29. Hactenus de diuinis perſonis in genere, & de Patre, & Filio ſigillatim egimus oſtendentes, quanto ſtudio crucis affectent opprobium: reſtat nunc hoc idem de Spiritu ſancto confirmare. Adeſt ad hoc ſatis tritum teſtimonium apud Matthæum cap. 3. num. 17. qui cum ageret de Chriſti baptiſmate inter alia admiranda ſic ait: *& ecce aperti ſunt cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Magno acumine, vt aſſolet, quæſiuit Tertullianus: cur Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie dignatus eſt deſcendere ſuper Chriſtum? quid eſt in columba, ob quod diuinus amor eam elegit, vt ſub illius velamine deſcenderet ſuper Chriſtum? audi eundem Tertul. l. de Bapt. c. 8. *Columbæ figura delapſus in Dominũ, vt natura Spiritus S. declararetur.* Sed adhuc reſtat nodus diſſoluendus. Nam quid fieri poteſt, vt per columbam Spiritus S. natura exprimeretur? Septinij mentem ſic explico, certiſſimum eſt, Spiritum S. nec paſſionem, nec crucem ſubiturum, hæc enim ſoli Filio Dei, vt homini, ſeruabantur. Cum ergo videret Spiritus S. nunquam ſe crucis iniuriis ſubiiciendum fore, elegit columbam, in qua deſcenderet in Iordanem, vt ſic modo, quo poſſet, in ſeipſo crucis haberet effigiem. Columba namque ſicut & cæteræ aues cum volant, crucem efformant, vt dicebat Hieron. ſer. 30. de nat. Domini in tom. 9. *Aues* (inquit) *quoque ipſæ quando in ſublimiora tolluntur, & pendent per aerem, extenſis alis imitantur crucem.* Columba, in qua deſcendit Spiritus S. vt notauit Andreas Cretenſis in orat. de amputatione capitis Baptiſtæ, ſemper volauit adhuc ſedens ſuper caput Chriſti, *quid dicis?* (reprehendit Herodem) *das caput, quod vel ipſi reuerentur angeli? das illud caput, ſuper quod, cum Verbum baptizaretur, Spiritus in ſpecie columbæ ſedens volauit.* Volabat ergo hæc columba adhuc ſedens, vt extẽſis alis ſemper imitaretur crucem. Cum ergo in illa columba ſanctiſſimæ crucis delineatur figura, ait Tertull. in ipſa Spiritus S. naturam explicari, & huius perſonæ diuinæ per crucem oſtendi maieſtatem. Quid ergo mirum, quod diuinus amor columbam eligat, in qua tantam aptitudinem inuenit ad formandam crucem.

Hieronymus.

Andr. Cret.

Notaui, ſæpiſſime in ſacro eloquio referri, Spiritum S. conferri per manuum impoſitionem, ſic Actor. 8. n. 17. de Petro, & Ioan. dicitur: *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* & c. 9. n. 17. & c. 19. n. 6. *& cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus S.* & alibi, ſed cur Spiritus S. communicatur per manus impoſitionem? aut quid habet manus impoſitio cum aduentu Spiritus S. vt per eam inuitetur? ingenioſe, & profunde hoc notauit Tertul. loc. cit. dicens: *debinc manus imponitur per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum S.* Quod perinde eſt, ac ſi dicat: ideo Spiritus S. per impoſitionem manuum communicatur; quia cum imponitur manus fit benedictio, hoc eſt, manu in aere formatur crux, & iterum repetitur, cum dextera ſiniſtræ imponitur. Quid ergo mirum, quod tanto ſigno inuitatus diuinus amor celeriter veniat, veluti crucis anxius. Habes ergo iam diuinam Trinitatem crucis radiis illuſtrari; obindeque à tribus perſonis, eo modo quo dici poteſt, deſiderari crucem.

30.

Act. 8. n. 17. ibid. 19. n. 6.

ILLATIO CCXLVI.

Chriſtus poſt mortem, & poſt crucem maiori cultu reuereri vult, quam ſi crucem non eſſet perpeſſus.

34. OPportunam huic theſi præbet occaſionem diuinum nomen, quod in lamina aurea cælatum erat. *Facies, & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris ſanctum Domino,* ſi tamen conſulas caput 2. Apoc. n. 17. inuenies idem nomen ſcriptum in gemma ſplendore albo radiante, forſan in adamante pretioſiſſimo: *dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum.* Nomen in noſtra lamina inciſum, vt multorum teſtimoniis confirmauimus ſupra n. 8. erat nomen *Tetragrammaton*: nomen Dei ineffabile. Non obſcurè, ſi attentè

Apoc. 2. n. 17

attente legatur, insinuat Beda lib. 5. de tabernaculo hoc nomen esse ineffabile, & dulcissimum Iesu. Idem nomen refertur à Ioanne loco citato in adamante scriptum: *& in calculo nomen nouum scriptum*: Seu vt Glossa Ordinaria ad præfata verba refert, altius, & excellentius in Christi corpore scriptum quinque
Gloss. Ordin. stigmatum pyropis. *Scriptum* (inquit) *quinque litteris, id est, quinque vulneribus, cum quibus ostensum fuit corpus eius in cruce.* Ex his non contemnenda quæstio excitatur examinãda. Cur nomen Iesu in lamina aurea fuit incisum, & postea velut excellentiori papyro in adamante, vel vt sentit Glossa, in ipso corpore Christi traditur scriptum? Pretiosa erat lamina aurea; non abnuo: at multo pretiosior charta est adamas, & omnium pretiosissima corpus Christi. Quare ergo olim in auro; postea in adamante idem nomen scribitur? expendas, quæso, quo atramento hoc nomen referatur scriptum à Ioanne. Id expressit Glossa: *scriptum quinque litteris, id est, quinque vulneribus, cum quibus ostensum fuit corpus eius in cruce.* Hoc est, eius sanguine. Merito ergo pretiosior stylus nunc, quam olim huic nomini præparatur: quia nunc scribebatur in cruce. Quamuis autem idem esset nomen Iesu: tamen quia nunc erat nomen Dei pendentis è cruce, pluris voluit haberi, quam tunc. Vide ergo quomodo ex cruce velut creuit nomen ineffabile, siquidem tunc in auro opere cælatoris, nunc in gemma, & in corporis domini adamante purpureo colore nostras maculas abstergente scriptum proponitur. Et quid mirum, quod Dei nomen ex cruce clarius micet, & pluris æstimetur; si ipse Dominus ex tunc maiori cultu reuereri velit, quam antea quod cruci affigeretur.

32. Cum primum post resurrectionem discipulis apparuit Iesus suæ potentiæ ostendit plenitudinem dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra* &c. Matth. vltimo c. n. 19. At cur Dominus huius potestatis excellentiam non manifestauit ante mortem, sed post illam? Congrue satis cognitione huius potestatis instruerentur discipuli, vt inter passionis angustias non desererent magistrum, nec inimicorum eius ferocitatem formidarent. Quare ergo vsque ad præfatum tempus hanc potestatem silentio premit? Opportune satis respondet Beda in catena S. Thomæ ad cap. 12.
Beda. Lucæ his verbis: *Nam ante venerabilem crucem, & eius resurrectionem à mortuis, in sola Iudæa fiebat mentio prædicationis, & miraculorum ipsius, postquam autem principem vitæ insamentes occiderunt, tunc Apostolis præcepit dicens: euntes docete omnes gentes.* Ante mortem, & resurrectionem, imo ante venerabilem crucem noluit Christus suæ potestatis ostendere plenitudinem, nec discipulos mittere ad illustrandas gentes suæ doctrinæ radiis: non quia ante crucem eandem potestatem non haberet; sed quia sibi visum fuit post crucem aliquo modo creuisse in potestate, & maiestate. Celare voluit omnipotentiam, vsque dum crucis pateretur iniurias, & victor è tumulo resurgeret: non quia antea non esset omnipotens, sed quia per crucem velut aucta fuit eius omnipotentia, saltem quoad manifestationem. Ob hanc causam post crucem misit discipulos, ad omnes gentes docendas, & prædicationis alimonia cibandas: quia post crucē facilius gentes Euangelium reciperent. Nam licet idem esset Dominus, post ligni iniurias velut creuit in maiestate. Confirmat expressius, hunc cogitatum Germanus Constantin. Patriarcha oratione in exaltatione crucis his verbis. *Rex in Thronum regale crucis conscendit, vt princeps* Germanus.
mundi extra suum imperium eiiciatur, & vt tyrannus pedibus subiiciatur vt non amplius mundi princeps appelletur, Christo iam crucifixo, qui ait, data est mihi omnis potestas, &c.

Resurgit Christus, & Magdalenæ quærenti apparet: attamen cum illa osculari eius pedes voluisset, repulsam patitur à Christo dicente: *Noli me tangere.* Ioan. 20. n. 17. O quam Io. 20. n. 17.
seuere videtur Christus agere cum amasia sua Magdalena! Domine, ipsa est, quæ apud Pharisæum tuos pedes osculabatur; & nunc amoris tui incendio ardens requisiuit sepulchrum, & ardenter quærebat te: cur eam repellis à tactu, quam apud Simonem admisisti ad obsequium? Deinde, tu idem es: quare ergo eam repellis? Apud Pharisæum adhuc peccatrix accessit, licet ibi tui amoris saucia veniam fuerit consecuta, & tamen pedes ei concessisti. Ergo potiori iure nunc, cum ardenter sancta te quærens inuenit, debes concedere pedes. Quomodo ei dicis: *Noli me tangere?* Quia apud Pharisæum nondum Dominus crucem ascenderat: at cum iuxta sepulchrum eum inuenit Magdalena, iam crucis subierat ignominiam. Vt ergo ostenderet Christus, ex cruce velut suam maiestatem creuisse, negat Mariæ osculorum obsequium, & contactus cultum, cui ante crucem permiserat. Accipe Chrysostomum in catena S. Thomæ
Chrysost. ib. *Volebat hac mulier* (inquit) *adhuc cum Christo esse, sicut & ante passionem, & præ gaudio nihil magnum excogitabat, quannis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Ab hac ergo intelligentia eam abducens dixit: noli me tangere, vt cum multa reuerentia ei loqueretur.* Putabat Magdalena sic cum Christo acturam post resurrectionem, *sicut & ante passionem*, & præ gaudio velut turbata non agnouit gloriam Christi creuisse, & eius carnem meliorem factam fuisse resurgēdo. Quid tunc Christus? Ait illi: *Noli me tangere*: obseruantiorē cultum, & reuerentiam requirens, quam cum esset apud Pharisæum; eo quod nunc iam ascenderat crucem, & confractis mortis vinculis resurrexerat è tumulo. Hoc explicuit mirificè Ambros. ad
Ambros. cap. 25. lucæ expendens hæc verba: *Noli me tangere*: & hanc exhibet rationem. *Quia non omnes possunt tangere resurgentem, quem tetigerunt in hac vita, & corpore commorantem.* At hoc videtur difficile. Nam in vtraque duratione, ante resurrectionem, & post illam, est idem Christus, idemque Dominus. Ergo cui licuit, tangere eum in hac vita commorantē, licebit, & tangere resurgentem. Aut quid Mediolani antistes ita excellens vidit in Christo post resurrectionē propter quod sit exceptus à tactu? Meo videri, nihil aliud, nisi crucem.

propter

Propter eam non potest Dominum tangere resurgentem, qui tetigit ipsum in hac vita commorantem. Nam ex cruce sic Dominus clarificatus, vt non solum videatur creuisse in maiestate, & gloria; verumetiam maiorem cultum ei post illam petat adscribi.

34. Idem Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. eleganter expendit, bis Christum sub hasta positum à Iudæis: semel in typo, & semel in veritate. In typo, cum Ioseph à fratribus venditur Ismaëlitis viginti argenteis. Genes. 37. n. 28. *Et præterCenes. 37. n. 28. euntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis.* In veritate, perfidus ille discipulus tradidit triginta argenteis. Matth. 26. Matth. 26. n. 15. n. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Expende nunc cum Ambrosio vtriusque venditionis diuersitatem. Christus in figura, & in typo sub hasta ponitur, & viginti apretiatur argenteis; in veritate triginta venditur denariis: Cur veritas typo non coresponder? Ambros. Audi Ambrosium. *Viginti aureis emunt Ismaëlitæ, triginta Iudæi. Nec hîc figura mediocris. Ad sacrilegiũ perfidi largiores sunt, quam ad salutem fideles sunt. Vtriusque tamen contractus considerari conuenit qualitatem. Viginti aurei pretium seruitutis, tringinta aurei crucis sunt.* Quod est dicere: Vtrobique Christus venditur. In Ioseph typice, in seipso verè. Vtrobique idem est Christus, licet diuersimodè consideratus: attamen quia in veritate existens, vendebatur, vt cruci affigeretur; & in typo, vt redigeretur in seruitutem: in veritate, venditur maiori pretio, quam in typo. Nam licet veritas debeat coresponder figuræ: quia in veritate vendebatur ad crucem, propter excellentiam crucis creuit pretium: *Viginti aurei pretium seruitutis, triginta aurei crucis sunt.* Quasi ex cruce videtur auctus Christus, saltem in manifestatione maiestatis. Non sunt hîc omitenda verba Ambrosij serm. 6. vbi sic Ambros. loquitur. *Post iniurias crucis Deus Pater recipit Filium, & occursu quodam pietatis ascendentem illum gremio molliori complectitur.* Difficilis admodũ est Ambrosius sed preme illud: *gremio molliori complectitur.* An blanditiæ Patris creuerunt, & teneritudo amoris suauior erga Filium; quia ex crucis contumeliis ascendit? Certe, quasi delicatius gremium videtur à Patre Filio præparari, eo quod crucem ascenderat durissimam. Ab æterno Filius in sinu Patris tranquilla, & delicioſa quiete recumbebat; & delitiæ, quibus à Patre complectebatur augeri nequibant: Verum, cum ascendentem illum post crucis iniurias intuetur, ei delicatius gremium videtur, preparare. Quid ergo mirum, quod Christus reuerentiorem cultum exigat post crucem, quam ante illam? Et quid mirum, si nomen eius post crucem exaretur in adamante, cum ante illam incisum fuerit in lamina? Crux enim tantam Christo præbuit maiestatem.

ILLATIO CCXLVII.

Christi liberalitas nitidioribus radiis fulsit ex cruce.

35. MEritò ingratitudinis nota inureretur, qui Christi negaret liberalitatem erga homines: negare enim beneficium, pessimum est ingratitudinis genus. Sed vbinam nobis Christus contulit beneficia? Certe, in ligno crucis, in quo nostram consummauit salutem. Quamuis enim in decursu suæ vitæ tot opera egregia, quæ patrauit; vel vt altius dicam, lachrymula, quam recenter natus instillauit ex oculis, sat essent nostræ saluti, vtpote valore infinito ornata; tamen ex vi præsentis decreti vsque ad crucem consummata non fuerunt, quoad effectum nostræ redemptionis. In cruce ergo suæ liberalitatis thesauros aperuit. Aspice sacramenta, quæ peremniter gratiæ fluenta producunt; à cruce valorem, & efficaciam sumpsere: quia Christi merita vsque ad crucem non fuerunt consummata. Ex cruce ergo tota nostra salus: & ex ea Christi liberalitas confitenda. Deuotè satis hoc explicuit Petrus Damian. serm. 62. dum dixit: *scio, quia dulce vobis est, in principio erat Verbum; dulcius,* Petr. Dam. *Verbum caro factum; dulcissimum, Verbum in cruce suspensum.* Verbum in principio, id est, ante omnia, sibi erat: Verbum caro factum, nobis erat proficuum; at Verbum in cruce suspensum nobis dulcissimum: quia in ea suæ largitatis effudit thesauros.

36. Nec nos deserit. Idem Cardinalis Damianus: nam serm. 47. qui primus est de exaltatione crucis, expendens; cur Christus se permiserit crucis ignominiis? Respondet, ideo factum, vt suæ liberalitatis ostenderet propensionem. *Manus illæ* (inquit) *quæ fundauerunt* Petr. Dam. *cœlos extensæ sunt in cruce, clauisque transuerberatæ durissimis, vt manus tuæ extenderentur ad inopem, & dicere posses anima mea in manibus meis semper.* Sed non satis calleo mentem Damiani. Ait enim, ideo manus Christi confossas clauis in cruce fuisse extensas, vt manus nostræ extenderentur ad pauperem. At quæ connexio inueniri potest inter manus Christi extensas in cruce, & manus nostras; vt illarum exemplo has extenderemus ad inopem? Profecto, summa connexio. Ostendit Damianus Christum è cruce pendentem, eiusque manus extensas, insuper & clauis durissimis confossas, vt tibi patefaceret Deum liberalissimũ, cuius exemplo etiam & tu manus tuas extenderes ad pauperem. Aspice Dominum crucifixum, eiusque manus extensas intuere, & considera, quanto ardore te expectat extensis brachiis, vt intra sua viscera te repiciat. Quid amantius? Liberalius quid? Adhuc eius manus inquire: & inuenies eas transuerberatas, tum vt in eis beneficia non retineat, sed per clauorum foramina ad te perueniant: tum etiam, vt si forte velit eas claudere, vel comprimere, per eadem foramina beneficia, & dona relabantur, quasi non valeat ea retinere. Tanta in cruce fulsit liberalitate, vt audeam dicere (pia me excuset exaggeratio) Christum illic

illic neſciſſe retinere dona. Hoc exemplo nos inuitat Damianus ad eleemoſynam erogandam. Ergo recte conſonant inter ſe eius verba. Nam tam liberali ſtudio egenis eſt ſuccurrẽdum, ac ſi haberemus manus terebratas, & in eis nihil poſſemus retinere. Auarus non ſolum cor, ſed theſauros, & manus claudit, pauperem potius perire deſiderans, quam manus reſerare: vere laborat chiragra; nam ſi manus haberet confoſſas, quantumuis eas comprimeret, forſan per foramina aliquid erogaret. Non ſic Chriſtus: nam vt ſuæ liberalitatis tribueret efficax argumentum, confoſſas habet manus, vt exinde conſtet, nihil in eis poſſe retineri, vel abſcondi.

37. Non ignorabat cæleſtis ſponſa ſui amaſij liberalitatem cum accinit. Cant. 1. n. 3. *Oleum effuſum nomen tuum.* Aponius ibidem legit: *vnguentum effuſum nomen tuum.* Ac ſi diceret ſponſa: tanta liberalitate fulget meus ſponſus, vt vel eius nomen ſicut oleum diffundatur; vel ſicut vnguentum dum diffunditur, nemini eius negetur fragantia. Si autem quæras, quãdo huiuſmodi oleum omnibus præbuit lenitatem, aut quando tale unguentũ omnia perfudit odore? Reſpondet idem Aponius his verbis: *Introducto autem vnius veri Dei nomine per incarnationis myſterium recondito in corporeo vaſculo: quo fracto clauorum, & lanceæ ictibus odore eius notitiæ omnis fætor diabolicæ doctrinæ de toto mundo abſterſus eſt. Et illud magnum nomen, quod in ſolo populo Iſraël erat notum, per chriſmatis vnctionem nunc quaſi effuſo vaſe vnguenti in domo, tota domus repletur odore.* Ex Verbis Aponij noſtræ theſis non obſcuram deducemus confirmationem. Olim Deus ſolum in Iudæa erat notus. Pſalm. 75. n. 1. ab ipſiſque Iudæis veneratus, eiſdemque eximia beneficia extenſis manibus diſtribuebat: at poſtquam vas illud humanum, quod Verbum aſſumpſit, clauis, & lancea fuit confractum, tanta liberalitate refulſit, vt vniuerſo orbi gratiæ ſuæ dona liberaliter diſtribuerit. Eximium beneficium fuit Verbum æternum noſtræ mortalitatis aſſumpſiſſe miſeria: attamen tunc adhuc eius nomen in vaſculo corporeo erat reconditum: at confracto vaſe in cruce clauis, & lancea, tunc diuini olei liberalitas, & pretioſiſſimi vnguenti odor omnium præparabatur ſaluri. Ecce quomodo Chriſtus in ligno ſuam liberalitatem oſtenderit, cum nemo ſit, qui tantæ liberalitatis beneficia non experiatur, ſi velit.

Cant. 1. n. 3.

Aponius.

Pſal. 75. n. 1.

38. Memoriam è cruce pendens petit à Chriſto latro. Lucæ. 23. n. 42. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Cui ſtatim Chriſtus reſpondit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Miratur Chryſoſtomus Homil. 2. de cruce, & latrone in. 3. tomo. Et iure optimo in maximam rapitur admirationem: quia & ſi diligenter reuoluas vtrumque teſtamentum, neminem inuenies, ante hunc latronem, repromiſſionem meruiſſe paradiſi. Non Abraham, non Iſaac, non Iacob, non Moyſem, non Prophetas, non Apoſtolos. Geneſ. 12. Deus vocauit Abraham dicens: exi de terra tua, & de cognatione tua; non tamen ei promiſit paradiſum, ſed veni in terram quam monſtraue-

Lucæ. 23. n. 42.

ro tibi. Iſaac, qui typum Chriſti gerebat, & Iacob, qui cum ipſo Deo colluctatus eſt, & Moyſes, qui legem accepit, & audiuit alias promiſſiones: nullus tamen ante latronem paradiſi repromiſſionem audiuit. Hinc non erit inutile, quærere: cur Dominus latroni ante tales viros tanta promiſſio facta eſt? Profecto, quia latro opportune petiit, nempe non cum Chriſtus loqueretur è cœlo, ſicut Abrahamo, & aliis; nec ſicut Iſaiæ in gloria; nec ſicut Ezechieli ſuper Cherubim ſedens; nec ſicut Moyſi de medio rubi, nec tandem ſicut aliis Prophetis, ſed è cruce pendens. Audi Chryſoſtomum. *Iſte ergo* (ideſt, latro) *Vidit ſaluatorem non ſuper throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per angelos diſponentem: ſed in pœna ſociatum latroni videt in tormentis, & tanquam in gloria adorat.* Expende, quæ ſequuntur. *Videt in cruce, & rogat, quaſi in cœlis ſedentem: videt condemnatum, & regem inuocat, dicens: Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.* Eece mens Chryſoſtomi, Ideo in repromiſſione paradiſi tot viris meritorum dignitate præclaris præfertur latro; quia opportune petiit, tunc ſcilicet, cum Dominus pendebat è cruce: *videt in cruce, & rogat.* Tunc enim erat maxima opportunitas petendi: quia in crucem aſcenderat Dominus, vt ſuæ largitatis aperiret theſauros. Nemo tunc niſi latro aliquid à Chriſto petiit, ideoque plus, quam petebat adeptus eſt, quia cum largitas Chriſti demonſtraretur in cruce; benefaciendo latroni, quod Chriſtus deſiderabat inuenit. Merito ergo ſummus ſacerdos laminam auream, quę typus erat crucis, portabat in fronte; vt ſic diſceret, omnibus benefacere.

Chriſoſtom.

Illatio CCXLVIII.

Euchariſtiæ, & crucis expenditur connexio.

39. NOmen illud, *Tetragrammaton*, inciſum in lamina crucis erat typus, vt vidimus ex Petro Damiano relato ſupra n. 12. At hæc Euchariſtiæ etiã præferebat figurã. Nam in ſacro textu legimus: *ſanctum Domino*: pro quo eſt in Hebræo: *ſanctitas Domini*, in abſtracto ſignificate: quod eſt idem ac dicere: *ſanctiſſimum Domini.* Nam cum Hebræi careant ſuperlatiuo, ſæpe vtũtur aut abſtracto, aut cõcreto triplicato, vt ſuperlatiuum exprimãt. ſic dicere ter, *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, idẽ eſt, ac dicere, *Sãctiſſimus.* Abſtractus item ſuperlatiuum explicat. Sic Hiſpani, vt rem maxime albã explicemus, dicimus: *Es tan blanco, que es la miſma blãcura.* Non diſſimiliter putarem in præſenti, per ſanctitatẽ Domini Sanctiſſimũ Domini poſſe intelligi. At quis Catholicus cũ audit *Sanctiſſimum* abſolute, & per anthonomaſiam, non intelligit Auguſtiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, inquo latet ipſa Sanctitas Domini? Erat ergo in lamina illa ſub nomine *Iehouah* Crux, & Euchariſtia obumbrata: vt exinde colligas, quanta inter vtrũque myſteriũ ſit connexio, & ſympathia. In Euch. Chriſtus verus agnus immolatur, item etiam in cruce: diuerſo tamẽ modo. Nam in cruce effuſo eius cruore roſeo:

in

in Eucharistia in exemplo, & in imagine (vt loquitur Angelicus doctor S. Thomas 3. p. quæst. 73. artic. 1. in corpore) repræsentatiua passionis eius. Vide ergo, quanta sit inter vtrumque Sacramentum connexio.

40. Hoc confirmare sacris testimoniis non erit operosum. Aduoca huc purpurati vatis preces Dominum deprecantis. Psalm. 16. num. 9.

Psal. 16. n. 9. *Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie eorum, qui me afflixerunt.* Securitatem exoptans Dauid, ad vmbram alarum Dei tanquam ad firmissimum asylum confugit. At, prudentissime rex, si desideras latebris non hærere, & ab inimicorum insidiis vitam agere tutam, pete sicut sponsa petebat. Cant. 8. num. 6. *Pone me, vt signaculum super cor tuum:* in eo aduersariorum tela velut in arce positus retundere valebis. Quare ergo alarum vmbram desideras, vt ab inimicis eruaris? Cordate satis petit, respondet Ambr. lib. 4. Hexamer. cap. 5. quia sub alis Domini, hoc est, crucis, & Eucharistiæ clypeo protegebatur: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* (ait Mediolani lumen) *Vmbra quidem, quia corporis est: vmbra, quia crucis.* Mysteriis plena sunt verba Ambrosij. Verum vt tanti doctoris possis libare ambrosiam, perge mecum. Finge tibi Deum ex vtroque latere præditum alis; & ecce Dauidis intentum. Cupiebat rex alarum Dei vmbraculo operiri, quia vt Deus suis alis eum protegeret, extendere eas, necesse erat, qua forma crucis figuram delineabat, vt de auibus cecinit etiam S. Paulinus epist. 42. dicens:

Cant. 8. n. 6. Ambros. Paulinus.

Vtraque regni cælitum mysteria
Multa loquuntur alites:
Sacrum potentis explicant instar crucis
Suspensa pennis corpora.

En ergo Dauidis scopus. Volebat sub Dei alis abscondi, iudicans ab inimicis sic fore securum: quia in crucis arce muniebatur, simulque Christi corporis defendebatur munimine. Nunc intelliges Ambrosium dicentem: *Vmbra quidem, quia corpus est; vmbra, quia crucis.* Vbi aduerte Dauidem vix inuenire posse crucis præsidium sine Christi corporis adminiculo. Ex quo haud difficile erit agnoscere inter crucem, & Eucharistiam indissolubilem nexum.

41. Hanc protectionem vtriusque mysterij anxie desiderabat sponsa Cant. 2. num. 6. cœlestis sponsi honestos inhians amplexus, dum

Cant. 2. n. 6. dicebat: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* At cur tanto ardore desiderat hos amplexus? Apertius sui amoris præberet insigne, si obuiam exiens sponso, complexu suo diu eum teneret tenerrime: cur è contra ipsa amplexari desiderabat? Quia sic crucis, & Eucharistiæ habebat imaginem. Crucis: quia cum sponsus eam amplecteretur, necessario brachia extendebat: Eucharistiæ etiam habebat specimen, nam cœlestis sponsi fruebatur corpore. Ecce sponsæ desiderij scopus: crucis, & Eucharistiæ æstuabat desiderio, & sic fruens fauore crucis, etiam corporis Domini amplexu frui debebat.

42. Huius nexus, quo inseparabiliter crux, & Eucharistia connectuntur, non semel sacrum oraculum facit memoriam. Celeberrimum extat Genes. 18. quando Dominus apud Abrahamum hospitaretur. Tanti hospitis alacritate perfusus sanctus Patriarcha angustum iudicauit tabernaculum; quamobrem mensam sternit sub vmbra cuiusdam quercus, quæ in conualle Mambre radices extenderat: sic dissertis verbis Augustinus serm. 70. de tempore, & noster Tostatus ad c. 18. Genesis. Præcipuum huius conuiuij ferculum vitulus saginatus lenocinium erat gustui. *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Ibid. num. 8. Inquiro: cur si tam officiose Patriarcha tantum hospitem desiderabat tractare, iussit, mensam sterni sub illius arboris vmbra? Si procul abessent à tabernaculo, toletari posset, & vmbra illius quercus esset desiderabilis, præsertim cum referat sacer textus eum accidisse in ipso feruore diei: tunc enim aliquo perfrui vmbraculo, quod solaribus radiis resisteret non esset iniucundum, sed æstimabile videretur, at cum iuxta tabernaculum essent, in quo maiori magnificentia tantus hospes posset excipi, nescio ob quem finem sic disposuit Abraham. D. Isidorus in quæstionibus in Genes. cap. 14. nobis aperit mysterium, & soluit nodum, his verbis: *Iste autem vitulus tener saginatus Domini Iesu Christi est corpus. Hic est vitulus Domini, qui propter salutem credentium ad arborem crucis est immolatus.* Et statim addit: *Sub arbore eos sedisse passionis Dominicæ erat signum.* Nec inurbanus, nec improuidus fuit Abraham, cum Deus apud eum hospitaretur, eo quod triclinium sternit sub vmbra quercus, & non intra ambitum tabernaculi: quia vitulus ille, qui præcipuum ferculum erat conuiuij, Christi corporis in Eucharistia latentis typum gerebat. Quercus itidem, sub cuius vmbra mensa à solaribus radiis erat immunis, crucis præsignabat lignum: in quo innuebatur; non solum cibum Eucharisticum saporem recepisse à cruce, verum etiam vix Eucharistiam sine cruce posse consecrari.

Gen. 18. n. 8. August. Abulens. Isidorus.

43. Expressit hoc, ni fallor cœlestis sponsa cum Dei amore saucia dicebat. Cant. 1. num. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas vbi cubes in meridie.* Sed ad quid quærit sponsa meridianâ quietem sponsi, & locum, in quo pascit? Aut quid denotat illud, *Vbi pascas, vbi cubes in meridie?* Philo Carpath. ibid. rem hanc sic explicat. *Hoc est: de hora sua nescis, quam passionem vocat, quando ab hora sexta ad nonam vsque tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Sed adhuc vrget difficultas: nam tametsi Christus in cruce requiem inuenit, vtpote alacri animo eam ascendit, vt nos à peccati iugo liberaret; in cruce nullum nobis præbuit alimentum. Quî ergo Philo non dubitauit asserere, in cruce Christum requieuisse, & hominum famem saturasse? Nos pauit in Eucharistia, cum corpus in edulium, sanguinem in potum nobis dedit. Ergo melius diceretur, recubuisse in cruce, pauisse in Eucharistia. Cur iste auctor, vtrumque in cruce præstitisse, asseruit? Aptissime. Quia crux, & Eucharistiæ cibus ita connectuntur, vt idem sit cruci tribuere hominum alimoniam, ac Eucharistiæ designare.

Cant. 1. n. 7. Philo Carp.

44. Pane de cœlo præstito non solum alimo-

niam, sed indulgentiam Deus populo Hebræorum præbuit in deserto, vt constat. Exod. 16. num. 14. Numer. 11. num. 7. Psalm. 77. n. 24. Sapien. 16. num. 20. & Ioan. 6. num. 31. Hoc expendens Iosephus lib. 2. antiq. cap. 1. refert rem non vulgarem audi eum. Iosephus. *Dum Moyses precabundus palmas attollit, ros de cœlo delabitur, qui cum manibus concreuisset, suspicatus ille à Deo demitti, degustat, ac mox degustatam aliis offert, vt experti crederent.* Duo de Manna refert Moyses; imo multa non inutilia docet, si vera sunt, quæ narrat. Prius Moyses rorem in manibus recipiebat, & in eis concrescens fiebat Manna: quia quod minister accipit ad vtilitatem Reipublicæ, & pauperum miseriam subleuandam, dummodo apud se non retineat illud, sed eroget, crescit, & fit Manna, id est, omnibus, & ad plura deseruit. Rursus: denotatur per hoc, munditia manuum Moysis: quia tametsi totius populi alimentum reciperet, nihil eius manibus adhæsit: & propter hoc putarem etiam ex rore creuisse in Manna. Sed ad rem nostram examinemus sententiam Iosephi. Inquiro: cur Deus, cum tribuit populo tanta largitate alimoniam, vult, vt Moyses precabundus brachia extendat, & palmas attollat versus cœlum? Dicam. Manna, vt communiter patres sentiunt, Eucharistiæ præcessit typus: insuper Moyses brachia extendens versus cœlum, & palmas attollens crucis ostentabat insigne: in quo aperte innuebat, Eucharistiæ conuiuium cum ligno crucis sic connecti, vt vel in vmbra & figura, ab illo nequeat separari. Nec ob aliud asseruit Guillelmus Durandus in suo Rationali in Guill. Durãd. explicatione diuinorum officiorum cap. 46. Sacerdotes toties in Missa ante, & post consecrationem crucis signa formare: vbi etiam notat, Canonem Missæ à cruce exordium habere: audi eius verba. *Te igitur clementissime Pater*, &c. *Incipit à littera* T. *tau, quæ in modum crucis effecta est, quoniam per Christi passionem hæc in cruce sunt completa, habentque suam efficaciam.* Consonat etiam quod refert Iustinus martyr in dialogo cum Triphone, & Iustinus. Apolog. 2. vt refert Suarez tom. 2. in 3. p. quæst. 46. artic. 4. in comment. in fine, nempe Suarez. agnum illum typicum ab Hebræis veru ligneo instar crucis formato ad ignem versari. Liquet ergo ex his quanta inter crucem, & Eucharistiam sit connexio.

ILLATIO CCXLIX.

Crux, sicut Eucharistia, mors est malis, vita bonis.

45. EVcharistia, & crux non solum connexæ sunt (vt vidimus præcedenti illatione) sed etiam in suis effectibus patrandis valde similes. De Eucharistia canit Ecclesia: Ecclesia. *Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.* Idem de cruce non temere affirmare possumus Hoc innuebat Drogo Hostiensis lib. 1. de Sacramento Dominicæ passionis, Drogo Host. cum dixit: *Crux impiis formidolosa; piis autem super omnia ligna paradisi gratiosa est.* Formidolosa est impiis, quia mortem; gratiosa iustis, quia vitam annunciat.

Vtrumque effectum eleganter explicuit Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa c. 12. expendens quanta benignitate mare rubrum excepit Hebræos, siquidem in eo viam sine impedimento, & campum germinantem inuenerunt, & Ægyptij miseram infælicitatem, vt refertur. Exod. 14. Vndequaque fugitiuus populus circunseptus erat; hinc ab Ægyptiis persequentibus; illinc ab vndis præcludentibus viam: clamat tunc Moyses à Deum, exauditur, & à supremo numine instructus virga percutiens aquas, diuisit mare, & apparuit iter floribus, & amænitate plenum. *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaque est aqua.* Exod. 14. num. 22. Ecce mirabile: audi euentum. *Ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextera eorum, & læua.* Ibi num. 22. Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos. Quid inde? *Reuersaque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis.* Vide, quam dispar sit exitus: filij Israël ingressi per medium sicci maris, siccoque pede transmeantes portum securum inuenerunt: at Ægyptij è contra in mari submersi sunt. Cur ita? Cruci hæc attribuit Damascenus citatus dicens. *Idem etiam indicarunt, & virga Mosaica in crucis figuram efformata, ac mare feriens, atque Israëli salutem afferens, ac contra Pharaonem aquis mergens.* Crux ipsa in virga Moysis effigiata diuersos patrauit effectus: nam Israëlitis fuit causa salutis; Ægyptiis autem perditionis. Expressius docuit id Origenes homil. 3. in Psalm. 36. his verbis: *Quemadmodum ad rubrum mare venerunt Hebræi, venerunt & Ægyptij. Sed Hebræi quidem transierunt mare rubrum, Ægyptij autem demersi sunt in ipso. Hoc modo nos siquidem Ægyptij fumus, & sequimur Pharaonem diabolum, præceptis eius obedientes, demergemur. Si autem fumus Hebræi & sanguine agni immaculati fumus redempti, si non poytamus nebiscum fermentum nequitiæ, erit aqua murus dextra, lænaque.* Hebræis, hoc est, illis qui Deo seruiebant, virga illa præstitit salutem, & securitatem: Ægyptiis vero, hoc est, impiis vertitur in damnum, & mittit in profundum. 46. Exod. 14. n. 21. Ibid. n. 22. Ibid. n. 28. Damascen. Origenes.

Expende amplius huius virgæ vicissitudines, si crucis effectus explorare desideras. Non semel hæc virga in serpentem transmutata legitur. Nam Exod. 4. num. 3. de ea dicitur: *Proiecit, & versa est in colubrum.* Exod. 7. n. 10. Idem præstitit Aaron coram Pharaone: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Et ibidem num. 12. cum malefici, & incantatores Ægypti virgas suas conuertissent in dracones: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Ecce quomodo hæc virga modo est coluber, modo virga. Contra Ægyptios serpens, qui deuoret in manu Moysis, & Aaronis baculus, qui sustentet, & consoletur; iuxta illud Psal. 22. num. 4. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Sed cur hæc virga alternat has vicissitudines, & Moysi, & Aaroni præbet solatium; Ægyptiis vero 47. Exod. 4. n. 3. Ibid. 7. n. 10. Ibid. n. 12. Psal. 22. n. 4

vero terrorem,& pœnam? Quia in crucis figura efformata erat, vt vidimus ex Damasceno numero præcedenti. Ægyptiis terrorem incussit, vt pote vitiorum pelago submersis : Moysi vero, & Aaroni Dei sacerdotibus solatium, & tutelam præstitit. Quid aliud præstat crux ? Iustis bona largitur, impiis vero terrorem, & mortem incutit.

48. Nec prætermittendi sunt duo alij effectus huius virgæ inter se satis oppositi. Plectebatur plagis Pharaonis durities. Prima fuit,quando Aaron ministerio virgæ fluenta Nili conuertit in sanguinem. Exod.7.n.20. *Et eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.* Hac virga adiutus à Nilo vsque ad desertum Raphidim proficiscere,ibique Israëliticum populum inuenies siti oppressum,& contra Moysem obiurgantem : sed Dominus seruum suum consolabatur his verbis. *Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël, & virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo tibi coram te supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israël.* Ecce quomodo virga, quæ in Ægypto aquam conuertit in sanguinem, in deserto aquam hausit ex rupe. Quis cum Moysem videret petram virga percutientem, aquam speraret ex silice ? Quis non timeret, cruorem exhauriendum ex rupe ? At si attente consideraret, virgam esse crucis figuram, aquæ spem non amitteret, quamuis apud Ægyptios aquam in sanguinem conuertisse, recordaretur. Aut quid mirum fuit, virgam Hebræis, Dei populo electo aquam ministrasse, quæ Ægyptiis sanguinem propinauit ?

Exod.7.n.20.

Exod.17.n.6. & 7.

49. Lapidem pro puluinari strauit Iacob, & itinere fatigatus dormiebat. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Notanter expende Angelos contrario motu ascendere, & descendere per scalam. At quinam sunt isti Angeli, qui descendunt, & ascendunt ? Eadem est scala, & tamen aliis præbet ascensum descensum aliis. Qui ascendunt, Dominum inueniunt innixum scalæ, ac proinde fælices sunt: qui descendunt, discedunt à Deo. Proh quam infausti ! Quare ergo eadem scala ascendentibus summam parat fælicitatem ; descendentibus summam miseriam ? Diuus Hieronymus tom.7. in Psalm. 91. hanc reddit rationem: *Ego puto, crucem saluatoris istam esse scalam, quam Iacob vidit. In ista scala, hoc est, cruce, descendunt Iudæi, & conscendunt Gentiles.* Quasi diceret : Quia scala ista crucis gerebat figuram, diuersos præstat effectus : nam Angelis descendentibus, hoc est, Iudæis, vtpote à Deo recedentibus, fuit scandalum : Angelis autem Deum quærentibus, hoc est, Gentilibus, via regalis est, quæ ducit ad supernam illam fælicitatem. Est ergo Crux bonis gratiosa, formidolosa malis.

Gen.28.n.12.

Hieron.

ILLATIO CCL.

Christus in cruce gloriam sub specie iniuriæ ; & in Eucharistia æterna bona sub velamine temporalium elargitur, vt eo ingenio ad æterna nos alliciat.

SEmper querimur,quia desideria nostra non adimplentur, nunquam tamen de nobis conquerimur, qui desideriis obices apponimus. Pauci sunt qui bene desiderant, cum multi desideriis variis ardeant. Et cur paucos apello ? Omnes prauis desideriis afficimur. 50.

Hanc nobis protoparentes reliquerunt hæreditatem, cum Dei mandato non obsequentes contra seipsos, & totam posteritatem iniquo arserunt desiderio. Viderunt arborem fructu pulchertimo onustam, & cum perpetuæ vitæ sibi putauere comparare durationem, mortis improuidæ infælicitate perierunt : cum fælicitatem desiderabant miseriam summam adepti sunt ; quia à recto desiderio aberrarunt ineptè. At quisnam tot damna humano generi contulit ? Profecto, Angeli mali inuidia, qui iniquo desiderio à culmine suæ conditionis miserè in barathrum præcipitatus est, sibi persuasum habens hominem etiam præcipitio daturum,si contra regulam à Deo præscriptam desideraret. Sed Proh dolor ! Parentes nostros fefellit homicida ille,& sub pomi pulchitudine venenum eis, & nobis propinauit. Cecidit homo, qui cum puluereus esset, in puluerem redactus,puluere Dei imaginem abolenit,quam Deus in eo obsignauerat. Videns ergo Deus hominem misere à propriis illudi desideriis, quippe semper bonum fugiens malum desiderat, disponit, amore nostro saucius, bonum sub specie mali homini proponere,vt sic velut à propria fælicitate deceptus consequatur bonum, cum malum conatur attrahere. In arbore, & esca putans omne bonum inuenire, omne malum adeptus est. Quid tunc Deus ? Vt hominem in integrum restitueret, aliam arborem ei proposuit pretiosiori fructu affluentem, per quam à tot damnis immunis omnium bonorum inueniat compendium. Nam si homo ab incunabulis pronus est ad malum inquirendum ; optimè Deus sub mali specie bonum homini proponit, vt eo ingenio hominem restauret. 51.

Serpentes igneos olim misit Deus in populum, vt linguæ noxa,linguæ supplicio mulctaretur. Conteritur populus, orat Moyses, cui Deus dedit oraculum. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum,viuet.* Numer 21. num.8. Mirum sane remedium ! Visus aspidis, æneique serpentis medetur aspidis morsui. Sed qui fieri potest, vt sanet visus, quod rabidus dens momordit? Incognitus in Psalm. 106. In serpente æneo æternum Verbum delitescere asserit, dum dixit : *Verbum,quod Deus misit, fuit serpens æneus, quem fieri præcepit. Saluauit ergo eos de interitionibus eorum, id est, à morsibus : quia abstulit serpentes, quibus illi percussi moriebantur, ac percussos ad mortem intuitu serpentis sanauit.* 52.

Numer.21. n.8.

Incognitus.

Mirum pharmacum! Vel in Chriſtum intuitus à morte liberat. Sed adhuc vrgeo. Cur ſub ſerpentis figura deliteſcit Verbum ſuos ſpectatores ſanaturum? Aut quis in id intuitum figere audebit ſerpentina effigie obumbratum? Depone, Deus clementiſſime, ſerpentis laruam, vt ſalutis auidi ad te accedant. Cur ad ſanandum, plagæ veteris effigie? Profecto, quia medicinam oculi conficiebant ſerpentem æneum aſpicientes. A ſerpentibus ignitis percuſſi deperibant. Hebræi: ſerpentis ergo ſimulachro ſanitatem, & remedium adſcripſit Deus, illorum hominum percallens propenſionem. Serpentes ignitos fugiunt, quia nocent: ſerpentem æneum quærent, non quia medellam offert, ſed quia nocentium ſerpentum refert imaginem. Summa ergo arte Deus eorum prouidit neceſſitati; nempe remedium tribuens, ſub imagine illius, qui damnum intulerat, vt ſic homines feliciter decepti ab ipſa medella remedium inueniant damni.

53. 2. Ad Corinth. 4. num. 17. totus eſt Paulus in exhortando Corinthios, & in eis omnes fideles Eccleſiæ, vt conſtanti animo, & alacri vultu ærumnas, miſerias, & labores huius vitæ patiantur propter beatitatem: verum vt eorum animos erigat ad æterna bona appe-

2. Ad Cor. 4. n. 17. tenda ſic eos alloquitur. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* O Corinthij (ait Paulus) Corona mea, non ignoro, vobis vitam hanc moleſtam eſſe, vt pote ærumnis, & calamitatibus plenam, tum in vita, tum in bonis, tum in honore: nec obinde animi patiamini deliquium, cum maiora multò pro his vobis expectant bona. Momentaneum eſt, quod toleratis nunc; æternum, quod ſperatis: pennis leuius, & capillis ſubtilius debetis reputare, quæ ſuſtinetis, ſi gloriæ quam ſperatis, comparetur. Eſt ne maius lucrum, & vſura vtilior, quam temporali, & momentaneo labore requiem æternam lucrari? Quis his auditis non excitatur ad patientiam? Quis labores ingi ſtudio non quærit? Quis ſtadium refugit, & ſpernit arenam? Putabis ne, tibi paruum lucrum comparare, cum ærumnas huius vitæ patienter toleras? Niſi deceptus minimè: nam ſi rem attentè conſideres; erumnæ, labores, infortunia calculi ſunt æternæ vitæ, & bonorum, quæ Deus diligentibus ſe præparauit. Putabis etiam parum perdere, cum labores contemnens, eos toleras impatiens? Deciperis, gloriam amittis, cuius labores ſunt calculi. Ideoque (ait Apoſtolus) Corinthij, magni facite labores; quia illis emitis gloriam: Magnum hîc afflictis Paulus præbet ſolatium. ſed animaduerſione dignum eſt, quod quando Apoſtolus Corinthiorum animos ad ſpem erigit, & ad ſupernorum bonorum excitat deſideria, gloriam appellat onus æternum:

Syriac. Magiſt. ſent. *æternum gloriæ pondus.* Seu vt eſt in Syriaco: *Infinitum gloriæ pondus.* Velut Magiſter ſententiarum ibidem legit: *Immenſum gloriæ pondus.* Peregrinus viderur hic ſermo Pauli: præſertim quia cum de laboribus loquitur, eos appellat leues, momentaneos, & eis gloriam contra ponens, grauem, & incomportabilem vocat: *Æternum gloriæ pondus.* Quid ais Doctor Gentium? Videris gloriæ ignorare naturam. Nonne gloria eſt illa ſumma fælicitas, & requies illa fælix, qua Dei electi fruuntur, diuinum vultum intuentes reuelata facie, & vt eſt in ſe? Ita ſane. Ergo gloria nulli moleſta poteſt excogitari. Quomodo ergo Paulus gloriam appellat æternum pondus? Nec doctiſſimus Caietanus euacuauit difficultatem imo eam auxit, hæc verba Pauli expendens, dum dixit: *Metaphora coactus eſt Paulus vti.* Sed ad quid iſta metaphora? Vt Corinthios alliceret ad gloriæ deſiderium. Verum ſi amplius mentem Caietani examinemus violenta videbitur eius expoſitio: quia gloria omnium noſtrarum actionum eſt finis, deſideriorum noſtrorum centrum, curarum noſtrarum quies, ſolamen malorum, cui huius vitæ miſeriarum plenæ committimus leuamen. Ergo gloria nullam moleſtiam continet. Quomodo ergo Apoſtolus eam appellat æternum pondus? Fateor, (& in hoc nulli dubio locus relinquitur) bona illa æterna, quibus beati fruuntur in æterna beatitudine, & quæ, dum in hac vita degimus, deſideramus, ſummam eſſe animæ quietem, quia continent ſummum bonum, quo fruuntur beati ſine anxietudine, & ſine timore amittendi illud: ſed quia ſcopus Apoſtoli erat, nos allicere ad tanti boni deſiderium, qui tanta propenſione malum amplectimur; ſibi viſum fuit, expedire hanc gloriam, fælicitatem hanc, quæ eſt omnium bonorum compendium, ſub ſpecie ponderis, & moleſtiæ proponere; qua ſi ſic diſcurreret: ſi hominibus ſub ſpecie boni gloriam propono, quæ corona eſt laborum, & ſub ſpecie gloriæ, reſpuent illam, quia malunt ſuam infælicitatem. Quid ergo agam, vt tantum bonum admittant (inquit Paulus) & labores mei, & ſolicitudo aſſidua, quibus ſalutem hominum procuro, non fruſtrentur? Nihil aptius quam hanc gloriam appellare moleſtiam, & hanc dulcedinem ineffabilem ſub ſpecie oneris proponere, vt ſic velut à propria fælicitate decepti, eam deſiderent, & putantes malum proſequi, conſequantur bonum.

Caietan.

Mirum eſt, quod refert Ioannes Apocal. 4. num. 8. de illis quatuor animalibus, quæ ſtabant ante thronum Dei: *Requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Multi, & non infimæ notæ interpretes per hæc animalia quatuor Angelos magis præcipuos, quibus Deus fidelium, & Eccleſiæ curam commiſit intelligunt. Ita Tirinus ad hæc verba, & Menochius ad cap. 1. Ezechiel. Alij, inter quos annumero Hieronymum Rupertum, Richardum, & plures alios, aſſerunt hæc animalia eſſe Cherubinos, quos vidit Ezechiel. Hinc non leue dubium reſurgit. Nam ſi hæc animalia ſignificabant Cherubinos; ergo fruebantur viſione clara Dei, vel ſumma fælicitate. Quomodo ergo Ioannes aſſerit, requiem non habere die, ac nocte? Labores, ærumnæ, anxietates temporalis vitæ ſunt prouentus, quæ eſt, aut continua tentatio, aut diuturna militia: in patria nihil horum eſt, ſed ſumma quies, & poſſeſſio ſummi boni: ergo illi

54. Apoc. 4. n. 8.

Tirinus. Menoch. Hieron. Rupert. Richard.

illi Cherubim non erant inquieti. Quare Ioannes contrarium asserit? Non me latet præfata verba Ioannis, sonare secundum sensum litteralem, incessantem celebritatem diuinarum laudum, vt Ambrosius, & Augustinus etiam in illo celebratissimo hymno explicuere dicentes: *Tibi Cherubim, & Seraphim* August. Ambros. *incessabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Vnde requiem non habere die, ac nocte idem est, quod incessanter illo Trisagio Dei maiestatem celebrare. Sic exponit Estius ibidem in Biblia magna. Item in phrasi scripturæ, *requiescere*, sonat, ab aliquo opere feriari: vnde de summo opifice dicitur: *Requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Gen. 2. n. 2. Genes. 2. num. 2. Hæc si litteræ rigorem inspicias: attamen ad mores non erit violentum, per ly, *requiem non habebant*, inquietudinem intelligere. Sed adhuc supereſt enodandum: cur gloria, & summa fælicitas sub hoc attributo describatur à Ioanne? Quia hominibus eam appetendam proponebat. Vt ergo eos inuitaret, ad eiusdem efficacissimum desiderium, sub nomine sollicitudinis, & curæ eam proponit sciens homines ardenti desiderio, & flagrante studio ea, quæ anxietatem inferunt desiderare. Sic enim veraciter, & pie homines decipiebat, vt eo stratagemate æternam tranquillitatem acquirerent, putantes temporalem inquietudinem comparare. Ita insipidum est desiderium nostrum, vt necessum sit, æterna sub specie caduci, & temporalis, & bonum sub mali velamine obtegere, vt appetantur.

55. In crucis ligno hæc expressa videntur. Audi Dominum Iudæos alloquentem. *Et ego si* Ioan. 12. n. 32. *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioan. 12. num. 32. Id est: cum ego in cruce brachia extendero, omnia mihi conciliabo. Sed, O bone Iesu! Qui omnia trahes ad te pendens è cruce, velut è supplicio? Aut quomodo te Deum fatebuntur homines si ignominiosa morte vitalem exhalas spiritum? Quos à te homines expectabunt honores, si te contumeliis, & opprobriis spectant plenum? Quam vitam, si te animum agere, & mittere spiritum conspiciunt? O quanto ingenio Christus vota, & desideria nostra aucupari vult? Nos frequenter, vel fere semper, non optimum, vel quod non expedit desideramus, imo sæpius nostrum fallitur desiderium. Multoties toto conatu, & indefessis viribus aliquid cupimus, quod si consequeremur forsan non duceret in ruinam, & præcipitium. Fallitur ergo sæpe sæpius desideriumnostrum, nam regulariter non appetimus honestum, sed delectabile: vnde necessum est, quod malum sub apparenti, & fictitia bonitate desideremus, & è contra bonum, ac si esset malum, refugiamus; & sic malum possidere contingit, cum ardemus boni desiderio. Hæc cum Christus ante oculos haberet, in crucis ligno nobis bonum sub mali specie, honorem sub ignominiæ velamine, & vitam sub mortis horrore proposuit: vt videns homo in cruce mala, ignominias, & mortem, & desiderans illud quod præbet crux, inueniat honorem, vitam, & bona. Perbelle notauit hæc Leo Magnus sermon. 8. de passione Domini post medium. *Crux tua*, inquit, *omnium fons benedictionum,* Leo Magn. *omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Offert in cruce Christus inter infirmitatem virtutem, inter opprobria honores, vitam inter mortis suspiria. Quid in cruce apparet est mors, opprobrium, deliquium, vt hæc nostra desideria alliciant, & inopina felicitate vitam, virtutem, & gloriam consequamur.

Hoc ingenio etiam nobis Eucharistiæ elar- 56. gitur gazas. Ibi enim nobis corpus suum in cibum, & sanguinem in potum liberali, & extensa manu impertitur, vt æterna vita fruamur. Insuper suammet vitam communicat: Itidem animam, diuinitatem attributa, & perfectiones, & vt vno dicam verbo, quidquid Deus habet. Sed, bone Deus, cur absque velamine, & reuelata facie hæc bona non elargiris, vt ea homines, tanti lucri anxij inquirant diligentius? Satis prouide hæc dispositit. Oportuit namque vt omnia hæc sub mysterio, & Sacramento, sub velamine, inquam, specierum distribueret Christus, vt sic homo à sua fælicitate deceptus sub specie panis æterna bona reciperet. Panis videtur, sed panis non est, sed corpus Domini: *Caro mea vere est* Ioan. 5. n. 55. *cibus.* &c. Ioan. 6. num. 55. si visum consulas, vinum apparet, quod in calice bibitur: attamen sanguis est Christi, non vinum: *Et Sanguis meus vere est potus:* in specie panis, & vini Corpus, & sanguinem suum, & quidquid Deus est, nobis confert Christus. Scit enim Christus, quantum in boni prosecutione, ab illa arbore paradisi homines aberrant; æterna bona ideo sub habitu temporalium dispositit elargiri, vt homo ardentius ea desideret. Fruere verbis Gregorij Magni homil. 36. in Euangelia: *Sed si adhuc carnales estis carnales adhuc* Greg. Magn. *epulas inquiritis. Ecce ipsa carnales epulæ in spirituale vobis alimentum conuersa sunt. Ad abstergendum namque mentis nostræ fastidium in cœna Dei ille vobis singularis agnus est occisus.* Liquet ergo Christum tam in cruce, quam in Eucharistia honorem sub specie ignominiæ, diuitias, & bona sub velamine paupertatis, & & vitam sub horrore mortis liberaliter impertire, vt sic homo propriæ fælicitatis ignarus, cum prosequitur temporale, inueniat sempiternum.

Illatio CCLI.

In cruce, & in Eucharistia gloria merendi, & fælicitas comparandi connectuntur, vt sic hominem complete fælicitarent.

IN lamina aurea summi sacerdotis crucis, & 57. Eucharistiæ typus exprimebatur, non casu, sed summo consilio factum iudico: ideo scilicet, vt merendi excellentia comitaretur comparandi fælicitatem. Quod sic explico. Inenarrabilia sunt beneficia, quæ Christus nobis in cruce contulit. In ea diaboli seruitute nos eripuit; & affluentem auxiliorum copiam promeruit, quibus possemus per singulas oc-

casiones operari,& æternam consequi salutem, nisi sic infæliciter simus prodigi,vt respuamus tanta beneficia: & vt vno verbo dicam; in cruce nobis meruit gratiam, & gloriam. Præterea: si bona, quibus nos cumulat in Eucharistia, considerabimus, maxima etiam inueniemus beneficia: In hoc ineffabili Sacramento, corpus, sanguinem, animam, diuinitatem, & quidquid Deus est, nobis Christus confert. Notaui sæpius, in sacra pagina vix crucis vmbram referri, quin etiam Eucharistiæ referatur typus. Aspice lignum vitæ in paradiso germinans, & in eo crucis inuenies vmbram; inuenies etiam fructum vitæ tribuere, vt Eucharistiæ cibum designaret. Intuere Seraphinos Isaiæ, & in eorum alis effigiatam videbis crucem supra thronum positam, in quo Dei altare figurabatur, vbi verus agnus offertur. Cherubinos arcæ non obliuiscaris, & in alarum eorum nexu crucis videbis figuram, qui cum supra propitiatorium haberent situm,Eucharistiæ, præsignabant mysterium. E contra etiam vix in veteri testamentoEucharistia præsignatur sine consortio crucis figuratæ. Agnus ille tanti Sacramenti celebris vmbra in veru instar crucis torrebatur. Manna cœlestis huius cibi præludium, prius per Moysis brachia instar crucis eleuata, & extensa conferebatur, vt diximus in hoc versu num. 44. Tandem Christus, vt hoc Sacramentum institueret panem benedixit: Matth. 26. num. 26. & non immerito hæc benedictio facta fuit formata cruce in aëre, vt ad eius exemplum oblata benedicunt sacerdotes, &c. Quid ergo denotat tanta connexio inter crucem, & Eucharistiam? Certe, voluit Christus connectere merendi excellentiam, quam in cruce fuit consecutus cum fælicitate possidendi tot, & tanta beneficia in hoc admirabili Sacramento. In breui illo circulo specierum latet thesaurus omnium gazarum Dei: at earum meritum in ligno crucis consummatum fuit. Vt ergo Christus, nos, qui cibo Eucharistico fruimur,completè, & perfectè fælicitaret; merendi excellentiam, quam consumauit in cruce, Eucharistiæ thesauro adiunxit, vt summæ huic fælicitati, adderet meriti excellentiam, & sic ipsam fælicitatem fælicitaret:

58. Adamum creauit Deus, vt totius orbis teGen. 1. n. 26. neret imperium: *Faciamus hominem ad imaginem,& similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Genes. 1. num. 26. Prius diademate regio redimitur Adam,quam vita fruatur. In eodem Throno constituitur à Deo Noëmus, vt docet Ambros. lib. de Noë,& arca cap. 24 exponens illa verba Genes. 9. num. 2.

Ibid. 9. n. 2. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ,& super omnes volucres cœli.* Vbi sic

Ambros. Ambrosius: *Supra terrena omnia constituit eum Deus* (loquitur de Noë) *sicut & illum ad imaginem Dei factum.* Vide quomodo ex mente Ambrosij eodem imperio potitum fuisse Noëmum,sicut Adamum. Perge,& inquire: Vtrum Adami imperium præponendum sit regno Noëmi. Pro Adami corona suffragari videtur fælix ille status innocentiæ, quo fruebatur in paradiso. Nam ibi tranquillam vitam habebat deliciis plenam, molestiis immunem. Illic dominabatur ratio,& passiones carnis velut compeditæ, aut sepultæ contra rationem non audebant, concitare bellum. Omnibus his caruit Noëmi imperium. Ergo fælicius fuit regnum Adami. Verum si rem hanc profundius considerabimus, & verba Ambrosij expendamus medullitus,absque dubio pro imperio Noëmi ferenda est sententia. Aures præbe iterum Ambrosio inter vtrumque regnum discernentem: *Ille* (idest Adamus) *qui ita generatus est, vt nihil terreno deberet contagio: iste* (idest Noë) *qui & in periculis fuerat approbatus, & examinatus in passionibus, & repertus, quod in confusione non fuisset obnoxius passioni.* Quasi diceret: non abnuo, Adamum in illo fæliciſſimo statu potitum imperio ab omni perturbatione libero: in quo nec hostes, nec belli insidiæ eius turbabant animum; sed summa tranquillitate fruebatur. At Noëmi regnum à periculis sumpsit exordium, discrimina fuderunt illi coronam; denique cum omnis caro corruperat viam suam,solus Noë iustus,fidelis,& timens Deum probabatur. Ipse diuinæ fidens misericordiæ arcam construxit, quæ fuit viuentium seminarium, & securus se commisit vniuersali inundationi. Propter hæc egregia facinora,& singulares virtutes ad regni fastigium euectus fuit. Adamus autem non acquisiuit regnum egregiis facinoribus, sed in illo conditus est à Deo, & coronam hæreditatis titulo, non dignitate meritorum acquisiuit. Ergo glorioſius, & excellentius imperium obtinuit Noë, quam Adam: nam Noëmi purpura,non fuit hæreditatis colore tincta, sed meritorum sanguine purpurata: Imperium enim,ad quod meritorum gradibus ascenditur, excellentissimum iudicatur.

Noë adhuc sistit discursus. Ausim dicere, 59.
ipsam gloriam, quæ summi boni possessio est, & summa fælicitas, si absque meritorum ornamento adipiscatur, lachrymas, & planctum excitare. Adest Matthæus cap. 2. num. 17. prodigium illud pulchritudinis Rachelem introducens, quæ Iacobi honestum meruit amorem, plorantem sanctorum infantum ab Herode impio occisorum immaturam mortem.

Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filos suos, & noluit consolari, quia non sunt. Matth. 2. n. 17. Omitto varias expositiones litterales huius textus; & hæreo illis verbis: *Et noluit consolari,quia non sunt.* Rachel omne solatium excludit, nec lachrymas vult abstergere ab oculis suis, quia infantes illos prius gladius inuenit, quam vita. Dicerem tamen (salua pace tantorum virorum,qui ploratum, & vlulatum Rachelis approbant) maternum affectum excusans,cum non sit mirum matrem tot filiorum intempestam mortem plorare, Rachelem maximum solatij habuisse motiuum, vt à lachrymis oculos, & cor à suspiriis abstergeret; siquidem cum gladij senserunt infantes crudelitatem, & vitam cum morte commutarunt, diuina, & summa fælicitate beatitudinis ditati fuerunt. Quid enim intererat, temporalem vitam amittere, si acquirebant æternam? Prudẽtiorem, & fortiorem multò se præbuit mater illa Machabæorum,

dum

dum septem filios, ab iniquo tyranno videret, trucidari, impia pietate, & animositate eos ad martyrium excitabat, futuri præmij spe vitam temporalem contemnens. Quare ergo excluso solatio se affligebat Rachel? Opportune satis respondit Hieronymus ad præfata verba in catena sancti Thomæ: *Se consolari nollet de his, quos sciuit esse victuros; vt sensus sit: Noluit consolari de hoc, quod non essent.* Quam ob causam putatis, inquit Doctor maximus, solatio clausit ianuam Rachel in sanctorum Infantium nece? Quia vix lucis habuerunt vsuram, cùm velut nascentes rosæ à rustica manu decerptæ, ab impio tyranno trucidati sunt: & quia Herodes impiè crudelis tot incunabula aspersit sanguine impediens eos adolescere, ne adulti certarent viriliter, & gloriosè coronarentur meritorum diademate: *Se consolari nollet, de his, quos sciuit, esse victuros.* Discurrebat Rachel, quod si illi infantes viuerent, velut fortissimi athletæ mundi vanitates essent despecturi, & reportaturi victoriam à carnis illecebris, tyrannorum crudelitatem illudentes, ac tandem morientes mererentur consequi vitam æternam, quam, eo quod, libertate caruerint, quando mortem sunt perpessi, non meruerunt. En ergo tibi causa, ob quam plorat, & vlullat Rachel omne solatium excludens: quia licet infantes illi vita fruantur æterna, tamen non meruerunt, tantam felicitatem possidere. Indicauit ergo suis lachrymis Rachel, quod perfrui gloria non ornata meritorum gemmis (quantumuis quomodolibet possessa sit summum gaudium, & suprema felicitas) flendi tribuit occasionem. Tanta est meritorum excellentia, vt vel ipsa summa felicitas, si absint merita, videatur lachrymabilis, & ab omni solatio aliena.

Hieron.

60. Vidisti iam, excellentiam merendi felicitare ipsam gloriæ felicitatem, cum gloria sine meritis acquisita flendi tribuat occasionem. Crux ergo cum Eucharistia connectitur, & hæc illius gaudet consortio: quia felix possessio merendi gloriam comitatur. In Cruce namque gloria merendi sita est; in Eucharistia vero consequendi felicitas. Quinimò in laudem tanti Sacramenti addo: vtramque felicitatem in ipso contineri. Video te iam huius veritatis expectare robur. Audi. In augustissimo Eucharistiæ Sacramento carnem nobis in cibum, & in potum sanguinem inaudita liberalitate tribuit Christus: insuper animam, Deitatem, & quidquid diuino continetur thesauro. Hinc facile infero, digne suscipientem Eucharistiam, tot bona, & delicias possidere, quot beati in superna patria perfruuntur. At si hoc attente consideres, maximum discrimen inuenies. Nam in patria Sancti suam beatitatem essentialem augere minime possunt, nec se feliciores reddere, vtpote iam extracti ab statu merendi: (quia hic status viatorum solum est,) quia qui recipit digne Eucharistiam, quidquid Deus habet possidet, deinde augmentum gratiæ, & incrementum gloriæ promeretur. In quo dignè suscipiens Eucharistiam ipsos beatos excedit. Ergo videtur, Eucharistiam quodammodo esse ipsa gloria excellentiorem. Nam licet in patria meritorum adsit corona, merendi ampliorem coronam non est facultas: at in hoc Sacramento, si digne accedis, non solum præmium inuenies, sed etiam ipsam dignitatem merendi. Quia quantumuis ipsa susceptione, qua libere, & digne accedis ad tantum Sacramentum, reuera beatitudinem formalem, quæ in visione clara Dei consistit, non consequaris, tamen beatitudinem obiectiuam consequeris. Igitur cùm quis digne, hoc est, in gratia, & amicitia Dei accedit ad tantum Sacramentum suscipiendum perfecte suam felicitatem consequitur, siquidem felicem possessionem cum meritorum excellentia connectit.

ILLATIO CCLII.

Deus Vnus; Deus Trinus, & Vnus sacris testimoniis comprobatur.

61. REm perdifficilem aggredimur explicandam, altissimum, scilicet, mysterium Trinitatis indiuiduæ, & sanctæ omnes vires creatas longe superans. Nemo nouit Patrem nisi Filius, vel cui dignatus est reuelare: nemo tantum arcanum cognoscere valet, etiamsi supremos Angelos comprehendas, qui inter creaturas intellectu præditas tenent primatum. Omnes obmutescent, si ab illis percunteris; & tanti mysterij maiestate oppressi vix de tanta celsitudine aliquid poterunt indicare, si suis viribus nitantur: Ob hoc Chrysostomus homilia 1. in Ioan. ante medium tractans illud Ioan. 1. num. 18. *Deum nemo vidit vnquam:* de Angelis loquens dicebat: *sed si eos percunctaberis, nihil ab eis de Dei substantia audies, sed tantum gloria in excelsis Deo.* Si ergo supremæ illæ intelligentiæ vix audent tantum mysterium proferre: cur nos difficilem hanc assumimus prouinciam? Verum ambulantes per fidem apertam viam inuenimus ad tantum mysterium, non scrutandum, sed comprobandum.

Ioan. 1. n. 18.

Chrysost.

62. Credimus ergo vnum personaliter Trinum, & vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneramur. Quam bene Bernardus lib. 5. de consideratione ante medium. *Dicamus vnum* inquit. *sed non ad confusionem Trinitatis; dicamus tres, sed non ad præiudicium vnitatis.* Nulla maior vnitas excogitari, potest, quàm vnitas Trinitatis: *Inter omnia* (prosequitur mellifluus,) *quæ recte vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis.* Est ergo Deus vnus, & trinus: vnus in Essentia: trinus in Personis. Ostendamus nunc Dei vnitatem, vt hinc Gentilium falsam Deorum cateruam confutemus. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant:* audacter, & sacrilegè Hebræi dixerunt Aaroni, cum Moyses moram faceret in vertice montis. Exod. 32. num. 1. Succubuit Aaron precibus, vel minis populi, & postulat ab eo inaures, & colles aureos, mittensque in ignem opere fusorio formauit vitulum conflatilem. Quid inde? Dixerunt filij Israël: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ibidem, num. 4. Attende Israëlitarum delirium, vnicum vident vitulum, & eum plures vocant Deos. Aptiùs dicerent (tametsi errore decepti,) hic est Deus tuus Israël, qui te eduxit de terra Ægypti: at

Bernard.

Exod. 32. n. 1.

Ibid. n. 4.

vitulum vnum appellare plures Deos, neſcio quo fine? Errantes errant, dum adorant vitulum; & cùm eum Deos appellant, errorem detegunt Deus namque tametſi in Perſonis Trinus, in Deitate eſt vnus: nam verus Deus non eſt, qui alterius Deitatis admittit conſortium. Permiſit ergo Deus, Hebræos, quos infelix Ægyptiacæ idololatriæ memoria deceperat, vitulum pluraliter Deos appellare, vt ipſi, qui vitulum colebant, & verſo poplite adorabant, illo cultu oſtenderent, ementitam Deitatem reuereri, dum pluralitatem diuinitatis ei adſcribunt. Adeſt Hieronymus in cap. 3. Danielis cùm dixit: *Hanc autem dico Scripturæ ſanctæ conſuetudinem, vt vnum idolum appellet pluraliter, vt eſt illud in Exodo de vitulo.* Argumentum numinis falſi eſt Deitatis pluralitas: ob hoc in ſacro eloquio Gentilium Dij appellantur pluraliter. Permiſit ergo Deus, Hebræos, vitulum, quem ſacrilege adorabant, Deos appellare, vt exinde conſtet illius numinis falſitas. Nam Deus verus vnitate gaudet in eſſentia, qui Trinitatem amat in Perſonis.

Hieronym.

63. Vis, vt oſtendam Perſonarum diuinarum Trinitatem? Ducente fide huius myſterij, provt in via ſumus, ſic præſto. Ex nouo Teſtamento expreſſa nobis ſuppetunt teſtimonia. Conteſtatur Iordanis: nam ibi æternus Pater Filium agnouit, & oſtendit; Spiritus ſanctus in columbæ deſcendit ſpecie. Matthæi vltimo, num. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* & 1. Ioan. cap. 5. n. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Et alibi paſſim. Ex veteri Teſtamento non ita expreſsè depromere poſſumus hoc myſterium ſicut ex Nouo: Verum ſanctorum Patrum aliqua congeremus teſtimonia, quæ explicant ea, quæ tanti myſterij in veteri Teſtamento contenta ſunt. Suffragatur Ambroſius lib. 1. hexameron, cap. 8. ad illa verba Geneſis 1. num. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* dicens: *Quem, etſi aliqui pro aëre accipiant; aliqui pro ſpiritu, quo ſpiramus, & carpimus auræ huius vitalis ſpiritum: nos tamen cum Sanctorum, & fidelium ſententia congruentes, Spiritum ſanctum accipimus, vt in conſtitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmiſſo enim, quod in principio fecit Deus cœlum, & terram, id eſt, in Chriſto fecit Deus, vel Filius Dei fecit, vel per Filium Deus fecit, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: ſupererat plenitudo operationis in ſpiritu, ſicut ſcriptum eſt: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid clarius?

Matth vlt. n. 19.

1. Ioan. c. 5. n. 7.

Gen. 1. n. 2.

Ambroſ.

64. Eandem veritatem confirmat Cardinalis Petrus Damianus opuſculo 2. Antilogo contra Iudæos, ex illo Geneſis 1. num. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* Sic Iudæos increpans: *Dic igitur, ô Iudæe, qui dum Trinitatem negas, & vnitatem conſequenter ignoras, ſi Deus, vt aſſeris, vnus eſt in Perſona, cui dixit faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram? Nam ſi vna eſſet in Deitate Perſona, non diceret, faciamus, ſed faciam. Si tres ſunt ſubſtantiæ, non diceret ſingulariter, ad imaginem noſtram, ſed potius imagines noſtras. Dum igitur, faciamus, aſſerat Trinum, imaginem noſtram, declaret vnum, conſtat euidentiſſime, Deum eſſentialiter vnum tribus conſtare Perſonis.* Hæc vſque adeò perſpicua ſunt, vt non egeant expenſione.

Gen. 1. n. 26.

Pet. Damian.

65. Exod. 3. num. 15. Sic Deus de ſeipſo ad Moyſem loquitur: *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos.* Idem Damianus loco relato ſic inquirit: *Quid eſt enim, quod ſe trium ſolummodo patrum Deum eſſe commemorat, & non etiam cæterorum? Nunquid non etiam Deus Enoch? Nunquid non Deus Noë, & aliorum innumerabilium Iuſtorum? Quid eſt, inquam, quod prætermiſſis aliis patribus trium ſe virorum ſolummodo Deum vocat, niſi vt ſe, qui vnus eſt in ſubſtantia, trinum eſſe in Perſonis oſtendat?* Idem docet de illo Triſagio Seraphinorum Iſaiæ, cap. 6. *Vt enim Perſonarum Trinitas monſtraretur, tertio Sanctus dicitur; ſed vt, vnam eſſe ſubſtantiam, appareat, non Domini ſabaoth, ſed Dominus eſſe perhibetur.* Id ipſum docuerant Auguſtinus libro de fide, cap. 1. Nicetas orat. 38. Nazianzeni, qui magnum etiam refert Athanaſium.

Exod. 3. n. 15.

Damian.

66. Geneſis 18. num. 3. Abrahamo ſedenti in conualle Mambre: *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram; & dixit, Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis,* &c. Sed quid eſt, quod videns tres, vnum tantum adorat, & appellat Dominum? Nunquid in vno ſolo, cui tribuit dominium, aliqua fulgebat excellentia, quæ Patriarcham manuduceret, vt in eo maieſtatem recognoſceret? Auguſtinus in tom. 10. feria 5. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ ſermone 1. ſic reſpondet: *Tribus ergo occurrit Abraham, & vnum adorat. In eo autem, quod tres vidit, ſicut iam dictum eſt, Trinitatis myſterium intellexit. Quod autem quaſi vnum adorauit, in tribus Perſonis vnum Deum eſſe cognouit.*

Gen. 18. n. 3.

Auguſt.

67. Myſterium hoc ex Paulo oſtendit Nazianzenus oratione 24. in fine, vbi notat. Apoſtolum indiſcriminatim tres diuinas hypoſtaſes referre abſque ordine. Nam 1 ad Corinth. 12. latè agit de donorum, & gratiarum diſtributione, eamque Spiritui ſancto attribuit à numero 4. & ſequentibus: & ibidem, num. 3. Ieſum, & Spiritum ſanctum numerat Patris nulla facta mentione. Ad Roman. 8. num. 1. agit de Chriſto Ieſu, & num. 9. de Spiritu ſancto, & num. 32. Patrem, & Filium commemorat, & num. 34. ſolum Chriſtum refert, & paſſim alibi varie, & abſque ordine de diuinis Perſonis ſermonem inſtituit, vt videre eſt apud Eliam Cretenſem ad præfatam orationem Nazianzeni. Sed cur eximius Theologus Paulus Filium ante Patrem nominat, & Spiritum ſanctum ante Patrem, & Filium? An quia eum lateret originis ordo, quo Pater Filium, & vterque Spiritum ſanctum præcedit? Minime reſpondet Nazianzenus, ſed vt diuinarum Perſonarum æqualitatem in natura oſtenderet. Audi doctiſſimum Græcum. *Cum Paulo de rebus diuinis dicere, cum, illo, inquam, ad tertium cœlum euecto, qui nonnunquam tres Perſonas connumerat, idque varie, nec nominum ordine ſeruato,*

Nazianz.

nato, sed eandem personam nunc prænumerans, nunc connumerans, nunc subnumerans (quorsum hoc? Nempe vt naturæ æqualitatem ostendat,) nonnunquam etiam trium, interdum duorum, aut vnius mentionem facit: tanquam videlicet reliquæ Personæ simul sequantur. Patrem origine Filium, & vtrumque Spiritum sanctum præcedere, Theologorum tenet consensus: cum hac tamen prioritate rectè compatitur simultas durationis, & coæternitas Personarum: verum Apostolus sine ordine diuinas refert hypostases, vt earum æqualitatem ostenderet. Eis enim (vt ait Athanasius) vna est diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maiestas.

68. In nomine Tetragrammaton inciso in aurea lamina, (vt diximus num. 8. inscrutabile Tryados arcanum ex probatis auctoribus exposuimus,) obumbrabatur. Nomen namque illud *Iehouah*, quatuor literis Hebraïcis continetur. יהוה quibus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus omnipotens, immensus, & æternus, &c. Hoc ergo nomine ornabatur Pontifex, vt tanti mysterij emblemate eius caput cingeretur; simulque denotaret Dei maiestatem supremam. Notauit hoc Arnold. Carnot. tractatu de septem vltimis verbis Domini di-
Arn. Carnot. cens: *In Superioribus quidem hoc nomen ponitur, vt quidquid vndique est, quantumcumque sit, se cognoscat inferius: & si quid habet candidum, si quid conspicuum ad illud nomen referat, vnde accepit, illique excellentiæ deuotus adscribat.* Quidquid est. Deo est inferius, & à Deo accipit, quidquid est: ob hanc causam nomen Dei portabat Aaron super frontem.

Illatio CCLIII.

Incomprehensibilitas summopere extollit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

69. VNus est Deus, vnus, & trinus (vt fide instructi credimus,) verum quam reconditum sit hoc mysterium, nemo dubitat. Quis comprehendere valet, Patrem distinctum à Filio in hypostasi habere summam identitatem in essentia? Aut quis percipere potest, Filium à Patre, & ab vtroque Spiritum sanctum procedere, & eiusdem esse numero naturæ? Solus ille, qui summe sapiens est, comprehenere se potest: solus ille, qui verax est infinitè tantum arcanum hominibus credendum proposuit, vt captiuantes intellectum in obsequium fidei tanto mysterio præbeamus assensum: nec ex eo quod nostrum captum superat, est negandus assensus, imò ob hoc facilius est concedendus. Nam ea est supremi, & incomprehensibilis Dei excellẽtia, vt à creatura nequeat
Zeno. comprehendi. Ob hoc dicebat Zeno Veronensis serm. de fide, spe, & charitate: *Negat quodammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur.* Et de altissimo Trinitatis
August. arcano dicebat Augustinus libro de speculo, cap. 19. tom. 9. *O mysterium ineffabile, & præ cæteris intellectu difficile! Reliqua sane Sacramenta, quæ tenentur in Ecclesia tua, Domine, stupenda sunt, & veneranda, sed istud tui Sacramentum præcellit vniuersa.* Vbi nota cum Aurelio excellentiam huius mysterij supra vniuersa Ecclesiæ Sacramenta ex difficultate intellectus, & incomprehensibilitate prouenire. Prius enim dixerat, mysterium præ cæteris intellectu difficile: exindeque intulit, hoc Sscramentum vniuersa præcellere.

Hanc incomprehensibilitatis excellentiam 70.
tanti Deus facit, vt quantumuis seruorum suorum ardeat amore, ei cedit; ne aliquo modo appareat, à creatura comprehendi. Sicut solet amicus cum amico, olim Deus cum, seruo suo Moyse deliciabatur fabella. Rogat Deum Moyses amicitia fretus, & ait: *Ostende mihi gloriam tuam.* Exod. 33. num. 18. Cui respondit Dominus: *Non poteris videre faciem meam.* Ibidem, num. 20. Vbi non solum negauit Deus, quod postulabat Moyses, sed impossibile esse manifestauit. Hæc admiratione digna sunt: nam videtur Deus amicitiæ iura violare. Familiariter Deus loquebatur cum Moyse: sed hoc quî fieri potest absque mutua, & reciproca vtriusque communicatione? Si ergo Deus Moysem diligit vt amicum: cur faciem suam ei abscondit? Verum est, dedecere amicum, cùm potest, amico faciem obtegere: at vbi amicitiæ, & amoris, quo Deus Moysem prosequebatur, cum eius incomprehensibilitate est certamen, vincit incomprehensibilitas. Mauult Deus amicitiæ iura non seruare, tametsi Moyses querulus existat, quam suam gloriam homini in hac vita degenti ostendere. At cur Deus suam faciem satagit abscondere, & amico Moysi tantum negat solatium? Quia si faciem detegeret, essentiam patefaceret, qua visa hypostases tres nequiret abscondere. Ne ergo diuina Trinitas in hac vita spectaretur, & tanti mysterij plena, & perfecta haberetur intuitio, quamuis amicitiæ videatur deficere, suam gloriam sedulo celat. Sic Deus tanti arcani occultare desiderat excellentiam.

Ex his disce, tanto mysterio te subiicere, & 71.
intellectum captiuum ad assentiendum offerte: Credere te, desiderat Deus, qui scrutatorem probibet. Super solium excelsum, & eleuatum sedens Deus se permisit Isaïæ obtutui; vndique apparebat diuina maiestas; & Seraphinorum incessabili voce proclamantium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, audiebatur harmonia. Quid tunc? Dixit Deus: *Vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere.* Isaïæ 6 n. 9. Isaïæ. 6. n. 9. mira hæc; imò pugnantia inter se videntur. Nam si Propheta, quæ viderat annunciaturus erat è suggestu, ad quid, vt audiat, inuitat populum, si quæ ei annunciantur non est intellecturus? Frustra immutantur aures, si intellectui ministraturæ non sunt speciem obiecti auditi. Deinde: cur ad videndum prouocat, quod subterfugit cognitionem? Molestum nimis est, videre, quod intellectu non percipitur; & inutile, quod intellectui non deseruit, audire. Quare ergo Deus misit Prophetam ad annunciandum populo, quod tametsi audiat, non intelliget; & quod licet videat, non cognoscet? Certè, quia Seraphinos inter se alternantes audierat incessanter dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabbaoth.*

In

In hoc Triſagio Perſonarum Trinitas per *ter Sanctus*, & Eſſentiæ vnitas per ſemel *Deus* oſtendebatur: Hoc erat Propheta annunciaturus populo. Meritò ergo cùm tantum myſterium annunciatur; inuitatur populus ad audiendum ſine intelligentia, & ad videndum ſine cognitione; vt exinde diſcat, hoc arcanum credere, & pertimeat ſcrutari. Illud ſalubertimum eſt; iſtud temerarium, & periculoſum. Perbelle S. Thom. à Villanoua concl. 1. de Trinitate: *Nam cùm Iſaias Propheta Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum vidiſſet, & Seraphim clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum audiſſet, protinus dictum eſt ei: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere: ac ſi diceretur mundo. Nolite, mortales, hoc ſcrutari myſterium: hoc nolite ſapere, nolite intelligere: audite audientes, & ſolum credite: nam hoc vobis proderit ad ſalutem: credere enim pietatis eſt, velle ſapere temeritatis. Vnde Bernardus: ſcrutari Trinitatem ſumma peruerſitas eſt; credere Trinitatem ſalus animarum eſt; videre Trinitatem ſumma felicitas eſt.* Quid illuſtrius?

S. Tho. Vill.

72. In illo nomine *Iehouah*, quod in lamina aurea inciſum erat, ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium obumbrabatur, (vt vidimus ſupra num. 8.) Ineffabile erat apud Hebræos hoc nomen, quod ſolis auribus, linguæque ſapientia purgatis fas erat, audire, nominareque in ſacris nemini: (vt ex Philone notauimus numero eodem 8.) ſed cur hoc nomen linguæ non permittitur; cùm nomen *Adonai*, & alia Dei attributa permittantur? Profectò: quia in illo ſanctiſſimæ Trinitatis arcanum deſignabatur. Ineffabile ergo erat hoc nomen, vt Trinitatis incomprehenſibilitas cognoſceretur. Inſuper: ideo in lamina, quæ ſuper frontem pendebat, hoc nomen inciſum putarem, vt ſupra oculos, hoc eſt, ſupra id, quod videri, aut intelligi poteſt, haberetur. Nec vnde melius eius incomprehenſibilitas oſtentari poterat. Beda lib. 3. de tabernaculo, cap. 7. rationem reddens, ob quam nomen Tetragrammaton, in quo Trinitatis arcanum obumbrabatur, dictum ſit ineffabile, ait: *Non quia dici non poteſt, ſed quia definiri ſenſu, & intellectu creaturæ non poteſt.* Idem docuit Arnoldus Carnotenſ. tract. de ſeptem verbis, dicens: *Hoc nomen Tetragrammaton, id eſt, quatuor litterarum erat, ſcilicet.* יהוה: *cuius interpretatio lingua Hebraica, ineffabile ſonat: non quia dici non poſſit, ſed quia (vt dictum eſt ſupra,) ſicut eſt, nec capi humano ſenſu poſſit, nec definiri.*

Beda.

Arnol. Carn.

ILLATIO CCLIV.

Sub Trinitatis vmbra omnis veritas firma conſiſtit: ad Trinitatis conſpectum omne fugit mendacium.

73. NVlla eſt creatura, quæ à Deo Trino, & Vno non dependeat, à quo veritatis, & exiſtentiæ beneficium accepit. Hoc enim diſcrimen inter ſupremum opificem, & creata agnouerunt Theologi: vt Deus à ſe ſit, creaturæ à Deo. In formali conceptu creaturæ imbibitur dependentia à Creatore: ergo creaturæ ex ſe dependent à Deo. Quare eſſe, & exiſtere creaturæ ab illo ſupereminenti eſſe Dei ſumpſit exordium; in eo fundatur, & eſt. Cùm ergo operationes ad extra tribus Perſonis pro indiuiſo competant à tribus dependemus, & eſſe extra cauſas accipimus, & in tribus noſtræ exiſtentiæ beneficium fundatur. Inſuper cùm res, ſicut ſe habent in eſſe ſic ſe habeant in veritate, (vt docent Philoſophi,) ſicut eſſe creatum à Trinitate dependet, ſic & omnis veritas creata. Vnde omnis veritas à Trinitate ducit originem, & nulla eſt, quæ ſub Trinitatis vmbra periclitetur. Ob hoc dicebat Auguſtinus tract. 36. in Ioan. cap. 8. expendens; cur veritas innocentiæ Suſannæ à laſciuientium ſeniorum falſitate, ſi non victa, vincita fuit? Quia ibi ſolum duorum teſtium adfuit teſtimonium; falſitas reuelata fuit; in ore duorum mendacium ſæpe reperitur, in trino tamen teſtimonio veritas fulget. Hoc denotauit Dominus Matthæi decimo octauo, numero decimo ſexto: qui vt firmum teſtimonium commendaret, quaſi duorum non eſſet ſufficiens, trium addidit conteſtationem: *Vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum.* Nunc audi Auguſtinum? *Per hoc myſterium, Trinitas commendata eſt, in qua eſt perpetua ſtabilitas veritatis. Vis habere bonam cauſam? Habeto tres teſtes, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.*

Matth. 18. n. 16.

Auguſt.

74. Immolaturus Filium impauidus, & obediens pergebat Abraham: *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros ſuos: expectate hîc cum aſino: ego autem, & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Geneſis 22. numero 5. Diuus Auguſtinus ſermone 72. de tempore, ſic Abrahamum alloquitur: *Quid eſt, quod dicis, beate Abraham? Ad immolandum Filium vadis, & dicis cum Filio reuerteris? Si eum in holocauſtum obtuleris, vtique tecum redire non poterit.* Sed audi ipſum pro Abraham reſpondentem: *Potuit reſpondere beatus Abraham: verum dico, & offero Filium, & cum Filio reuertar ad vos. Tanta eſt fides mea, vt credam, quod ille, qui mihi eum de matris ſterilis vtero dignatus eſt dare, poſſit etiam eum mortuum ſuſcitare; & ideo verum dico, quia cùm adorauerimus reuertemur ad vos.* Sed vnde ſibi perſuaſit Abraham filium mortuum iterum ad vitam reuocandum? An ex diuina promiſſione, quia dixerat Deus, in Iſaac omnes gentes benedicendas fore? Haud dubium eſt, fide iterum generaſſe filium, vt expreſſe docet Aurelius: verum aliam rationem inſinuat Chryſoſtomus homilia in illud Pauli: *Cùm autem ſubiecti fuerint ei:* Vbi hanc rationem expendens ſic ait: *Ambulauit Abraham tres dies, & tres noctes, vt ſimul myſterium monſtraret: ſic enim quaſi à morte viuentem accepit Iſaac.* Mens Chryſoſtomi eſt. In trium dierum ſpatio iter illud peregerat Abraham, in quibus huius myſterij veritas licet obſcurè delineabatur: permiſit ergo, ſe iterum reuerſurum cum filio, non quia eius animus

Genes. 22. n. 5.

Auguſt.

Chryſoſt.

titubaret, aut filium cogitaret à ſacrificio retrahere, ſed firmiter Deo ſatagens obedire, quaſi dicens: Immolaturus ſum filium, attamen vere poſſum promittere, poſt exhibitum Deo cultum cum eo reuerſurum, ſiquidem iam tertia lux mihi apparuit, in quo numero diuinæ Tryados arcanum aliqualiter reuelabatur. Promiſit ergo ſub vmbra veritatis tanti myſterij, ne ſit caſſa promiſſio. Ex Trinitatis arcano quaſi à morte viuentem accepit Iſaac, ne, ſub tanti myſterij vmbra, videatur Patriarchæ falſa promiſſio. Imò adderem: ſic promiſiſſe Abraham, quia Trinitatis vmbra illic aderat in ternario numero deſignata: quaſi diceret; in conſpectu tanti myſterij, in quo ſuprema veritas velut in fede maieſtatis eſt, nullus datur locus mendacio: Ergo ſecurè poſſum, inquit Abraham) promittere, me cum filio reuerſurum: nam tametſi iugulandus eſt, Deus qui eum de matris ſterilis vtero dignatus eſt mihi dare, poterit eum iterum reuocare ad vitam, ne in propatulo ſanctiſſimæ Trinitatis adhuc in vmbra, mendacium in promiſſis audeat apparere.

75. Tribus teſtimoniis Chriſti diuinitas ſancita legitur, ex quibus integrum, & validum argumentum formatur. Primum fuit adoratio Magorum. Matthæi ſecundo, capite. Secundum, paterna vox, quæ in Iordane intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matthæi tertio, numero decimo ſeptimo. Tertium fuit, cùm Chriſtus in Cana Galileæ aquam in vinum tranſmutauit. Ionnis ſecundo, numero nono. Audi Chryſologum ſermone 160. *Tribus autem modis hodie Chriſti Deitas eſt probata: Magorum munere: Patris teſtimonio: aquæ mutatione in vinum.* Sed ad quid tanta veritas triplici confirmatur teſtimonio? Magorum adoratio ſatis ſuperque Chriſti diuinitatem oſtendebat: ſiquidem ſtella duce à remotis plagis peruenerunt Reges falſitati idololatriæ inſeruientes, iam ſtudio inueniendæ veritatis. Quæ enim maior confirmatio Verbi infantis, & diuinitatis in eo occultæ, quam quod homines idolis dediti, & aſtrorum motibus vacantes, infantem pauperrimum adorarent, vt Deum, vt Regem, & vt hominem? Sed ſi hoc non ſufficit teſtimonium, adfuit ſecundum: vel ſi hæc non ſatis, additum fuit tertium. Pater, vt vidimus, æternam Chriſti generationem teſtificatur. Ergo non liceret dubitare poſt tantum teſtimonium, Chriſtum ei eſſe conſubſtantialem. Ergo ſuperfluunt alia teſtimonia. Quare igitur tribus his modis Chriſti diuinitas comprobatur? Reſpondet Rauennas: *Quia tribus ſtare omne verbum Scripturæ firmauit auctoritas dicendo: in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Sat erat Patris conteſtatio, vt omnes firmo animo Chriſti diuinitatem crederemus. Hoc enim teſtimonium omnia ſuperat diplomata: nihilominus alia duo ſuperadduntur, vt Trina illa conteſtatione appareat aliqua vmbra Trinitatis, in qua eſt veritatis perpetua ſtabilitas.

Mat. 3. n. 17.

Chryſol.

Paſſionis ſuæ iniurias prædicit Chriſtus Apoſtolis. Matth. 20. n. 18. dicens: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte,* &c. *& tertia die reſurget.* Sed cur tertiam diem, & non quartam, aut ſecundam, aſſignat ſuæ reſurrectionis terminum? Ideo factum putauit Chryſoſt. homilia 35. in cap. 22. Matthæi, quia per triduum Trinitatis deſignabatur arcanum. *Prima dies,* inquit, *Pater: Secunda Filius.... conſequenter, & Spiritus ſanctus tertia dies eſt: quoniam his tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium iſtorum ſcientiæ fuerint conſummatæ, in eis veritatis verbum reſurgit, & viuit, & operatur.* Sed adhuc non quieſcit animus. Cur cùm de Chriſti reſurrectione agitur, Trinitatis fit mentio? Quia cùm Chriſtus Diſcipulis prædixerat paſſurus tot iniurias, & tandem Crucis opprobria, & mortem ignominiis plenam, difficillima eis videretur reſurrectio. Quid tunc Chriſtus, vt in eorum animis firmam fidem firmaret reſurrectionis? Tertia die poſt mortem promittit eam; vt intuentes in illo triduo Trinitatis effigiem, non dubitarent de certitudine promiſſionis. Sic enim Trinitatis myſterium eſt credendum, vt non ſolum de eo dubitare non liceat, verumetiam in omnium animis tanquam certum firmandum ſit, ſub vmbra tanti myſterij omnem ſigillari veritatem.

76. Matth. 20. n. 18.

Chryſoſt.

Aram Deo ædificaturus Iacob in Bethel familiam ſuam ab idolis expurgat, quæ à Meſopotamia aſportabantur, & confracta, ac liquefacta, infodit, aut ſepeliuit ſub terebinthum, vel quercum (vtroque modo legitur ex Hebræo.) *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit eas ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem.* Geneſ. 35. num. 4. Sed cur Iacob idola ſepeliuit ſubter quercum, aut terebinthum? Nónne potuit ea infodere, aut humare in lato, & ſpatioſo campo? Poſſet vtique. Vt quid ſubter quercum ea ſepeliuit? Arias Montanus putauit, quercum iſtam eandem eſſe, ſub cuius vmbra Iacobi auus Abraham menſam ſternit, vt Deum hoſpitem ciberet. Geneſ. 18. num. 5. *Requieſcite ſub arbore.* Vt ſentiunt Auguſtinus ſerm. 70. de tempore. Abulenſ. & alij. Tunc Abraham pietate & religione plenus Deum ſuſcepit hoſpitem. Sed adhuc inquiro: nónne tunc Patriarcha tres cùm vidiſſet vnum adorauit: quo facto ſanctiſſimæ Trinitatis adumbrauit arcanum, (vt ex Auguſt. vidimus num. 66.) ita ſanè. Accipe iam intentum Iacobi. Ideo iudico ſubter quercum idola ſepeliiſſe, quia ſub eadem arbore Trinitatis myſterium ſuo auo Abrahamo fuerat reuelatum: indicans hoc facto, non poſſe idololatriæ mendacium conſiſtere, vbi ſanctiſſimæ Trinitatis veritas fuerat adumbrata. Tanta enim eſt huius veritatis vis, vt non ſolum in eâ omnis firmetur veritas; verumetiam vt nec apparere audeat mendacium. Vtrumque oſtendit Chriſtus Matthæi vltimo, numero 19. Diſcipulos mittens ad veritatem Euangelicam annunciandam dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

77. Gen. 35. n. 4.

Gen. 18. n. 5.

Matth. vlt. num. 19.

Sed

Sed cur in nomine ſolius Chriſti non annunciatur Euangelium, ſed in nomine trium Perſonarum? Vt ſub ſigillo Trinitatis veritas Euangelij eſſet plauſibilior, & facilior creditu. Non quia ob hoc aliquid ſummæ auctotati, & veracitati Chriſti detrahatur. Abſit. Sed quia cùm in Trinitate omnis veritatis ſtabilitas ſit, voluit Chriſtus, vt ſub tanti myſterij protectione Euangelium annunciaretur, vt eius veritas crederetur ab omnibus. Inſuper: cùm gentes ad fidem conuerſæ, idola & diaboli fallaciam renunciabant, oportuit inſtrui tanto myſterio, vt falſitas idolorum rubore plena, demolita, & liquefacta, ſicut idola, quæ infodit Iacob,) ſepeliretur. Meritò ergo ſummus Sacerdos huius myſterij emblema in illo nomine *Iehouah* figuratum portabat in capite, in quo reſidet intellectus, vt ſemper veritati, mendacio nunquam vacaret. Dedeceret enim eum, qui tanti arcani ferebat vmbram mendacio inſeruire, & veritatem fugere.

Illatio CCLV.

Sanctiſsimi nominis Ieſu aliqua annumerantur excellentiæ.

78. Dvlciſſimi, & ſanctiſſimi nominis Ieſu explicationem aggredimur. & aliquas eius excellentias pro noſtra deuotione, & ingenij tenuitate annumerabimus. Verum quis tanti nominis valebit, vel primam proferre litteram? Referam tamen aliqua ex ſanctorum Patrum viridario decerpta. Adſit Auguſtinus tomo decimo, libro de Aſſumptione Beatæ Mariæ, capite quarto dicens: *Vocabulum Ieſu glorioſum, omni ornatu, cultuque digniſſimum, nomen quod eſt ſuper vmne nomen, non decuit ab hominibus appellari, neque ab eis efferri in mundum, ſed ab excellentiori quadam meliorique natura.* Auguſt. Tantum eſt hoc ſacratiſſimum nomen, vt non ab homine quantumuis iuſto, ſed ab Angelo fuerit prænunciatum. Audi Bernardum in quodam ſermone in cœna Domini? *Vere dulcis eſt in nomine. Dulce enim nomen, & ſuaue, Ieſus, conſecratum ab æterno, nunciatum ab Angelo, Prophetatum Salomonis oraculo, qui ait, oleum effuſum nomen tuum. Non autem nomen aliud eſt, in quo ſaluari oporteat. Ipſe enim ſalus eſt, qui ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Bernard. Petrus Damianus fere hoc ipſum dixit ſermone ſexageſimo primo: *Vocabulum Ieſu, ſicut Origenis lingua nobilior definiuit dulce, & glorioſum, omni odoratu cultuque digniſſimum, quod non prius ab hominibus decuit efferri in mundum, ſed à quadam ſublimiori excellentiorique natura. Omnes quippe Prophetæ nomen iſtud, aut neſcierunt, aut penitus tacuerunt, & reſeruata eſt prærogatiuæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui ſancto ore ſanctiſſimæ Virgini illud primum euoluit.* Pet. Damian. Si tamen deſideres, ſcire cauſam ob quam hoc nomen non ab hominibus, ſed ab Angelo, qui Filij Dei annunciauit incarnationem, fuit prius prænunciatum? Reſpondet Ambroſius in caput primum epiſtolæ ad Romanos, ad illa verba: *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti*, ſic ita à Deo prouiſum, quia hoc nomen, *Ieſus*, ſignificat Chriſtum, modo in quantum Deum, modo in quantum hominem. Audi Ambroſium: *Quotieſcumque Scriptura, aut Ieſum dicit, aut Chriſtum, aliquando Deum, aliquando hominem ſignificat, ſicut hoc loco inter cætera. & Vnus, inquit, Dominus Ieſus per quem omnia, quod vtique ad Dei Filium pertinet iuxta quod Deus eſt. Et alio loco, Ieſus autem, inquit, proficiebat ætate, & ſapientia, quod vtique homini competit.* Ambroſ. Cùm ergo hoc ſacratiſſimum nomen ſignificet Chriſtum, tam ſecundum quod Deus eſt, quàm ſecundùm quod homo: merito Archangelo Gabrieli, qui myſterium incarnationis Beatæ Mariæ Virgini, & Matri annunciaturus erat, pretioſum Ieſu nomen annunciandum committitur.

79. Verum quantumuis Gabriel huius nominis fuerit præco, non tamen ab ipſo fuit inditum, aut inuentum. Circumciditur Ieſus, & ait Lucas capite ſecundo, numero vigeſimo primo: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.* Luc. 2. n. 21. Notanter dicitur, vocatum eſt nomen, non impoſitum; vt ſcias hoc nomen ab Angelo nunciatum, non inditum. Sic Bernardus huius ſacratiſſimi nominis amantiſſimus ſermone ſecundo de Circumciſione. *Vocatum plane non impoſitum: nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Saluator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.* Bernard. Quaſi dicat: ita excellens eſt hoc nomen, vt nulla creatura valeat illud imponere: ab æterno inditum eſt Filio Dei, quamuis in tempore fuerit ab Angelo promulgatum.

80. Ad tantam ſublimitatem, & celſitudinem hoc nomen euexit Chriſtus, vt prolatione eius maiora, & magis ſtupenda prodigia patrarentur, quàm ipſius Chriſti attactu, & oratione. Ioannis decimo quarto, numero duodecimo: Cùm Chriſtus iam mortis limina ſalutaret, ait Diſcipulis: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Ioan. 14. n. 12. Baſilius Seleucus concluſione ſecunda, de Lazari ex ſuſcitatione inquirit: *Et quænam maiora: Quæ? Solæ illorum vmbræ mortuos in vitam reuocabant. Et quidem Chriſti virtus hac ratione illuſtrior euadebat.* Sed cur Chriſti virtus his portentis nitidioribus radiis emicabat? Nónne ad vitam reuocans Lazarum; cæcis lumina reſtituens; eiiciens dæmonia, & alia innumera mirabilia patrans ſatis eius radiabat virtus? Cur Seleucus putauit, Chriſti virtutem illuſtriorem euadere, ſi eius fideles maiora patrarent miracula? Audi ipſum. *Nec enim ita illuſtre, & admirabile erat, Chriſtum Dominum in viuis adhuc agentem miraculorum patrandorum gloria clarere, ac alios ipſo iam per mortem è medio ſublato maiora in nomine eius patrare potuiſſe, quàm ipſe patrarat vnquam. Hæc enim indubitatiſſima reſurrectionis illius demonſtratio erat.* Baſil. Seleuc. Multa hîc congerit Baſilius notatu digna. Primum: magis

gis fulgere Chriſtum poſt mortem miraculorum gloria, quam ante illam: quia diſcipuli eius maiora miracula patrabant; ac exinde virtus clarior apparebat, ſiquidem eo iam mortuo, non leue fidei erat argumentum, mirabiliora facere. Inſuper, hanc virtutem ſuis contulit Dominus, vt in nomine eius hæc patrarent, oſtendens ſui nominis excellentiam, cuius inuocatione maiora faciebant miracula, quam ipſe fecit dum viueret: in quo videtur Chriſtus ſibi potentiam detraxiſſe, vt nomen ſuum honoraret. Tandem nota, ex his formaſſe Baſilium efficacem demõſtrationem reſurrectionis Chriſti. Quapropter de primo ad vltimum nomini Ieſu adſcribenda eſt fides reſurrectionis. Nam ſi miracula in nomine Ieſu patrata ideo maiora fuere, quam ea, quæ ipſe fecerat Chriſtus, quia tanti nominis inuocatione fiebant, & hæc erat indubitatiſſima reſurrectionis eius demonſtratio. Ergo Chriſti reſurgentis fides ſanctiſſimo nomini Ieſu venit adſcribenda.

81. Vix in hoc ſacratiſſimo nomine eſt aliquid non ſublime; imo nomen ſuper omne nomen à Paulo prædicatur ad Philippenſes, 2. n. 9. & 10. vbi ſic de Chriſto vltro mortem, & ignominiam crucis patiente ait: *Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Sed quale nomen? Profecto: nomen Ieſu, & Saluatoris. In cruce enim noſtram conſummauit ſalutem. Ergo in ea nomen Ieſu, ſaluatoris, & redemptoris honorauit. At quid eſt nomen ſuper omne nomen? D. Ambroſius lib. 10. in Lucam ad illa verba: *dixit autem ad illos*: excellentiam nominis Ieſu ſic exponit: *Dando autem nomen, quod eſt ſuper omne nomen, non plus dedit, quam habuit, ſed totum, quod habuit dedit.* In eo ergo nomine ab æterno Patre impoſito non ſolum Filio excellentius nomen dedit, ſed etiam totum quod habuit. Nimis audet Ambroſius! Nam Pater diuinitatem habet. Dicemus ne, cum hoc nomine Chriſto Patrem communicaſſe Deitatem, quam per æternam generationem accipit Filius? Ita ſenſit Bernardus datus in hac illatione n. 78. cum dixit: *Dulce enim nomen, & ſuaue Ieſus, conſecratum ab æterno*, &c. Merito hoc nomen dicitur ſuper omne nomen.

Ad Philip. 2. n. 9. & 10.

Ambroſ.

Bernardus.

82. Alia de cauſa poſſumus ex cogitare hoc nomen omnia excellere nomina, & ab Apoſtolo nomẽ ſuper omne nomẽ appellari, nẽpe, quia in illo omnia Dei nomina recapitulãtur. Iſaias hoc de Chriſto protulit vaticinium. *Paruulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt, & factus eſt nobis principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomẽ eius admirabilis conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* c. 9. n. 6. Quã deuote, & acute dubitauit Bernard. dulciſſimũ Ieſu nomen inquirens ſerm. 2. de circunciſione cum dixit. *Magna quidem nomina. Sed vbi eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen Ieſu, in quo omne genu flectatur?* Multa Chriſti nomina annumerauit Propheta; at excellentius, & ſublimius prætermiſit. Cur, ô vates ſacer, nomen Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen non refers? Reſpondet mellifluus: *Forte in his omnibus vnum illud inuenies, ſed expreſſum quodammodo, & effuſum.* Quaſi diceret: omiſit Propheta nomen Ieſu, quia in his omnibus invenitur: nam omnia hæc nomina vnum nomen *Ieſum* efficiunt. Cum enim illa omnia Chriſtum magnum oſtenderent, & omni perfectione ditatum; ſolum nomen Ieſu breui compẽdio Chriſtum ex omni parte commendat Deum, & hominem, vt ex Ambroſio notauimus ſupra n. 78. Merito hoc nomen ſuper omne nomen prædicatur, cum in ipſo quidquid alia annunciant, quinque litteris oſtendat.

Iſai. 9. n. 6.

Bernard.

Succedat alia huius excellẽtiæ confirmatio. 83.
Auſim dicere, hoc nomen. *Ieſus*, excellentius eſſe quam nomen Deus. Patronum aduoco meum Abulenſem. Adeſt meus antiſtes, qui cap. 20. Exod. quæſt. 6. infine, cum probaſſet nefas eſſe nomen Ieſu in vanum aſſumere, ſic ait: *Imo maius peccatum eſt, accipere iſtud nomen, Ieſus, in vanum, quam nomen iſtud Deus. Et ratio eſt, quia Eccleſiæ communis, & laudabilis conſuetudo magis honorat iſtud nomen Ieſus, quã iſtud nomen Deus: vnde audito iſto nomine, Ieſus, deuoti fideles aut caput inclinãt, aut genu flectunt: ſed audito iſto nomine Deus non flectimus genua, nec capita inclinamus. Qui ergo contra hoc offendit dehonorando, magis peccat, quam ſi dehonoraret illud nomen Deus. Quare maioris reuerentiæ eſt hoc nomen Ieſus, quam iſtud nomen Deus.* Abulenſ.

Multis probat Toſtatus ibid. quæſt. 7. *Ieſus.* nomen præferendum eſſe nomini *Deus.* Primo: quia illud à tota Trinitate Chriſto fuit inditum ob ſingularem eius excellentiam, & obedientiam. Ad Philipen. 2. Inſuper: quia Act. 4. n. 12. dicitur: *Nec aliud nomen eſt ſub cœlo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Act. 4. n. 12.

Quod ſic oſtendit Abulenſis. *Nam iſtud nomen Deus licet nomen magnum ſit, non eſt tamen nomen, in quo ſaluamur, vt patet: quia multi inuocant Deum, & tamen pereunt; quia Sarraceni Deum inuocant, Iudæi Deum inuocant, cætera quoque gentes; ſed ſolis Chriſtianis ſalus exorta eſt inuocantibus iſtud nomen Ieſu.* Abulenſ.

Vltimo confirmat ſuam mentem; quia hoc nomen *Deus*, creatoris explicat excellentiam: at nomen *Ieſus* redemptoris, & ſaluatoris prerrogatiuam. Quanto ergo maius beneficium eſt redemptio quam creatio, tanto excellentius eſt nomen *Ieſus*, quam *Deus.*

In lamina aurea erat inciſum hoc nomen 84.
Ieſus: nam nomen illud Tetragrammaton *Iehouah* dulciſſimum, & ſacratiſſimum nomen Ieſu præferebat, vt vidimus ſupra n. 11. ex Arnoldo Carnotenſi tract. de vltimis verbis Domini: accipe eundem ibidem: *In fronte vero hoc nomen Pontifex gerit, quod vtique eſt ſuper omne nomen, cui omne genu flectitur; de quo in Apocalipſi legitur Ioannis, quod cum agno ſtabant ſuper montem Sion centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Nomen Ieſu ſignat iuſtos, & electos: quid mirum quod hoc nomen ſignaret etiam Pontificem? Ferebat illud tandem Aaron in fronte, vt tanta maieſtas huius ſacratiſſimi nominis fulgentiſſime radiaret, & excellentiam ſic per omnia nomina oſtenderet. Arnold. Car.

ILLATIO CCLVI.

Quam proficuum sit sanctissimum, & sacratissimum nomen IESVS, *ostenditur.*

85. HOc nomen sacratissimum *Iesus* fidelium est scutum, in eo consistit nostra salus, & nemo est, qui se abscondat à calore eius. Audi huius nominis significatum à Cyrillo Ierosolimitano catechesi. 10. *Iesus itaque apud Hebræos significat saluatorem; in lingua Græca medicum sonat, quandoquidem & corporum medicus est, & animarum curator.* Explicuerat hoc ipsum Origenes Homil. 1. in Cant. dicēs: *Oleum effusum nomen tuum propheticum sacramentum est. Tantummodo nomen Iesu venit in mundum, & vnguentum prædicetur effusum.* Nomen hoc vnguentum dicitur, quia medicina est; effusum prędicatur, quia omnibus proficit ad medelam. Hoc innuebat Apostolus. 1. ad Corint. 6. n. 11. vbi cum eorum vitia numerasset, sic ait: *Et hæc quidem fuistis: sed ablúti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Sed cur Apostolus non dixit, Corinthios iustificationis gratiam consequutos per Christum, aut in Christo, vt sæpissime assolet, sed in nomine nostri Iesu Christi; Christus est, qui iustificat, non Christi nomen. Ergo cultiori stylo diceret, ablutos, sanctificatos, & iustificatos esse Corinthios per Christum, aut in Christo, quā in eius nomine. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli, sic soluit quæstionem. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Non enim est aliud nomen sub cœlo, in quo oportet saluos fieri omnes pusillos cum magnis. Si autem saluos fieri oportet nos in hoc nomine, sine hoc nomine proculdubio nec salus erit, quæ sine Christo promittitur paruulis.* Christus est, qui nos redemit, & in quo, & per quem consequimur salutem; tamen Apostolus, & Augustinus Christi nomini, hoc est, nomini Iesu eam attribuunt, vt exinde constet, nomen Iesu præstare salutem.

Cyrill. Ieros.

Origenes.

1. ad Cor. 6. n. 11.

Augustin.

86. Expresserat hoc homo ille, quem Christus reddiderat sanum superata triginta annorum infirmitate, cum interrogantibus Iudæis, quisnam eum restituisset saluti; Respondit: *Quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Ioan. 5. n. 15. sed cur homo ille Christum potius nomine Iesu appellauit, quam aliis, quibus vulgò nominabatur, vt fabri filius, vel Dauidis? Respondet Gaudentius tract. 11. *Sciebat enim, sciebat, vtpote Hebræus nomen Iesus ex virtute descendere sanitatis. Saluator siquidem dicitur Iesus, sicut declarat angelus, cum per somnium de Christo loquitur ad Ioseph. Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Ille, inquit, me sanum fecit, cuius & nomen salus est.* Christus hunc hominem sanitati restituit, & tamen speciali vocabulo Christum nominat, nimirum Iesu nomine, non solum vt Christum auctorem suæ salutis exprimeret, verum etiam, vt eum nomine salutifero nominaret. Iesus saluatorē si-

Ioan. 5. n. 15.

Gaudentius.

gnificat, nomini etiam tribuit sanitatem, vt sanctissimi nominis explanaret virtutem. Si diceret, ille homo, qui filius Dauidis, aut Iosephi vulgo cognominatur, me à tam diuturna liberauit infirmitate, suæ salutis exprimeret auctorem: sed aliud intendit grato animo pro tanto beneficio edere in lucem, nempe nomen istud salutiferum, in quo salus hominis consistit: *ille, inquit, me sanum fecit cuius & nomen salus est.* Vel dicito, si placet, ideo Iesum appellasse Christum, vt tanti nominis patrocinio omnipotentiam Christi ostenderet, quæ in diutinæ infirmitatis curatione maxime enituit: quasi indigeret à tanto nomine adiuuari, vt apud homines innotesceret.

87. Forsan miratus eris, quia dixi, nomen Iesus diuinam omnipotentiam patrocinari, vt apud homines pateret infinita virtus Christi. Verum, vt deponas scrupulum, consule Euangelium, & nullum inuenies signum à Christo patratum, quin ipse appelletur Iesus. Initium dedit Iesus in Cana Galileæ. Ioan. 2. Ecce sacratissimum nomen. Reuocat Lazarum ad vitam, Iesu etiam nomen adest: *ait Iesus, tollite lapidem.* Ioan. 11. n. 39. & ne molestus sim alia omitto miranda à Christo patrata, inquibus nomen Iesus splenduit sicut sol. Consule etiam Apostolorum acta, & inuenies cap. 3. n. 6. beatum Petrum in nomine Iesu claudo ex vtero matris suæ restituisse pedes, dum dixit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Vbi iam diu notabam, hoc fuisse primum miraculum ab Apostolis patratum, vt bonum auspicium haberet prædicatio Euangelij, cum admirabilis nominis Iesu inuocatione fides nostra confirmabatur. Nam quamuis in eisdem actibus cap. 2. num. 43. dicatur: *Multa quoque prodigia, & signa per Apostolos fiebant*; nostro assertо non contradicit: quia vel in præfato capite 2. referuntur per anticipationem, vt frequens scripturæ stylus docet; vel confusè referuntur. Quod expresse primum narratur, est præfatum de claudo ab vtero, vt apertè constabit ex sacro eloquio. In nomine ergo Iesu fides nostra promulgari, & confirmari cæpit, vt sic fælix haberet propagationis initium.

Act. 3. n. 6.

Act. 2. n. 43.

88. Et quid mirum, si fides nostra tanti nominis protectione muniatur, cum ipse Christus hoc nomine insignitus suæ diuinitatis defenderit celsitudinem, & suæ sanctitatis, & innocentiæ nitidissimos radios emiserit. Vis vt probem? Meditare ipsum legis auctorem quasi comprehensum lege circunsionis gladij sciffioni summissum effundēdi suum sanguinem desiderio. Lucæ. 2. n. 21. *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur.* Non miror, quod cum circunciditur Christus vocetur Iesus: tunc enim suum sanguinem effundendi auidus pro humani generis salute, digne saluatoris gaudet cognomine. Quod notatu dignum existimo est, Euangelistam adidisse hoc nomen ab angelo fuisse prænunciatum antequam conciperetur in vltero.

Lucæ 2. n. 21.

vtero. Ad quid illa prænunciatio reuocatur in memoriam? Vt, non casu, sed magno mysterio tale nomen imponi, notaretur. Circumcisio in peccati medelam fuit instituta; vnde peccatoris nota inurebatur, tali remedio indigus: hac (licet falsissime) notare Christum, posset aliquis, præsumere. Quid vt à tanta liberaretur calumnia, qui sua innocentia, & sanctitate omnes sanctificat? Sit illi nomen Iesus, annunciatum ab Angelo, prius quam conciperetur in vtero: vt exinde pateat, nomen hoc cælitus deriuatum ad vindicandam circumcisi diuinitatem, & innocentiam, quam ritus ille videbatur obtenebrare. Do tibi Bernardum serm. 1. de circumcisione sic dicentem. *Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis; & nomen, quod est super omne nomen gloriam indicat maiestatis. Circunciditur tanquam verus Abrahæ filius: Iesus vocatur tanquam filius Dei. Cælitus siquidem nomen Euangelista testatur.* Circunciditur Christus, & eo ritu peccatoris induit speciem, quam vt aboleat, vocatur Iesus, vt hoc nomen gloriam indicet maiestatis. Nam si ex eo quod circumcisionis legi subiici voluit, remedio legis apparebat indigus; supremo illo nomine cælitus dato comprobabatur Dei filius, ac proinde prorsus incapax omnis peccati. Tantum, & tale est hoc sacratissimum nomen, vt vel ipsum Dei filium defendat à peccati calumnia, sicut in cruce defendit à mortis rigore. Vt hoc indicaret, iudico, inclinasse caput, cum emisit spiritum. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Ioann. 19. n. 30. super caput eius hæc inscriptio erat imposita: *Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Timebat mors accedere ad eum, quem nomen Iesu defendebat. Quid tunc Christus, vt mori posset, & nos redimeret? Caput inclinat, & à suo nomine segregat, vt mortem vocaret, quæ cum tanto nomine non audebat inire certamen. Quid ergo mirum, quod admirabile nomen defendat à morte, quem à culpæ suspicione vindicauit?

Bernard.

Ioann. 19. n. 30.

Matth. 27. n. 37.

89. Hinc est, quod dubitare de huius nominis benefica virtute iniurioſum est Christo. Orabat eum pro filio suo quidam homo, eo quod vexaretur à dæmone, & flexis dicebat genibus: obsecro, Domine, vt puerum istum eruas à tanto Damno: *Obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Matth. 17. n. 16. Irascitur Dominus alias mansuetissimus, & ait. *O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? Quousque patiar vos?* Ibid. n. 17. Omitissime Iesu, cur iraſceris contra turbam? Aut vbinam est tua mansuetudo, qua dicebas, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde? Cur nunc ardens ira verba opprobriis plena iacularis? Meritò: respondet Chrysologus serm. 51. *Hoc est dicere, esse diabolum, qui Christo non crederet: esse dæmonem qui parui posset Christi nominis habere virtutem. Discipuli non suo, sed Christi nomine dæmones de obsessis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon discipulis imperantibus non cedebat, iste ad infirmitatem Christi nominis, non discipulorum trahebat ad culpam.* Irascitur ergo Christus, & summo iure acriter reprehendit hunc hominem; quia putauit, Iesu nomen infirmum ad dæmones effugandos. Dominus ergo, qui in eremo diaboli sustinuit audaciam, & blando sermone repulit: & qui contra Martham de eius potentia dubitantem non est iratus; tamen contra istum iraſcitur; quia de nomine eius dubitabat virtute. Sustinet ergo Christus patienter de sua potentia dubium, sui nominis impotentiam non sustinet.

Matth. 17. n. 16.

Ibidem. n. 17.

Chrysolog.

In eminentissima parte Pontificis, hoc est, supra frontem, pendebat lamina aurea, in qua Dei nomen, vel Iesu, exaratum erat; vt velut in specula videret omnium necessitates, & illis subueniret, & cuncta sanctificaret. Audi Bedam lib. 3. de tabernaculo cap. 7. sic dicentem. *Lamina aurea in fronte Pontificis, in qua sanctum Domino, vel sanctum Domini (vt in sequentibus dicitur) sculptum est, sacratius est cæteris indumentis, quia sicut diuina potentia ab omnibus creaturis supereminet, ita oportet, vt nomen eius cæterum Pontificis ornatum transcendat, & velut cuncta sanctificans eximiam sedem teneat.* 90.

Beda.

ILLATIO CCLVII.

Maria liber, in quo sanctum Domino scriptum fuit, ab Originali labe libera.

D. Anselmus in conclusione salutationum citatus in Biblia virginali per laminam auream Mariam intelligit: sic accinit. 91.

Aue lamina aurea,
In te ipsa circunscriptæ
Nomen propitiabile,
Quod est indecibile.

Anselmus

Idem docuit S. Thomas Villanoua concione prima de natiuitate virginis. Lamina illa, quæ Aaronem ornabat ex auro purissimo extensa fuit opere malleatorio, nõ arte fusili; vt indicaretur, in ea nullam terræ fuisse scoriam, nec alterius metalli admistionem, sed totam auream; ac proinde non indiguisse fornacis examine, aut separatione. Quis non videat, hæc aptissime adaptari Mariæ sanctissimæ, quæ ex auro purissimo caritatis conflata tota aurea, & absque nostri metalli sordibus concepta fuit, vt sanctum sanctorum in ea scriberetur. Hinc argumentum sumere non dubito ad confirmandam eius puritissimam conceptionem. Exauro purissimo iussit Deus laminam fieri, in qua sanctum Domini sculperetur. Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 7. sic ait de lamina illa. *Lamina aurea in fronte Pontificis, in qua sanctum Domino, vel sanctum Domini sculptum est, sacratius est cæteris indumentis.* Sacratior erat lamina, & ex auro purissimo confecta, omnem mistionem aut terræ aut alterius metalli ab ea Deus prorsus relegauit, qui tamen cum Ephod, & Rationalis fabricam præcepisset, nõ aurum solum, sed byssum, hyacinthum, purpuram, coccumque bis tinctum requisiuit, quorum fila mirabili textura connexa opus polymitum efficerent. Vbi nota, in his ornamentis Deum non solum non contempsisse mixtionem, imo

S. Thom. Villan.

Beda.

sedulò præcepisse vt constat ex hoc cap. 28.

Exod. 28. n. 6. n. 6. vbi dicitur: *Facient autem superhumerale de auro & hyacintho, & purpura, coccoque bis tinctо, & byssо retorta opere polymito.*

Septuaginta. Vbi legere Septuaginta: *Opus contextum variegatoris*: at cum laminæ fabricam præcepit, ex auro purissimo extendi iussit. Vt quid ergo Deus alterius materiæ excludit mixtionem in lamina, cum eam in Ephod, & Rationali admittat? Certe: quia in lamina sanctum Domini, hoc est, Iesu filij Dei nomen erat celandum, vt vidimus duabus illationibus præcedentibus. Quia ergo Iesu Christi nomen scribendum erat in lamina, prouidit Deus, vt ex auro absque scoria, vel alterius metalli admixtione conficeretur. Si ergo Deus tanta cura prouidit puritatem in lamina illa, vt apta charta esset ad tanti nominis susciendos caracteres; quam in nostra excellentiori lamina Maria non desideraſſet, in qua non mortuo stylo nomen, sed ipsum Verbum æternum scribendum erat; Fuit ergo hæc lamina auro purissimo purior, absque primi parentis sorde concepta, & à terræ maledicto immunis.

92. Huic laminæ, in qua scriptum erat sanctum Domini, mirificè consonat liber ille à

Matth. 1. n. 1. Matthæo relatus cap. 1 n. 1. *liber generationis Iesu Christi*, &c. Nam liber iste, præterquam quod Ecclesia sancta beatissimæ virgini tri-

Hugo Card. buit, Cardinalis Hugo ad cap. 23. Ecclesiast. expressit dicens: *Beata virgo, quæ est liber vitæ, liber grandis, liber generationis Matthæi.* Est ergo Maria liber, in quo diuinum Verbum humanis caracteribus, sed non opere humano, sed virtute Spiritus sancti, fuit scriptum. Ergo non infecta peccati originalis labe. Quis enim credet, laminam ab omni sorde, & scoria puram, vt sanctum nomen scriberetur, tanta cura præparari; & viuam laminam matrem virginem primi parentis atramento maculatam fuisse? Dicamus ergo Mariam in sua conceptione noxialis pomi acerbitatem ignorasse; quia liber, charta, aut lamina erat, in qua sanctitas Verbi erat scribenda.

93. Gloriosè æternum Verbum Dauidis orga-

Psal. 39. n. 9. no præcinebat Psalm. 39. n. 9. *In capite libri scriptum est de me.* Quid est in capite libri

Hebraïce. Verbum fuisse scriptum? Hebraïca translatio id expressit, dum dixit: *In prima pagina scriptum est de me.* Hoc est in principio libri scriptus erat Dei Filius. At quid est, quod in primo folio, aut eius periodo diuini Verbi magnalia sint scripta? Certe: si Maria non esset hic liber, aut hæc charta, in qua Verbum fuisset scriptum, hæsitarem vtique: at cum ipsa sit liber, & liber grandis, vt Vidimus n. præcedenti, facile suæ conceptionis puritas demonstratur. Nam Verbum æternum fuisse scriptum in principio huius libri; perinde est, ac promulgare, primam paginam huius libri sibi Verbum consecrasse, vt in illa scribi posset. Ergo prima pagina, hoc est, primum instans huius libri, pura, munda, & immaculata fuit, vt in ea tanta scriptura posset exarari. Ergo Maria, quæ liber est, in cuius prima pagina Verbum æternum fuit scriptum, in primo instanti, non dæmoni, sed Filio Dei æterno inseruiuit.

Cum Mariam librum audis, eius inquire auctorem. Iam tibi dedi supra illatione 218. Marianam conceptionem ab originali labe immunem, eo quod supremo tribuitur opifici. Nunc eiusdem libri eundem auctorem recognosce, vt exinde, quam pura in sua conceptione extiterit mater virgo, asseras, & defendas. Pacianus epistola tertia ad Sympronianum diserte, & vere dixit: *Nullus artifex opera sua despicit, nec vilia sibi putat esse, quæ fecit. Et vnde pro peccatoribus passum putas fuisse Christum, nisi quod perdere noluit, quidquid ipse formauit.* Hæc est omnium artificum conditio, hoc studium, magni sua opera semper facere. Cum ergo Marianus liber diuinum habeat auctorem, credendum est, illum non despexisse, nec permisisse primam paginam obliterari primorum parentum inobedientiæ atramento. Male suasus pomum momordit Adam, venenum sibi, & toxicum posteris propinans: dignus erat, vt statim Deus capitis pœna mulctaret eum, quem vitæ sic prodigum reperit; at mortem illi distulit, vt pœnitentia doleret admissum, & lachrymis deleret scelus. Sed ô iustissime iudex! Cur non è medio tollis hominem, cui prædixeras: In quocunque die comederitis ex eo morte moriemini? Iam adest dies infelix, in quo infauste comedit homo. Ergo reus est mortis. Non viuat, qui nec Deo, nec sibi vitam æstimauit. Cur vitam differs (ô vindex sancte?) & per tot sæculorum spatia respirare permittis? Quia Deus totus occupatus, & deditus vt (inquit Tertullianus) hominis structuræ, limum illum plasmauerat suis manibus: *& nullus artifex opera sua despicit nec vilia sibi putat esse, quæ fecit.* Piaculum accusabat protoparentem nostrum, & mortem, qua dignus erat, exequi petebat: at dolebat Deum, limum vix exsiccatum confringere, quem suis manibus formauerat. Clamabat iustitia; sed homo, quà diuini artificis opificium se defendebat, ne periret: & forsan Deus defendebat hominem, veluti dicens, se nolle perdere opus manuum suarum. Sed iam obiectio clamat. Angelus nequam à Domino prodit in lucem, Dei fuit opus homine excellentius tam insitis prædicatis, quam priuilegiis gratuitis. Quare ergo angelum æterna morte interemit? Homo redemptus est moriente ipsa vita Christo, & pro eo pretiosum effundente cruorem: & angelo nullum adest remedium! Si homo reparationis est capax, quia Deum habet auctorem, vt dixit Patianus; *& vnde pro peccatoribus passum putas fuisse Christum, nisi quod perdere noluit, quidquid ipse formauit*: Id ipsum habet angelus nequam. Cur ergo ei omnis salutis spes erepta est. Multa Theologi vt quæsito satisfaciant, excogitarunt, omitto ea, vt præsenti instituto deseruiam; & singularem tibi rationem offero, superbe inflatus præsumpsit lucifer in cœlum conscendere, & coæquare altissimi maiestatem, & cum Deo æquale habere consortium. Sic superbiæ alas extendens creatoris præsumpsit

94. Pacianus.

pſit excellentiam, & ſe extrahere à linea, & ſphæra creaturæ. Merito ergo periit abſque recuperationis ſpe: quia cum in creatoris conſpirauit dignitatem, dedignatus eſt dependentiam creaturæ, & recuſauit eſſe Dei opificium, à quo tot donis fuerat conditus, & ornatus. Non ſic homo, non ſic, ſed Deum opificem recognoſcens, veniam ab eo petiit. En ergo tibi cauſam ob quam homo reparatus fuit; ſecus angelus: quia Deum recognouit auctorem; iſte negauit Dei fuiſſe opificium.

95. Humilius, & ſapientius multo quam angelus, ſe geſſit Iobus in illa calamitatum procella, cum querulus redarguebat Deum dicens capite decimo, numero octauo. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: & ſic repente præcipitas me?* in ſterquilinio ſedebat Iob plenus vlceribus, vermibus ſcatens, pure, & ſanie coopertus, amicis exoſus, vxori offenſus, & tandem omni plaga circundatus; patienter tamen ad Deum mittebat querelas, non tam de ſua calamitate conquerens, quam de Dei obliuione (vt ita loquar) circumueniens eum, eo quòd ſuarum manuum opus videbatur deſpicere. Sic Gregorius magnus ſemper libro nono Moralium, capite trigeſimo ſexto. *Manus tuæ, Domine* (inquit) *fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me? ac ſi aperte dicat: cur tanta vilitate deſpicis, quem cum tanta dignitate condidiſti? & quem ratione rebus cæteris præfers, cur ex dolore ſuppönis?* ſi aliquando homini licet, de Deo conqueri, maximè cum ſuum opus ita deſerit, ac ſi illius non eſſet creatura. Ob hoc querebatur Iob, & plaſmationem ſuam velut reuocat in Dei memoriam; vt ceſſet iam plaga, vbi plaſmatis adeſt recordatio.

Iob. 10. n. 8.

Gregorius.

96. Ex Iobi ſchola didicit Dauid diuinam implorare largitatem ad obſeruanda legis mandata. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me: da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.* Pſalmo centeſimo decimo octauo, numero ſeptuageſimo tertio, Nota Dauidis ſtylum, non exorat, ſed petit, dixerat: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me*; vt ſe totum Dei opus exprimeret, & ſecundum animam per creationem; & ſecundum corpus per plaſmationem, & ex hoc quaſi habens Deum debitorem ſibi, ait: *Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua*: id eſt, da mihi cognitionem, qua mandata tua adimplere valeam. O purpuratè vates! aduerte, quod etſi glorieris à Deo plaſmatum fuiſſe, cognitio, quam petis ad ſeruanda mandata Dei, non eſt debita, ſed gratuita. Cur ergo eam petis, ac ſi tibi ex iuſtitia deberetur, dicens; da mihi intellectum, &c. Preces effunde, inſtanter ora, & te exaudiet Deus. Cur ſic petis, ac ſi non gratiam, ſed debitum poſtularet? quia manibus Dei ſum plaſmatus, reſponderet Dauid. Ex eo ergo, quod opus Dei ſe humiliter proponit, quaſi obſtrinxit diuinam largitatem, ad concedendum, quod poſtulabat. Habes Ambroſium apud magiſtrum

Pſ. 118. n. 73.

Ambroſius.

ſententiarum in hæc verba rem hanc acute expendentem. *Notandum quippe, quod magnæ commendationis vſus eſt exordio, cum opus Dei ſe eſſe dicit, ſed vtramque ſui naturam, quò facilius circa operis ſui gratiam fauor inclinetur auctoris, & grandis etiam hominis prærogatiua monſtraretur. Pretioſum quippe opus Dei eſt homo. De aliis namque operibus legitur: dixit, & facta ſunt: hominem vero manibus figurauit, quaſi ſtudioſius operans in hominis creatione; de qua quaſi quoddam conſilio ante tractat, quam fiat, & ſpecialis hortatus præceſſit: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Quid illuſtrius?

97. Quanto affectu, æſtimatione quanta vnuſquiſque opus ſuum præ oculis habeat, ſatis ſuperque monſtrauit Deus, cum ſeruo præcepit Moyſi nouas ſibi dolare tabulas, ſicut priores, quas confregerat zelo Dei accenſus ob ſacrilegum vituli piaculum. *Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum.* Exodi trigeſimo quarto, numero primo, & rurſus ibidem, numero vigeſimo octauo de Moyſe dicitur: *& ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.* Ecce quomodo Deus Moyſi tabularum dolationem, & ſcripturam commiſit, ſi autem qualiter Deus circa tabulas, quas confregerat Moyſes, ſe geſſerit inquiras, ſatis id explicuit ſacer textus Exodi trigeſimo ſecundo, numero decimo quinto, & decimo ſexto; his verbis, *& reuerſus eſt Moyſes de monte portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis.* Vide diuerſitatem inter vtraſque tabulas: priores manu Dei fuerunt exaratæ, & diuino opere diſpoſitæ, & politæ, vt conſtat etiam Exodi trigeſimo primo, numero decimo octauo, vbi dicitur: *Deditque Dominus, completis huiuſcemodi ſermonibus, in monte Synai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei*: poſteriores vero cura, & labore Moyſis dolatæ, & ſcriptæ. Adquid ergo Deus, qui priores tabulas non ſolum perpolitiſſimè limauit, ſed in eis etiam mandata legis ſcripſit; poſteriorum autem laborem, & ſcripturam commiſit Moyſi? ſi vt legis in eis ſcriptæ honori Deus conſuleret, primas diſpoſuit tabulas, & digito ſuo ſcripſit, eadem ratio militat pro ſecundis, ſiquidem eadem lex in eis erat exarandà: cur ergo ſtudio Moyſis, & manibus ſecundas commiſit, vt dolaret, & ſcriberet? puto, ideo ſic diſpoſitum, ne has, ſicut priores confringeret. Nam cum poſteriores labore & induſtria Moyſes elaborauit, & propria manu in eis legis præcepta ſcripſit velut ingenij, & proprij operis partus eas æſtimabit, nec patietur confringi, ne opus ſuum deſpicere videretur. Quanuis enim priores non minori affectu indemnes à confractionis diſpendio cuſtodire debuiſſet, vtpote à Deo ſcriptas, neſcio quid habet opus proprium, vt pluris æſtimetur, quam alienum, ſumma ergo arte vſus eſt Deus, ne Moyſes iterum legis tabulas confringeret, moyſi præcipiens, vt ipſe eas exornaret, & ſcriberet, vt ſic cuſtodiret tanquam proprias, & illæſas ſeruaret. Ex his iam haud difficul-

Exod 34. n. 1.

ibid. num. 28.

Ex. 31. n. 15. & 16.

Ex. 31. n. 18.

ter noſtri themaris adducemus cõfirmationæ. Maria opus Dei eſt: ergo magni apud Deum habita in ipſo conceptionis exordio. Inſuper Virgo mater liber magnus eſt ab illo inſtanti, in quo diuinum Verbum humanis caracteribus ab Spiritu ſancto ſcriptum. Ergo abſque litura, & Adami confractione, ſi enim nullus eſt artifex, qui proprium opus deſpiciat: ergo ſupremus marianum opificium, quod in matrem condidit, non deſpexit tanta vilitate, vt dæmonis permiſerit ſeruituti: ſed vt auctoris huius libri auctoritas exigebat, eum à communi labe præſeruare immunem.

ILLATIO CCLVIII.

Maria non ſolum in gratia, ſed in gloria concepta.

98. IN hoc ſæculo, in quo conceptionis marianæ myſterium vniuerſali Eccleſiæ celebritate colitur; tot doctorum ſuffragio confirmatur tam ſcripturæ, quam Patrum teſtimoniis validiſſimis, & fidelium tantum creuit deuotio, parum mihi videretur, ſi matrem Dei in illo primo inſtanti ornatam gratia defenderem. Altius priuilegium ſuæ genitrici conceſſit Deus, nempe viſionem claram, & intuitiuam ſui in conceptione: hoc eſt dicere: Maria non ſolum in gratia fuit concepta; ſed & in gloria. Ita tenent grauiſſimi Theologi Complutenſes Salazar. inter quos ſolum annumero ſapientiſſimum Ferdinandum de Salazar ſanctæ, & ſupremæ inquiſitionis conſiliarium, tomo de conceptione, cap. 32. num. 47. & ſequentibus. Item Hieronymus de Gueuara, Didacus Pinto Ramirez Gueuara. Pinto. tomo de conceptione, & fere omnes Neoterici. Rationes ſcholaſticas adducere, eſt præter noſtrum inſtitutum, quapropter eas omitto, & concionatoris ſtylo hoc thema aliis argumentis præter relata ab his auctoribus confir- Ildephonſus. mare contendam. Adeſt protocapellanus Mariæ ſanctæ Ildephonſus libro de parturitione Virginis. *Dies*, (inquit) *in qua inchoata eſt Mariæ natiuitas, beata pronunciatur, & colitur religioſè ſanis.* Per natiuitatem inchoatam intelligit Toletanus antiſtes conceptionem Mariæ, ſciebat ſanctus doctor ſecundum phraſim ſcri- Mat. 1. n. 20. pturæ conceptionem dici natiuitatem, iuxta illud Matthæi 1. numero 20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*: & tamen nondum Chriſtus editus erat in lucem: ergo perinde eſt, ac ſi diceret; quod in ea conceptum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Prima natiuitas conceptio dicitur: ſecunda ortus, aut lucis vſura. Inchoatam natiuitatem Mariæ appellat Ildephonſus conceptionem eius; quaſi tunc inceperit naſci expectans conſummatam natiuitatem, nempe egreſſum ab vtero materno. Illam beatam vocauit: ergo quia Maria dum concipiebatur gloriæ radiis eſſet perfuſa.

99. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens*; admiratione pleni cœleſtes incolæ Cant. 6. n. 9. decantabant Cant. 6. num 9. diuus Ambroſius Ambroſius. 4. Hexamer. cap. 8. ad medium ſic legit: *Quænam hæc eſt, proſpiciens tanquam diluculum.* Iſta eſt Maria ſolis iuſtitiæ mater, ſed hæreo tranſlationi Ambroſij. Cur Mariæ, dum concipitur, viſus conceditur? aut in quem vix concepta apertis oculis tendit? in Deum erat intenta, & Dei viſione fruebatur. Ergo tunc videns deſcribitur, vt glorioſa in ſua conceptione prædicetur. Quod ſic explico, viſio Dei per anthonomaſiam à Theologis nuncupatur illa, qua clare Deum intuemur, & beamur. Maria ergo in conceptione proſpiciens aſſeritur, aut viſione Dei ditata, vt beata intelligatur.

Si non credis, Mariam in gloria conceptam, 100. accede ad rubum, quem ignis occupat, non incendit; illuminat, non comburit: Moyſem conſule, & tibi aperiet myſterium. *Apparuit ei* Exod. 3. n. 2. *Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur*, Exod 3. num. 2. ardere rubum perinde eſt, ac illuminari: ſic explicant Cornelius à lapide, Eſtius, Menochius, & alij. Sed cur rubus circumſeptus ab igne non comburitur, ſed illuſtratur? ignis ex ſua natiua vi lucem, & calorem producit: illa illuminat; hoc comburit. Quare ergo rubo intra eius ſphæram exiſtenti lucem communicat, & negat calorem, ne ſequatur combuſtio? ex æquo ignis in lucem, & combuſtionem propendet: & tamen rubi nec leue folium conſumpſit, omnia eius folia perlucidè illuſtrans. Cur ita? quia rubus ille Mariam præſignabat (vt communis eſt Patrum conſenſus; imo vt Eccleſia docet) vt ergo hoc prodigio denotaretur, non ſolum Mariam à primo ſuæ vitæ inſtanti vſque ad vltimam periodum Spiritus ſancti luce fulſiſſe; à radice vſque ad cacumen rubi ignis inſtar fontis ſcaturiebat: at comburendi ſitim depoſuit, & illuminandi ſolum retinuit actionem, vt beatiſſimam virginem à radice, hoc eſt, à conceptione, vſque ad cacumen, id eſt, vſque ad aſſumptionem glorioſam ignis luce potitam abſque combuſtionis iniuria, vt in illa, ſicut in iſta gloriæ luce videretur amicta. Vis vt probem iſtum cogitatum? audi Ambroſium lib. 4. He- Ambroſius. xamer. cap. 3. ignis munia diſtribuentem in die retributionis. *In retributionibus quoque meritorum colligimus diuidi ignis naturam; vt alios illuminet, alios exurat: illuminet iuſtos, exurat impios.* In extrema illa die ignis ſuo creatori inſeruiens ſua munia diuidet: luce velut gloriæ amictu iuſtos operiet; reprobis, & impiis combuſtionem ſeruabit. Flamma gehennæ vrit, non lucet teſte Baſilio: at ignis iuſtorum, & beatitudine fruentium lucet, ſed non vrit, eſt ergo ſignum gloriæ, & beatitatis fulgere inter flammas, & non comburi. Rubus ergo ſignum gloriæ erat, quia fulgebat circumſepta flammis. Ardebat à radice, vel in radice (Philonem conſule) & non comburebatur, vt in radice gloriæ habeat ſpecimen. Maria ergo rubi prototypus lucet in radice,, & ignis non conſumitur flammis, vt in conceptione, quæ vitæ radix eſt, gloriæ radiis circumfuſa oſtenderetur.

Virga floribus vernans eſt Maria: Iſaiæ vn- 101. decimo, numero 1. aromatum virga ab angelis ſalutatur, dum eorum humeris pergit in cælum. Ab illo ſic: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*: ab iſtis. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto ſicut virgula fumi ex* aromatibus, &c. Cant. 3. numero ſexto, Cant. 3. n. 6. ſed

sed cur vtrobique virgæ titulo nuncupatur Maria suauem, & aromaticum suffitum exhalans? quare cum concipitur virga? de eius conceptione cum grauissimis expositoribus intelligo vaticinium Isaiæ) & cur virga etiam cum in cælum euehitur? vt inter primam, & vltimam vitæ periodum admirabilem concentum, & harmoniam agnoscamus. Quod est idem, ac dicere: Maria in primo suæ vitæ instanti fuit beata, sicut in vltimo. Hanc consonantiam inter conceptionem Mariæ, & eius assumptionem in cælum explicuit Ildephonsus dicens. *Ideo quasi virgula fumi, quia ipsa est virga illa de radice Iesse.* Virgæ titulo veneratur ab angelis virgo mater in assumptione; quia hoc cognomine in conceptione annumerata fuerat ab Isaia; vt vltimum Marianæ vitæ instans primo conformaretur, & primum vltimo non esset dissimile. Ergo sicut in assumptione beatitatem obtinuit in conceptione eandem comparauerat.

102. Apocalypsis duodecimo, numero secundo, vates ille Pathmeus Mariam è cælo descendentem refert iuxta mentem diui Augustini, Ruperti, & Bernardi. *Vidi ciuitatem* Apoc. 12. n. 2 *sanctam Ieruſalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Iam vrget difficultas: quî fieri possit, vt Deipara è cælo descendere intelligatur? Dei Filius è regali sede illa descendit,, secus eius genitrix: quomodo ergo diximus, Mariam cuius typum hæc ciuitas præferebat, è cælo descendisse. Diuus Augustinus libro Augustinus. vigesimo de ciuitate capite decimo septimo, sic dubium soluit. *De cælo descendere ista ciuitas dicitur, quoniam cælestis est gratia, qua Deus eam fecit.* Sed adhuc restat alius nodus soluendus, estne aliqua gratia, quæ è cælo non descenderit? gratia enim donum Dei est: ergo è sursum descendit. Cum ergo hanc habere gratiam omnibus iustis sit commune: quare diuus Augustinus asseruit, Mariam è cælo descendisse; quia gratia, qua Deus eam fecit, erat cælestis? alij responderunt, ideo Mariæ gratiam cælestem ab Augustino nuncupari, ad ostendendam puritatem suæ conceptionis, sit ita. Quod amplius explico. Omnis gratia à cælo ducit originem, hoc est, ab auctore gratiæ, qui est in cælo: inde translata est in terram; tamen aliquid speciale inuenio in gratia illa, qua ornata fuit mater virgo, vt cælestis appelletur. Dicitur ergo cælestis hæc gratia; quia sic eam habuit Maria, sicut cælestes angeli eam obtinuere. At quomodo angeli gratiam fuerunt consecuti? in ipso suæ creationis exordio: sic diuus Augustinus: *Deus erat simul condens naturam, & largiens gratiam.* Vt igitur denotaretur in Virginis beatissimæ conceptione eundem stylum Deum seruasse, ac in creatione angelorum, gratia, qua primum illud instans ornabatur, dicitur cælestis, vt non prius Mariam à natura formatam, quam à gratia intelligeres. Perbelle, sed ad rem nostram dicito: ideo hanc gratiam cælestem nuncupari; vt Mariam in gloria conceptam asseramus. Duplex videtur gratia cælestis: vna hominibus in terra degentibus, & in culpam lapsis; altera est, quæ consummata dicitur, & hæc est gloria. Hæc quæ perfecte cælestis est tum origine, tum quia in cælo potitur, Mariam exornauit in prima suæ conceptionis periodo; vt exinde noscas Deiparam virginem tunc beatam fuisse, quia descendit è cælo, & quia cælestem gratiam obtinuit. Merito ergo è cælo descendisse prædicatur: quia Deus eam cum fecit, ornauit cælesti gratia, consummata, inquam, quæ gloria, & beatitas est.

Laminam auream vitta hyacinthina tiaræ 103. Pontificis in vtroque extremo constrictam sacerdoti suo præparauit Deus: *ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* Quid mirum sanctum Domini in ea celari, si Mariæ typus extitit? verum placet inquirere: cur hæc lamina in vtraque extremitate vitta hyacinthina ligabatur tiaræ Pontificis? quia hyacinthus cælestem colorem refert. Vt ergo denotaretur, Mariam in vtroque vitæ termino, in exordio, scilicet, & fine, cælestem vitam habuisse, & quod sicut in vltimo quando amoris diuini iaculo saucia emisit Spiritum; protinus lumine perfusa beatitatem obtinuit; sic etiam in primo beatificæ visionis summam felicitatem comparauit, vt sic vtrumque extremum mutuò sese respiciat. Ob hoc Andreas Cretensis sermone de assumptione Mariæ vtramque periodum mirabilem appellauit, & comparauit ex æquo, dicens: *Maria in hunc mundum ingressus, simul & postremus eius discessus plenus est miraculo, nec humanæ mentis acumine potest comprehendi.* Vtrumque Mariæ instans primum, & vltimum coruscat prodigiis, humanæ mentis acumen excedit, & quantunuis se eleuet intellectus comprehendere non valebit. Mutuo se respiciunt. Ergo sicut in vltimo Maria gloriæ radiis emicuit, sic in primo beatitatis luce resplenduit.

Illatio CCLIX.

Mariæ natiuitas felicissimum auspicium fuit natiuitatis Christi.

Mariæ natiuitas (inquit Damascenus 104. oratione 3. de natiuitate Mariæ) *festorum* Damascenus *anteambulo, mysterij Christi præludium*, inter natiuitatem Mariæ, & Christi natalitium tanta est connexio, vt Mariam nasci, sit ortus Christi vadimonium, & quid mirum, cum Maria quasi aurora consurgens ex vtero materno progrediatur, solis iustitiæ annunciet aduentum? accipe Petrum Damianum sermone quarto, qui est de assumptione Virginis. *Nata Virgine surrexit aurora; quia Maria veri præuia luminis natiuitate sua mane clarissimum serenauit.* Hoc sensu idem purpuratus vaticinium illud. Numer. vigesimo quarto, numero decimo septimo. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel:* vel vt Septuaginta legere: *& consurget homo de Israel*; intelligit, vt inter Mariam, & Christum exprimeret connexionem dicens sermone quadragesimo sexto, qui est tertius de natiuitate Virginis. *Hodie apparuit stella mundo, per quam sol iustitiæ illuxit mundo. Illa videlicet, de qua per Prophetam dicitur.*

Petr. Dam. Num. 24. n. 17.

Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael. Vix Balaam ſtellam illam, quæ Mariam præſignabat, annunciauit, cum ſtatim Deum hominem prædixit. Quis enim homo ex ſtella ortus legitur, niſi Chriſtus, qui ſolis cognomine decoratur? ſicut namque matutina ſtella meterialis iubaris indicat ſplendorem: ſic Maria ſtella multò ſplendidior, Chriſti, qui ſol iuſtitiæ eſt, annunciat aduentum.

105. Adſit Iacobi ſæpe decantata lucta: *& ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Geneſ. 32. num. 24. Vbi multi patres Deum colluctatorem adſtruunt. Mutuò ſeſe vterque contorquet, ſed dubia eſt victoria. Vrget Deus, premitur Iacob, ſed reſiſtit fortiter, & tandem vicit Patriarcha. Quid tunc Deus? *dimitte me* (ait) *iam enim aſcendit aurora.* ibidem 32. num. 26. Aduentum auroræ proponit Deus, vt Iacob vacet à lucta, ſed ô bone Deus! permitte, me tuiſmet actionibus redarguere te, vſque mane certamen inis cum ſeruo, & eum ſuperare non vales: *qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet.* ibidem, numero 25. Non ergo efficaciter ſuades, vt à certamine ceſſet, quin victoriam à te reportet. Cur ergo auroræ aduentu luctæ finem imponeree contendis? aut quid demonſtrat aurora, vt Iacob deſiſtat à lucta? profecto: quia certabat Iacob cum Verbo, vt carnem aſſumeret in remedium humani generis, at Verbum repugnabat pugili, quia nondum plenitudo temporis aduenerat. Iterum inſtabat Iacob, & premebat amplexibus. At tunc Deus quaſi à Iacobo victus rogat, vt dimittat eum, veluti concedent, quod poſtulabat Patriarcha, dicens, dimitte me, quia iam aſcendit aurora. Quaſi diceret: auroram ſolis matrem conſidera iam aſcendentem, in qua matris virginis, quæ verum ſolem eſt paritura, pignus tibi offero: & cum Mariæ vmbram tibi oſtendo, eſto certus, quod veſtram naturam aſſumam. Prodeſt doctus Ailgrinus. Cant. 6. num. 9. *Iacob luctante cum angelo ſancti Patres deſignantur, qui luctantes cum Domino precibus, & lachrimis extorquere, & obtinere à Domino incarnationem Filij ſui tali inſtantia, velut quadam victoria nitebantur, ſed eorum catui reſpondetur à Domino: dimitte me: iam enim aſcendit aurora. Ceſſet inſtantia veſtri luctaminis: quia iam lux naſcitur, videlicet beata Virgo, quæ vobis pariet verum ſolem.* Vmbra aduentus Mariæ ab oculis ſanctorum lachrymas Deus abſtergit: quia in ea ſui aduentus dederat pignus.

Gen. 32. n. 24

ibid. num. 26

Ailgrinus.

106. Glorioſam ab Iſrael Philiſtæi reportauerunt victoriam: cumque Hebræi inirent conſilium, vt honorem perditum vindicarent; arcam fœderis Domini in caſtra deferre decreuerunt; ſolemnique cultu, & clamore grandi eam ſuſcipientes in medio caſtrorum collocarunt. Audierunt Philiſtæi Iſraelis lætitiam, & celebritatem aduentus eius, & ait facer textus, 1. Reg. 4. num. 7. *Timuerunt dicentes: venit Deus in caſtra, & ingemuerunt dicentes: væ nobis.* Ambobus oculis Philiſtæi ſuam deplorabant fortunam; quia Deus Hebræorum venerat dimicaturus pro eis, ſed eia, Philiſtæi, erigite animum! heri enim victoriam reportaſtis contra Iſrael: cur hodie timeris? *quia venit Deus in caſtra,* ſed ô timidi! aduertite, quod Deus non venit, ſed arca: *cumque veniſſet arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi, & perſonuit terra,* ibidem, numero 5. Ergo nulla vobis eſt occaſio, vt tot gemitibus veſtram deploretis iacturam. Deponite timorem, ſiquidem non Deus, ſed arca venit in caſtra Hebræorum. Cur vos iudicatis, veniſſe Deum in caſtra? ô quam diſerte diſcurrebant Philiſtæi, tametſi non penitus callebant myſterium. Nonne arca venerat in caſtra, in qua ſecundum Eccleſiæ, & Patrum communem conſenſum, Maria figurabatur? Ergo ſatis cordate Philiſtæi, quantumuis barbari, intulerunt, Deum veniſſe in caſtra cum arcæ intellexerunt aduentum. Quia cum arca virginis matris typus eſſet; vel vmbra Mariæ ita certo promittit Dei præſentiam, vt perſuaſum fuerit Philiſtæis, idem eſſe, Iſraelitas arcam fœderis intuliſſe in caſtra, ac Dei potiri ſuffragio. Tanta eſt incer Mariam, & Chriſtum connexio: vt (licet ignoranter) putarent, idem eſſe, protegi vmbra Mariæ, ac Dei tutamine defendi.

ibid. num. 5

107. Natiuitatem virginis admirantes cælites ſe inuicem interrogabant hoc modo: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi puluerис pigmentarij.* Cant. 3. num. 6. ſed quid eſt, Mariam naſci ſicut virgulam fumi, vel ſicut fumi euaporationem, vt legit Symmachus? ſi Maria in ortu auroræ excedit pulchritudinem, & radios; cur tunc ab angelis celebratur ſicut virgula fumi, quæ quanuis ex aromatibus confecta, tamen fumi non exuit naturam, & ab obſcuritatis non purgatur iniuria, quæ à Mariæ ortu prorſus eſt releganda? ſemel tantum in Maria vmbram legimus, nempe in die incarnationis: *& virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. numero 35. At hæc vmbra iuxta Gregorium Niſſenum fuit ipſa lux Spiritus ſancti. *Altiſſimi poteſtas* (inquit ad cap. 5. Cant. num. 10.) *quaſi quadam nubes virginitatem ipſam inumbrans, fax nuptialis; Spiritus ſancti ſplendor.* Si ergo Maria non admittit nec vmbræ obſcuritatem: cur virgula fumi prædicatur, dum naſcitur? ideo puto factum, vt oſtenderent angeli, Mariæ ortum ſignum naturale, & euidens extitiſſe Chriſti, quod ſic explico. Deus ignis dicitur Deutoronom. 4. num. 24. *Dominus Deus tuus ignis conſummens eſt.* & Exod. 19. numero 18. in ſpecie ignis deſcendit in monte Synai: *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne.* Itaque Deus modo ſub igne latet; modo ignem ſe prædicat. Collige ergo ex his. ſummo iure Mariam in ſuo ortu fumi virgam prædicari ab angelis; vt oſtenderent, quod ſicut fumus euidenter, & naturaliter ignem oſtendit, aut cum eo connectitur: ſic Mariæ ortus, qui virgulæ fumo ex aromatibus confecto comparatur, Dei, qui ignis eſt, vt ſub igne latere aſſolet, ſignum euidens, & naturale extitit. Cyrillus Alexandrinus in collectaneis ſuper Exodum cap. 17. attento animo, & apertis oculis fumum ex cacumine Sinai exhalatum expendens, & aſpiciens, ſic ait: *Fumus autem facile innuebat arcanum diuinæ naturæ.* Sed in quo, fumus obſcuritate niger, diuinâ naturam, quæ lux eſt, facile exprimere potuit? optime, quia Deus ignis

Lucæ 1. n. 35 Greg. Niſſ.

Deut. 4. n. 24. Ex. 19. n. 18.

Cyrill. Alex

conſu

consumens est, & fumus ignis naturale signum. Maria vt virgula fumi nascitur virtutum, ac perfectionum suffitum exhalans; vt Dei, qui ignis consumens est, signum existat naturale, sicut ergo fumus ab igne separari nequit, & in illius nos ducit cognitionem: sic Maria dum nascitur velut cum Deo connexa, Dei exprimit naturam.

108. Celeberrimum illud vaticinium Isaiæ cap. Isaiæ 11. n. 1. vndecimo, numero primo. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* Petr. Damin. expendens Petrus Damianus sermone quadragesimo sexto, expresse asserit, in beatissimæ Virginis natalitio adimpletum. *Hodie* (inquit) *impleta est Prophetia illa, quam eximius Prophetarum Isaias quasi præco factus ad aduentum reginæ mundi magna voce clamabat, dicens: egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Difficilia videntur Damiani verba. Nam tametsi in Mariæ ortu Isaiæ vaticinium quantum ad illud: *egredietur virga de radice Iesse*, fuerit adimpletum; quantum ad vltimum, nempe; *& flos de radice eius ascendet*, in natiuitate virginis adimpleri non potest: quia, vt communis patrum tenet consensus, flos ille Christum designabat, & neminem latet, in natiuitate virginis nondum fuisse natum Christum. Quare ergo Petrus Damianus constanter asserit, in Mariæ ortu impletam fuisse hanc Prophetiam? quia cum Maria sit signum naturale Christi, tanta connexio est inter Filium, & matrem, vt quando mater nascitur, videatur Christus iam ortus. Nam quemadmodum aurora solis est vadimonium: sic Maria, quæ quasi aurora nascitur naturaliter designat solem iustitiæ Christum, & sicut fumus existentiam, & ardorem ignis promittit; sic Maria, quæ cum nascitur, fumi virgulæ, vel vapori assimilatur, Filij Dei, qui igneo ardore homines prosequitur, ostendit, & certo promittit incarnationem. Aptissimè ergo Petrus Damianus in natiuitate virginis Christum iam natum refert, non quia natus tunc fuerit, sed quia Mariæ ortus ita connexus fuit cum Christi natiuitate; vt nata Maria certam spem haberi debeat de Christo nascituro.

109. Sed adhuc expendenda sunt præfata verba Damascen. Isaiæ: *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Petrus Damascenus oratione secunda de natiuitate Mariæ ait: *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Quod quidem citra vllam dubitationem ad Christum, & Virginem refertur. Germen enim proprie Dauid est, virga procul dubio Maria, flos autem Christus accipitur.* Sed quænam est connexio inter virgam, & florem; vt è radice virgæ florem ascendere prædicetur? quia virgo est virga, & Christus flos. Dicitur ergo à radice virgæ flos ascendere, vt à natiuitate Mariæ Christi felix accipiatur auspicium.

110. Ni fallor hoc intendit Ecclesia sancta cum in Virginis natalitio Christi refert genealogiam, quam tandem concludit. *De qua natus* Mat. 1. n. 16. *est Iesus, qui vocatur Christus.* Matthæi primo, numero decimo sexto, natiuitatem Christi secundum carnem Ecclesia reuocat in memoriam fidelium, cum Virginis natalitium summis laudibus celebrat, sed ad quid, si tunc non est dies natalis Domini, sed Mariæ, natiuitatis Christi recordatur Ecclesia? quia nasci Mariam, fere est idem, ac nasci Christum. Nam cum natiuitas beatissimæ Virginis sit mysterij Christi præludium, nata Virgine, de ortu Christi sic certi possumus esse, ac si eum iam natum videremus. Tanta est inter Christum, & Mariam connexio, seu identitas (vt ait Petrus Damianus sermone primo, de natiuitate Virginis vbi ait: *Habitat in Virgine Deus, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem*: non quia Christus, & Maria sint eadem persona, aut natura, absit, sed quia ex ea carnem assumpsit quam semper retinuit) vt natiuitas Virginis Christi videatur ortus. Petr. Damia.

111. In lamina aurea, & eius inscriptione mirabili stylo hæc connexio legitur adumbrata: *Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino.* Vix laminæ præcipitur fabrica, cum nulla clausula interposita iubetur in ea sanctum Domini celari. Sed cur? quia lamina Mariam; sanctum Domini Christum designabat. Ecce vtriusque connexio: nec valet lamina in lucem exire, quin sanctum Domini innotescat. Sanctus Laurent. Iustinianus sermone de natiuitate Virginis ob hoc dixit: *In ortu eius lætati sunt cæli, decantauerunt angeli laudes Deo, promulgata est pax, humanæ speciei capit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occupauerant orbem, radios suos rutilans aurora perfudit, solis quippe iustitiæ vtcumque irradiata fulgore placidum in se aspicientibus præbebat affectum.* Laur. Iustin.

ILLATIO CCLX.

Deiparæ eximia dignitas expenditur.

112. PLacet de Mariæ maternitate pauca expendere, quia, vt disertè docet Basilius Seleucus oratione prima. *Inde laudandæ Deiparæ initium facere deliberatum est, vnde ipsa Deipara est, & Deipara appellatur.* Hinc tota Mariæ celsitudo, quia Deum genuit. Dignitatem hanc respiciebat Epiphanius in oratione de laudibus Virginis cum dixit: *solo Deo excepto cunctis superior excellentissima Virgo.* Idem protulit Andreas Cretensis tractatu de assumptione. *O virgo, quæ solo Deo excepto cunctis superior extitit!* Quinimo, si fas est dicere; tanta est dignitas Deiparæ, vt Maria ex vi huius dignitatis Deus ipse videatur, ita vt necesse sit, exprimere, ipsam non esse Deum, sed puram creaturam, quæ Deum valuit gignere. Basil. Seleuc. Epiphanius. Andr. Cret.

113. Mittitur Gabriel ad Mariam: audi Lucam capite primo, numero vigesimo sexto. *Missus* Lucæ 1. n. 26. *est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid.* Nota: quot inserit Lucas, vt referat legationem: nempe quod, mittitur angelus ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph. Cur sponsi nomen exprimitur, cum Mariæ refertur maternitas; cum fide sanctum sit, Mariam sine tactu pudoris inuentam fuisse Saluatoris matrem? ad quid refertur

sponsus

sponsus, cum mariti ignoret licentiam? perbelle sanctus Athanasius epistola ad Epictetum rationem reddit his verbis. *Gabriel porro ad illam legatur, neque simpliciter ad quamuis virginem, sed virginem desponsatam viro: vt ex sponso ostenderet Mariam vere hominem esse.* Feliciter annunciabatur Maria Dei mater; generaturaque quem ipsam fecerat: ne igitur ad tantam dignitatem euecta ipsa Deus crederetur, nomen sponsi in medium adducitur, vt exinde pateat, eam quæ viro matrimonio est coniuncta, Deum non esse, sed puram creaturam: *vt ex sponso ostenderet Mariam verè hominem esse.* Tanta est Deiparæ dignitas, vt videatur, Deum adhibuisse studium, ne mater eius supra creaturam existimetur.

Athanasius.

114. Ne discedas obsecro à salutatione angelica, annunciatur Maria Dei mater; & respondit virgo non dubia de oraculo, sed inquirens mysterium: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Lucæ primo, numero trigesimo quarto, cui dixit angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, ibidem, numero trigesimo quinto. Mira responsio, & mysterio plena, non miror, Spiritum sanctum superuenire in Mariam, cum ad Dei matris drgnitatem euehitur: decens enim erat, quod gratia, & Spiritu sancto repleretur in mente, quæ Deum concipiebat in vtero. Quod discussione, & animaduersione dignum iudico est, quid denotet illud: *virtus altissimi obumbrabit tibi?* idcirco factum intelligo, vt Deus altissimus prædicetur. Quia cum tunc Maria matris Dei dignitatem accipiebat: veluti verebatur Deus, ne mater eius iudicetur, diuinam coæquare naturam: & ideo non casu, sed summo consilio Deus altissimus prædicatur, id est, non solum altior omni creatura, sed etiam Maria matre Alta est Dei genitrix, & profundissimam diuinæ sapientiæ penetrauit abyssum; attamen non est Deus: nam Deus altior est, imo altissimus, si Maria ergo tante dignitate gaudet, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur luci inaccessibili videatur immersa: cur obumbratur altissimi virtute? Chysologus sermone centesimo quadragesimo secundo, nodum soluit dicens: *obumbrat Dei virtus, ne portatura Deum, fragilitas humana succumbat.* Id est: tanta est dignitas Deiparæ, vt natura humana succumberet, ni Dei virtute protegeretur Vmbra, si sacrum consulamus eloquium, protectionem designat, iuxta illud Psalmi 16. numero 9. *sub vmbra alarum tuarum protege me*, & alibi passim. Verum cum his non dissentiar, ad rem nostram existimo, ideo Mariam altissimi virtute obumbrari, vt quanta sit matris Dei dignitas ostendatur. Vmbra velut Deus operit Mariam, ne eius dignitas, & super omnes creaturas excellentia nosceretur. Sic Bernardus sermone 4. in Psalmum, *qui habitat*, dum dixit: *obumbratio Mariæ facta est ab Spiritu sancto ad celandum videlicet incomprehensibile sacramentum.* Quasi diceret: Deus obumbrat Mariam, cum mater eius efficitur, velut suspicans, aut verens, ne ab hominibus, vt diuina hypostasis veneraretur.

Lucæ 1. n. 34.

ibid. n. 35.

Chrysolog.

Psalm. 16. n. 9

Hinc non erit vanum dicere, opus fuisse, Mariam creaturam expresse prædicari, ne haberetur vt Deus. Adest celebris textus Ecclesiastici 24. numero 12. *Dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quæ verba Mariæ accommodat alma mater Ecclesia, demirare stylum: nam cum prius Deum omnium creatorem nuncupasset, statim addit; *& qui creauit me*, superfluum enim videtur secundum, si præcessit primum. In illa namque vniuersali, *Creator omnium*, quidquid intra creaturarum sphæram continetur, exprimitur. Ergo supærfluit dicere, *& qui creauit me*, siquidem Maria non est extra creaturarum ambitum. Ergo in illa vniuersali continetur. Quare ergo tanto studio, prolata vniuersali, additur, *& qui creauit me?* vt Mariam creatam non dubites; exindeque firmiter credas, illam non esse Deum. Nam cum Maria Deum genuerit, & ipsum, qui illam fecerat, produxerit, supra creaturam videbatur. Præcauet ergo Deus, ne in errorem dilabamur, & propter hoc eam expresse appellat creaturam; quasi non sat esset, se omnium creatorem ostendere, ni Mariam creaturam specialiter expressisset, vt ea Deus non æstimetur. Tanta est Dei genitrix, vt sit opus diuino oraculo eam creaturam, & non Deum attestante. Hoc, admiratione raptus explicuit Athenienſis Theologus Dionysius in epistola ad beatum Paulum de beatissima virgine Maria loquens. *Testor, qui aderat in virgine, Deum, si tua diuina concepta non me docuissent, illam verum Deum credidissem.*

115. Eccl. 24. n. 12.

Dion. Arcop.

116. Vis, vt amplius Mariæ celsitudinem explicem? ausim dicere, tantam fuisse Mariam, vt possit compati, Dei Filium à Maria genitum prædicari; non tamen à gratia fuisse productum. Hoc est: potuit Christus Dei Patris, & Mariæ esse Filius; non tamen potuit esse gratiæ Filius. Gratiam excluſit Christus, vt eius mater esset; & Mariam admisit, vt mater eius esset, & diceretur. Attende animo, & huius asserti videbis apodixim. Christus adhuc in quantum homo ex vi illius nexus hypostatici Dei naturali filiatione gaudet, quia eius humanitas, vel est sancta hypostasi Verbi, vel diuina natura, vel vtraque. Insuper adhuc in quantum homo adoptionis respuit iniuriam, ne extraneus à Deo putaretur. Id expressit Concil. Franfordiense in suo sacro syllabo dum dixit: *vnitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio virginis adoptionis tollit iniuriam.* Diuus Augustinus libro de Trinitate, & vnitate Dei capite vndecimo, perdoctè discrimen assignat inter filios Dei. Iusti, & qui feliciter gratiam consequuti sunt, Dei sunt filij, sed non natura; sed gratia, adoptione, & affectu: Christus autem, qui in quantum Deus genitus est à Patre in splendoribus sanctorum, in quantum homo non est filius adoptiuus, sed naturalis, non affectu, sed natura. Audi Aurelium, *sunt isti* (id est, homines iusti) *filij gratia: ille* (id est Christus) *natura: in his participatio diuinitatis, in illo plenitudo.* Christus ergo respuit adoptiuam filiationem, quia non gratia, sed natura est filius. Ergo non est filius gratiæ. Nam filij gratiæ adoptiui sūt, & non naturales, sed

Conc. Franf.

Augustinus.

sed Christus, qui gratiæ, & adoptionis filiationem non valuit admittere (hæc enim cum vnione hypostatica repugnat) Mariæ filius vere fuit. Ergo in Maria maiorem excellentiam inuenit, vt eius mater esset, quam in ipsa gratia: siquidem Christus potuit Patris æterni, & Virginis esse Filius; qui Patris ingeniti, & gratiæ esse Filius non potuit.

117. Amplius vellem, & subtiliori calamo Mariannæ maternitatis dignitatem exponere. Putabam iam diu, plus Mariæ debuisse Christum cum humanam naturam ei communicauit, quam æterno Patri cum diuinam. Non quia humana natura diuinam excedat. Quis hoc, vel somniare præsumeret? sed debitorem matri Christum adstruo, quem tamen Patri debitorem nego. Quod sic ostendo, Matri gratias pro humanitate rependere tenetur Christus; Patri autem gratias agere pro diuinitate, non debet. Ergo ex eo est, quia matris est debitor; secus Patris. Secundo idipsum confirmo: nam Pater æterna generatione Filium generat, ei communicans essentiam, & attributa, & præter paternitatem, omnia, quæ Deus est: attamen sic quod absolutum est communicat Filio, vt Patri non sit liberum, sed necessarium ea communicare. Ita docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 41. art. 2. & communiter Theologi. Ergo non fuit liberale donum: nam liberalis actio spontaneam, & liberam voluntatem supponit in datore. Cum ergo Pater Verbum æternum non gignat libere, sed necessario, manifestè fit, non esse donum, communicare Filio Deitatem, & attributa. Ob hoc Gaudentius tract. 19. dixit, de æterno Filio loquens: *non vtique ei donatur, vt Deus sit*: non quia Filius à Patre Deitatem non accipiat; sed quia non eam liberè Pater communicat: nam ad rationem doni, ex parte dantis exigitur libertas. Vnde non magis Filio oportet, accipere à Patre diuinitatem, quam Patri, eam communicare Filio. Nam si Pater (per locum ab intrinseco) non generaret Filium, nec ei communicaret Deitatem, non esset Filius; ac per consequens neque Pater. Ergo vtriusque commune est negotium. Ergo si Pater non potest non, Filium generare, & generatione ei tribuit, quod debetur; à ratione doni, & beneficij rigorosi excluditur hæc communicatio. Si ergo non est beneficium, neque ex parte Filij instabit obligatio gratitudinis. Hæc ad intra in æterna generatione Verbi. Expendamus nunc, quæ in generatione temporali Christi euenerunt. Mater virgo Verbum genuit in quantum hominem, non tamen necessario, sed libere. Nam si Maria, vt potuit, consensum suum non præberet, Verbum non fieret caro, id expressit Bernardus homilia 4. *super missus est*, sic Mariam alloquens. *Ecce offertur tibi pretium salutis nostræ, statim liberabimur, si consentis... Hoc supplicat à te, ô pia virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de paradiso; hoc Abraham; hoc Dauid. Hoc cæteri flagitant sancti patres, patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat... Da virgo responsum festinanter. O domina responde Verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium rex, & Dominus quantum concupiuit decorem tuum, tantum desiderat, & responsionis assensum: in qua nimirum proposuit saluare mundum.* Liberè ergo Maria suum præstitit consensum, & liberè Dominum corporauit. Ergo Deus debet Mariæ, quod homo sit. Perbellè sanctus Methodius de purificatione virginis. *Euge* (loquitur cum Maria) *quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim vniuersi debemus, tibi autem etiam ille debet*, si ergo Deus Mariæ debet humanitatem, quam habet: pro illa tenebitur gratias rependere. Collige ex his Christum plus debuisse matri, quia humanam naturam ei dedit, quàm Patri, eo quod diuinam communicauerit. Nam qui dat, quod tenetur conferre, suo muneri satisfacit: attamen nulla ei debetur gratitudo. Qui vero, quod negare posset, confert, & animum liberalem ostendit, & accipienti imponit obligationem gratitudinis. Cum ergo Pater Deus per æternam generationem communicet Verbo, quod debet communicare; imo & quod sibi conuenit, vt sit Pater; Maria vero liberum præstans consensum, liberaliter Verbo humanitatem præbuerit; aperte infertur, Christum debuisse matri grato animo respondere propter humanam naturam, Patri non item propter diuinam.

Gaudentius.

Bernardus.

Methodius.

118. Notastine rem, meo videri, non contemnendam? Quid enim est, nullum Euangelistam, præter Ioannem æternam retulisse generationem? Matthæus exorsus est à temporali Christi generatione: ab eadem Lucas: Marcus à baptismate, & prædicatione: solus Ioannes velut aquila regalis alas extendens vsque ad Patris sinum volauit, & à diuinitate exordiens contra Ebionem, & Cerinthum protulit: *in principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ioan. 1. num. 1.* Quid est in Ioanne, aut in quo eminentior est cæteris Euangelistis, vt à diuinitate Christi suum Euangelium incipiat? aptissimè respondit Petrus Damianus serm. 63. *Nec mirum* (ait) *si redemptor noster beato Ioanni vicem suam ad declarandum diuinitatis mysterium delegauit, quem & ad custodiendam venerabilem matrem suam, perpetuam videlicet virginem, quasi alterum filium sui loco supposuit.* Quia Christus è cruce Ioanni matrem virginem commendauit; idcirco diuinitatem suam delegauit declarandam, innuens, quod cui matrem custodiendam commisit, poterat diuinitatis mysterium declarandum committere. Tanti enim Mariam fecit, vt cui matrem fidit, diuinitatem suam fidere non recusset, sed adhuc vrgeo. Quid Maria cum diuinitate? quamuis enim Deipara omnes creaturas in sanctitate excellat, limitata gaudet sanctitate: deitas vero sancta est infinitè, vel vt melius dicam, sanctitas est infinita. Ergo nimis audet Damianus, dum ait, Ioanni Christum diuinitatis mysterium commisisse, quia ei matrem virginem commendarat, sed quam piè D Cardinalis Mariæ excellentiã explicuit asserens, posse dilecto fidere discipulo diuinitatem, cui dilectissimam matrem confiderat. Quasi sic discurreret Christus: post me, & Deitatem meam, mater mea in gratia, & dignitate omnes transcendit creaturas: ergo possum diuinitatem meam explicandam committere, cui ma-

Ioan. 1. n. 1.

Petr. Dam.

tris

tris delegaui custodiam, vt exinde neminem lateat, quanta sit genitricis celsitudo, & excellentia. Studium, quo Deus laminam Pontificis iussit fabricari, satis aperte indicat Dei genitricis excellentiam. De auro purissimo conficitur, vt in ea sanctum Domino sculpatur. Tota aurea est Maria, & à terreno defæcata inquinamento, Dei cura elaborata: quia in ea sanctum sanctorum scribendum erat.

ILLATIO CCLXI.

Quanti Deus hanc laminam Mariam faciat, exponitur.

119. QVanta sit Deiparæ dignitas, & excellentia, vidimus illatione præmissa: nunc quanti eam Deus faciat, restat expendendum. Sanctus Thomas in cap. 1. Matthæi exponens verba illa: *De qua natus est Iesus*: notanter aduertit, non dixisse Matthæum, ex Maria natum fuisse Deum, sed Iesum. *Natus est Iesus* (inquit Thomas) *non dicit Deus, sed Iesus*. Videtur diminute satis processisse Euangelistam: nam deberet dicere, Deum ex Maria ortum. Nam si ex Maria natus est Iesus: & hic est Deus: ergo ex Maria natus est Deus. Quare ergo silentio prætermittit Matthæus, Deum ex Maria fuisse natum, & solum profert: *De qua natus est Iesus?* audi Thomam. *Non dicit, Deus, sed Iesus, quod est nomen hominis*. O quam profunde! accipe sensum. Matthæus Christi vt hominis genealogiam referebat, ob idque à tot Patriarchis, regibus, & progenitoribus nobilitate præclaris eum deduxit. Merito cum generationis Christi terminat lineam, eum vocat Iesum: *De qua natus est Iesus*, hoc est Saluator, & Redemptor, quia in quantum homo nos redemit crudelem mortem patiens. Nam licet operum Christi valor non ab humanitate, sed à Verbi hypostasi, vt à principio significante prouenerit, tamen in quantum homo nostram promeruit salutem, & vt sic, nos à diaboli captiuitate liberauit. Voluit ergo Christus Iesu nomine vocari ab Euangelista, quia Iesus est nomen hominis, vt ostenderet, quanti humanitatem faciat, quam ex Maria accepit. Desiderat, hominem prædicari, vt se Mariæ filium ostendat. Nam sic eximie matrem æstimabat, vt velut cedat, prædicari diuinum, vt humanus agnoscatur, & Filius Mariæ demonstretur.

Mat. 1. n. 16.

S. Thomas.

120. Affricani Phœnicis Augustini serm. 35. de sanctis expendentis humilitatem, & patientiam Christi hoc ipsum placet confirmare: audi verba eius omni animaduersione digna. *Post multas assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo; vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit.* Mirabile est, & omnem captum superat, æternum Verbum, Dei Patris Filium, eique consubstantiale nostram naturam assumpsisse! quis tantum prodigium non admiratur, & reueretur arcanum? quis magni non faciat tantam dignationem? sed perge, & mirabiliora inuenies. Hoc idem Verbum factum homo mortalitatis subiit conditionem; opprobriis se subiecit; sputis immundis conspui, permisit; illudi purpura, sentibus coronari, flagellorum crudeli tempestate cædi, & tandem infami supplicio clauis confodi, patientet sustinuit. Sed cur, ô mitis leo, tener agnicule, tot sustines iniurias, & sacrilega opprobria fers? vt his verum se hominem ostenderet, & Mariæ Filium prædicaret. Sed ô bone Deus! quis te Deum fatebitur tot iniuriis affectum, & è cruce pendentem? aut qui potest, percipi, Deum, qui seipso viuit, mortis posse subiici imperio? ergo videbatur Christus in passione, & morte diuinitatis opinionem amittere. Cur tantam igitur patitur iacturam? vt Mariæ se verum Filium demonstraret. Quia tanti æstimat Mariæ filiationem: vt licet in hominum opinione vertatur in dubium, an Deus sit; mauult virginem matrem ostendere, quam ab hominibus vt Deum venerari, fidens, quod si homines eum semel Mariæ Filium agnoscant, verum Deum fore veneraturos.

Augustinus.

121. Crucem ascenderat, vt charitatis suæ ardorem erga homines ostenderet, vitam cum sanguine fundens. Quid tunc Christus? *cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce mater tua.* Ioan. 19. num. 26. Arnoldus, Carnoten. tract. de laudibus Mariæ, hoc studium Christi erga matrem expendens, sic ait: *Quasi sui immemor ad matrem de cruce conuertitur, & colloquitur intimans, quanti apud eum meriti esset, & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam capite vulnerato, fossis manibus, & pedibus in vltimis esset.* Quasi pluris æstimaret, matri præbere solatium, quam sibimet afferre solamen, sui obliuiscitur, & matris recordatur. Vide quanti eam habebat, Caietanus ad præfata verba Ioannis notauit; Christum vocasse Mariam mulierem, non matrem, ne tenero matris vocabulo materna viscera transfigeret, quasi sibimet totum dolorem reseruans. Non dixit, mater: *ne dolorem exaggeraret.* Vel alio sensu exponi potest Caietanus, dolor Christi intendebatur, ex eo quod videret matrem dolentem. Silentio ergo prætermittit matris nomen, vt ostenderet, potius matris dolore affligi quàm proprio, sed adhuc inquirendum restat: cur Christus, cum publicam, & communem causam agit, velut sui intenti oblitus, matris curæ totum tradidit animum dicens: *ecce mater tua: ecce Filius tuus.* Iam, Domine, fere iam tuæ passionis hora completur: iam Spiritum emittis, & redemptio nostra consummatur: inclina caput, vt cõpleta morte consummetur redemptio. Ecce iam ardentissimi tui desiderij, quo moriendi pro nobis æstuabas, adest occasio: cur animam retines intra corporis claustra, conuersus ad matrem? emitte Spiritum, vt morte tua omnes respiremus: ne differas mori, ne nostrum retardetur remedium. Vt mundum redimeres à sinu Patris descendisti: cur detineris matrem virginem virgini discipulo commendans? perbelle Ambrosius cap. 7. de institut. virgin. *testatur* (inquit) *de cruce Dominus Iesus, & paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoram relinquat.* Quasi dicat: humani generis differebat redemptionem, & ad matrem, & discipulum conuertitur, illam huic commendans, ne eam inhonoram relinquat: quasi pluris æstimans, matris

Io. 19. n. 26. Arnol. Carn.

Caietanus.

Ambrosius.

Matris honori consulere, quam totius humani generis redemptioni, siquidem hanc differt paulisper, vt Mater cum honore persistat. Quare non inepte, sed satis pie dicetur, pluris Matrem æstimasse Christum, quàm totius humani generis salutem.

122. Altius expendendum est, quanti Deus Mariam faciat. Audi Dauidem in persona Christi sic Patri Deo quærelas offerentem, eo quod

Psal.21.n.10 ipsum dereliquisset in patibulo. *Quoniam tu es, qui extraxisti me ventre, spes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vtero.* Psal. 21. num. 10. Quæritur Christus, eo quod derelictus sit à Patre; & quanto iure conqueritur, ostendit. Tertullianus de carne Christi, cap. 20.

Tertull. præfata verba expendens sic ait, *Accipe Christum, & audi Dominum Patri Deo colloquentem. Quia tu es, qui auulsisti me ex vtero matris meæ. Ecce vnum. Et spes mea ab vberibus matris meæ, super te proiectus sum ex vulua. Ecce aliud.* Duo proponit Christus æterno Patri, cùm de ipso quæritur. Primum: illum reconuenit, cur tot ignominiis Filium permiserit, cùm violenter eum extraxerit ab vtero semper Virgineo: hoc sonat illud, *Auulsisti me*: nam eradicare vi, & magna violentia significat, *Auello*. Secundum est: in ipso totam suam constituisse spem: *Spes mea ab vberibus matris meæ.* Sed placet contra Tertullianum obiicere. Cur ais Affer ingeniose, Christum passum violentiam, cùm Pater eum extraxit ab vtero virgineo, *Auulsisti me ex vtero?* Si ipse Pater vix natum super palmas manuum defert Christum (sic explicat Gene-

Genebrard. brardus ibid. illa verba: *In te proiectus sum ex vtero*, id est: *Super manus tuas prodiens ex vtero.*) Quid felicius, aut glorioſius, quàm super Patris æterni manus afferri? Hoc magnæ æstimationis est signum: idcirco Hispani dicimus: *Lo estima tanto, que lolleua en palmas.* Ergo cùm Christus ab vtero matris egrediens super paternas manus requiescat, minus aptè videtur de Patre conqueri, aut eum reconuenire. Aut quî potest intelligi, auulsum fuisse ab vtero matris violenter; si statim, ac prodit ex vtero, Pater eum super manus suas suscepit? Hic Mariæ deuotio, si audacter cogitauero, me excusabit. Visum fuit Christo pati violentiam, cùm ex materno, & virgineo extrahebatur vtero, in quo velut in tabernaculo requiescebat: non quia pluris habeat matrem, quàm Patrem Deum, (Absit,) sed quia videbatur dolere, à maternis visceribus seiungi. Quia cùm Christus maternum vterum elegisset tabernaculum, in quo requiesceret: cùm ab illo extrahitur, velut extra centrum violentiam pati insinuat, quantumuis manus paternæ illum suscipiant. Non longe abest Tertullianus loco citato: *Auulsisti, inquit, ex vtero. Quid auellitur, nisi quod inhæret, quod infixum, & innexum est ei, à quo, vt auferatur, auellitur? Si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est*: Tam stricto vinculo Christus Mariæ erat innexus; & in illo virgineo vtero liliis vallato tot fruebatur deliciis, vt licet in lucem prodiens super paternas manus suscipiatur, violentiã, videatur pati, eo quod à matre seiungebatur: non quia Patri præponat matrẽ; sed quia videatur, insinuare, pluris facere in materno vtero, quàm super Patris palmas requiescere.

Non quiescit animus, nec erga Beatissimam Virginem Matiam contenta videtur deuotio. Tanti eam Filius fecit, vt licet sibi semper debeatur cultus, si cum matre adest quantumuis in typo, & in figura, maiorem reuerentiam exigit, quam si mater abesset. In flamma ignis de medio rubi æternum Verbum Moysi dignatus est apparere: in magnam admirationem rapitur Pastor, & visionem examinare desiderans, propius accedere tentat, sed compeditus est oraculo sic iubente. *Moyses, Moyses: ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas terra sancta est.* Exod. 3. num. 5. Hîc supponunt Eusebius. Rupertus, Hugo, & Caietanus apud Tirinum in Bibl. Magna ad præfata verba, quod cùm Deus Moysi calceos deponere, iussit, perinde fuit, ac ei præcipere, vt religione, cultu, & veneratione accederet. Et inde infert idem Tirinus, inualuisse morem apud Hebræos, (& ex eis alij receperunt,) in vestibulo Templi calceis se exuendi: & apud Christianos olim in Æthiopia viguisse, asserunt Iosephus, Theodoretus, Procopius, Hermippus, & alij apud Tirinum loco citato. Itaque in signum reuerentiæ Moysi calceamenta deponere iussit Deus, vt timore, & veneratione propiùs ad rubum accederet, & mandata Dei perciperet. Hinc ascende mente vsque ad cacumen Sinaï, & videbis (vt Exodi 19. 20. 32. constat,) quod licet Deus toties Moysi apparuisset, & cum eo familiari colloquio, sicut amicus solet cum amico, populi negocia ageret, nunquam inuenies, Deum seruo suo præcepisse, pedes exuere calceis. Vnde non leue insurgit dubium. Quia, si calceamenta deponere, cultus, & Religionis exhibebat signum, (vt diximus,) & idem Deus in rubo, & in vertice Sinaï colloquebatur cum Moyse; cur cùm è rubo loquitur, cultum ei præcepit & religionem exegit; quam non postulauit, cùm in cacumine montis apparere dignatur? Vtrobique idem est Deus. Ergo idem cultus, & veneratio ei debetur. Quare ergo in rubo maiori cultu venerari, quàm in monte, desiderat Deus? Quia Deus in medio rubi apparens diuinum Verbum intra semper Virginis Mariæ claustra, cuius rubus erat typus, præsignabat. Vt ergo quanti Dei Filius sacratissimam Matrem faceret, ostenderet; maiorem cultum in rubo existens exegit, quàm in vertice montis quando legem populo sanciebat: quia rubus typus erat Mariæ, & vbi Maria adhuc figuratè est præsens maiori reuerentia venerari vult Deus, quàm si ea abesset. In montis vertice quamuis tonitrua, fulgura, & ignis Dei maiestatem tremendam exprimerent; illic tamen Deus erat sine Matre. Quid ergo mirum quod tremendus appareat, & quod ritum deponendi calceos non intimet in signum venerationis, & cultus? At cùm in rubo diuinitatis fulgeret celsitudo, saltem in typo aderat Maria: meritò ergo religiosior cultus, feruentior deuotio, & sacratior reuerentia exigitur. Quia vbi Verbum Matris gaudet consortio, maiorem petit reuerentiam, etsi in figura, & in vmbra Mater sit, quàm si solus esset.

123. Exod. 3. n. 5. Eusebius. Rupert. Hugo. Caietan.

Tandem existimo, vt quanti Verbum æter- 124.

num ſuam Matrem fecerit intelligas: *Que la eſtimò ſobre ſus ojos, y la puſo ſobre ſu cabeça:* Quæ eſt maior æſtimatio, quæ excogitari poteſt. Inuitabat cœleſtis illa ſponſa ſodales ſuos, (hoc eſt Eccleſiæ Fideles,) vt Chriſtum Dominum Salomonem pacificum redimitum diademate, ſeu corona, qua Mater eius coronauit eum viderent. *Egredimini, & videte, Filiæ Sion, Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Canticor. 3. num. 11. Athanaſius, Ambroſius libro de inſtitutione virginum, cap. 16. Bernardus ſermone ſecundo de Epiphania. Philo Carpath. & alij, per hanc coronam humanam naturam, quam æternum Verbum ſibi vniuit, intelligunt. Sed cur humanitas, quam ex Maria Verbum aſſumpſit, vocatur corona Ieſu Chriſti? Quia ex Maria aſſumpſit. Audi Ambroſium citatum ſic dicentem: *Beatus eſt Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit, coronauit eum, quando generauit.* Regalia inſignia ſunt purpura, ſceptrum, corona. Hæc maieſtatem regiam demonſtrant: ſed corona præcipuè Regem oſtendit: ob id à Regibus in tantam celſitudinem euehitur, & ſupra ſua capita imponitur. Coronæ igitur Chriſti humanitas comparatur, quam ex Maria Verbum aſſumpſit, vt exinde conſtet, tanti feciſſe portionem, quam ex Matre accepit, vt eam velut coronam regiam imponat ſuper caput ſuum.

Cant. 3. n. 11.

Athanaſ. Ambr. Bernard. Philo Carp.

125. Matth. 27. n. 37. Super caput Chriſti in ligno pendentis hæc erat inſcriptio: *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorum.* Matthæi vigeſimo ſeptimo, numero trigeſimo ſeptimo. Sed cur hæc inſcriptio in ſummitate Crucis eminebat, & altior erat ipſo capite Chriſti? Aliqui autumant, quia illic ſacroſanctum Ieſu nomen erat ſcriptum; vt oſtenderetur quanti Chriſtus ſuum nomen faceret, cùm illud haberet ſupra caput ſuum. Sed adhuc vrgeo: cur tanti Chriſtus ſuum nomen æſtimat? Quia *Ieſus*, vt communiter ſentiunt Patres, Saluatorem, & Redemptorem deſignat, & eſt nomen hominis, vt ex ſancto Thoma diximus ſupra numero 119. Cùm ergo Chriſtus in quantum homo nos redemerit, & à ſeruitute diaboli eripuerit: hoc præſtitit in quantum Filius Mariæ. Poſuit ſuper caput ſuum nomen Ieſu, quia ſignificabat Chriſtum in quantum Filium Mariæ: vt intelligeremus omnes, non ſolum coronari velut regio diademate humanitate, quam ex Maria accepit, ſed illam ſupra oculos, & caput portare in ſignum æſtimationis.

126. Totum hoc expreſſit lamina illa aurea imminens ſuper frontem Pontificis: lamina iſta præſignabat Mariam: Pontifex Chriſti typum gerebat. Super frontem ergo Pontificis pendebat lamina, ſeu corona, vt quanti Chriſtus hanc laminam Mariam haberet, denotaret, cùm eam ſuper oculos, & caput ſuum impoſuit.

ILLATIO CCLXII.

Chriſtus, quâ Mariæ Filius creuiſſe videtur in celſitudine, & ſanctitate.

HVius illationis theſis eſt, probare, Chriſtum quâ Mariæ Filium creuiſſe in celſitudine, & ſanctitate. Non quia Deus, qui infinitus eſt, ſit capax ſuſcipiendi augmentum qua Deus: ſed quia eo modo, quo potuit, creuit in celſitudine, & ſanctitate propter Mariam: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Iſai. 11. num. 1. Communiter Patres, & Interpretes per virgam Mariam: & per florem Chriſtum intelligunt. Non miror, quod Maria in egreſſu, & in conceptione nuncupetur virga: quia vt aptiſſimè ſanctus Amadæus homilia prima de laudibus Virginis: *Virga dicitur, vtpote gratioſa, & recta.* Quod in præſenti notare libet eſt: cur Propheta florem iſtum Chriſtum à radice virgæ aſcenſurum prædicauit? Chriſtus, qui Deus eſt, & Patri conſubſtantialis; quî poterit aſcendere, cùm aſcenſus à minori ad maiorem dignitatem fit euectio? Dicerem, & meritò, æternum Verbum, cùm pro nobis deſcendit è cœlis, & in auguſtiſſimo Mariæ contubernio carnem aſſumpſit, exinaniſſe ſemetipſum, ſuamque maieſtatem euacuaſſe: quomodo ergo prædicat Iſaïas, aſcenſurum: *Et flos de radice eius aſcendet?* Verum eſt, deſcendiſſe Verbum diuinum, cum humanam aſſumpſit naturam: at deſcenſus iſte aſcenſus eſt. Deus, vt Deus vltra ſuam infinitam celſitudinem progredi non poterat. Infinita enim, & immenſa maieſtas negat augmentum celſitudinis. Quomodo ergo aſcendere Deus poterit? Deſcendat in Mariæ vterum, & hoc deſcenſu valebit aſcendeee. Sit Deus homo; & ſic homo erit Deus: & cùm homo ad Dei aſcenderit dignitatem, meritò dicemus Chriſtum ad tantam celſitudinem aſcendiſſe, vt non valeat vltra aſcendere. Ecce quod Deus pure Deus conſequi non poterat, nempe aſcendere: per Mariam fuit conſecutus. Ergo videtur ex materna origine creuiſſe in celſitudine, & maieſtate.

127. Amadæus. Iſai. 11. n. 1. Amadæus.

Hîc erat magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1. num. 32. Bernardus homilia 3. *Super miſſus eſt*, quæſiuit: *Sed quare hic erit, & non potius eſt magnus, qui ſemper, & æqualiter magnus, non habet, quo creſcat, nec maior poſt conceptum futurus ſit, quàm ante vel ſit, vel erit? An forte propterea dixerit, erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus ſit? Bene ergo hic erit magnus, Magnus Homo, magnus Doctor, magnus Propheta.* Subtiliter ſatis Melliſluus nodum ligauit, & ſoluit: ſed paulò inferius aliquid amplius ſe explicuit, cùm loquens cum Maria dixit: *Magnificet ergo anima tua Dominum, quia hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Quod eſt dicere: quamuis Deus in ſe magnus infinitè reſpuat augmentum magnitudinis: tu, ô Beatiſſima Virgo, cùm conceperis, illum magnificabis; & ex te creſcet, qui incrementum non valet admittere.

128. Luc. 1. n. 32. Bernard.

Ecce

129. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Isaïas 19. num. 1. Hîc communiter Patres, & Interpretes per hanc nubem intelligunt humanitatem, quam sibi Verbum vniuit: vel Mariam Matrem eius nubem pulcherrimam, in qua Solis iustitiæ radij immersi sunt. Hinc non est inutile quærere: cur Dei Filius cùm fit homo, & Mariæ claustrum ingreditur dicitur ascendere: *Ecce Dominus ascendet?* Regius Vates de hoc ingressu loquens cecinit Psalmo 71. num. 6. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Si ergo Verbum, vt fieret homo descendit: quomodo ait Isaïas ascensurum? Ascensus, & descensus pugnant inter se. Igitur si Verbum descendit, vt fieret homo, non ascendit. Verùm, ni fallor, hîc puto, idem esse ascensum, & descensum. Nam hi Prophetæ loquuntur de incarnatione Verbi in Mariæ semper Virginis vtero: vnde iudicio ascensum esse descensum. Descendit Verbum de cœlis, vt nostram naturam assumeret, & inuenit superius, & excellentius cœlum, cùm ad terram descendit, nempe Virginem Matrem: & ex hoc quod Mariæ Filius factus sit, tantam celsitudinem acquisiuit, vt in eo descensus fuerit ascensus. Ecce quomodo æternum, & incommutabile Verbum, ex eo quod Mariæ filius est, quodammodò creuisse in maiestate, & celsitudine videatur:

Isaïas 19. n. 1.

Psal. 71. n. 6.

130. Hoc absque dubio indicauit Dauid Psalmo 47. num. 1. Cùm summam Dei magnitudinem celebrabat dicens: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in Monte sancto eius.* In ciuitate sua, ait Regius Vates, fulgere Dei maiestatem, & celsitudinem. An Deus extra hanc ciuitatem non est magnus, & magnus nimis; qui semper, & vbique infinite magnus est? Est vtique semper & vbique magnus infinite. Quare ergo ait Dauid: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri?* Richardus de sancto Laurentio aperuit mysterium, dicens: *Licet magnus Dominus in omni creatura sit, tamen nominatim dicitur magnus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, quæ est Maria.* Sic lib. 2. de laudibus virgin. partic. 1. Magnus absque dubio est Dominus in omnibus creaturis: magnus in Angelis, Archangelis, Cherubinis, Seraphinis, &c. Magnus item in hominibus, & præcipue in iustis: magnus in cœlis, & elementis: at in Virgine Matre magnus nimis. Non quia in Maria creuerit maiestas illa infinita, quæ prorsus incapax est augmenti: sed quia in Maria magis illa celsitudo, & maiestas resplenduit, quàm in cæteris creaturis. Hoc sensu dicimus Verbum ex Maria creuisse, scilicet, quoad manifestationem tantæ maiestatis.

Psal. 47. n. 1.

Richard de S. Laurentio.

131. Nec solum diuina celsitudo incrementum sumere videtur ex Maria: verum etiam sanctitas Christi ex Matre quodammodò crescere videtur. Non pauci Theologi, & Expositores sacri huius temporis asserunt, naturam humanam Christi duplici titulo sanctam, præcipue ab vnione hypostatica: deinde à Maria Matre. Ita Salmeron in cap. 1. Lucæ, tom. 3. tract. 8. ad medium. Cardinalis Toletus in c. 1. Lucæ, Maldonatus, Barradas, & alij quos citat, & sequitur Pinto Remirez tomo de conceptione, num. 1532. Sed placet eminentissimi Toleti in caput. 3. Lucæ verba afferre, hæc sunt: *Christus sanctus est de ventre Matris, & in eodem sanctus conceptus, & conceptio sancta: ita vt etiamsi gratiam ex vnione non habuisset, eam obtinuisset ex vi suæ conceptionis.* Habuit ergo Christus quandam sanctitatem, quia Mariæ Filius: hoc sonat illud: *Eam obtinuisset ex vi suæ conceptionis.* Confirmatur hoc assertum ex verbis Gabrielis sic ad Mariam dicentis: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. num. 35. quasi ideo sanctus sit Christus, quia ex Maria conceptus. Bernardum accipe homil. 4. *Super missus est*, dicentem: *Attende, quæso, quam reuerenter dixerit: quod nascetur ex te sanctum. Si diceret sancta Caro. vel sanctus Homo, vel sanctus Infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit Sanctum proculdubio, ac singulariter Sanctum fuit & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Vbi insinuare videtur Bernardus, Christum, quia genitus est à Maria, Sanctum singulariter fuisse. Nam ex Maria (reste eodem Bernardo ibidem, serm. 2.) solus Deus nasci poterat. *Porrò*, inquit, *Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur: talis congruebat, & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum.* Si ergo non decebat Virgini parere nisi Deum: meritò cùm ex Maria nascitur Christus sanctus singulariter, & indefinite prædicatur. Sed videndum restat; quænam sit hæc singularitas sanctitatis? An quia vnione hypostatica Sanctus, quæ in ipso singulariter reperitur? Non abnuo: quia Christus vnctus est oleo lætitiæ præ omnibus hominibus. Sed in gloriam Beatissimæ Virginis Deiparæ dicere: ideo Christum singulariter Sanctum; quia si ab vnione non esset Sanctus, à sanctitate Matris Sanctus diceretur: quod sanctitatis genus in solo Christo potest reperiri.

Salmeron. Toletus. Maldonat. Barradas.

Pinto. Toletus. Luc. 1. n. 35. Bernard.

132. Visitat Maria cognatam Elizabeth, quæ repleta Spiritu sancto exclamans dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Lucæ 1. num. 42. Quid mirum fructum fuisse benedictum, cùm beatus sit venter, qui illum portabat, vt dixit quædam mulier. Lucæ 11. num. 27. Sed nota stylum Elizabethæ. Fructum ventris vocat Mariæ Filium. Cultiori vocabulo appellaret Filium ventris, quàm fructum. Cur ergo peregrina voce vsa est. Si de aliqua arbore esset sermo propria esset locutio: nam arbor fructum producit: at beata Virgo Filium genuit, non fructum. Ergo impropriè Christus fructus nuncupatur. Nam sicut non propriè arboris fructum Filium diceremus, cùm Filius imaginem Patris exprimat, quam in fructu non videmus impressam: sic impropriè etiam Filium appellaremus fructum. Quare ergo Christus Mariæ dicitur fructus? An quia Virgo est virga de radice Iesse, vt toties diximus, & virga fructum producit? Non ineptè, hoc putaremus, vt exinde constat, Christum à Maria genitum,

Luc. 1. n. 42.

quemadmodum à virga fructus producitur. Sed aliquid profundius latet in hoc cognomine, *fructus*. Ex arbore gignitur fructus; si illa commendabilis est, iste ex illa commendatur; ab eaque sugit suauitatem, & vitam; & tandem qualis arbor talis fructus. Vt ergo Elizabeth ostenderet, ex Matre sancta, & benedicta Christum sanctum, & benedictum, & vt ex ea sanctum esse, eum vocat fructum. Sanctus ergo dicitur Christus, quia ex Matre sancta, in quantum homo; qui alias in quantum Deus sanctus erat per naturam. Richardus de sancto Laurentio libro primo, capite septimo, totum hoc expressit, cùm dixit: *Congrue appellatur Christus fructus: quia sicut fructus bonus arborem, vel terram, de qua nascitur commendabilem reddit: sic & Christus Virginem gloriosam, de qua tota benedicta totus est natus benedictus.* Quid illustrius?

Richard. de S. Laurent.

133. Numer. 24. num. 17. celebris extat Prophetia: *Orietur Stella ex Iacob.* Petrus Damianus sermone de Epiphania per Stellam Mariam intelligit: *Stella in terra*, inquit, *Virgo Maria: Sol in præsepio Christus noster.* Sed cur Maria Stella dicitur, cùm ex Iacob ducat originem? Stella cœlestis est; Iacob terrenus. Qui potest fieri, vt Stella oriatur ex Iacob? Vocatur Dei genitrix Stella, vt Christus, qui vt ab æterno Patre procedit, lux est, & lumen de lumine; vt à Matre genitus Stella ex Iacob, lucis etiam accipiat claritatem. Lux est Christus, quia Filius Patris consubstantialis, qui lumen est. Sit ergo Maria Stella, vt Christus, qua eius Filius lux etiam nuncupetur. Mirabiliter Beda præfata verba expendens conceptum nostrum explicuit dicens: *Stella ex Iacob: id est, Maria. Stella in cœlo sita est, & exit claritas ab illa: sic ex Maria claritas, id est, Christus ortus est.* Si argumentum Bedæ rectè concludit, probat Christum, quia hominem lucem esse ex Maria. Sicut enim ab Stella claritas dimanat: sic ex Maria claritas Christus ortus est. Ergo Maria, quæ velut Stella in se lucet, lumen etiam produxit Christum. Ergo vt Filius Mariæ lux est. Sic Prosper libro Epigrammat. de incarnatione Verbi, parte 3. in 5. tom. Bibl. Marianum vterum lucem appellauit, ex eo quod lumen produxisse asseruit sic accinens:

Num. 24. num. 17.

Pet. Damian.

Beda.

Prosper.

Hinc Verbum carni insertum, carnemque receptans,
Nec se confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis, virtute augente superna,
Esset vt in vtero lumine lumen homo.

Expende hæc vltima verba: *Esset vt in vtero lumine lumen homo.* Christus per æternam generationem lumen de lumine procedit; Sanctus de Sancto: per temporalem de vtero lumine lumen homo; de Matre benedicta fructus benedictus? & de Genitrice sancta Filius sanctus. Hoc innuebat aurea lamina, dum in ea, *Sanctum Domino:* vel vt ex Hebræo legitur; *Sanctitas Domini* scribebatur. Sed cur in lamina Sanctum Domino, vel sanctitas celabatur, quam alia Dei excellentia? Quia lamina hæc Mariam præsignabat: Scriptura Iesu nomen præferebat, (vt diximus in expositione litteræ numero vndecimo,) quod Christi hominis est nomen. Dicitur ergo Sanctum, vt intelligatur Sanctum, quia in lamina excisum: Quemadmodum dixit Gabriel Mariæ: *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* Ergo Christus sanctus est, quâ Mariæ Filius.

ILLATIO CCLXIII.

Sine Deo, aut Maria Mariæ laudes nequeunt decantari.

Diuus Ildephonsus sermone secundo de natiuitate Virginis stupore, & veneratione correptus timet, Mariæ pelagus gratiarum laudibus tranare: quare sic ait: *Sed quid dicam pauper ingenio cùm de te quidquid dicam, minus profecto est, quàm dignitas tua meretur? Si Matrem gentium te vocem, præcellis: si formam Dei appellem digna existis: si nutricem cœlestis panis te vocitem, lactis dulcedine reples. Lacta eum, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te: qui tibi munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginalis non abstulit natus.* Idem expressit Petrus Damianus sermone secundo de natiuitate Mariæ cùm ait: *Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet, qui de semetipso perhibet dicens: ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum.* Difficille ergo est de Maria instituere sermonem, & eius laudes decantare, cùm impar sit illi omne linguæ humanæ præconium. Ex Deo ergo venit, vt aliquis homo, imò Angelus eius sit sufficiens præco, & laudum buccinator, Summis laudibus Gabriel Mariæ prædicat excellentiam: *Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Lucæ primo, numero vigesimo sexto. Quid audes Gabriel? Angelorum Reginam laudibus extollere intentas, & rara, & inaudita profers? *Aue*, dixisti: quomodo nullus alius antea salutatus fuerat. Deinde: *Dominus tecum*, addidisti: singularis Mariæ prærogatiua est, sicut benedictam in mulieribus prædicari. Vnde tibi, ô Gabriel, hæc tam rata, & singularia, nulli antea dicta, inspirata sunt Recole, à quo missus sit Angelus, & admirari desines. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, &c. Lucæ primo, numero vigesimo sexto. Quid ergo mirum, quod Gabriel Mariæ laudes decantare sciat. Si ipse suis viribus nitens Mariæ præconia vellet referre, submergeretur vtique ab eius gratiarum pelago. Mittitur ergo à Deo, vt idoneus Mariæ laudum decantator sit: vt exinde constet, non naturæ viribus, quantumuis Angelicis, sed gratiæ Dei tribuendum fore, quod aliquis Mariæ nas laudes possit intonare.

134. Ildephons.

Luc. 1. n. 26.

Ibidem.

Salutat Maria consanguineam Elizabetham, & ait sacer textus Lucæ 1. numero 41. & se

135.

Luc. 1. n. 41. & 42. sequentibus: *Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth: & exclamauit voce magna & dixit: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Non mirarer, si Lucas referret, Elizabetham ex Mariæ consortio fuisse ditatam donis Spiritus sancti, cùm Matrem Dei benigne, & reuerenter susceperat: quod notatu dignum existimo est; prius referre Lucam, repletam Spiritu sancto fuisse Elizabetham, quam incipiat Mariæ præconia decantare. Sic ait: *Repleta est Spiritu sancto Elizabeth: & exclamauit voce magna*, &c. Cur hîc Spiritus sancti præsentia? Vt posset Elizabet Marianam dignitatem dignis laudibus intonare: ex quo aperte constat sine Spiritus sancti iuuamine, Mariæ laudes decantari non posse.

136. Librum magnum mysteriis plenum vidit Ioannes, Apoc. 5. n. 1. *Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librũ scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem.* Et statim, n. 3. ait: *Et nemo poterat, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, nec videre eum.* Quisnam est iste liber tot sigillis signatus? Et quænam sunt hæc mysteria, quæ Angelorum, & hominum superant captum? Richardus de sancto Laurentio libro duodecimo de laudibus Mariæ, sic respondet: *Maria est liber, quem vidit Ioannes Apocalypsis 5. in dextra sedentis in throno signatum sigillis septem. ... Et nota, quod Ioannes flebat multum, quia nullui inuentus est soluere signacula libri, nisi solus Agnus: quia nemo nouit Matrem nisi Filius & cui noluerit Filius reuelare: sicut Christus dicit de Patre, Matth. 11. n. 27.* Meritò Richardus per istum librum Mariam intelligit, quæ semper in dextera Dei fuit: quia in Maria nihil est siniſtrum, id est, nulla culpa. Septem sigillis præscribitur signata, id est, septem donis Spiritus sancti insignita nemo poterat sigilla reserare, nisi solus Deus. Sic nemo nouit Matrem nisi Filius, [illegible] noluerit Filius Matris excellentiam, [illegible] uelare. His satis superque Richardus [illegible]rat, ad Mariæ laudes decantandas di[illegible]quiri illustrationem. Sed nota illa: *Sicut Christus dicit de Patre, Matthæi 11. numero 27. neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Difficilia videntur hæc. Nam quid mirum, si æternus Pater lateat omnes præter Filium, aut eos, quibus dignatus est reuelare? Hoc enim commendat diuinam incomprehensibilitatem, & ineffabilem Dei naturam. At sic Mariæ dignitatem, & excellentiam latere, cum tale asserit, nimis audere videtur Richardus. Sed quam perbelle! Nam tanta est Mariæ dignitas, totque Spiritus sancti gratiis ditata est, vt quodammodo ineffabilis videatur. Quia si Pater Deus cognitionem omnium subterfugit; lucem inaccessibilem habitat, & abyssum infinitæ perfectionis habet; & sic non est mirum, à nemine cognosci, nisi cui Filius eum reuelauerit: Maria gratiæ abyssus prædicatur à Damasceno oratione secunda de dormitione Mariæ: *Vita thesaurus, gratia abyssus.* Ergo Maria, quæ gratiæ abyssus nuncupatur, incomprehensibilis videtur aliquo modo. Quid ergo mirum, si ad celebrandas eius laudes diuina requiratur illustratio, quemadmodum (seruata tamen proportione,) ad Patris æterni cognitionem?

Apoc. 5. n. 1. Ibid. n. 3. Richard. de S. Laurent. Matth. 11. n. 27. Damascen.

Nec mireris Mariæ encomia decantari non 137.
posse, quin diuina adsit illustratio, cùm ipsamet suam celsitudinem vix valeat comprehendere. Læto animo nec tristi voce Maria felicitatem suam explicuit dicens: Cant. 2. num. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Explica, ô Beata Virgo, quid tu dilecto; & quid dilectus tibi? Ne tantam felicitatem silentio prætermittas: dicito, quæ, & quanta dignitas tua sit. Cur eam occultas? Quia tanta est dignitas, & excellentia Mariæ, vt videatur, quod ipsamet non valet explicare, quanta sit. Audi Richardum citatum, lib. 5. de laudibus Mariæ: *Quid autem sit illi dilectus, quid illa dilecto non dicit: quia id tantum est, quod ad illud explicandum verba deficiunt, & istud inscrutabile est viatori, quia credere præcipimur, discutere prohibemur, sicut dicit Ambrosius.* Quod Maria est Deo, aut Deus est Mariæ, ipsa non explicat: quia ad id explicandum verba viatoris non sufficiunt.

Cant. 2. n. 16. Richard. de S. Laurent.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: Re- 138.
spondit Maria æstimans gratulationem Elizabethæ. Lucæ 1. num. 49. Sed cur, ô benedicta inter mulieres, non explicas, quæ sint hæc magna? Dicito à Gabriele salutatam, & vocitatam plenam gratia, Altissimi virtute obumbratam, vt Dei Filium conciperes: cur tantam celsitudinem tacens, confuse dicis: *Quia fecit mihi magna, qui potens est?* Quia vix Mariæ suppetunt verba ad suam magnignitudinem prædicandam. Deuote sanctus Thomas Valentinus sermone tertio de natiuitate Virginis hoc asseruit: *Excedit intellectum, & loquelam Virginis magnitudo, non modo nostram, imò forte, & suam. Fecit, inquit, mihi magna qui potens est. Sed quam magna? Nescio an ipsamet valeat comprehendere suam magnitudinem.* Marianæ excellentiæ omnem creatam superant magnitudinem, & eloquentiam; vires humanas excedunt: & ideo ipsamet Virgo de seipsa vix audet loqui, quasi non valens comprehendere suam celsitudinem. Si laminam auream, quam in fronte portabat Sacerdos attente consideres, inuenies in ea sanctum, & ineffabile nomen Dei celatum. Sed ad quid Dei incomprehensibile nomen in lamina? Vt celsitudinem Mariæ in lamina præsignatam aliquatenus incomprehensibilem intelligas. Ex consortio ineffabilis nominis quodammodò ineffabilis erat lamina: fix ex Verbi æterni contubernio aliquatenus ineffabilis Maria. O pulchra Virgo, ille solus, qui ex te genitus est, tuam valet comprehendere magnitudinem.

Luc. 1. n. 49. S. Tho. Vill.

ILLATIO CCLXIV.

Mariæ erga genus humanum beneficentia expenditur.

MAria tota est benefica: ipsa nos liberat 139.
à periculis; & per eam dona largiuntur. *Inuenta Virgine Maria* (dicebat ille sapiens

Idiota. idiota in prologo ad contemplationem de Virgine) *inuenitur omne bonum.* Nec Iudices, hoc tantum dixisse propter Mariæ excellentiam, sed etiam, quia omnibus est proficua. Id explicuit Germanus Patriarcha homilia de zona Virginis cùm dixit: *Quis post tuum Filium curam gerit generis humani sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis ita in supplicationibus à Deo, pugnat pro peccatoribus.* Quamobrem expendere, oportet nostræ Dominæ beneficam propensionem.

German.

140. Cantic. 2. num. 1. sic cœlestis sponsa: *Ego Flos campi.* De illa (quamuis alij de Sponso,) hæc verba intelligit Philo Carpat. Ibid. dicens: *Tamquam iam grata facta, & accepta Sponso, dum in illius versatur amplexu, & cultu mandatorum, Florem campi seipsam appellat.* Sed cur Sponsa non flori excultissimi horti, sed campi se alacriter comparatur? Quia flos horti non omnibus, sed quibus vult Dominus illius, communicatur: at campi flos cum sepibus vallata non sit, nemini fragantiam denegat, omnibus virtutem, & aspectum concedit. Sponsa ergo, quæ Mariæ gerebat personam, campi florem se prædicat, vt cœlestis Reginæ erga omnes beneficam naturam ostenderet.

Cant. 1. n. 1.

Philo Carp.

141. Luc. 1. n. 38. Sed altius rem hanc explicare libet. Audi Angelum salutantem Mariam: *Ecce Elizabeth cognata tua: & ipsa concepit Filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.* Luc. 1. num. 38. Bernardus homil. 4. *Super missus est.* Sic inquirit: *Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virginis nunciare conceptum?* An quia Virgo Beata de mysterio erat dubia? Absit: Nam si Maria dubitaret, plecteretur, sicut de Zacharia legimus, amisisse loquelam, quia dubium admisit. Cur ergo si Maria certa est de oraculo, conceptus Elizabeth sit certior? *Ideo* (prosequitur Mellifluus,) *sterilis cognata Virgini nunciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur.* Perge, & Bernardi discute rationem. Ait enim, ideo Mariæ annunciari conceptum Elizabeth, vt gaudium addatur gaudio. Si tantum diceret: vt miraculum miraculo adderetur, quiesceret animus: at gaudio concipiendum Filium Dei, quo perfusa est Maria, addi gaudium conceptus Elizabeth, parum esset, vt Angelicam legationem occuparet, & relato primo, secundum diceretur. Aut quî fieri posset, vt gaudium concipiendi Dei Filium, quod omne superat gaudium, augeretur cognatæ sterilis conceptu? Satis profundè id excogitauit Bernardus. Quia quamuis Maria summa lætitia perfrueretur in corde felici illo nuncio concipiendi Deum: audito conceptu cognatæ gaudio illi superadditur gaudium. Talis est enim Reginæ cœli propensio ad benefaciendum omnibus, vt quotiescumque aliis, audit, communicari bonum; gaudium eius, quo ex dignitate Matris perfruitur, ex aliena felicitate augeatur.

Bernard.

142. Luc. 1. n. 46. & 47. Caiet. Et quid mirum, quod Maria cognatæ felicitate lætetur, quam omnium salus summoperè delectat: *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. num. 46. & 47. Caietanus ibid. legit: *In Deo salutari: id est, in Deo Saluatore.* Forsan hanc expositionem desumpsit ex Syriaco, in quo legimus: *In Deo Seruatore meo.* Sed cur Maria non lætatur in Deo, vt Deo: sed in Deo Saluatore? Deus, vt Deus est summum gaudium, summaque felicitas. Regina cœli lætare in Deo omnipotenti, qui in te magna, & inaudita fecit: cur in Deo salutari exultas? Quia Deus salutaris, vel seruator omnium consulit saluti. Ideo ergo in Deo vt salutari lætatur Meria, vt indicet, in salute omnium exultare. Deus enim, quâ Deus, à se existit: quâ omnipotens potest omnia: qua intelligens omnia penetrat: at quà Saluator saluti hominum prouidet. In hoc ergo lætatur Maria. Caietanum accipe, cuius totus est conceptus. *Quamuis enim,* inquit, *Deus, ex quo mundum condidit, semper fuerit Saluator; officium tamen saluandi personaliter, tunc assumpsit, cum caro factus est, & propterea hoc speciali modo Saluator significatur. Et vere in Deo Saluatore spiritus B. Virginis exultauit, quia exultauit in Deo incarnato, Saluatore autem non huius, vel illius, sed mundi.* Non exultauit spiritus Mariæ in Deo solo Deo, sed in Deo salutari. Deus namque, vt Deus, quid absolutum est: at Deus salutaris quid relatum, & nostram vtilitatem respiciens. Maria ergo auida salutis omnium in Deo salutari exultat, hoc est, quatenus ad nostram vtilitaem refertur, non huius, vel illius hominis, sed totius mundi. Vbi expende: Mariam in Deo salutari exultare, provt nostræ consulit vtilitati. Quamuis enim in Deo abyssus sit perfectionis, in quo possit gaudere: tamen in Deo Saluatore nimis gaudet, (hoc sonat, *exultauit*, secundum Caietanum, quia Deus salutaris, & seruator non solum bonus in se, sed nobis etiam est bonus. Adhuc sequere Caietanum. Pergit ipse expendens, particulam, *Meo*, & ait: *Meo, possessionem significat Saluatoris tanquam proprij.* Quid ais perdoctè purpuratè? Si Maria gaudet de Deo totius vniuersi Saluatore: cur modò [illegible] particulam, *Meo*, denotare fuisse [illegible] Mariæ? An Deus Mariam solam [illegible], & reliquam humanam naturam [illegible]? Minimè. Ergo non solius Mariæ [illegible] omnium Saluator est Deus. Cur ergo dicis, ly *Meo*, denotare Mariam possidere Saluatorem tanquam proprium? Ingeniosè respondet Caietanus: *Verè enim meus, inquit Maria: quoniam totum corpus eius, mediante quo saluat mundum, meum est.* Quid subtilius? In Deo Saluatore, qui Mariæ est, lætatur ipsa, imò exultat; quia eius. Non dicit omnium; quia si Mariæ est, omnium est. Est ergo Deus Saluator Mariæ, & omnium. Mariæ, quia suus est: omnium, quia Mariæ. Nam Maria non sibi soli, sed omnibus est.

Sitiac.

Caietan.

143. Maria omnium est, omnibus subuenit, nemini negat suum patrocinium. Demitare signum illud magnum, quod miratus est Ioannes. Apocalyps. 12. num. 1. *Signum magnum,* inquit, *apparuit in cœlo, mulier amicta Sole.* Sed cur hæc mulier Solis ornatur pulchritudine? Vt vniuersalem eius beneficentiam declararet. Nam sicut Sol nemini negat lucis suæ radios, iuxta illud Matthæi 5. num. 45. *Qui Solem suum oriri facit, super bonos, & malos:* Sic Maria, quæ Sole exhibetur amicta indicat, nemini suum negare patrocinium, omnibus prodesse, nullum non sub hoc solari tegumento protegere.

Apoc. 12. n. 1

Mat. 5. n. 45.

Hoc

Bernard. Hoc expressit Bernardus de verbis Apocal. *Ea est* (Mariam intelligit) *quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur; sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exoratlem, omnibus clementissimam præbet; omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.*

144. Nec solum omnibus Maria subuenit, sed in omni tempore, & per singulas occasiones.

Cant. 6. n. 9. De ea dicitur Cantic. 6. num. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Cur Maria auroræ, & Lunæ similis exhibetur, cum soli comparatur? Vbi adest Sol, Luna non lucet, aurora non comparet: ergo minus apte cum Soli comparatur; auroræ, & Lunæ confertur. Sed quamperbellè. Exprimitur apertè vniuersale Mariæ patrocinium, quæ non solum omnibus, vt Sol in die; sed mane vt aurora, & nocte vt Luna suffragatur. Aut non solum iustis, qui fulgent sicut Sol, sed iam ad pœnitentiam se præparantibus, imo & peccatoribus in nocte culpæ sedentibus proficua est, vt resipiscant. Accipe Innocentium Papam sermon. 2. Assumptione.

Innocent. *Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die. Nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpæ respiciat Lunam, deprecetur Mariam: qui ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam.*

145. Subtiliori calamo explicandum est Mariæ erga homines patrocinium. De ipsa refert

Ioan. 19. n. 25. Ioan. 19. num. 25. *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* D. Ambrosius de obitu Valentiniani

Ambros. animositatem Mariæ expendens dicebat: *Stabat & sancta Maria iuxta crucem filij: stantem lego, flentem non lego. Vnde dixit ei filius: Mulier ecce filius tuus.* Siccis oculis stabat Maria, & quia lachrymas in corde stagnabat, quas oculis non [illegible]erat, mulierem appellat eam Christ[illegible] ô pia mater, & intacta Virgo, oculis lachrymas non permittis? Filium clauis confossum, sentibus redimitum, flagris verberatum, & contumeliis plenum intueris: cur lachrymas non effundis? Cur stas constanter afflicta? In corde tuo clauos, spinas & verbera sustines, quibus filium conspicis afflictum: quomodo tantum occultas dolorem, vt nec per oculos euaporari permittas. Attende, ô Virgo, matris dedecere affectum in morte filij, & præcipue dilectissimi, suspiria, & vlulatus omittere. Effunde lachrymas, ne qui te sereno vultu conspiciat, putet, non matrem, sed asseclam esse patientis in cruce. Ioannes ambobus oculis deflet mortem magistri: Magdalena quoque cordialis ardoris ostendit incendium oculis madefactis, quare ergo tu, quæ plus sentis, quia plus diligis, non deploras. Ad rem idem Ambros. in cap. 23. Lucæ.

Ambros. *Sed nec Maria minor, quam vt matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, & pius spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Cum Maria stabat iuxta crucem, piis oculis spectabat vulnera filij, & non deflebat; quia expectabat mundi salutem. In corde amara pœna afficiebatur, & tamen in fletus non prorupit; quia per mortem filij mundi expectabat redemptionem. Tanta erga nos Maria ardebat charitate, vt alacri vultu, & serenis oculis spectaret vulnera filij: eo quod sanguine, qui ex illis manabat, cognosceret, nos ablui. Quamuis enim exterius matris periclitaretur opinio; quia filium morientem non flebat: omnia postponit, vt hominibus proficua, & erga eos hilaris benefica ostendatur.

146. Puritatis, & munditiæ exemplar Maria purificationis legi se submittit: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Lucæ 2. num. 22. Cur Maria legalem ritum purificationis adimplet, cum sub illa lege non fuerit comprehensa? Purior Angelis erat Maria: ergo purificari non indiget. Quare ergo purificatur? Bernard. serm. 7. in paruis sermonibus ait: *Illa purificatur, præbens exemplum pœnitentibus; vt à commissis per pœnitentiam purificemur.* Aliam rationem sed non alienam à nostro instituto affert Gofridus Abbas serm. de purificatione, dicens: *Cum beatissima virgo, licet non ignorasset, quis esset quem genuisset; expectauit tamen diem purgationis, & occultauit filij Deitatem: nam si Christi incarnatio fuisset nota diabolo, nec Christus pro nobis moreretur, nec fieret nostra redemptio.* Quasi diceret. Ideo beatissima Virgo purificationis legi se summisit, & cum esset ipsa puritate mundior apparere immunda dignatur; vt sic diabolo celaretur incarnationis Verbi mysterium; ne si tantum arcanum pateret, diabolus impediret remedium humani generis, Christi mortem impediens. Quia si Maria ab illo legali ritu se prædicaret immunem; teneretur, exprimere causam immunitatis, scilicet, quod erat Dei mater: Vnde diabolus Christum esse Deum manifeste cognosceret, & mortem eius impediret, ne genus humanum ab eius seruitute liberaretur. Maria ergo tantum occultauit arcanum, purgationis opinionem patiens, vt homines sub misera peccati, & dæmonis seruitute oppressos emanciparet, quasi nostram salutem suo honori præferens. Maluit pia mater videri immunda, quam non proficua. In fronte Pontificis pendebat lamina, quæ præsignabat Mariam: vt per eam ostenderetur beatissimam virginem omnes aspicere, omniumque desiderare conspectum, vt ab ea petant auxilium, & petitum obtineant, & ab omnibus benefica veneretur.

Lucæ 2. n. 22.

Bernard.

Gofridus.

Illatio CCLXV.

Mariæ gloria omnium creaturarum beatitatem excedit: & cum ea gloria Angelorum comparata, gloria non apparet.

147. Damascenus orat. 1. de dormitione Mariæ expendens celsitudinem gloriæ, qua gaudet Maria, sic ait cum ea loquens: *Non enim vt Elias in cœlum ascendisti, non vt Paulus ad tertium vsque cœlum subuecta es: Verum vsque ad reginm filij tui thronum peruenisti perspi-*

Damascen.

cue eum, ac læte conſpiciens, & cum magna, & inenarrabili quadam libertate, Angelis, atque omnibus mundo ſublimioribus virtutibus arcana quædam, atque omni dicendi facultate ſuperior lætitia, Patriarchis ſempiterna oblectatio, peremnis Prophetis exultatio, mundo benedictio, rebus omnibus ſanctificatio, laborantibus requies, mœſtis conſolatio, ægrotantibus medicina, tempeſtate iactatis portus, peccantibus venia, iis, qui in mœrore verſantur blandum ſolatium, omnibus poſcentibus promptum ſubſidium. Quid amplius de Chriſto Domino ad Patris dexteram ſedente dici poſſet? Sed expende illa: *Verum vſque ad regium filij tui thronum peruenisti.* In throno Dei ſedet Maria? Audi Gregorium Magnum lib. 1. Reg. cap. 1. exponens illud Iſaiæ 2. n. 2.

Iſaias 2. n. 2. *Mons domus Domini in vertice montium*, ait: *An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis euexit.* Idem ſentit Hieronymus ſerm.

Gregor. Hieron. de aſſumptione Virginis dum dixit: *Hæc eſt dies, in qua vſque ad throni celſitudinem intemerata mater virgo proceſſit, atque in regni ſolio ſublimis poſt Chriſtum glorioſa reſedit.* Plus audet Petrus Damianus ſermon. de Aſſumptione

Petr. Dam. Virg. *Sublimis eſt iſta dies*, inquit, *& ſplendidiore ſole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam angelicam ſolicitat ad videndum.* Idem docuit Bernardinus Senenſis tom. 1. ſermon. 61. artic. 3. cap. 3. accommodans coronam, quam rex Aſſuerus impoſuit reginæ Eſther, Mariæ ſemper virgini,

Bern. Senenſ. ſic ait: *Iſtud eſt diadema ſpeciei, & gloriæ corona, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus ſanctiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, ac fruatur, quam omnis alia pura creatura ſimul ſumpta: de cuius gloria poſt filium participant vniuerſi.* Anſelmus cap. 8. de B. Maria in tom. 2. Bibliot. Virgin. habet hæc verba.

Anſelmus. *Immenſitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & fælicitatis tuæ conſiderare cupienti ſenſus deficit, lingua fatiſcit.* Nota: Anſelmum appellare immenſam gloriam Mariæ. Quod immenſum, totum occupat locum: hoc ſolius Dei eſt attributum. Quî Mariæ gloria dicitur immenſa? Reſpondet idem Doctor loquens de die Aſſumptionis Mariæ: *Dies enim illa non ſolum te, domina, ineffabiliter ſublimauit, ſed cœlum ipſum, quod penetraſti, nec non cuncta, quæ in eo ſunt, noua, & ineffabili gloria decorauit.* Tanta eſt Mariæ gloria, vt vel ipſos beatos decoraverit gloria, non eſſentiali, quæ in viſione clara Dei conſiſtit, ſed ſaltem accidentali.

148. His teſtimoniis clare conſtat Mariam ſemper Virginem euectam fuiſſe vſque ad Dei ſolium, & in ipſius Trinitatis ſede repoſitam; tandem immenſam eſſe eius gloriam, & beatorum beatitudinem decoraſſe. Nunc ſingula aliquo lepore confirmare placet. *Ego ex ore*

Eccl. c. 24. n. 5. *altiſſimi prodiui*, læta canebat Maria Eccleſiaſt. 24. num. 5. Quam præclara ſit eius origo, ſatis ipſa explicuit, cum inter diuina labia habuerit exordium, multò fælicius quam Adam: hic namque licet ab ore Dei vitæ ſpiraculum accepit proprio ore ſumpſit venenum. Meritò ergo gloriatur Maria, Dei labia incunabula eius fuiſſe; vt exinde conſtet, quam munda fuerit in ſuo exordio; & conceptionis eius puritas. Verum vt hoc teſtimonio ſuæ gloriæ etiam celſitudinem aperiam, id explico. Deſcendit ergo Maria ex ore Dei, qui tunc altiſſimus deſiderauit, nuncupari, vt oſtenderet aperte à quanta celſitudine deſcendiſſet mater eius. Ob hoc dixit Auguſtinus ſerm. de aſſumptione:

Auguſt. *Altior cœlo eſt, de qua loquimur, abyſſo profundior, cui laudes dicere conamur.* Vnde infero, Mariam ad tantam celſitudinem aſcendiſſe, cum in gloriæ regno coronatur, quantam habuit, cum deſcendit. Si ergo in exordio ex ore altiſſimi prodiuit; æquum erat, vt in aſcenſu ad tantam celſitudinem eueheretur. Hinc cum nouitate intelligo: cur Maria Cant. 4. num. 12. *Fons ſignatus*, dicitur. At cur fonti Cant. 4. n. 12. confertur, aut aquæ inconſtantiæ comparatur? Perbelle: Nam ſi fontis conſideres propenſionem inuenies, eamdem aſcendere altitudinem, quam reliquerat, cum deſcendit. Conſidera aquam naturali pondere altiſſimam rupem dimittere, & natiuitatem ſuam obliuiſci: ſi tamen eam intra alicuius conductus carcerem cõcludas, quaſi internæ grauitatis exuens propenſionem, exultans aſcendit ad tantam altitudinem, quantam reliquerat in origine. Vt ergo quanta ſit celſitudo Marianæ gloriæ exprimeretur, fons dicitur, hoc eſt, aquæ naturam imitans, vt exinde innoteſcat, Mariam ad tantam celſitudinem exaltatam in cœlo, quantam reliquerat, dum deſcendit in terram. Ergo cum ex ore altiſſimi proceſſiſſet, ad eandem altitudinem debuit eleuari. Audi Petrum Damianum ſerm. de Aſſumptione. *Super hunc nititur* (id eſt, Chriſtum) *mater* Petr. Dam. *illa fælicior, & in aureo reclinatorio diuinæ maieſtatis incumbens intra ſponſi, imo filij ſui brachia requieſcit.* Ad tantam gloriæ celſitudinem euecta eſt Maria, vt intra filij ſui b[illegible]quieſcat. Ergo aſcendit ad tantam [illegible] cum coronatur in gloria, quantam reliquerat, cum deſcendit in terram. Quis enim poteſt dubitare, Chriſtum ad ſummam gloriæ celſitudinem euectum? Non aſſero, Mariam æquali gloria potiri cum Chriſto; ſed requieuiſſe in gloria inter filij brachia: vnde cum Chriſtus ſit rex gloriæ; Mariam, quæ fælici amplexu inter eius requieſcit brachia, non immerito gloriæ Chriſti ſceptrum appellarem. Quid mirum, ſi Maria eſt fons, quæ ex ore altiſſimi prodiuit, eleuari in morte ad tantam celſitudinem, quantam dimiſerat in deſcenſu?

Non quieſcit animus, nec deuotio. Tanta 149. eſt Mariæ gloria, vt videatur, fælicitate Angelos exiſtentes in gloria. *Reuertere, reuertere* Cant. 6. n. 12. *Sunamitis, reuertere, vt intueamur te:* ſummis precibus Mariam exorabant Angeli. Cantic. 6. num. 12. Sed ad quid Angeli deſiderant, vultum Mariæ conſpicere? Ipſi in conſpectu Dei aſtant, diuinumque lumen facie ad faciem conſpiciunt ſumma illa fælicitate gaudentes: quare Mariæ pulchritudinem deſiderant intueri? Nunquid fælicitas, qua fruuntur ſumma non eſt? Aut non ſatiat omne deſiderium? Vtique. Si ergo beatitate fælices ſunt, quæ eſt omnium bonorum ſtatus aggregatione perfe-

ctus,

ctus, & in diuinæ pulchritudinis visione consistit; ad quid Mariæ vultum desiderant? Alanus ad hunc locum Angelorum personam agens sic respondit: *Reuertere, vt intueamur te: quia sicut in faciem filij tui desideramus prospicere: sic in specie, & pulchritudine tua vultus desigere volumus, & luce vultus tui illustrari.* Quasi diceret: æterna illa felicitate, qua Deum clarè intuentes beati felicitantur, fruebantur Angeli, quando Mariæ gloriam desiderabant conspicere, vt vultus eius luce illustrarentur: non quia illorum gloria essentialiter, & intensiuè augeretur ex tali prospectu, sed vt accidentaliter, & extensiuè incrementum reciperet. Talis namque est, & tanta Mariæ gloria, vt vel Angeli ipsi æterna gloria fruentes, illam desiderent intueri, vt aliquo modo gloriæ, qua fruuntur, addant incrementum, & visa hac quodammodo satiati conquiescant nouiter in gloria. Hoc denotauit S. Thomas Villano. serm. 1. de annunciatione cùm dixit. *Angelos, & homines ex tua pulchritudine satiasti Maria.*

Alanus.

Thom. Villa.

150 Et quid mirum? Cùm Mariæ gloria Christi beatitati videatur similis. Summis laudibus Apostolus ad Hebræos 1. gloriam Christi extollens tandem concludit num. 13. dicens *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede ad dextris meis*, &c. Ex hoc confessu colligit Ambrosius sermon. 60. æqualitatem Patris, & Filij. *Licèt enim dignitatis gradus non sit, vbi plenitudo diuinitatis est: tamen ideo ad dexteram sedet Filius, non quo præferatur, sed ne inferior esse credatur.* Et Chrysostom. homil. 66. in Matthæum expendens inscitiam matris filiorum Zebedæi ait: *Inaccessibilis quippe sedes est illa, non hominibus dico solum, sed Angelis, sed Archangelis, cæterisque virtutibus. Quod quasi præcipuum vnigeniti priuilegium Paulus posuit dicens, Ad quem autem Angelorum dixit vnquam: sede à dextris meis.* Erauit mater filiorum Zebedæi; quia à Christo petiit, quòd vnus ad dexteram, alius ad sinistram sederet, in quo æqualitatem confessus postulauit: nam ad dexteram Dei sedere æterni Filij præcipuum est priuilegium. At hoc aliquo modo Mariæ in cœlum ascendenti communicatum est. Audi Dauidem Psalmo 44. num. 10. Canentem: *Astitit regina à dextris tuis.* Sic Athanasius Episcopus Alexandrinus sermon. de Deipara cùm dixit: *Nunc scilicet adest regina à dextris tuis.* Idem docent alij Patres. Si ergo à dextris Dei sedere æqualitatem cum Deo denotat: quid dicemus, cùm Mariam audimus, in regno gloriæ filij dextera gaudere? An quod filio sit æqualis? Absit. Nam licèt Maria Angelorum, & hominum superet sanctitatem, tamen non est Deus, sed pura creatura. Gaudet ergo filij dextera, vt denotetur, superna beatitate infra Deum omnimoda gloria perfrui. Ob hoc sapientissimus Franciscus Suarez tom. 2. in 3. disput. 21. sect. 4. ait, Mariam in gloria, post Christum, singularem constituere chorum, infra quem omnes sancti constituti sunt.

Ad Hebr. 1. n. 13.

Ambros.

Chrysost.

Psal. 44. n. 10.

Athanas.

151. Age iam, & Mariæ gloriam expende. Ausim dicere tantam esse gloriam Mariæ, vt Angeli, qui beatitate æterna perfruuntur, genitricis Dei gloriam contemplantes, videantur non esse in gloria. Non quia cælites beatitudine careant, cùm Maria gloria perfunditur: sed quia tanta est Virginis gloria, vt si cum ea comparetur beatorum gloria, gloria non appareat. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, decantabat Angeli Maria in cœlum ascendente. Cantic. 3. num. 6. Non desunt, qui hìc deserti nomine intelligant empyreum. Hoc nomine appellatur Lucæ 15. num. 4. cùm de illo cœlesti pastore dicitur: *Dimittit nonaginta nouem in deserto*: id est Angelos in cœlo, vt ouem deperditam, naturam humanam restauraret. Nec aliter Apocal. 12. num. 14. de forti illa muliere dicitur: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum.* Id est, in cœlum. Hinc non leue dubium insurgit: cur Angeli cœlum desertum appellant, cùm Maria cœleste illud palatium ingreditur; præsertim cùm sit Angelicis, & humanis ciuibus ornatum? Eremus dicitur brutorum patria, non intelligentium commertium: si ergo cœlum Angeli & homines inhabitant meritorum corona ornati; cur deserti nomine vocatur? An quia Angeli, & homines, qui illius ciuitatis habent incolatum, æterna claritate non fruuntur? Minimè. Quare ergo? Quia estò beati sint, & clarè, & intuitiuè diuinam pulchritudinem intueantur, beatitate; & gloria sint fælices: quasi à cœlo extorres, & ab æterna felicitate, dum Maria cœlum ingreditur, non quia sine gloria sint, sed quia eorum felicitas, aut gloria Marianæ gloriæ comparata, non videatur felicitas. Tanta maiestate Maria ingressa est in gloriam: tantusque est excessus beatitudinis, qua Maria perfruitur in cœlo, vt Angeli existentes in gloria eam admirantes, propriam non existiment gloriam. Meritò ergo tunc deserti nomine appellatur cœlum: nam si eremus est solitudo: sola videtur Maria gloria perfundi: quia in illo gradu, in quo fruitur gloria, sola est Maria. Ergo velut in deserto: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?*

Cant. 3. n. 6.

Luc. 15. n. 4.

Apoc. 12. n. 14.

152. Hanc summam felicitatem celebrat Maria, eam beatis, & cœlestibus ciuibus annuncians. Cantic. 1. num. 4. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Id est, in gloriam. Ecce iam dubium. An Maria sola ingressa est in gloriam? Ibi non sunt Angeli, & homines, qui meritis, laboribus, & proprio cruore pro Deo effuso emerunt ipsam gloriam? Ita sanè. Quomodo ergo Maria gloriatur, quod in gloriam ingressa sit? Origenes homil. 1. in Cant. auget difficultatem, dicens: *Introduxit me rex in cubiculum suum: plures foris remanent, in cubiculum sola ingreditur sponsa, vt videat thesauros absconditos, & tenebrosos, renuntietque iuuenculis.* Quid ais Adamanti? Angeli, & homines in lumine Dei lumen incomprehensibile vident; & diuinitatis nullum beatorum latet arcanum; omnesque intrarunt in gaudium Domini: cur Mariam solam ingredi asseris? Quia in tantam gloriæ celsitudinem erecta est, vt tametsi beati gloria fruantur, eorum beatitas non videatur gloria Marianæ comparata, eo quod sola gloria Mariæ videatur felicitas. Et hoc sensu extra gloriam videntur esse beati, cum Maria intrat in gloriam: *Plures foris remanent; in cubiculum sola ingreditur.*

Cant. 1. n. 4.

Origenes.

Cant. 6.

153. Cantic.6. num.9. *Electa vt Sol.* Prædicatur
Cant.6.n.9. Maria, non solùm dum concipitur, aut oritur, sed cùm coronatur in gloria. Petrus Damianus
sermon. de Assumptione admiratione plenus,
Petr. Dam. quòd Maria comparetur soli, ait. *Attende similitudinem, qua nulla in rebus potest esse sublimior Nihil enim habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet.* Liceat mihi sub Damiani vmbra, huius similitudinis examinare excellentiam. Cur Maria soli comparatur? An quia quemadmodum sol omnia astra superat pulchritudine, & claritate; sic Mariæ sanctitas, & gloria omnium Sanctorum excedit gratiam, & gloriam? Forsan hoc intendebat doctissimus purpuratus. Sed vt mihi, videtur profundiorem mentem in eius verbis inuenio. *Sol lucidius incandescens, ita syderum, & Lunæ rapuit positionem, vt sint, quasi non sint, & videri non possint.* Vidisti noctem iniuria tenebrarum conceptam, caliginis horrore procreatam, sed lucentibus astris, Lunaque ministrante lumen aliquatenus lucidam, & claritate fulgentem? Appareat aurora; videbis tenebras fugere, vmbras repedarè, Stellarum, & Lunæ lumen remitti: tandem oritur Sol, radios spargit, & absconduntur Luna, & Stellæ, vel fugiunt, ne mutuati luminis claritate penitus orbentur: & sic syderum, & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint. In hoc, ni fallor, maiestas Solis maxime elucet; cum in eius præsentia Lunæ, & Stellarum lumen velut extinguitur, vt sit, quasi non sit. His præiactis facilè comprehendes; cur Maria cùm cœlestem curiam ingreditur, Soli conferatur: *Electa vt Sol.* Perinde est, ac si diceretur: sicut in solis conspectu Lunæ, & Stellarum claritas apparere non audet; & quantumuis corpora lucida sint, non lucent, cùm Sol radios suos spargit: sic Maria, quæ in ingressu gloriæ fulsit vt Sol, beatos omnes velut obscurat, vt ipsi tametsi gloriæ non amittant candorem, quo verè perfruuntur; à Mariæ gloria ita obscurantur, vt videantur non esse in beatitudine. Damiani est totus discursus. Verba eius accipe. *Similiter, & virga Iesse veri præuia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum habetat dignitatem, vt in comparatione virginis nec possint, nec debeant apparere.* Quid illustrius?

154. Exod.25. num. 11. fabricam arcæ præcepit
Exod.25. n.11. Deus, & inter alia dixit: *Facies supra coronam auream per circuitum.* In quo apertè ostenditur, voluisse Deum, arcam corona redimiri: in eo-
Ibid.n.18. dem cap. num. 18. sic legitur: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi:* quibus Deus non assignauit coronam. Sed quid est, quòd Deus arcam voluit coronari, secus autem Cherubinos? Cherub sonat scientiæ plenitudinem: corona potestatis, & imperij est indicium: ergo aptè Cherubinis adscriberetur corona; siquidem imperium, & potestas sapientiæ non aduersantur. Quare ergo non cherubinis, sed arcæ corona adscribitur. Profectò, quia arca typum gerebat Mariæ, in qua Manna cœleste diuini Verbi fuit inclusum: Cherubim sanctorum agmina præsignabant. Vt ergo constet, non solùm Mariæ gloriam omnium Sanctorum beatitatem superare; sed comparatione illius videri, non esse in gloria meritò. sancti cum æterno adstant propitiatorio sine corona proponuntur, qua sola gaudet eorum regina: quasi sola ipsa sit in gloria. Ob hoc dicebat Lyra in hunc locum:
Cæteri Sancti, etiam supremi Angeli sunt in cœlis Lyra.
sicut Dei ministri, ipsa verò sicut cœlorum regina. Sed adhuc vrgeo: gloria est corona Sanctorum, qui contra principem huius mundi, & aëreas potestates fortiter dimicarunt. Ergo ex iustitia eis debetur corona. Quomodo ergo diximus, ea in cœlis non gaudere beatos, & tantùm Mariæ illam adscribimus? Nemini dubium est, beatos in patria perfrui beatitudine tanquam corona. attamen illis coronam imperij denegamus, qua sola cœlorum regina gaudet. Vnde tanta gloria perfusa est, vt quantumuis beati meritorum corona fruantur in patria, tamen, eos sine corona concipimus, non quia meritorum careant præmio, sed quia illorum gloria, si Mariæ beatitati conferatur, nec gloria videtur, nec corona. Hanc celsitudinem gloriæ beatissimæ Virginis designabat lamina vitta hyacinthina fronti Pontificis ligata. Hiacinthus enim cœlestem colorem refert, in quo æterna beatitudo designatur. Euehitur ergo hæc lamina Mariæ vsque ad Dei thronum, vt illic gloria, & maiestate perfruatur, vt decebat matrem Dei, & cœlorum reginam.

ILLATIO CCLXVI.

Nobilitas sine virtutum stemmatibus, obscuritas potius, quàm nobilitas dicenda est.

155. VEra *nobilitas* (inquit Gaudentius. tract. 15.) *non subsistit ex diuitiis, sed cognoscitur* Gaudentius.
in moribus. Ille verè nobilis est, qui virtutum condecoratur ornamento, tametsi ab ignotis parentibus ducat originem: è contrà verò, cùm quis vitiis laxauit habenas, etsi à regibus, & imperatoribus glorietur, descendere, regia stemmata deturpat. Quàm bene Faustus Lirinensis sermon. vnico: *Non bene ingenuus ap-* Faust. Lirin.
pellatur, qui misera vitiorum seruitute deprimitur. Ad hæc aptissimè Agapetus Diaconus num.4. Omnia ad præsens institutum complectens dixit: *Maiorum nobilitate ne quis delicietur: li-* Agapetus.
mum enim habent omnes generis auctorem, & qui purpura, byssoque turgent, & qui paupertate, & aduersa valetudine affliguntur, tam qui diademate redimiti sunt, quàm qui per cubicula excubant: ne igitur lutulentum iactemus genus, sed morum integritate gloriemur. Non genus per longam, & illustrem maiorum seriem nobilitatem commendat, sed virtutum laudabilis ornatus. Hic si adsit, splendet nobilitas; si desit obscuratur.

156. Psalm. 36. num. 25. præcinebat Dauid: *Iu-*
Psal.36.n.25. *nior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius, quærens panem.* Non mirarer si Psalmographus diceret: iustum semper à Deo protectum, & nunquam diuino patrocinio destitutum: at filium iusti indigum non fuisse, nec panem mendicasse, primo aspectu videtur perdifficile. Nam Genes. 25. num. 32.

legitur,

legitur, Esaü Isaaci filius fame oppressus fratri Iacobo pro edulio primogenita vendidisse: ergo semen iusti quæsiuit panem. Quomodo ergo ait Dauid, se non vidisse semen iusti quærens panem. Quia licèt Esaü patrem habuerit Isaac iustum; paternos mores non imitans, imo peruersos habens, à paterna indole erat extraneus, quasi non esset filius Isaaci. Mendicauit ergo Esaü, & panem quæsiuit, quia tametsi ab origine Abrahami, & Isaaci descendisset, nec patris, nec aui fulgebat virtutibus. Meritò ergo describitur mendicus, nec semen habetur iusti, qui iustitiam contempserat. Id explicuit Origenes homil. 5. in Psalm. 36. dicens: *Et quid autem semen iusti dignum est, putare, nisi discipulum iusti, qui suscepto ab eo Verbi Dei semine ad vitam generat æternam.* Origenes. Ille est verè filius, & ingenitæ nobilitatis hæres, qui paternos mores imitatur. Cùm ergo Esaü à rectis vestigiis patris deuiaret, quasi non esset filius iusti mendicat indigus, & nobilitatem obscurat auorum. Ob hoc Ismaëlitæ, & Sarraceni, qui ab Ismaële Abrahæ filio; & Idumæ, qui ab Esaü eiusdem Abrahæ pronepote ducebant originem, nunquam Hebræo cognomine appellati sunt, quod vel Heber patrem, vel Abraham designabat; quia prauis moribus, superstitionibus, & idololatriis erant intenti, quibus auorum suorum præclarum nomen deturparunt.

157. In nauiculam ascendit Christus discipulis eius comitantibus: & ecce crispantur vndæ, vndique ventis afflantibus, & mare commouetur, ita vt nauicula operiretur fluctibus: clamant omnes ad Christum, & eius implorant auxilium, & excitatus à somno (dormiebat enim Christus) imperat mari, & ventis, & facta est tranquillitas magna. *Porro homines mirati sunt dicentes: qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Matth. 8. num. 27. Matth. 8. n. 27. D. Hieronymus ibidem sic ait: *Non discipuli, sed nautæ, & cæteri, qui in naui erant mirabantur. Sin autem quis contentiosè voluerit, eos, qui mirabantur fuisse discipulos: respondebimus rectè homines appellatos, qui necdum nouerant potentiam Saluatoris.* Hieron. Duo asserit Doctor maximus. Primum non admiratos fuisse discipulos, sed nautas. Nam si discipuli essent, diceret Euangelista: *Porro discipuli mirati sunt.* Sicut idem Matth. cap. 16. numero 15. referens, Christum interrogasse discipulos: quem dicunt homines, esse filium hominis, relatis hominum sententiis, ait: *Vos autem, quem me esse, dicitis?* Matth. 16. n. 15. Velut discipulos segregans ab hominibus. Alterum, quod ait Hieronymus est, quod dato, quòd discipuli admirarentur visa maris tranquillitate, rectè appellarentur homines. Sed cur homines, & non discipuli dicerentur? Aut cur splendore discipulatus priuarentur, & communi hominum insignirentur cognomine? Quia saluatoris potentiam nondum nouerant. Hoc est, quia admirantes, dubitabant de Christi potentia, & nobilitatem discipulorum Christi deturbabant. Vnde meritò, non vocarentur discipuli, sed homines dicerentur; quia acceptam nobilitatem Apostolatus non custodiebant scuto fidei muniti.

158. Accipe huius thesis non vulgare robur. Conqueritur Christus è cruce pendens, & Patrem sic alloquitur: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matthæi 27. num. 46. Matth. 27. n. 46. Si Patrem alloquitur, cur Deum, & non Patrem vocat? Derelictus exclamat, & liuori furentium inimicorum expositus: ergo facilius à Patre obtineret auxilium, si genitorem vocaret, quàm Deum appellans. Quare ergo non vocat Patrem, sed Deum? Quia cùm è cruce penderet, quæ sceleratorum erat supplicium; ex eo solùm quòd cum iniquis fuerat reputatus, & peccatoris habebat speciem, cùm tamen esset sanctitas infinita, noluit Patrem, paterno vocabulo inuocato, accersire adiutorem, quasi non audens vocare Patrem, cum supplicio velut peccator esset affixus. Nobilitatem æternæ generationis abscondit, eo quòd peccatoris haberet imaginem. Nam sic nobilitas, vel præclarissima, vitiorum maculis deturpatur; Vt Christus ipse, qui peccandi caruit potestate, vel sola peccatoris specie exteriùs tantum maculatus in falsa Iudæorum opinione, nobilitatem, qua à diebus æternitatis fruebatur, nominare non audet, paternum petens auxilium. Sed video iam doctum obiectantem, Christum è patibulo pendentem sic Patrem allocutum. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Lucæ 23. num. 46. Lucæ 23. n. 46. Perperam ergo diximus, Christum patris nomen subticuisse, quia pendebat è cruce. Sed nota, quàm consonè dictum est. Vix præfata verba retulit Lucas cùm statim addidit. *Et hæc dicens expirauit.* Ibidem. Si Ioannem cap. 19. n. 30. recolas inuenies, Christum expirasse cùm primum prophetiæ adimpletæ fuerunt. *Cùm ergo Iesus accepisset acetum, dixit: consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Ioan. 19. n. 30. In quo apertè Christus se declarauit mundi Saluatorem; siquidem morte sua nostrum consummauit remedium. Meritò ergo hìc Patrem expressè vocat: quia pro peccatis omnium satisfaciens, omnes redimebat: quod opus personæ tantum diuinæ conuenire poterat. Si ergo Christus cùm iamiam vltimum ageret spiritum, hominum consummabat remedium, erecta fronte poterat Patrem appellare Deum, quia opus Filij Dei efficiebat: cùm autem se à Deo derelictum edidit, quamuis è cruce penderet, aliquid temporis intermissum est, vsque dum compleret redemptionem, & in cruce expiraret, vt liquidò constat ex Matthæo cap. 27. num. 46. & 47. & 48. & ex Marco 15. num. 36. qui referunt, Christum felle potatum, & illusum à prætereuntibus, & post multa alia tradidisse spiritum. Quid ergo mirum quod ante ista quando conqueritur, non appellet Patrem, sed Deum; quia tunc iniuriosè patiebatur, ac si sons esset. At cum spiritum commendat, Patrem vocat, indicans, iniustè pati, & suam innocentiam aperiens, aliàs animam Patri non commendasset. Illic quasi non audet, Patrem nominare, & ideo Deum appellat, quia pendebat è supplicio: hìc Patrem dicere non erubescit, quia nostram consummabat redemptionem, quod solius Dei opus erat.

159. Diuina voce, licèt humano organo articulata, Petrus diuinitatem edidit Christi; filium Dei viui fatetur, quem humani vix hominem æstima-

Matth.16. n.20. æstimabant: *Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.* Matth. 16. num. 20. Coram discipulis fatetur Petrus Christi diuinitatem ab ipso Domino inuitatus: *Vos autem, quem me esse, dicitis?* Et id ipsum, quod confitendum desiderauerat, præcepit silentio premi, & sepeliri. Permitte, Domine, vt neminem lateat æterna Filiatio: sint discipuli tuæ diuinitatis præcones, annuncietur orbi æternæ generationis arcanum, vt ab omnibus summo honore, & religiosa reuerentia afficiaris. Cur tantam celsitudinem occultare desideras? Aptissimè Hieronymus epistol. de vera circunciſione in tom. 9. hanc rationem exhibuit: *Nam mauult, se inuentum esse, quàm proditum; vt virtus sua illum, non fauor manifestaret alienus.* Noluit Christus, tunc à discipulis Deum annunciari, vsque dum eius opera manifestarent ipsum. Nam si discipuli diuinitatem eius in lucem proferrent, suspecta videretur illa celebritas; quia ab affectis honorari, fauor potiùs, quàm meritorum dignitas videbatur. At post miracula multa, post passionem diriſſimam, & crucem ignominiosam, reseruauit silentium, & tacendi disrupit præceptum, imo annunciandi eius diuinitatem omni creaturæ, legem imposuit. Quasi adesset iam opportunitas diuinam nobilitatem, quam habebat, pandendi: quia tot opera patrauerat, quibus eius ingenuitas firmiter crederetur. Ita nobilitas nobilium virtutibus illustratur, vt æterna illa, qua Christus à Patre procedit, desideret operum stemmatibus radiare.

Hieron.

160. Magnalia Christi in Salomonis persona decantabat Dauid Psalmo 71. & inter alia intonuit num. 8. dicens: *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Quæ verba Salomoni nequeunt conuenire, quia totius orbis non obtinuit imperium: quare Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei c. 8. sub medium de Christo intelligenda defendit. *Quod in Christo,* inquit, *videmus impleri. A flumine quippe dominandi sumpsit exordium, vbi baptizatus à Ioanne, eodem monstrante cœpit agnosci à discipulis, qui eum non solùm magistrum, verumetiam Dominum appellauerunt.* Sed quî potest intelligi regnum Christi à Iordane sumpsisse exordium? Rex erat, adhuc vt homo, ex vi vnionis hypostaticæ ab initio suæ Conceptionis. Cur ergo ait Augustinus à flumine regnum accepisse, & à discipulis vt regem veneratum? Quia quantumuis esset rex ab incunabulis (vt Magi prædicarunt Matth. 2. num. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum*) à Iordane putauit Augustinus eius regnum incœpisse, quia tunc vt rex cœpit operari. Illic enim baptismatis Sacramentum instituit, vt plurimorum doctorum tenet consensus: illicque hominum vtilitati publicæ (quod proprium regis munus est) consuluit. Merito ergo, quantumuis à suæ conceptionis exordio regale sceptrum obtinuerit, à flumine dominandi sumpsit exordium: quia illic regis opera patrare cœpit. Nam sic ab operibus etiam regiæ nobilitatis pendet splendor, vt vel ipse Christus, qui innata pollebat illa nobilitate, & velut naturali induebatur purpura, non agnosceretur rex, nisi operibus rege supremo dignis sui imperij dedisset exordium.

Pſal.71.n.8.

Augusſt.

Matth.2.n.2

Opera ipsa, si fuerint, vt regiam decet maiestatem, reges ad regale thronum extollunt; sin autem deprimunt, & deponunt à regia maiestate: imo qui opera rege digna fecit; etsi regia non fulgeat dignitate regis honore afficitur. 2. Paralipomen. 24. num. 15. & 16. refertur Ioiadam honore regio sepultum: *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est, cùm esset centum triginta annorum: sepelieruntque eum in ciuitate Dauid cum regibus, eo quod feciſſet bonum cum Israël, & cum domo eius.* Si tamen desideres scire, quodnam bonum fecerat Ioiadas, ob quod inter reges sepeliri meruit, explicat noster Abulens. lib. 4. Reg. c. 11. quæst. 6. dicens: *Sic enim fuit de Ioiada summo sacerdote, qui vnxit Ioas in regem: ideo ipse sepultus est in sepulchris regum Iuda: quia restituit regnum regibus Iuda.* Quid amplius posset efficere Ioiadas si regni teneret sceptrum, quàm regnum restituere ferè iam desolatum? Templi etiam restaurator fuit, quod penè subuersum erat. Ergo dignus extitit, vt cum regibus sepeliretur, & honoraretur regio funere. Nam licèt secundùm Hebræorum morem cum regibus solùm reges sepelirentur; & Ioiadas regio diademate non fuisset redimitus, sepultus est cum eis, quia perfecti regis fulsit operibus. Amplius hoc explicuit idem Tostatus ibidem quæst. 14. *Ob hæc,* inquit, *omnes de stirpe Dauid nimis gratulati sunt, quia sepelierunt Ioiadam in sepulchris regum Iuda, & in hoc fecerunt eum æqualem regibus, scilicet quia ipse restituerat regnum domui Dauid 2. Paralip. 24.* Ad dignitatem regiam euectus est Ioiadas honore sepulchri: at ipse ea prius fungebatur, tametsi rex non esset; quia regum opera patrabat. Aliter regibus suis moribus purpuram fædantibus contigit: siquidem à regum contubernio post mortem excluſi sunt ob eorum scelera. Sic rex Ozias, vt constat 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. num. 21. Sic Ioram 2. Paralip. 21. num. 19. & 20. Idem refertur de Ioas ibidem cap. 25. num. 25. Nec aliud de Manasses ibid. 33. num. 20. de Achaz idem cap. 28. num. 27. Ecce omnes isti purpura regali fulgebant, & tamen cum regibus non habuere sepulchra: ad Ioiadas qui regiam non habuit dignitatem, regio honore fruitur in funere; quia regiè vixerat, illi vt viles, & abiecti. Meritò ergo honore regum priuantur in morte, qui sibi nescierunt in vita dominari. Huc aduoca Cæsarij Arelatens. verba aurea nobiles, & potioti iure reprehendentis. *A quo quis vincitur, sicut & Apostolus testatur, eius & seruus est. Iste obtemperat iniustitiæ, ille iræ: iste superbiæ, ille sæuitiæ: iste malitiæ, ille iracundiæ: iste auaritiæ, ille luxuriæ. Nescio, quomodo se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot Domini in partes suas distrahunt? Quid prodest, quod liber est in natura, qui seruus est in conscientia? Videmus nos extrinsecùs generis claritate sublimes, intrinsecùs mentis infirmitate degeneres.* Quid illustrius, & vtilius?

161.

2. Paralip. 24 n. 15.

Abulens.

Cæsar. Arel.

Temerario ausu Ozias rex in Iuda adolere incensum præsumpsit sacerdotale munus vsurpans: tunc forti animo summus sacerdos

162.

Azarias

Azarias regi obsistens dixit: *non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino: sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron.* 2. Paralip. 2. numero decimo octauo, Chrysostomus homilia 5. de verbis Isaiæ in primo tomo sic quærit: *quid igitur dicit sacerdos? non licet tibi Ozia adolere incensum Domino*, sed cur non dixit non licet tibi; ô rex; sed regia dignitate suppressa Oziam solum appellauit? respondet os aureum. *Non appellauit eum regem, neque titulo principatus appellauit, propterea quòd ipse præueniens sese dignitate dejecerat.* Quasi diceret: ideo à sacerdote sine principatu appellatur Ozias: quia ipse iam se prius regia dignitate priuauerat, cum enorme sacrilegium illud in mente conceperat. Ita namque obscuratur nobilitas à peccatorum caligine, vt vel regia maiestas si peccatis sit debita non fulgeat. Cum Ozia ergo locutus fuit Azarias, ac si cum priuato homine loqueretur, quia indignus iam erat, vt regia veneratione tractaretur.

2. Par. 2. n. 18 Chrysostom.

163. Nobilitas ergo non ex diademate regio, aut sanguinis claritate iudicanda est, sed ex moribus, & virtutibus. Esto à regibus ducas originem, parum hoc: etiamsi ab ore Dei vitam accipias, non ex origine, sed ex tuis operibus es laudandus. Quis nobilior protoparente nostro Adamo totius humani generis fonte? ad imaginem Dei creatus, ex diuino ore vitam ebibit: orbis regimen tenuit, & quod pretiosius est, in gratia, & sanctitate fuit conditus. Potest ne clarior excogitari nobilitas? minime, si tamen eius creationem attente consideres, non inuenies à Deo fuisse laudatum. Id peracutè notauit Ambrosius cap. 3. de institut. virgin. vbi sic ait. *Nam cùm omnia opera sua laudauerit Deus, cælum, terram, maria noctem, & diem, quod ista proficerent ad vsum laboris, illa ad fructum quietis, laudauerit feras bestias: vbi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt*, sed cur homo à Deo laudibus non extollitur, cùm omnia propter hominem facta sunt, & bestiæ vilissimæ laudatæ fuerint? respondet Ambrosius. *Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia in specie sunt, homo in occulto.* Hoc est: reliqua laudantur: quia bona sunt, & apparent: homo autem multoties apparet bonus, interius tamen latet venenum malitiæ. In hoc instruimur, iudicium non ferre secundum quod exterius demonstratur. Perbelle, sed ad rem aliam rationem affert Ambrosius dicens: *homo igitur mihi non tam vultu, quam affectu admirandus emineat, atque excellat: vt in his laudetur, in quibus etiam Deus prophetico iudicio laudatur, de quo scriptum est: terribilis in consiliis super filios hominum: cuius opera coram Deo luceant, qui bona iugibus operibus facta contexat.* Excluit Deus hominem à suis laudibus, quanuis inter visibilia omni nobilitate illustrissimus esset; quia, cùm eum creasset ratione præditum, & libero arbitrio ditatum, vt suis operibus ingenitæ nobilitati responderet; expectauit Deus, vt digna laude patraret facinora, in hoc apertè innuebat, neminem fore laudandum à nobilitate, ab origine, à præclara stirpe, sed à moribus, & à virtutibus. Nam ille verè ingenuus est, qui virtuti inseruit, aliæ creaturæ præter externam speciem, & pulchritudinem, bene operandi carebant facultate: cùm igitur ab eis Deus non expectaret opera laude digna, statim vt earum vidit venustatem illas laudauit: at homo, qui virtutibus, & moribus ornari poterat, laudari differtur, vsque dum ornetur egregijs facinoribus. Vide quam parui ponderis sit apud Deum hæreditaria nobilitas, si careat ornamento virtutum.

Ambrosius.

Pontificis frons; Dei nomine in lamina 164.
exciso fulgebat velut præclarissimo stemmate; vt exinde disceret operati, semper habebat ob oculos suæ nobilitatis insigne, vt ex eo intelligeret, sibi incumbere operari, sicut decebat tantam nobilitatem. Quid enim illi prodessent nobiles sacerdotij infulæ, si moribus vitæ immundæ deturparentur? aut quid prodest nobilissimo viro maiorum longa, & præclara series, si operibus turpibus dehonestatur? profecto sicut nobilitas sanguinis præclaris moribus fulget, & ornatur pretiosius; sic absque virtutum stemmatibus obscuritas est, & non nobilitas. Item hoc ostendebatur in lamina, in qua Dei nomen erat scriptum, ne nomen quod est nobilitas à sanctitate separaretur: nam nobilitas sine sanctitate non lucet. Augustinus quæstione 120. in Exod. pro illo quod habetur in vulgata: facies laminam de auro purissimo legit: *facies laminam auream puram, & formabis in eadem formatione sanctitatem Domini.* Estne idem, fieri laminam ex auro purissimo, & esse puram? est sane. Quia sicut non sufficit ex præclara stirpe ducere originem, si nobilitate præditus, virtutibus est orbatus. Non sat erat lamina, aut corona redimiri Pontificem, si in illa sanctitas Domini non esset sculpta: sicut non sat est regia fulgere maiestate, si virtutum desit splendor.

Augustinus.

ILLATIO CCLXVIII.

Nobilium peccata reprehenduntur; nam exaggeratur delictum ex delinquentis prærogatiua.

QVo maiori quis fulget dignitate, maiori 165.
constringitur obligatione, illam non deturpandi moribus indignis Priuatus homo tenetur rectè viuere: nobilis vero perfectæ vitæ lucidissimum esse exemplar. Disertissime hoc explicuit Saluianus lib. 4. de prouidentia dicens: *an meliores simus barbaris iam videbimus; certè quod non est dubium, meliores esse debemus, ex hoc vtique deteriores sumus, si meliores non sumus, quia meliores esse debemus. Criminiosior enim culpa est, vbi honestior status: si honoratior persona peccantis, peccati quoque maior inuidia*, & paulo inferius: *vbi sublimior est prærogatiua, maior est culpa*, sed proh dolor! iam minor est culpa, vbi sublimior est prærogatiua.

Saluianus.

Exechiel 28. num. 12 supremi, & infelicis 166.
angeli describitur dignitas, & pulchritudo. *tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Vix tanta dignitate, & honore tanto refertur ornatus lucifer, cum dicitur, ibidem numero 16. *peccasti, & eieci te de monte Dei*, sed cur, ô Propheta, angeli refers felicitatem, si narraturus es ruinam? an vt ex memoria pristinæ felicitatis,

Exec. 28. n. 12

ibid. num. 16.

eius augeas dolorem ? miserere infelicis & sat ei sit tormentorum suorum diuturnitas, & miserabilis commutatio; siquidem ex lucis splendore translatus est in tenebrarum abyssum? cur ergo, cum casum eius refers, reuocas in memoriam dignitatis amissæ felicitatem ? vt exinde eius innotescat malitia : quia cum Dei similitudinis esset signaculum, creaturarum nobilior, & angelorum princeps, Dei principatum ambiuit superbus. Crescit enim culpa ex dignitate peccantis : & ob id dignitas eius aperitur, vt malitiæ excessus explicetur. Desideraſne huius cogitatus confirmationem ? recordare protoparentis nostri lapsus, inuidia diaboli deceptus homo in pomo corruptioni obnoxio vitam, & diuinitatem ambiuit inepte:
Gen.3.n.5. *eritis sicut Dij.* Genesis tertio, numero quinto, & cum diuinitatem appetiit, diuinitatis fit expers, qua dono gratiæ fruebatur feliciter. Ecce vtriusque naturæ angelicæ, & humanæ principes à culmine, in quo conditi fuerant, in miserrimam delapsi infelicitatem. Vterque gratiam amisit; at solus homo ei restituitur diuina misericordia, sed cur homo, & non angelus, in pristinam amicitiam Dei admittitur ? multa respondent Theologi, Augustinus tract. 110. in Ioannem putauit, ideo factum esse, quia angelus præstantiori constabat natura, quam homo. Debuit ergo ille, qui nobilior erat firmior stare, quàm homo, qui erat deterior. Ex maiori præstantia delinquentis creuit
Augustinus. grauitas delicti. Accipe Augustinum: *cum nouerimus bonorum omnium creatorem reparandis angelis malis nihil gratiæ contulisse : cur non potius intelligimus, quod tanto damnabilior eorum iudicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? tanto enim minus quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt.* Quanuis hominis culpa æquaret angelicam, maiori pœna hæc, quàm illa, plectenda erat, vtpote ab excellentiori natura patrata: crescit enim crimen ex delinquentis dignitate : quia vbi sublimior est prærogatiua, maior est culpa.

167. Moribundus Iacob filios suos accersiri iubet, vt eis benedictionem impertiret, & ventura annunciaret. Quod vt impleret, à primogenito incipiens ait: *Rubem primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, &*
Gen.49.n.3. *maculasti stratum eius.* Genes.49. numero tertio, miror, Iacobum virum prudentem, & prouectæ ætatis tot encomiis laudare Rubem, cum infandum refert incestum. Cur, ô Patriarcha, Rubem filium extollis, vocans primogenitum, fortitudinem tuam, priorem in donis, & maiorem in imperio, si omnia hæc, quæ nobilitatem eius super omnes fratres exprimebant, statim obtenebras nefarij concubitus memoria ? aut si explicare temerariam eius audaciam contendis, qua cubile tuum ascendit, & stratum tuum maculauit (vt refert Genesis trigesimo tertio) cur non prætermittis tuum esse primogenitum, qui indignus est tuus vocari filius, imo tuæ domus decorem esse fateris?
Origenes. Origenes homilia decima septima in Genesim dubium absoluit his verbis. *Rubem, inquit, primogenitus meus, virtus mea, & initium filiorum meorum, durus in conuersatione, durus. & temerarius contumelias irrogasti. Tanquam aqua non feruescas. Ascendisti enim super cubile patris tui. Tu polluisti thorum, vbi ascendisti, incestus historia neminem latet, quomodo Rubem concubinam patris ferbuerit flamma libidinis, & paternum maculauerit thorum.* Expende, quæ sequuntur, *sed qui in initiis laudis ei aliquid videtur adscribere dicens; tu virtus mea : idcircò fit, vt grauius notetur in crimine. qui cùm virtus patris haberetur, & initium filiorum, nescit seruare reuerentiam patri*, laudatur ergo Rubem, & eius nobilitas, & eminentia super omnes fratres refertur, vt acrius eius crimen reprehendatur, qui tantò melior cæteris debuit esse in moribus, quantò excellentior erat in dignitate.

Genes.6. num. 2. dicitur: *videntes filij Dei* 168.
filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt Gen.6.n.2.
sibi vxores ex omnibus, quas elegerant, communiter patres, & interpretes (vt refert Tirinus ibid. in Biblia magna) per filios Dei intelligunt filios Seth, eo quod apud illos Dei cultus perseuerabat : per filias hominum descendentes à Caino, eo quòd tantum curabant de terrenis rebus, sed cur filij Seth vocantur filij Dei, cum refertur, quod propter eorum scelera, latrocinia, & libidines, misit Deus diluuium super
Chrysostom. vniuersam terram. Respondit Chrysostomus in Psalm. 4. dicens: *Dei filios vocauit eos, qui ex viris bonis nati fuerant, & Dei honorem perceperant; deinde mutati erant, & euaserant deteriores, & suum honorem perdiderant, vt enim magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem reuocauit in memoriam, maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, & exorti ex talibus ad tantam se præcipitassent improbitatem.* Auget delicti grauitatem delinquentis personæ dignitas, aut excellentia : ideo ergo filij Seth, qui exorti ex nobilibus erant parentibus, filij Dei vocantur; vt exinde acrius reprehenderentur. Nam crimen, quod in gregariis simplex videretur, in ingenuis, & nobilibus maxime notatur. Vt ergo summus sacerdos caueat incurrere hanc notam, Dei nomen in lamina aurea excisum portabat, quæ super frontem pendebat, vt semper ob oculos haberet suæ dignitatis excellentiam, & sic animum ab illicitis auerterer.

Illatio CCLXVIII.

Labores, & calamitates beneficiorum Dei sunt pignora.

169. FAllitur, quisquis impatienter affligitur, cum laboribus flagellatur: calamitates desiderandæ, non fugiendæ sunt: quia eis beneficiorum Dei pignus acquiritur. Non ignorabat S. Iobus hoc laborum ingenium, cum auditis infaustis nunciis, qui omnium bonorum iacturam, & filiorum præmaturam mortem annunciabant, non minus viriliter, quàm religiosè dixit. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Iob. 1.n.21. quæ verba exponens Chrysost. in catena Græca ait: *estque illud admiratione perquamdignum, quod tum Deo gratias agat, ne quidquam de mentis constantia remittat, cum se à Deo spoliari animaduertit.* Miratur Chrysost. Iobũ Deo gratias referre pro tanta calamitate. Quid aliud ef-
Iob.1.n.21. Chrysostom.

fice

ficeret, si possessis bonis alia multa adderet? filij improuisa morte pereunt, armenta, & greges deprædantur: & pro his gratulabūdus Iob Deo reddit gratias, & benedicit? gratiæ pro beneficiis impenduntur, non pro calamitatibus, aut laboribus: cur ergo Iob pro his gratus ostenditur? quam cordatè se gessit sanctus Patriarcha calamitates iudicans beneficia, si ergo pro beneficiis gratiæ reddendæ sunt: prudenter satis se gessit Iob, tunc cum calamitatibus circumseptus erat, Deo gratias agens.

170. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes:* Gen. 3. n. 13. *ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen. 3. n. 13. dixit Deus protoparenti nostro lethali culpa interempto. Ambrosius. Diuus Ambr. l. de paradiso c. vlt. sic ait. *Considera, quia non est maledictus homo, sed maledictus est serpens,* sed, ô D. optime, quid ais? si Deus terram maledixit, vt ex ea in laboribus (seu sicut legit idem Ambrosius, *in tristitia*) homo fructus percipiat: nonne etiam terræ maledicto homo comprehenditur? ergo maledictus est homo. Negat Ambrosius: quia Adamum laboribus, ærumnis, tristitia, & calamitatibus cumulari à Deo, benedictio potius est dicenda, quàm maledictio. Hoc confirmat expendens beneficia, quæ Deus contulit Hebræis, & pœnas Ægyptiis irrogatas. Egressi sunt filij Israel de Ægypto: mare, quod viam occludere videbatur, diuisum est in duas partes, & viam floribus stratam obtulit: sicco pede transmearunt filij Israel: deinde pane de cælo misso saturati sunt, &c. è contra vero Ægyptij Hebræos persequentes in mari submersi sunt, vndæque mors, & feretrum illis fuerunt. Quænam tam disparis exitus causa extitit? respondet Ambrosius ibidem: *Hebræi, qui ingemiscebant in laboribus Ægypti, iustorum gratiam consequuti sunt, & quia panem in tristitia manducarunt, esca donati sunt spirituali. Ægyptij verò, quia talia opera cum exultatione celebrabant, regi detestabili seruientes, nullam veniam sunt adepti.* Oneribus, & laboribus opprimebantur Hebræi, ingemiscebantque operi lateritio inseruientes: ob hoc eos Deus tot beneficiis cumulauit, labores enim diuinam alliciunt largitatem, & sunt velut fideiussores beneficiorum Dei. Ergo dum Adamus laboribus, ærumnis, & sudoribus addicitur, maledictione non plectitur, siquidem in illis quoddam beneficiorum Dei pignus accepit.

171. Vt Christus suis discipulis præberet solatium, qui de tanti magistri absentia contristabantur, Ioan. 14. n. 27. ait illis. Ioan. 14. num. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat do vobis,* sed vt videamus qualitatem promissionis Christi, examinare oportet, quid interfit inter pacem, quam Christus offert, & inter illam quam mundus concedit? id Caietanus. præstitit subtiliter Caietanus ibidem, dicens: *Modus, quo mundus dat pacem, est exterius, & tranquille se habendo verbis, & factis. Dat enim mundus (hoc est, communis hominum cursus) pacem, imprecando, conueniendo, non lædendo, & reliqua huiusmodi exteriora seruando: Iesus autem non sic dat pacem: nam dat interius operando in animis hominum: dat exterius tollendo vitam propriam, & res, filios,, vxorem, & demum propriam vitam singulorum, quibus dat. Ecce modus dandi pacem contrarius modo, quo mundus dat pacem,* sed ex differentia assignata statim præ oculis se offert dubium. Nam pax, quam Christus promittit mundi paci contrariam, quid aliud est, quàm tribulatio, & angustia; filiorum, & vxoris orbatio; bonorum, & vitæ amissio? hanc quis existimare potest pacem? aut dato, quod sit pax: quodnam solatium inuenient Apostoli, cum Christus discedit ab eis, & Spiritus sancti differtur aduentus? profectò: quia in illis ærumnis, & laboribus summa tranquillitas erat oppignorata. Ex illis namque idem solatium accipere poterant discipuli, ac si beneficia Dei consequerentur; quia labores beneficiorum Dei fideiussores sunt.

Lucæ 16. numero 22. de pauperrimo Lazaro refertur, fine vitæ finem miseriis, & laboribus imposuisse, sed audi quam vicini aderant honores, & diuina beneficia quomodo eum quæsierunt, vt pro laboribus mercedem conferrent. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Expende: quod angelicis humeris in sinum Abrahæ portatur mendicus. Nonne sat esset, quod virtute superna transferretur illuc? cur tanto honore afficitur post mortem, qui dum viueret, diuitis non habuit obtutum? Chrysostomus homilia de diuite in tomo quinto, sic respondet quæsito: *& portaretur ab angelis, & adduceretur, ne saltem ambulans laboraret. Portabatur post tantos labores, quia defecerat, & portabatur ab angelis. Non sufficerat ad portandum pauperi vnus angelus? sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant.* Angeli non tantum mendico leuamen præstiterunt, sed honorem: quia portabatur ab eis, sed cur ita? quia vitam miseriis, & ærumnis plenam transegerat. Propter labores ergo honore, & leuamine potitur, sed adhuc vrgeo: cur si laborum & ærumnarum est præmium leuamen, & honor; non fruitur illis in hac vita mendicus? quia perinde est calamitatibus affici in hac vita, ac angelicis humeris eleuari. Tanta est laborum dignitas! 172. Luc. 16. n. 22. Chrysostom

Inuidia simul, & ferro, aut fuste, vel fune (vt alij volunt) Abelem fratrem interfecit Caim. Vix parricidium patrauit, cum Deus sic parricidam alloquitur: *vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. numero 9. Valde notatu dignum est, Gen. 4. n. 9. Deum non quæsisse Abelem, dum viueret, quamuis eum magno prosequeretur amore, vt ex acceptatione sacrificiorum eius liquidò constat. Quare ergo Deus Abelem post mortem requirit, quem dum viueret, non quæsiuit? si rationem desideras audi. Abel dum viueret à fratre Caim affectuosè tractabatur, simulabat parricida, venenum cordis tegebat, & blanditiis fratrem tractabat. Hac calliditate fratrem innocentem fefellit, ne vereretur in abditum locum egredi, in quo deprauatum facinus fuit executus. Abel ergo vita tranquilla fruebatur, tum sua conscientia munitus, cui in omnibus placendi Deo erat studium: tum quia parricidij nec minimam habuit suspicionem: non eum pericula infestabant, non bonorum anxietudine inquietas transigebat noctes, sed pacato animo vacabat Deo; tandem nullam expertus fuerat persecutionem, vsque dum vitam amisit. 173.

Ecce ergo, quare à Deo non exquiritur dum viueret, qui tamen vix à fratre interemptus est, cum protinus inquiritur diligenter. Accipe
Chrysostom. Chrysostomum lib. 2. de orando Deum serm. de laude Dei in tom. 5. de Cain loquentem. *Fratrem enim, quem Deo gratum spectasset, interemit, existimans hoc pacto diuinum illum amorem, quem auxit magis, intercludere: siquidem mortuum Deus diligentius conquirebat dicens: vbinam Abel frater tuus? non enim Dei desiderium extinxit inuidia, quin potius auctum reddidit; non enim tua hac cæde, Caim, sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis, & ampliati.* Pulchra sane verba, & quæ laborum dignitatem satis extollunt, sed expendas, quæso, illud: *siquidem mortuum Deus diligentius conquirebat, dicens, vbinam Abel frater tuus.* Putabat Caim, si è medio tolleret fratrem, diuinum erga eum amorem extinguendum: at deceptus à suo dolo, potius auxit diuinum amorem; nam fraterna cæde diligentius Abel conquiritur, & amplioribus à Deo honoratur affectibus: siquidem post mortem diligentius conquiritur, qui tamen dum viueret, sic inquisitus non fuerat.

174. Lamina aurea, quæ frontem ornabat Pontificis, & in qua *sanctum Domino* incisum erat, non fuit fusilis, sed opere malleatorio extensa, vt ex nostro Abulensi notaui in expositione litteræ huius versus 37. numero 6. Hac de causa putarem in ea nomen Dei excisum; quia extensa fuit mallei iterata contusione, per quam laborum, & calamitatum pressura non inepte intelligitur. Ecce mysterium. Dei nomen scribitur in lamina, quæ afflictos designat, vt quanti eos faciat Deus, denotetur. Ob hoc
Exod. 3. n. 6. ipse Exod. 3. num. 6. gloriatur nominibus seruorum suorum insigniri, dicens: *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, si diceret, Abraham, Isaac, & Iacob fuisse Dei, acquiescerem: nam serui domini sunt. At Dominus seruorum nominibus propriam nobilitatem exponere, nouum, & inusitatum videtur Perbellè Chrysostomus tom. 5. homil. de Anna, & precatione, citans Paulum ad Hebræos 11. num. 16. *Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum*, (ait) *quamobrem non erubescit Deus, vocari Deus ipsorum: non erubescit, inquit, à seruis Dominus appellationem sumere. Quare non erubescit? dic rationem nimirum, vt nos eum imitemur. Quia hospites sunt, inquit, & aduenæ, hospes enim vilis, & contemnendus esse videtur.* Abiectorum nomine gloriatur Deus: & sicut aduena communiter contemnitur, & vt vilis æstimatur, probris afficitur, & exul est; sic Abraham, Isaac, & Iacob, qui extra patriam extorres exterum solum vt peregrini, & contemptibiles habitarunt. Insuper, quis eorum non est tentatus laboribus, eos patienter sustinens? ob hoc ergo Deus nomine ipsorum ap-
Apoc. 14. n. 1 pellari voluit. Apocal. 14. num. 1. centum quadraginta quatuor millia referuntur: *habentes nomen eius, & nomen patris scriptum in frontibus suis.* Hi (vt dicitur ibidem, numero 14.) de magna tribulatione venerunt (quanuis aliqui putent, distinctos fuisse ab illis, quod non obscure insinuat sacer textus) verum vt moralitatem deducamus, puta hos, qui nomine Dei insigniti sunt, ex tribulatione venisse, hoc est, magna tribulatione purgatos; & inuenies causam ob quam nomen Dei in frontibus eorum fuerit scriptum. Nam nulla pretiosior charta est, vt in ea nomen Dei exaretur, quam iustus laboribus, & calamitatibus probatus.

ILLATIO CCLXIX.

Timore, reuerentia, & sanctitate accedendum est ad sacram Eucharistiam.

AVgustinus quæst. 120. in Exodum pro illo, quod in vulgata legitur: *Facies & laminam de auro purissimo, & sculpes in ea opere calatoris sanctum Domino*; legit: *Facies laminam auream puram, & formabis in eadem formatione sanctitatem Domini.* Hæc lamina aurea pura, in qua sanctum Domini per antonomasiam scriptum fuerat; significabat animam aurea charitate puram, quæ in se suscipit sanctum sanctorum, hoc est, ineffabile sacramentum Eucharistiæ. Nam si Deus tantam in illa lamina exegit puritatem, vt in ea nomen sacrum cælaretur; quam puritatem non postulabit, vt ipse Deus requiescat in anima? ob hoc fideles cùm ad tantum sacramentum accedimus, debemus cum timore, reuerentia, & sanctitate accedere. 175. Augustinus.

In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in lateribus Aquilonis, similis ero altissimo: superbe elatus blaterabat infelix ille lucifer. Isaiæ 14. n. 13. O nimis arro- Isai. 14 n. 13.
gans, & stolide vix tua pulchritudine tumes cum præsumis æquare pulchritudinis auctorem? sed animaduersione dignum puto, superbum angelum non dixisse: *similis ero Deo, sed altissimo*, si contra Deum audaciter conspirauerat præsumens eius coæquare naturam: cur non dixit; similis ero Deo? Chrysostomus respondit Chrysost.
sustulit Deum, & posuit altissimum, timès quem, offenderat, nominare. Procaciter, & temere lucifer diuinam sedem ambiuit; tamen tumens superbia timuit Dei nomen, quem offenderat, assumere: quia se iudicauit indignum, vt tale nomen labiis immundis proferret, si ergo dæmon in sua malitia obstinatus, timet, Deum quem offenderat nominare: dæmone peior videtur homo, qui conscientia impura non solum nomen, sed & ipsum assumit indigne in sacra synaxi latentem, timor dæmonem detinet: ne Deum nominet: & homo temerario ausu non timet, totum Deum suscipere indigne. Ergo dæmone obstinatior est homo. 176.

Timorem dæmonis audisti, sed seruilem audi reuerentem timorem præstitum ab angelis. Furebat Herodis insania, & tyrannis contra Deum infantem, quam vt eluderet Ioseph, admonetur ab angelo dicente: *surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto* Mat. 2. n. 14. & 15.
ibi, vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Mat. 2. n. 14. & 15. Chrys. ser. 151. hæc expedens ait: Chrysologus
Reuerentius diceret; vade in Ægyptum: vt esset profectio, non fuga: voluntas non necessitas: iudicium non metus: humanum saltem, si non diuinum: at nunc mandatur fuga, mandatur cælitus 177.

manda

mandatur per angelum, vt videatur cælum timor ante tenuisse quam terram, sed quomodo timet cælum regis irati crudelitatem? non veretur damnum sibi inferendum, sed Deo paruulo. Christi necem machinabatur Herodes,& in sacrosanctum corpus,& sanguinem eius parabat insidias. Timet ergo cælum,ne corpori, & sanguini Christi irrogaretur iniuria. Quid non præstabit homo,vt ad sacrum conuiuium reuerenter accedat,ne tantum offendat beneficium?

178. Ad præsentiam arcæ, *steterunt aquæ descendentes in loco vno,& ad instar montis intumescentes apparebant.* Iosue 3.n.16. Chrysolog. serm. 140 diligenter inquirit:quid est,quod aquæ ad præsentiam arcæ steterunt instar montis naturalis cursus velut oblitæ?& respondet: *ibi elementa corripit, vt seruulos instituat ad timorem,* sed ad quid homo tunc instruitur ad timorem? profecto,quia arca typum gerebat Euchatistiæ. Merito ergo ad timorem tunc instruimur, vt quanto timore ad augustissimum sacramentum Euchatistiæ accedendum sit,doceamur.

Iosue 3.n.16 Chrysolog.

179. Et quid mirum, quod aquæ velut timore congelatæ steterint,si lapis,& terra contremuerunt corpus Christi susscipientes? deponitur Christi corpus in sepulchro: adimpletur triduum, & resurgit Christus victor è tumulo. Quid inde? *ecce terræ motus factus est magnus.* Matth. 28. n. 2. sed cur sepulchrum tremore concutitur? Chrys. in Ps. 2. *sepulchrum, accepto corpore, territum, quod Patris thesaurum accepisset, depositum cum tremore reddit.* Discat hinc homo timore,& reuerentia Christi corpus sumere.

Mat. 28. n. 2. Chrysostom.

180. Sed age iam, & vide Mariæ turbationem, cum ab angelo salutatur: *turbata est in sermone eius.* Lucæ 1. num 29. sed cur turbatur plena gratiæ,& quæ cum Domino erat? Chrys. serm. 140. peracute respondit: *mox sensit in se supernum susscipi iudicem, vbi ante iam cælestem, & contemplata est metatorem.* Turbatur Maria:quia intra pectoris claustra Dominum susscipiebat,si ergo mater gratiæ,cum tantum Dominum susciperet,præ humilitate, & reuerentia turbatur: quid non verebitur homo?

Luc 1. n. 29. Chrysolog.

181. *Obsecro concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra:* ait Naaman Syrus Elisæo mundatus à lepra 4. Reg. 5. num. 17. ad quid Naaman terram ex Israel asportare desiderat in Syriam? Abul. ib. q 22. ideo factum existimat, vt Israelitarum Deo erigeret aram, & cultum exhiberet, sed adhuc vrgeo. Cur Naaman ex terra Israel, & non ex terra Syriæ cupiebat altare? respondet idem Tostatus q. 23. *Secunda causa est propter religionem,& sanctitatem terræ: nam terra Israel reputabatur sancta; quia ibi colebatur Deus verus,& tenebatur lex ab illo data: terra autem alia non erat sic sancta: ideo voluit de terra Israel accipere terram pro altari.* Grato animo prò salute obtenta Naaman Deo vero erigere cupiebat altare, in quo ipsum coleret: visumque sibi fuit, religione,& reuerentia commotus, terram Syriæ indignam fore, vt ex ea Deo vero fabricaretur altare; eo quòd à ciuibus, & incolis idololatriæ deditis habitabatur. Concupiuit ergo terram Israel, quæ sancta ab omnibus dicebatur, vt decenti Deus coleretur cultu,& reuerentia; indignum iudicans altare ex Gentilium terra fabricatum, si ergo idololatra hoc studio curauit Deum reuereri: quanto tenetur Christianus ad altare accedere, in quo verum Deum accipit in edulium? si altare ex terra Syriæ tanto Deo indignum habuit Naaman: cur fidelis, qui ad Eucharisticam mensam accedit, non se prius probabit, an Gentili terræ sit admixtus? si terra sancta exquiritur ad construendum altare: potiori iure cor mundum est præparandum ad recipiendum Deum, qui in altari colitur.

4. Reg. 5. n. 17. Abulensis.

182. Peregrino, & rato elogio sponsæ labia celebrat sponsus. Cant. 4 n. 3. *sicut vitta coccinea labia tua,* labia sponsæ vitalem vittam appellat: quia dum coccinea, hoc est, charitate feruentia sponsum ligant,& tenent compeditum, sic Bernardus serm. 24. in Cant. dum ait: *vulneratur oculo: labio inflammatur, etiam & ligatur, ideo vittæ comparatur.* Aliam etiam rationem assignat ib. his verbis: *ideo coccinea commendat labia, quod illi coccinea sunt, quod illi calentia videntur, quod illa flammea sentit, & in mutuam amplius succendunt charitatem.* Quasi diceret: ideo labia coccinea extollit, quia charitate erga sponsum plena sunt, sed cur charitatis ardore succensa labia ista requirit sponsus? quia desiderabat labia ad susscipiendum eius corpus apta, labia enim coccinea,& feruida ardoris existentis in corde erant indicia. Ideo ergo hæc labia placuerunt sponso: quia sic ad susscipiendam Eucharistiam labia requirit, quæ cordis incendium manifestent.

Cant. 4. n. 3. Bernardus.

183. Hoc ipsum indicauit Christus, dum dixit Io. 6. n. 54 & 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* quæ verba de digno susscipiente intelligenda sunt, vt tenent communiter PP. & interpretes, sed cur non dixit Christus, prius manere in homine, si desiderat, hominem digne susscipere tantum sacramentum? si digne quilibet tenetur accedere: ergo iam Christus est in susscipiente. Quomodo dicit prius, *in me manet,* & postea addit; *& ego in illo?* verum est, præcedere sanctitatem ad dignam Eucharistiæ susceptionem,& ex vi eius, Christum manere in anima; & sic potest etiam dici, animam manere in Christo: vt exinde intelligas requiri sanctitatem ad recipiendam sanctitatem, sed adhuc expende; cur Christus in susscipiente, & susscipiens manet in Christo? aut quid est, Christum manere in anima,& animam in Christo? nihil aliud, quam reciproca mansione vtrumque esse in vtroque: sic Bern. *Non sane alias vnimur Deo, nam si manduco, & non manducor, me in se habere ille, se non etiam in me esse videbitur, sit igitur firma integraque connexio, vt ego in eo, & nihilominus in me ipso sit.* Itaque secundum mentem Bernardi, hominem manere in Christo perinde est, ac hominem cibum esse Christi, & Christum. Hominis. Vnde & homo manducat Christum,& Christus manducat hominem, at hoc videtur difficile. Alimentum namque vt nutritioni inseruiat, non debet esse vitale, sed inanime. Nemo enim nutritur ex viuenti, ob hoc disertissimi medici asserunt viuentia sanguine nutriri, quia sanguis expers vitæ iudicatur, sic Arist. 2. de partib. animalium c. 10. & 3. de hist. animalium, c. 19. & deducitur ex S. Th. 3. p. q. 51. art. 1. ad 5. consentit DD. Francis. Valesius l. 2.

Io. 6. n. 54. Bernardus. Aristoteles. S. Thomas. Valesius.

controuers. cap. 4. ei astipulatur primarius hu-
Petr. Garcia. ius sæculi medicus Petrus Garcia Carrero super Fen. 1. lib. 1. Auicenæ doctrina 5. cap. 3. & alij grauissimi doctores, si ergo viuens non nutritur ex viuenti: ergo Christus hominem non valet manducare, nec homo Christum. Quomodo ergo asserit Bernardus, vtrumque esse vtriusque alimentum, cum ambo gaudeant vita? perbelle sanè, imo quia homo viuus est sumit eum Christus in cibum. Hoc est, quia homo gratia; & sanctitate viuit, & huic sæculo, & vitiis est mortuus; ideo gratissimum Christo est alimentum. Esto ergo mortuus rebus sæcularibus, & peccatis, & viuus gratia, vt ex te nutriri possit Christus: & viue iustitia, & sanctitate, vt sic nutriti possis ex Christo. Hoc modo manducaberis, & manducabis.

184. Ioseph ille, qui à Pilato petiit corpus Christi ad sepeliendum, nobilis, & iustus dicitur
Marc. 15. n. 46. Lucæ 23. num. 50. Marc. 15. num. 46. sic refertur: *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, inuoluit sindone, & posuit eum in monumento,*
Io. 19. n. 14. *quod erat excisum de petra.* Ioan. 19. n. 14. sic describitur monumẽtum, in quo corpus dominicum depositum fuit: *erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Expende quanto studio Euangelistæ Christi referunt sepulchrum, sindone munda inuoluitur, in sepulchro nouo à viro iusto, & timorato sepelitur. Ob quam rationem hæc peculiariter
Hieronymus narrantur? respondet Hieronymus ad cap. 11. epist. 1. ad Corinth. explicans illa verba: *probet autem seipsum homo* & ait: *Ioseph ille iustus propterea sindone munda inuolutum in sepulchro nouo corpus Domini sepeliuit; præfigurans corpus Domini accepturos tam mundam mentem habere debere, quam nouam.* Hac ergo puritate accede, si tanti conuiuij delitias desideras percipere.

ILLATIO CCLXX.

Si Christum sumere, & manducare desideras alterius rei desiderio non es diuertendus.

185. PRopositæ thesi dedit occasionem testimo-
Io. 6. n. 54. nium Ioan. 6. num. 54. & 55. dicentis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Cum ergo Christus maneat in suscipiente: meritò petimus in eo nullius rei desiderium nisi Christi, qui animam satiat, dum amore sauciat. Notaui sæpius Christum Dominum, qui ardentissimo desiderio hoc sacramentum instituere desiderabat, illud distulisse vsque ad suæ vitæ finem, sic te-
1. ad Cor. 11. num. 23. stantur Euangelistæ, & Paulus 1. ad Corinth. 11. num. 23. dicens: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem. &c.* sed cur iam imminente morte, & non alio tempore, tantum instituit sacramentum? deinde: quare in eo, mortis suæ nobis reliquit memoriam? vt doceamur, ad Eucharistiam accedendum tali dispositione, ac si iam essemus in vltima nostræ vitæ periodo. Considera hominem morti iam proximum, & cum vita cum morte init duellum, homo terrena omnia parui facit, quia tunc omnia vt vilia spernit; solum Deum quærens, si viam sequitur veritatis. Ideo ergo Christus in hoc sacramento mortem suam repræsentat, vt nos tanquam mortui rebus sæcularibus accedamus ad illam sacram mensam; sæcularia bona despicientes, sicut solent bene morientes despicere, sic Basilius hom. 1. in Ioannem. *Oportet accedentem ad corpus, & sanguinem Domini non solum purum esse à quouis inquinamento carnis, ac spiritus, ne iudicium edat, & bibat: sed ostendere memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, in eo quod mortificatus est peccato, mundo, ac sibi ipsi, & Deo viuit.* Qui ad Eucharistiam accedit, peccata deflere, mundo, ac sibi ipsi, si possibile est, renunciare, & soli Deo viuere, debet. Basilius.

Hoc explicuit Paulus ad Galatas 2. n. 20. 186.
dum ait: *viuo ego, iam non ego, sed viuit in me* ad Galat. 2. num. 20.
Christus, sed qui fieri potest, quod Paulus non propria, sed Christi vita viuat? Paulus est, & existit: ergo viuit vita propria, quomodo ergo viuere negat: *viuo ego, iam non ego?* quia Christi vita viuit. Christi corpus, & sanguinem acceperat: ergo iam non propria, sed Christi vita viuebat, sic Ambrosius lib. de paradiso cap. vlt. Ambrosius. *viuo iam non ego, hoc est, non ego, qui terram ante manducabam: non ego qui fœnum, quia omnis caro fœnum: sed viuit in me Christus; hoc est, viuit panis ille viuus, qui venit è cælo, viuit sapientia, viuit gratia, viuit iustitia, viuit resurrectio.* Igitur qui corpus, & sanguinem Christi accipit, non tam vita propria, quam Christi vita viuit, gloriatur Paulus non de propria vita? sed quia Christus, qui vita est, viuit in ipso. Vnde quia Christi corpore, & sanguine erat nutritus, soli Deo viuebat; rebus autem caducis ac si non viueret, sic, sic viuere debet, qui Christum est recepturus, & recipere desiderat.

Hospitio recipitur Christus apud Mariam, 187.
& Martham, illa secus pedes Domini contemplationi vacabat; ista disponebat necessaria ad conuiuium: conqueritur Martha, eo quòd Maria reliquerat solam ministrare, cui respondit Dominus: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Lucæ 10. num. 41. & 42. duo hîc notare Lucæ 10. n. libet: primum, Martham reprehendi à Christo, 41. & 42. quia ea, quæ in eius obsequium erant, præparabat, secundum: Mariam laudari, quæ circa Christi hospitium non erat intenta, si ergo Martha, quæ Domini sunt, curabat, & Maria secus pedes Domini erat: cur illa reprehenditur & ista laudatur? aut quî hæc optimam partem elegit? estne dignum reprehensione, Christi obsequiis vacare? quare ergo Marthæ reprehenditur studium? quia licet hoc in Christi tenderet obsequium, erat tamen cum digressione ad temporalia; & Christus ita nos sibi intentos solicitat, vt nihil præter ipsum attendamus. Hoc mirifice præstitit Maria, quæ Christum suscipiens ab omni cura vacauit, vt soli Deo vacaret. Meritò ergo laudatur Maria, quæ Domino parans hospitium, ad nihil aliud distrahitur: sic namque suscipiendus est Dominus. Martha autem Dominum suscipiens, ad temporalia distracta, non solum Christum quærebat. Esse
Hieronymus. causam, ob quam reprehenditur. Audi Hieronymum epist. 22. ad Eustochium c. 10. *Lege Euangelium, & vide quomodo Maria ad pedes Domini*

ni sedens Marthæ studio præferatur, & certe Martha sedulo hospitalitatis officio, Dño atq; discipulis eius præparabat. Martha, inquit, Martha solicita es, & turbaris erga plurima: pauca autẽ necessaria sunt aut vnum: Maria bonam partẽ elegit, quæ non auferetur ab ea, esto & tu Maria, cibis præferto doctrinam. Sorores tuæ cursitent, & quærant, quomodo Christum hospitem suscipiant, tu semel sæculi onere proiecto, sede ad pedes Domini. Anima ergo, quæ Deum hospitem suscipit reiecta omni sæculari cura soli Deo vacare debet, & hoc modo ei gratum præparat hospitium.

188. De Manna illo dicitur, descendisse instar roris, non in castris, sed extra illa: *mane quoque nos tacuit per circuitum castrorum.* Ex. 16. n. 13. Ex. 16. n. 13. Philo Hebr. cur non intra castra, in quibus filij Israel habitabant, descendit manna, sed extra illa? Philo Hebræus lib. 2. allegoriar. reddit hanc rationem. *Hic sermo* (loquitur de manna) *non vbique appareret, sed vbi desertum est vacuum vitiis, & affectibus.* Quasi diceret: non intra castra, in quibus habitabant Hebræi, sed extra illa descendit manna; quia in castris erat diffidentia Hebræorum; murmuratio contra Moysem, eo quod eos eduxisset ex Ægypto, vt fame (sicut ipsi putabant) opprimerentur in deserto, descendit ergo manna extra castra in solitudine, vbi non erat tentorium: quia manna non vbique apparet, sed vbi desertum est, vitiis, & affectibus vacuum. Quod alto Dei consilio dispositum iudico: quia in manna (vt nemo ignorat) sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum obumbrabatur. Merito ergo descendit manna non intra castra, vbi peccata, & sæcularium rerum cura vigebant, sed extra illa, vbi erat solitudo: vt exinde instruamur, manna diuinum Eucharistiæ non descendere intra pectus sæcularibus curis irretitum, & peccatorum sordibus maculatum, sed in corda munda, & exuta ab his curis, veluti sunt, quæ in solitudinem deserti secesserunt, vt toto animo, & studio Deo vacent. Hac præparatione debet homo tantum hospitem suscipere.

189. In manumento, in quo nullus fuerat sepultus, corpus Christi sepeliuit Ioseph. Mat. 27. n. Ma. 27. n. 59. Luc. 23. n. 53 59. *& accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumẽto suo nouo, quod exciderat in petra.* Lucas id clarius dixit. c. 23. n. 53. *& posuit eum in monumento excisо, in quo nondum quisquam positus erat*, idem refert Io. c. 19. n. 41. sed cur, sepulchrum, in quo corpus, Christi fuit depositum, nouum erat, ita vt in eo nondum aliquis conditum esset? aliqui respondent, vt hoc sepulchrum Mariæ virginitatem exprimeret: nam ex matre virgine natus Christus, voluit mortuus in sepulchro etiam virgine recondi, vt integritatis maternæ nulli dubium esset, sed ad rẽ dico: ideo sepulchrum nouum, in quo nullus positus fuerat, Christo sepeliendo præparatur; quia Christi corpus nullibi quiescere poterat, nisi in loco à nemine antea occupato. O felix anima, quæ sic talem hospitem valet suscipere! in ea sine dubio quiescit totus Christus, sed præcipue latitans in Eucharistia.

190. Non semel aduerti, laminam in qua sanctum Domini erat sculptum ex simplici materia conflatam. Numera omnes ornatus Aaronis & inuenies eos composita constare materia. Ephod, & Rationale ex variis coloribus: tunica hyacinthina tintinnabulis, & malogranatis: itidem cingulum, & tiara, tunica linea etiam secundum aliquos ocelata, sola lamina pura, & simplex ex auro purissimo extensa, sed ad quid lamina pura, & sine mixtione? certe: quia in ea *sanctum Domini* in quo augustissimum Eucharistiæ sacramẽtum signabatur, erat scribendum. Merito ergo lamina fuit tota aurea, id est, tota ardens incendio charitatis, absque alterius rei mixtione, vt sanctitatis Domini charta digna existeret, esto ergo, ô homo totus aureus, hoc est, ardens Dei amator sine sæcularium rerum desiderio, si cupis vt in te sanctũ sanctorum, & fons ipse sanctitatis sculpatur. Audi Bedam lib. 3. de tabernaculo reddẽtem rationem, ob quam lamina illa fuerit ex auro purissimo sine alterius rei mixtione: *vt munditiam cordis, vel corporis, in quo mysteria nostræ redemptionis recondere, vel gestare debemus, ostenderet.* Quid illustrius?

Illatio CCLXXI.

Expenduntur damna, quæ patitur, qui indigne suscipit Eucharistiam.

HVius illationis intentum non est, deterrere fideles, vt arceantur à mensa Eucharistica, eo quod aperiatur damna, in quæ incurrit, qui indigne ad eam accedit; sed instruere eos, vt digne, & reuerenter accedant, sequar sanctorum vestigia eorum adducens testimonia. Ambr. in c. 11. primæ ad Corinth. ait: *nihil enim differt ab infidelibus, qui inconsideratè ad mensam Domini accedit.* imo adderem: negare hunc panem esse cælestem, & vitam conferre, qui sine reuerentia, & in peccato illum manducare præsumeret. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur:* dicebat Iesus Io. 6. n. 48. & 49. discrimen assignat Christus inter Eucharistiam & manna. Hoc namque non è cælo, sed ex aere descendit. Nam licet Ps. 77. n. 24. dicatur: *& panem cæli dedit eis*: Euth. ib. sic ait: *per cælum hic aerem intelligit, iuxta illud: volucres cæli, vel quia manna è cælo videbatur descendere.* Rursus idem Euth. expendens verba illa eiusdem Ps. 77. n. 25. *panem angelorum manducauit homo*; ait: *non hoc dicit, quasi angeli manna vescantur, sed quia angeli illud ministrabant*, at Eucharisticus panis, qui Christus ipse est, è cælo descendit, insuper aliam differentiam assignat idem Euth. Nam illud manna Hebræorum non præseruabat à morte: mortui enim sunt, qui illo vescebantur. At qui digne sumunt Eucharistiam, non decedunt; quia vitam animæ consequuntur. Ideo ergo manna Hebræorum à pane cæli, & angelorum excluditur, quia Hebræos à morte non præseruauit. Panis enim cæli & angelorum confert vitam, & exterminat mortem. Hoc præstat panis Eucharisticus, vt ipse testatur: *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Io. 6. n. 58. ex his infero, hominem, qui temere ad tantum sacramentum accedit indigne, negare, Christum esse angelorum panem, & è cælo descendisse. Nam (vt vidimus ex Euth.) ideo manna non è cælo, sed ex aere descendit, nec angelorum panis fuit; quia à morte non præseruabat, nec vi-

191. Ambrosius. Io. 6. n. 48. & 49. Ps. 77. n. 24. Euthymius. Ps. 77. n. 25. Euthymius. Ioan. 6. n. 58.

tam conferebat: sed Eucharisticus cibus cum indigne sumitur, nec vitã confert nec à morte præseruat: ergo qui indigne illud accipit, negat esse cibum cælectem, & angelorum. Ex mala dispositione suscipientis prouenit, quod non vitam, sed mortem conferat: ex eadem etiam, quantum humana valet malitia, oritur, quod cælestis panis non sit.

192. Insuper: qui indigne ad sacram accedit synaxim, reiicitur à Dei consortio. Ioan. 13. n. 30. de Iuda traditore dicitur: *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo.* D. Ambr. l. 2. de Cain, & Abel c. 4 huius repulsæ hanc reddit rationem: *Eiicitur itaque, & excluditur, eo quod iam cum Domino Iesu esse non posset.* Difficilis videtur ratio Ambrosij. Nam si Christus secũ admisit proditorẽ, sciens esse latronem, auarum, inuidum & ingratum: cur post bucellam eum exclusit? Si cum esset Iudas irretitus tot criminibus, admissus fuit à Christo in collegam: quare post bucellam eum reiecit? Si quia erat peccator? Maculatus antea erat. Hæc enim ipsum à Deo separabant: nam non bene conueniunt peccator, & Deus. Quare ergo si Christum eum secum admiserat; post buccellam non solum reiicit; quin etiam nec cum Iesu Deo Iudas poterat esse? Ostendit Ambr. impossibile esse, Christum habere consortium cũ indigno susceptore Eucharistiæ, simulque Christi patientiam. Nam sustinuit proditorem tot culpis infectum: at cum eum vidit, impudenter sacrosanctum eius corpus recipere; velut non valens sustinere tantum flagitium, ita à se exclusit impium discipulum, vt iam cum magistro esse non possit.

Ioan. 13. n. 30.

Ambros.

193. Multis erat Iudas sacrilegus; & quia Dominum tradidit; & quia corpus, & sanguinem traditum indigne recepit in Eucharistia. *Post buccellam tunc introiuit in eum Sathanas.* Ioan. 13. n. 27. Anastasius Synaita in fragmento de sancta communione dixit: *Ipse* (ideſt Iudas) *cum ex impollutis manibus Domini diuinum panem accepisset; quia eum indigne acceperat, protinus ingressus est Sathanas in eum.* Ecce pœna pro tãto flagitio. Victor Antioch. in c. 14. Marci ad ille verba; & manducantibus illis, ait. *Ioannes post acceptam buccellam Sathanam in illum introisse, scribit. At hoc ea de causa non contigit, Sathanas acceptum Christi corpus pro nihilo duceret, aut contemneret, sed quod Deus impudentem proditoris ausum impunem abire non vellet.* Nota ex mente Victoris diabolum non introisse in Iudã, quia diabolus corpus Christi contemneret, sed in pœnam Iudæ. Ergo peior diabolo fuit Iudas, qui parui pendit corpus, & sanguinem Christi tradens, & sumens. Aduerte secundo: in pœnam tanti flagitij Sathanam introisse in cor Iudæ. Sed cur non dicitur, introisse in eum, cum de traditione cogitabat, siquidem iam nefarium sacrilegium conceperat perpetrare: imo mutato stylo dicitur: *cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Ioan. 13. n. 2. quasi maius scelus esset indigne suscipere corpus Christi, quam tradere: ideo cum indignè suscipit Iudas, in eum intrat Sathanas; cum proditionẽ concipiebat, nõ dicitur, introisse, sed misisse suggestionem in cor. Vt aliqui delictũ indignæ susceptionis exaggerarent, putarunt, Iudam non sumpsisse corpus Christi; & qui à discipulo nequam vendi permisit, noluit permittere, à Iuda accipi in sacramento. Audi eundem victorem vbi supra. *Sunt tamen qui Iudam ante porrectum Eucharistiæ sacramentum exiuisse existimant. Sane Ioannes quidquam eiusmodi subindicare videtur. Dicunt hi, nequaquam decuisse, vt cædis Christi minister salutaris communionis symbolum acciperet: addunt iidem, Christum cætera omnia æquanimiter toleraſſe, hoc vero tantum piaculum, nevtiquam permittere voluisse.* Sed si hos auctores interrogarem: Cur Christus Iudæ permisit, vt eum traderet, non autem vt corpus sacrum sumeret: Responderent: quia hoc erat maius piaculum.

Ioan. 13. n. 27.

Anast. Syn.

Victor Ant.

Ioan 13. n. 2

Victor Ant.

194. Prænunciat Christus, tradendum fore à discipulo: timent omnes assectæ, solus Iudas non timet, quia Deum non timebat. Scisciatur Ioannes à Domino instante Petro, quisnam esset traditurus? Cui respondit Iesus: *Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simoni Iscariotæ.* Ioan. 13. n. 26. sed attende animo: Quid est, quod Christus, vt ostenderet proditorem, non dat aliud signum præter intinctum panem? Aut quæ est intinctio panis, quæ discipuli traditionem valet ostendere? Augustinus apud. S. Thomam. 3. p. q. 81. ar. 2. sic ait: *Significatur autem fortassis, vt Augustinus ibidem, per panis intinctionem fictio Iudæ.* Nota connexionem, per intinctionem panis signabatur fictio, & mala dispositio, qua Iudas ad sumendum panem Eucharisticum accessit. Ergo indigna susceptio Eucharistiæ, quasi naturale signum fuit proditionis Christi. Quod est idem, ac dicere: de illo, qui indignè suscipit Eucharistiam, præsumitur tantũ nefas, vt si haberet opportunitatem, Christũ traderet.

Ioan. 13. n. 26.

Augustin. S. Thomas.

195. Ob hoc, qui indignè ad tantum sacramentum accedit, non solum capite plectitur, sed etiam pœna, qua punitur crimen læsæ maiestatis committens. Rex ille, qui opiparum parauit conuiuium, hominem exutum veste nuptiali sic alloquitur. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 22. n. 12. 44. Communiter per hunc regem, Christum; per conuiuium, Eucharistiã; per illum hominem sine veste nuptiali, indignè accedentem ad altare intelligunt interpretes. Sed cur homo ille mittitur in tenebras exteriores, hoc est, æterno igni mancipatur? Quia sic ad Eucharistiam accedens, eadem plectitur pœna, ac si crimen læsæ maiestatis commisisset. Combustionis pœna mulctatur, qui regiam offendit personam, sigillum, aut moneram falsificat: hoc crimen committit, qui indigne suscipii Eucharistiam. Chrisolog. serm. 23. adest, dicens. *Hinc est, quod rex supernus illum, qui indigna veste maiestatis eius ausus est, intrare conuiuium, ligari, præcipitari, detrudi in tenebras iussit exteriores: quia deformitas inuitati ad inuitantis redundat iniuriam.* Ratio ob quam homo ille destinatur igni, & flammea plectitur pœna; quia præsumpsit temere, posse indignè ad

Matth. 22. n. 12.

Chrisolog.

tantum

tantum accedere conuiuium, & supremam Christi maiestatem lædere.

196. Hoc supplicio Nadab, & Abiud Aaronis filij mulctati sunt, quia non igne sacro, sed prophano, illo scilicet, quo condiebantur carnes sacrificiorum, adolebant incensum. Leuit. 10. n. 2. uit 10. n. 2. *Egressus ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Hoc est, in ipsa oblatione incensi, vt explicat Tostatus ibidem. q. 3. & 4. sed cur tam acriter puniuntur? Abulens. Chrysolog. Chrysolog. serm. 26. respondet: *Denique Nadab, & Abiud sacerdotes filij Aaron sacerdotes, dum cõtaminare externo igne altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio: vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.* Ignis, qui in altari ardebat, contra eos obarmatur; & ipsius altaris consumuntur incendio; quia altari irrogabant iniuriam. In quo magnum latebat mysterium: nam altare illud, Eucharisticũ præfigurabat altare. Consumuntur ergo ab igne ipsius altaris, vt denotaretur ab igne tanti sacramẽti consumendi, qui prophanè, & sacrilegè ad id accedere præsumunt. Igne ergo æterno isti consumendi sunt: nam cum Christus in Eucharistia regio coronetur diademate; qui temerario ausu tanto regi irrogant iniuriam pœna crimini læsæ maiestatis debita plectuntur. Insuper: cũ teste Ambrosio citato. n. 191. nihil differat ab infidelibus, qui inconsideratè ad mensam Domini accedit; merito ignea pœna punitur: nam quæ maior infidelitas excogitari potest, quam ignem amoris, quo Christus ardet in Eucharistia, conuertere in supplicium, de sacrificio sumere pœnam, & de propitiatione facere peccatum? Vt ergo tot damna vitemus, cum reuerentia, timore, & charitate ad charitatis conuiuium expedit accedere.

Vers. XXXVIII. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israël in cunctis muneribus, & donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit Dominus.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. IN hoc versu intermittit sacer textus agere de ornatu Pontificis, & nondum completo sermone quædam interserit de administratione sacerdotis; & statim versu sequenti ad proprium redit institutum: quo admirabili dispositione factum est, vt inquit noster Abulens. q. 17. Nam cum hîc ageretur de vestibus Aaronis, quibus ornatus ministrabat coram Domino, vt dictum est supra vers. 3. & per Pontificis administrationem peccata eorũ, pro quibus preces effundebat, expiarentur: ideo quãdo agitur de vestibus Pontificis, congruè interponitur sermo de remissione peccatorum. Quare dicitur: *Portabitq; Aarõ*: vel quilibet alius sacerdos, siue maximus, siue minor, quãdo ministrauerit in sacrificiis quia etiã minores sacerdotes sacrificabant, & ministrabãt coram Domino aliis ministrationibus, vt patet Leui. 8. *Iniquitates eorum, quæ obtulerunt.* Id est: Aaron portabit põdus iniquitatum filiorũ Israël, pro quibus munera offerebat, & vt delerentur orabat, iuxta illud Oseæ. 4. n. 8. vbi de sacerdotibus dicitur: *Peccata populi comedent*: id est, sacerdotes comedent omnia sacrificia, & munera, atque oblata pro peccatis populi Israël. ita Abulens. loco citato. In hunc sensum referam Origenem Hom. 10. in Numer. vbi expendens verba illa cap. 18. Num. n. 1. vbi dicitur: *Dixitque Dominus ad Aaron: tu, & filij tui, & domus patris tui portabitis iniquitatem sanctuarij & tu, & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri*: ait Adamantius. *Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum sumetis peccata sanctorum: potest quidem ita exponi locus iste, vt per ea quæ offert Pontifex pro peccato vniuscuiusque, & purificat eum, pro quo obtulerit scriptum sit, tu, & filij tui tecum sumetis peccata sanctorum.* Hoc ipsum confirmat Abulensis: quia non ait sacer textus, quod Aaron portabit iniquitates eorum, qui obtulerunt, sed quæ obtulerunt in neutro genere. Vnde iniquitates nõ referũtur ad filios Israël, sed ad oblata, non quia res oblatæ haberent iniquitates (culpæ enim incapaces sunt) sed quia pro iniquitatibus offerebantur. Numer. 18. n. 1. Origenes.

2. Caietanus ad præfata verba aliter ea exponit: ait enim tantam esse vim peccatorũ filiorum Israël, vt redundauerit etiam in sacrificia, & oblationes. Nam quemadmodum in scriptura dicitur, altare mũdari. Ex. 29. n. 36. & Num. 4. n. 13. quasi peccata populi refunderentur in altare: ita sacrificia, & oblata appellantur immunda. Oleaster in præsenti ait: quod cũ Deus mundus, sanctus, & impollutus sit, quæ ei offerũtur, munda, sancta, & impolluta debent esse: quod si aliter contingebat, Aaronis vitio vertebatur, cuius muneris erat immunda arcere à sacrificiis, alias luebat pœnas immunditiæ, vel defectus sanctificatorum, vel sacrificiorum, & hoc est, portare iniquitates. Oleastro consentit Cornelius à lapide. Sa. Menochius, & alij præfata verba intelligunt de iniquitatibus commissis dum non ritè, & rectè offerebant, seque sanctificabant sacerdotes, vt debebant: vel quia offerentes indebitè accedebant ad offerendum: Vnde secundum hos auctores tam referũntur hæc verba ad sacerdotes, quam ad offerentes, quasi sensus sit, *iniquitates eorum*, id est, sacerdotum, & offerentium. Vel dicito, secundum eosdem auctores, ly *portabit* dici de sacerdote deprecaturo Deum, & oblaturo pro offerentibus in figuram Christi, qui pro omnibus satisfecit. Caietan. Oleaster. Cornelius Saa. Menochius.

3. *In cunctis muneribus, & donariis.* Noster Tostatus. q. citata inter munus, & donum aliquod discrimen agnouit. Munus hîc accipitur pro oblatione ad quam tenebatur, qui peccatum commiserat, siue esset summus sacerdos, siue princeps populi, siue omnis populus, aut quilibet de illo: & pro singulis assignatur certa oblatio. Leuit. 4. & 5. & Num. 15. Deinde munus dicitur illud, quod aliqua obligatione tenebatur offerri, vt decimæ, & primitiæ, quæ Leuitis, & sacerdotibus dabantur à popularibus, vt constat N. 18. Dona, aut donaria dicebantur, quæ liberaliter, & absque obligatione tribuebantur, vt ipsa nominis origo demon- Abulens.

monstrat: sicut in holocaustis, aut victimis pacificis, aut in votis, vel aliis donis. Portabat ergo Aaron iniquitates eorum, quæ Deo offerebantur, siue essent munera, siue dona: quia quod Deo offertur debet esse sanctum, alias Aaronis vitio vertebatur. Vel dicito, si placet, quod omnia hæc offerebat Aaron pro peccatis populi, munera pro cõmissis, vt Deus eis indulgeret: dona, vt suam conferret gratiam, ne committerentur: vel offerebantur pro gratiarum actione, eo quod Deus concessisset pecita, vel quia iam reconciliatus esset.

4. *Erit autem lamina semper in fronte eius.* sermo est de illa lamina, quam sacerdos portabat supra frontem. Hîc, *semper* non significat in omni tempore: alias teneretur illam portare domi, cubans, vel dormiens, quod esset maximũ inconueniens; nam idem posset dici de reliquo ornatu Pontificis. Item quando summus sacerdos ingrediebatur in sancta sanctorum solum portabat linea ornamenta etiam sacerdotibus minoribus cõmunia (vt supra Vers. 4. q. 8. notauimus) significat ergo hîc, *semper*, idem ac quando Pontifex ministrabat; quia in tali functione vtebatur ornatu Pontificio:

5. *Vt placatus sit eis Dominus.* Abulens. q. 18. putat in illa lamina nihil esse, quod ex se Deũ inclinaret, ad hoc vt placaretur: quia Deus nullo re inclinatur, vel ad irã, vel ad misericordiam, sed quando vult miseretur, quando non vult, concitatur ad iram. Profuit tamen secundum se illa lamina ad ornatum, & reuerentiã sacerdotis ministrãtis, sicut cætera ornamenta, quod etiam in magnum honorem Dei refundebatur. Caietanus loco citato, per laminam ait, Deum placari, eo quod cum iugiter esset, super frõtem Pontificis repræsentabatur Deo sua sanctitas, qua placabatur, auferendo iniquitates sacrificiorum. Idem docuerunt Oleaster, & Cornelius loco citato.

Abulens.

Caietanus. Oleaster. Cornelius

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCLXXII.

Subditorum crimina præsulem inficiunt.

6. IN magno diserimine est, qui in præfecturæ dignitate cõstituitur; & dum sedet, fere labitur præceps. Hoc inuebat Iesus cum regnum fugiens, secessit in solitudinem. Ioan. 6. n. 15. *Iesus vero cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum in regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Grogor. 1. p. Pastoralis c. 3. ita factum autumat, vt ostenderetur, quot periculis esset obnoxium regimen animarum: non quia Dominus illis posset subiacere, sed vt nobis præberet exemplum, ne regimen aliorum appeteremus. *Hinc Dei, & hominum mediator* (inquit Gregorius) *regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiamque transcendens ante sæcula regnat in cœlis scriptum quippe est: Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent regem, fugit iterum in montem ipse solus. Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hominum regeret, quos ipse creauerat? Sed quia id circo in carne apparuit, vt non solum nos per passionem redimeret; verumetiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit.* Perdifficile est, hominum regere voluntates, multisque periculis obnoxiũ: quæ quantumuis facillimè poterat Christus superare, voluit in terris regno carere, vt tanto exemplo doceremur, fugere principatum. Nimis attentum exigit præfectura præsulem, ne sua incuria subditi delinquant: nam subditorum crimina præsules maculant, & inficiunt.

Ioan. 6. n. 15.

Gregorius.

7. Leuit. 4. n. 3. dicitur: *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Leuit. 4. n. 3. Hac victima placabatur Deus, & sacerdotis noxam remittebat. Eãdem pro cuncto populo exegit. ibi. n. 13. *Quod si omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mãdatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suũm, offeret pro peccato suo vitulũ.* Ibid. n. 3. At cur Deus eandem victimã pro sacerdotis, & totius populi culpa postulabat? An quia peccatum sacerdotis æquiualeat criminibus totius populi? Forsan ob hoc. Verum aliam rationem excogitauit Hesichius ad præfata verba, nempe: quia omnia peccata populi refundebantur in sacerdotem tanquam in præsulem. *Idem præcipit in sacrificio turbæ, & sacerdotis, vitulum scilicet immolari: vnde apertissime ostendit, eadem esse peccata sacerdotis, & plebis: quare idem sacrifium pro vtrisque oblatum.* æquale pro sacerdote, & pro tota plebe offerebatur sacrificium; vt exinde noscas eadem esse, sacerdotis, & plebis peccata, hoc est, sacerdotem, cui ex proprio munere incumbebat plebis crimina impedire peccare subditorum culpis.

Leuit. 4. n. 3.

Ibid. n. 3.

Hesichius.

8. Miserè protoparentes nostri transgressi sunt diuinum mandatum, & qui eiusdem fœlicitatis fuerant consortes, eiusdem calamitatis fiunt participes. Verum, attende, quomodo Deus se gessit in discussione delicti. Adamum vocauit, non mulierẽ: *Vocauitque Deus Adam, & dixit ei: vbi es Adam?* Genes. 3. n. 9. Notauit hoc Philo Hebr. lib. 2. allegoriar. hoc modo hæsitans: *Cur solus Adam vocatur, quanuis vxor vna lateat?* Ambo diuinam legem violarunt; vterque diuinæ iustitiæ timens æquitatem, & examen strictissimum sub foliis ficus latebat. Si ergo ambo præuaricarunt; cur solus Adam accersitur? Insuper: mulier præuaricationi dedit exordium: ergo si vocatur Adam, vt propiaculo sententiam audiat; cur vxor eius non defertur in iudicium, vt culpæ pœnam reportet? Idem Philo dubium absoluit dicẽs: *Quando mens redarguitur, & ad mutationem trahitur, non solum ipsa vocatur, verumetiam omnes potentiæ.* Loquitur hic auctor de præsule sub mẽtis nomine, & de subditis sub voce potentiarum. Hinc facile eius cogitatus intelligitur. Vocatur Adam proprio nomine, non autem vxor eius, licet hæc delicto ianuam aperuit: quia ille huius erat caput, & præsul. Verum est Euam præuaricationi dedisse exordium: attamen cum Adam regimen eius haberet, fœminæ delictum illius incuriæ vertendum erat. Ex proprio munere tenebatur vir mulieris curam agere, & cum serpenti loqui, non permittere, ac tandem ei omnem peccandi amputare occasionem, nihil de hoc curauit homo, imo vxoris suasioni consensit. Merito

Genes. 3. n. 9.

Philo Hebr.

ergo

ergo prior vocatur in iudicium Adam, quam eius vxor. Nam licet Eua peccato dedisset initium; tamen viro tribuitur, quia illud non impediuit. Hæc enim est præsulis obligatio, semper subditorum curam agere: & hoc eius discrimen, si subditi prolabantur in peccata.

9. Huc spectant verba illius Prophetæ, qui
4.Reg.9.n.7. Iehu vnxit in regem Israël. 4.Reg.9.n.7. *Hæc dixit Dominus Deus Israël, vnxi te in regem super populum Domini Israël, & percuties domum Achab Domini tui, & vlciscar sanguinem seruorũ meorũ Prophetarũ, & sanguinem omnium seruorũ Domini de manu Iezabel.* Noster Abul. ibi. q. 11. inquirit: cur Deus vnxit Iehu in regem Israël, vt percuteret domum Achab, & vlcisceretur sanguinem Prophetarum? Achab non occidit Prophetas, sed Iezabel, eo quod idola Baal adorare noluissent. Ergo Iezabel digna erat diuina iustitia; secus autem Achab. Quare ergo regis domus est delẽda? Perdoctè Tostatus:
Abulens. *Achab tamen sciebat ista, & videbat, & quanquã ipse non videret, ea fieri, tamen permittebat, ea facere vxori suæ Iezabel: & quia poterat prohibere, & non prohibebat, videbatur ipse agere: potissime quia ad officium suum pertinebat corrigere vitia, & prohibere omnia mala in regno.* Ideo Achab plectitur, & à regno deponitur, quia quamuis ipse Prophetas non occidisset; tenebatur tamen tyrannidem Iezabelis cohibere, & Prophetarum necem impedire, cum rex esset, & ex proprio munere vitia corrigere teneretur. Merito ergo reginæ scelera illi imputantur, & spoliatur purpura, & regno.

10. Nec solum humanus princeps subditorum maculatur criminibus: verum etiã diuinus rex, & cui peccati sordes repugnãt, videtur maculari subditorũ flagitiis, non quia possit delinquere (absit) sed vt ostẽdatur strictissima præsulis obligatio in subditis cohibẽdis. Hoc ni fallor, obũbrauit diadema illud exspinis cõtextũ, & iniuriosè capiti Domini impositũ. Matth.
Matth.27.n. 29. 27.n.29. *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.* Tertullian. de corona militis c. 14. his spinis peccatorum nostrorum figurã exprimi autumauit, dum dixit: *Ex spinis opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* Sed difficilis videtur assertio Tertullianì: nam si tribuli, ex quibus contexta erat illa corona, peccatorum nostrorum exprimebat figurã: cur Dominus illis redimiri permisit? Dedecet enim peccatis Deum coronari, quæ tanto odio prosequitur, ne vel appareat, Christũ hominũ crimina tanti facere, vt super suũ caput imponat. Quare ergo peccatis coronatur significatis tribulis, & spinis? Quia cũ spinæ hominum peccata designarẽt subditorum Christo supremo regi, in regium caput ascẽdere præsumunt, illudque pungere & maculare contendunt. Tam effreni audacia subditorum peccata in præsulẽ coniurãtur, vt in caput Christi, quantũ possunt, ascedere cõtendant. Non quia immaculatus agnus peccatorum mundi esset particeps (hoc enim vel cogitare nefas esset) sed vt exinde constet, subditorũ crimina ita præsulem inficere, vt vel ipse Christus, qui sanctus est infinitè, & cui nihil magis repugnat, quam peccatum; ex eo quod hominũ teneret imperium, eorũ culpis videtur maculari. Hinc discãt præsules subditorũ nõ dissimulare peccata, sed corrigere, punire

Aaron dicitur portare iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israël 13.
in cunctis muneribus, & donariis suis. Primo: quia si in populo sunt iniquitates, prælatum onerant, eique attribuuntur. Secundo: sanctificatorum etiam iniquitates Aaroni imputabantur: hoc est, si hostiæ, & victimæ contra legis præscriptum offerebantur (vel vt alij volunt) si offerentes in ipsa oblatione delinquebant, vt vidimus n. 2. & 3. Hoc onus grauissimũ sibi imposuit, qui regẽdi munus suscepit.

Illatio CCLXXIII.

Summa infelicitas est, haurire venenum, vnde alij inuenerunt alimentum proficuum.

GRaue damnum patiuntur, qui in bonis, 12.
in honore, in valetudine iacturam experti calamitatibus vndique circundantur: omni solatio indigent, & vix solamen inuenire possunt. Attamen in his non omnis aduersa concluditur fortuna: restat adhuc maior calamitas, scilicet, inuenire infelicitatẽ, vbi alij felicitatem inuenerunt. Hęc summa est miseria: & vltra hanc non potest transgredi infælicitas. Adest pro hoc themate S. Iobi patientia inconcussa, virilis animus, & constans fortitudo. Orbatur filiis, diuitiis spoliatur, in sũmã paupertatemque deueniens, thronus pro sterquilinio cõmutatur, ibique vlcere pessimo percussus non queritur de tanta calamitate, imo pro ea Deo gratias rependit: at cum illius amici conuiciis eum affecerunt, quasi inuictæ patientiæ immemor respõdit c. 19. n. 2. *Vsquequo* Iob.19. n.2.
affligitis animam meã, & atteritis me sermonibus? Doluit sanctus athleta ab amicis contumeliis affici, & qui vulneribus plenus nec minimam emisit querelam, verbis amicorum sagittatus cõqueritur. Mirum sane est hoc (& qui in Iob non mirabile?) ô strenue patiẽtiæ dux; sustines constanter Sabæorum rapinam, Chaldæorum impetum, liberorum immaturam mortem, & nec verbũ profers, nisi vt Domino benedicas: & vix amicorum audis improperia, cum protinus cõquereris? Est ne maior calamitas, quã tibi verbis infligunt amici, quam orbari filiis, diuitiis spoliari, & ab honore regio deponi? Ita sanè: Ideo in his tacet, in illa conqueritur: quia ab amicis non aspera, sed consolatoria expectabat verba, & sagittis crudeliora inuenit. A dæmone quid præter plagas? A Sabæis quid præter furta? A Chaldæis quid præter rapinã expectaret, quos vt ferales inimicos verebatur? Ab inimicis infestari, & offendi, valde frequens est: at ab amicis iniurias pati, rarũ, & præter spẽ. Conqueritur ergo Iob de amicorũ conuiciis, vt extremam calamitatem, in quam peruenerat ostenderet, eo quod, vbi alij solamen habet, ipse dolorem acerbissimum inuenit. Audi Orig. lib. 3. in Iob. *Postquam vero omnia tentauit nequissimus aduersarius, etiam ad hoc peruenit, vt amicos in inimicos conuerteret, atque sinceros sodales aduersarios efficeret, callidè tractans apud semetipsum, ac dicens: si per os vxoris eum seducere non valui, per os amicorũ ad inimicitiam permutatorum perficiam, irritem, exaggerem, exacerbem, succendam, ac supràmodum inflãmatus atque exaggeratus ad Dei blasphemiã conuertatur.* Origenes.
Nullum lapidem non mouit dæmon, vt Iobi

patien

patientiam ſuperaret,cùm liberis chariſſimis orbans,diuitiis ſpolians,ab honore deponens; qui cum videret,quod illũ ſuperare nõ poſſet, crudeliſſimam,&fortiſſimam emiſit ſagittam, amicos ſcilicet in inimicos conuerſos,à quibus probris,& contumeliis afficeretur: quaſi magis cõfideret dæmon de opprobris amicorum,quam de anteactis miſeriis.Quia extrema calamitas eſt ab his, à quibus ſolatium ſperabamus,cõtumelias,& opprobria haurire.

Plagæ,quibus Deus Pharaonem rebellem,& totam Ægyptum afflixit,hac vna ſatis ſuperque epilogantur.Percuſſit Aaron aquã Nili,& verſa eſt in ſanguinẽ:& ait ſacer textus Exod. 7.n. 22.*Fecerunt que ſimiliter maleſici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Theod.q.18.in Exod. inquirit: cur permiſit Deus, maleficos,& incantatores Ægypti aliqua patraſſe prodigia ſimilia illis, quæ fecerat Moyſes, vt virgas in ſerpentes cõuerteret.Ibid.n.12 aquam in ſanguinẽ cõmutaret,&c Cui quæſito reſpondet, ideo factum fuiſſe, vt cor Pharaonis induratũ moleſtius & infælicius affligeretur, plagas illas à ſubditis propriis, & Ægypti ciuibus recipiens.*Itaque per eos* (inquit) *Deus illũ affligebat:quaſi vero dixiſſet:quia & plecti delectat,tuorum etiã ſeruorũ opera te caſtigabo, & per tuos te plectam.* Quod eſt dicere:Pharaonis cor induratum erat,& diuinæ voluntati renuebat,obedire:at Deus,vt reſpiceret,repetitis plagis puniebat eum; ſed vt eas moleſtius ſentiret rex, ſeruorum ſuorũ opera infligi,diſpoſuit. Serui namque Pharaonis obſequium potius regi, quam iacturam regno,tenebantur,præſtare;& à ſeruis nõ calamitates,& plagas,ſed obſequia ſperabat Pharao. Ergo cum ab illis, videret, plagas infligi, ſummopere affligeretur, velut homo,qui iam eſt in ſumma calamitate, quæ in eo conſiſtit, vt mala ſuſcipiamus ab eis, à quibus ſperabamus bona.

14. Adhuc pauliſper ſiſtamus ad Nili ripam, & videbimus aquam in ſanguinem tranſmutatam:Quid infælicius,quam ſitis anxietudine affligi,& aquarum leuamine carere?Corrupta erat aqua,&colore horribilis,quam ſi Ægyptij potabant, veluti venenum ſumentes necabãtur;qua ſi carerent, ſitis ardore combuſti vitã commutabant cũ morte.In paludibus,in fontibus,in fluuiis,nõ aqua,ſed ſanguis ſcaturiebat, vt miſerè perirent Ægyptij: at Hebræis non ſanguis ſed aqua offerebatur.Id exprimitur Sap.11.n.5.vbi dicitur:*Pœnas paſſi ſunt inimici illorum à defectione potus,& cum abundarẽt filij Iſraël lætati ſunt.* Agnoſce diſcrimen: Hebræis erat aqua ſuauis, quæ Ægyptiis cruor horribilis, ſed examinare libet, in quo Ægyptij has pœnas patiebãtur?An quia aqua carerent,qua ſitim extinguere poſſent. Non leuis hæc pœna. Verum alia durior eos affligebat, Videlicet,quod eadem aqua eis cruor mortiferus eſſet, quæ Hebræis erat potus ſuauiſſimus.Idexpreſſit Theodor.oratione de Chriſti natiuitate, & ſtella dũ dixit: *Aqua vtebantur Hebræi, ſanguis autem Ægyptiis Nilus factus Hæc erat ſumma calamitas.*

15. Hoc ipsũ tenebrarũ plaga, qua Ægyptiorũ gloria caligine ſepulta obſcurabatur,demonſtrabat Exod. 10 n. 22. *Extenditque Moyſes manum in cœlũ, & factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus, Nemo vidit fratrem ſuum,nec mouit ſe de loco,in quo erat: vbicũque autẽ habitabãt filij Iſraël,lux erat.* Ecce quam diſpar ſit vtriuſque populi ſors. Apud Ægyptios denſa caligine tenebræ erãt, ita vt palpari poſſent: apud Hebræos autẽ lucis radiabat pulchritudo;& tamẽ vterque populus eandem habitabant regionem.Sed cur Iſraëlitæ lucis fruuntur vſura,cũ opprimuntur Ægyptij tenebrarum denſitate?Vt iſtorum preſſura multo moleſtior eſſet. Quid enim infælicius, quam in eodem ſolo tenebris operiri Ægyptios,in quo Iſraëlitæ lucis fruebãtur nitore? Idẽ aër tenebroſus erat Ægyptiis,qui lucidus Iſraëlitis apparebat;hoſque reddebat expeditos,illos autem velut tenebrarum cõpedibus ligatos,ita vt nec moueri,nec ſitum auderent prę caliginis horrore permutare.Extrema ergo fuit Ægyptiorũ calamitas? extrema profecto; nã quæ maior poteſt excogitari, quã ibi tenebras inuenire,vbi alij radiis lucis illuminãtur?

Adeſt etiam pro noſtro themate miſera diuitis,& Lazari fælix ſors:ille æternis crũciaribus mancipatus; iſte in ſinu Abrahæ alacris requieſcebat. Sic Lucas c.16.n.23. de diuite dicens: *Eleuans autem oculos ſuos,cũ eſſet in tormentis,vidit Abrahã à longe,& Lazarum in ſinu eius* Mirum ſane eſt, quod infælix ille diues vndequaque flammis,& tenebris circundatus Lazarum in ſinu Abrahæ recumbẽtem poſſet aſpicere.Totus epulo ignis compedibus erat ligatus:quomodo oculos habuit liberos,vt videret mendicũ?Profecto,vt ex hoc eius augerentur tormenta:Ipſe enim cũ eſſet in cruciatibus,vidit Lazarũ in ſinu Abrahæ,hoc eſt,velut gloria fruentem.Ecce diuitis miſeriam maximam,nempe,ibi torqueri,vbi alius gloria perfruitur.Pulchrè Chriſoſt.tom.2.Homil,de diuite.*In tormentis erat,oculos ſuos liberos habebat, vt alterius lætitiam poſſet aſpicere. Propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur: quia nõ habebat quod alius habet. Aliorũ,diuitiæ,eorũ, qui in paupertate ſũt,tormẽta ſunt.* Quid clarius? 16. Theodoret. Luc.16.n.23. Chryſoſt.

E contra idem Chryſoſt. conc.1. de Lazaro hoc ipſum expendit, conſiderat miſerrimum pauperẽ,vlceribus plenũ,cõtẽptum ab omnibus,& ad ianuã diuitis iacentẽ:è contra vero diuitem epulonẽ,purpura, & byſſo indutum, affluentem diuitiis,nullis deliciis parcentem, epulantẽ ſplendide,vt refert Luc.c.16.n.19.& miſeriã Lazari expendẽs,ait:*Ad hæc altã doloris acceſſionẽ adiungebat,quod alterũ illũ in fælicitate conſpiciebat,nõ quod inuidus eſſet,ac prauus,ſed quod omnes ſolent,in aliorum proſperitate exactius ſuas præſentire calamitates.* Patiebatur pauper, vndequaq; doloribus circũdatus,affligebatur fame,pauperie,vlceribus,cõtẽptu: at inter tot mala altam doloris acceſſionem adiungebat, nempe quod ſe infælicem, vbi illum fælicem conſpiciebat. Hoc eſt, quod crudelius torquet, & moleſtius vulnerat, opprimi infælicitate, vbi alij fælicitate perfruuntur. 17. Chryſoſt. 18.

Portabit Aaron iniquitates eorũ,quæ obtulerũt,& ſanctificauerũt filij Iſraël,&c. Caiet.ib. ait,tantã fuiſſe vim peccatorũ filiorũ Iſraël,vt etiã in ipſa ſacrificia refũderetur. In quo ſatis aparebat illius populi infelicitas;nõ ſolũ,quia Deũ habebat offẽsũ,&iratũ,ſed quia ſacrificia, quę populi erãt recõciliatio,cõuertebat in ſupplicium.

Exod.7.n. 22.

Exo.10.n.22.

Tgeodoret.

plicium. Hæc erat extrema calamitas, ex propitiatione habere peccatum. Heu faxit (Deus, vt nunquam cõtingat (si aliquis diuinam sumeret Eucharistiam peccati mortalis labe fedatus: quam infælix erit, siquidem ex medecina hauriet venenum, ex remedio periculum, ex lucro damnũ. Hæc absque dubio extrema erit miseria.

ILLATIO CCLXXIV.

Ad Mariæ præsentiam iratus contra homines Deus penitus placatur.

19. EFronte Pontificis pendebat lamina, vt Deus placatus esset populo, qui contra eum, iniustè offensus, & iuste iratus erat, vt constat ex nostro textu: *Et erit lamina semper in fronte eius, vt placatus sit Dominus.* Sed quid erat in lamina, propter quod Deus placaretur? Meo videri, quid aliud quam quod lamina illa (vt vers. 37. num. 91. diximus) Dei genitricem Mariam repræsentabat? Maria enim aduocata nostra est pro nobis semper interpellat, filioque dilectissimo vbera, quæ eum lactauerant, demonstrat, vt nobis placatus indulgeat. Sapientissimus Idiota ad contemplationem de virgine,, sic de illa loquitur. *Ipsa super benedicto filio suo irato potentissime reconciliat seruos, & amatores suos.* Refugium nostrum est Maria, in cuius conspectu iratus contra nos Deus iram deponit.

Idiota.

20. Exod. 12. num. 13. cùm Deus iratus contra Ægyptios exterminatorem Angelum mitteret, ne Hebræi mixtim perirent, iussit superliminaria domuum liniri sanguine agni: *Et videbo sanguinem, & transibo vos.* Septuaginta legere: *& protegam vos.* Sed à quo volebat Deus defendere populum Israël, cùm ipse esset, qui interfecturus erat Ægyptios? A se ipso iracundia pleno. Deus contra Deum habebat certamen: Deus offensus contra Deum placatum sanguine agni. Sed cur in conspectu sanguinis agni deponit iram? Quia sanguis ille, quo postes domorum erant aspersi, significabat sanguinem Christi, quam de beatissima Virgine suscepit: sic Eusebius Emissenus homil. 1. de natiuitate Domini: *Sanguinem, quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Respexit Deus in sanguine illo aliquem respectum ad Mariam: ecce causam ob quam Deus iratus videns illum sanguinem protegit Israël. Nam vbi (etsi à longe) vmbra adest Mariæ, proculdubio Deus placatur, & ex vindice iusto fit benignus defensor.

Exod. 12. n. 13. Septuag.

Euse. Emiss.

21. Psal. 141. n. 5. Psal. 141. n. 5. sic Christus æternum Patrem alloquitur. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Conqueritur Christus, quòd pendens è cruce nullum amicum inuenit. Antoninus Florentin. serm. in Sabbatho. 3. Quadragesimæ sic inquirit: *Quare non dicit ad sinistram? Respondeo propter matrem, quæ ibi erat.* Maria stabat iuxta crucem: at, teste Antonino, stabat ad sinistram Christi; aliàs quomodo diceret Iesus, quòd vertens oculos ad dexteram, non inuenit, qui cognosceret eum? Nam si Maria esset ad dexteram filij, cognosceret vtique. Ergo erat ad sinistram. Sed adhuc vrgeo: cur Maria stat ad sinistram Christi? Per sinistram (teste Bernardo serm. 51. in Cant.) iustitiam, & supplicium designatur: *Videtur mihi hoc loco per lauam intelligi posse verbi commination. supplicij.* Insuper: ad sinistram Christi peccatores sunt: quomodo ergo Maria, quæ est mater gratiæ, est in loco peccatorum? Quam piè! Vt sic Christum obligaret ad eorum conspectum, & misericordiam: nam matrem respiciẽs, quæ ad sinistrã erat, peccatores, qui ibidem erant, videret à fortiori. Ecce quomodo propter matrem, peccatoribus, à quibus Christus oculos auerterat, restituit, & misericordiam concedit.

Antoninus.

Bernard.

22. Nec solùm placatur Deus ob Mariam; verumetiam Maria ligat Dei manus, ne homines puniat. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Dicebat Maria Cantic. 2. n. 6. Sed cur læua Christi sub capite Mariæ absconditur? Ibi velut ligata est vno crine colli sponsæ: quia (vt numero procedenti vidimus ex Bernardo) Læua Christi significat iustitiam, supplicium, & pœnam: absconditur ergo hæc manus sub Mariæ capite, & ligata detinetur, ne contra homines exequatur rigorem. Dexteram verò, quæ regni promissionẽ significat, solutam reliquit, vt hominibus largiter benefaciat.

Cant. 2. n. 6.

23. Exod. 3. n. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non comburetur.* Hìc ignis velut propriæ, & natiuæ actiuitatis immemor, refulsit, sed non combussit: visio hæc visu delectabilis erat, & vndequaque admirabilis. Exod. 19. n. 18. cùm Deus descendit super montem Sinaï, sic dicitur: *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis*, &c. Vide hìc ignem fumantem, comburentem fulgurantem: audiuntur tonitrua, tubæ bellicæ resonant, ibid. n. 19. & totus mõs est terribilis. Quid est hoc? Vtobique Deus apparet: sed in rubo mansuetus, benignus, & pacificus; in Sinai terribilis tonans, & bellicus. Quare ergo sic Deus in rubo, & aliter in monte? Quia Deus in rubo erat velut in conspectu matris (rubus enim secundùm mentem Ecclesiæ Mariæ expressa fuit figura) In monte Sinaï nec in vmbra adfuit Maria. En ergo causam, ob quam Deus videtur terribilis in monte, & in rubo affabilis. Nam vbi adest Maria adhuc in vmbra, Deus est benignus: Deus autem sine Maria terribilis.

Exod. 3. n. 2.

Exod. 19. n. 18.

24. Ob Mariam à multis periculis liberamur: & quamuis nostra crimina diuinam iustitiam excitent; si erga Mariam sumus deuoti à maximo discrimine liberabimur. *Equidem vir mortis es; sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini.* 3. Reg. 2. num. 26. dixit Salomon ad Abiathar sacerdotem, eo quòd Adoniæ faueret, vt regnaret. Sed quid quòd Abiathar arcam Domini portasset, si iam spoliatus erat à sacerdotio, vt constat ibidem? Augustinus Wichmanus cap. 13. in 3. tomo Bibliot. Virgin. satis aptè ad rem nostram respondit his verbis: *Cum enim arca illa testamenti, sanctissimæ Virginis Deiparæ, in qua Manna verè absconditum, figuram gesserit (prout latè, præter alios sanctus præsul Mediolanensis, sermon. 8.) sanè arcam Domini portare nihil aliud erit, quàm affectuosam in Deiparam deuotionem verbo, &*

3. Regum 2. n. 26.

Aug. Vvich.

opere declarare. Liber euasit Abiathar, quia portauerat arcam Domini, in qua beatissima virgo Maria præsignabatur: Ergo potiori iure nos propter tantam dominam erimus liberi, & diuinus Salomon iram in fauores, & beneficia commutabit.

25. Efficax est Mariæ patrocinium (vt vidimus) & quidquid à filio suo petit, impetrat: at vt Deus libenter eius acquiescat precibus, opus est, vt ex parte nostri causa diuinæ indignationis auferatur: alias forsan inuocatio Mariæ cassa erit. Infeliciter pugnarunt Israëlitæ contra Philistæos, siquidem ignominiosè victi sunt: consilioque inito decreuerunt, arcam collocare in medio castrorum, vt defenderet eos, & vinceret inimicos. Quid inde? Audi sacrum oraculum 1. Regum 4. num. 10.

1.Reg.4.n.10 *Pugnauerunt ergo Philistiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum. Et arca Dei capta est. Duoque filij Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees.* Mirabilis, & peregrina est hæc Dei permissio: victus est populus Israël, & arca Dei capta est. Sed cur Deus populo tantam permisit iacturam, & arcæ captiuitatem? Ad præsentiam arcæ Iordanis fluenta steterunt magno stupore, & reuerentia: quomodo hîc vincitur Israël, & arca eos non defendit, quæ turres, & muros Iericho demoliuit? Caietanus hîc ad rem nostram respondit:

Caietan. *Deuota intentio, ac commendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei. Fiducia enim in arca Domini quamuis in se bona, ac sancta sit, insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad exteriorem cærimoniam omittendo internam pœnitentiam peccatorum suorum.* Putabat populus Israël, quòd deuotio, & arcæ veneratio sat erat ad vincendos hostes; & curam non agebat de peccatorum pœnitentia, pro quibus Deus tot ei immiserat damna. Errabat populus, quia fiducia in arca insufficiens est, nisi bonis operibus comprobetur. Efficacissimum est Mariæ patrocinium; cuius arca typus extitit: laudabilis erga eam affectuosa deuotio: at opus est, vt nostris bonis operibus comprobetur. Sic, sic vt domina accedit ad filij tribunal, non solùm rogans, sed etiam imperans, vt dixit Petrus Damianus sermon. de Natiuit. Virginis: *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed etiam imperans: domina, non ancilla.*

Versus XXXIX. Stringes tunicam byssо: & tiaram byssinam facies, & balteum opere plumarij.

Versus LX. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & decorem.

EXPOSITIO LITTERÆ.

STringes *tunicam byssо.* Agit hîc sacer textus de tunica, qua ornandus erat Aaron: sed quia controuersum, de qua tunica sit sermo, sequenti quæstione id disquirendum est. 1.

QVÆSTIO XXX.
Litteralis.

An in præsenti sermo sit de tunica linea, vel hyacintina?

DVplici tunica ornabatur sacerdos: vna linea; altera hyacinthina: quæstio præsens est, de qua hîc sit sermo. Abulensis hîc q. 19. videtur defendere, loqui sacrum textum de tunica hyacinthina, non de linea. Confirmat suum placitum, ex eo quòd quoties sermo est de tunica linea rarissimè dicitur tunica simpliciter, sed cum adiectione, scilicet, tunica linea: at tunica hyacinthina absolutè vocatur tunica, & sine aliquo additamento, aut determinatione: ergo intelligitur de tunica hyacintina, & non de linea. Confirmatur secundò ex versione Septuaginta, in qua pro illis verbis: *Stringes tunicam byssо:* habetur; *& nodi tunicarum ex byssо:* Ergo signum est, hanc tunicam byssinam esse tantum ex parte nodorum, non autem simpliciter. Tertio roboratur; quia ista tunica cingebatur byssо: sed tunica strista non indigebat cingi, sed potius hyacinthina, cùm esset lata: ergo de hac, & non de illa est in præsenti sermo. 2. Abulens. Septuag.

Communis sententia ferè omnium scriptorum plausu comprobata asserit, non agi hîc de tunica hyacinthina, sed de byssina, hoc est, ex byssо contexta. Ita D. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam. Lyran. Caietan. Sa, Oleaster, Cornelius. Haye & alij ad præfata verba Exodi. Item Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 8. Guillelmus Durand. in suo Rationali. lib. 3. c. 19. Sixtus Senens. lib. 3. Bibliot. de ornatu Pontificis Aaron. Barradas lib. 3. de ministris templi cap. 48. Ribera de vestibus sacerdotalibus lib. 3. cap. 7. Cassanæus in Catalogo gloriæ mundi. Sopranis digressione prima de re vestiaria Iudæorum. §. 2. & alij quamplurimi. Confirmari potest hæc sententia, quia hîc videtur agere sacer textus de tunica, quæ communis erat tam Pontifici, quàm aliis sacerdotibus minoribus; cùm statim agat de cidari, vel tiara byssina, quæ etiam propria erat inferiorum sacerdotum, & supremi. Atqui tunica Pontifici, & inferioribus sacerdotibus communis linea erat: ergo de hac est in præsentiarum sermo. Rursus: quia vbi Vulgata habet: *Stringes tunicam byssо:* ex Hebræo legitur: *& stringes tunicam byssinam.* Ergo ex byssо contexta erat tunica, de qua hic est sermo. 3. Hieron. Lyra. Caietan. Sa. Oleaster. Cornelius. Haye. Beda. Durand. Sixtus Senes. Barradas. Ribera. Cassanæus. Sopranis.

Restat nunc Abulensis euertere fundamentum. Dicebat; in sacro textu absolutè, cùm de tunica hyacinthina agitur, eam appellari tunicam simpliciter. Sed hoc falsum est: nam 4.

in

in nostro capite vigesimo octauo numero trigesimo primo dicitur : *Facies & tunicam Superhumeralis totam hyacinthinam.* Ecce quomodo sacer textus non loquitur absolutè, sed cum additamento, explicans quando sermo sit de tunica hyacinthina. Nec ob hoc negamus in aliis locis simpliciter appellari tunicam.

QVÆSTIO XXXI. Litteralis.

De forma tunicæ byssinæ.

5. HActenus de materia huius tunicæ disputauimus : restat nunc de forma eius aliqua prælibare. Primò sciendum est, hanc tunicam, vtpote ad sacrum sacerdotum ornatum spectantem, fuisse non communem, sed specialem vestem sacerdotibus deputatam, vt sacra perficerent; supponique tunicæ hyacinthinæ. Erat stricta. Hoc expressit sacer textus dum dixit supra versu 4. *Facient tunicam & lineam strictam* : Id est, absque ruga, vt exposuit Hieronymus epistol. 128. citat. dicens: *Hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga.* Sic etiam sensere, Sixtus Senensis, Barradas, Cornelius, & Sopranis citati quæstione præcedenti. Insuper hæc tunica erat talaris : hoc est, vsque ad talos pertingens: sic relati auctores. Vtrumque asseruit Iosephus lib.3. Antiquit. cap.8. cùm dixit. *Tunica hæc talaris corpori adstricta habet manicas circa brachia, & ipsis adstrictas.*

Hieron. Sixtus Senes. Barradas. Cornel. Sopranis. Iosephus.

6. Circa formam huius tunicæ dubitari posset : an esset oculata, hoc est, picturata figuris oculorum ? Ambigendi ansam præbent variæ versiones. Nam in Hebræo est : *Ketonet tasbets*: & noster Vulgatus textus habet : *Lineam*, siue, *tunicam strictam.* Alij vertunt : *tunicam opere Phrygionico, oculis contextam.* vt Pagninus Vatablus, *tunicam oculatam.* Rabbi Salomon, *tunicam palatam* : palis scilicet, aut sedibus annulorum distinctam. Montanus in descriptione vestium Aaronis sic ait : *Erat tunica certis ordinibus, quas listas vocant insignis, illique ordines oculati omnes, cuiusmodi Mappas in Belgio contextas vidimus, quæ perdicis oculi à figurarum illarum frequentia vulgò vocantur.* Alij apud Lyppomanum in catena ad cap. 28. Exodi vertunt : *Tunicam inclusionis, id est, gemmatam* : Variis nempe gemmis inclusis distinctam. Verùm hæc omnia commentitia putant Barradas, Haye, & Sopranis relati. Mirum sanè esset, hos oculos, & gemmas non vidisse oculatissimos interpretes Chaldæum Philonem, & Iosephum, qui vt pote sacerdos hac tunica ornatus aliquoties ministraret.

Pagninus. Vatablus. Rabbi Salo. Montanus.

7. *Et tiaram byssinam facies.* Hîc est sermo de tiara tam inferiorib. sacerdotibus, quàm Pontifici communi, quæ alio nomine cidaris dicitur. Hæc erat linea, & ex byssо, vt constat Leuitic.16. num.4. ita D. Hieronym. loco citato. Iosephus vbi supra. Abulensis quæst. 19. in hoc caput 28. Caietanus ad hunc locum, Ribera lib.3. de vestibus sacerdotalibus cap.8. Barradas lib.3. de ministris templi cap.49. Sopranis digressione prima de re vestiaria Iudæorum §.4. & alij.

Hieron. Iosephus. Abulens. Caiet. Ribera. Barradas. Sopranis.

QVÆSTIO XXXII. Litteralis.

Quanam forma constaret tiara byssina?

8. CIrca formam tiaræ byssinæ maius est dissidium inter interpretes, quàm circa materiam : quamobrem vocamus in dubium : an scilicet fuerit rotunda, vel acuta. Quidam, relati ab Abulensi quæst.19.in c.28.Exodi, putauere, fuisse acutam instar illius, quam summus Pontifex Aaron portabat, solúmque coloris varietate distinctam : nam summi sacerdotis erat hyacinthina, hæc linea, vel byssina. Communis tamen interpretum consensus est, fuisse rotundam. Audi Hieronymum epist.128. sæpe citata. *Quartum genus est vestimenti rotundum pileolum, quale pictum in Ilysseo conspicimus, quasi sphæra media sit diuisa, & pars vna ponatur in capite.... Non habet acumen in summo, nec totum vsque ad comam caput tegit; sed tertiam partem à fronte inopertum relinquit; atque ita in occipitio vitta constrictum est, vt non facilè labatur ex capite. Est autem byssinum, & sic affabrè opertum linteolo, vt nulla acus vestigia extrinsecùs appareant.* Ferè hæc omnia ex Iosepho desumpsit Hieronymus Ille insuper addidit, esse aliud velamen desuper circundatum, descendens vsque ad inferiora barbæ, celans pilei illius ligaturas, & totam capitis superficiem; aptarique perfectè ne laborante sacerdote circa sacrificia corrueret.

Hieron.

QVÆSTIO XXXIII. Litteralis.

An tiara hæc coronis ornaretur, & quales essent coronæ?

9. ALiud circa hunc ornatum supereст exagitandum dubium : an, scilicet, tiara hæc coronis ornaretur : & quales essent hæ coronæ ? Dubitandi ratio desumitur ex c.39.Exodi n.25.& 26. vbi dicitur : *Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron, & filiis eius : & mitras cum coronulis suis ex byssо.* Ex quo manifestè videtur constare, tiaram byssinam coronulis fuisse ornatam, quod nulli dubium esse potest. Difficultas est, ex qua materia fuerint hæ coronulæ ? Beda lib.3. de tabernaculo cap.8. & Arnoldus Carnotensis tract. de septem vltimis verbis senserunt, has coronulas aureas fuisse: & illud, quod dicitur, ex byssо referendum esse ad mitras, non ad coronas.

Exod. 39. n.25.& 26. Arnol.Carn.

10. Verùm hæc sententia communiter explo-

has ex byſſo factas: quibus verbis apertè ſignificat ſcriptura, vittas byſſinas tiaræ circumplicatas, & in orbem ſinuosè ductas coronas appellari. Sic Ioſephus, Sa, Ribera, Barradas, Sopranis, & alij. Montanus etiam his conſentit: addit inſuper, vt amplius has coronulas explicet, eidarim, aut tiaram fuiſſe eo ferè modo, quo Orientalium incolarum tiara, quam Turcico vocabulo appellat *Torbant*, eſſeque lineam, aut byſſinam ſimpliſſimæ, candiſſimæque albedinis, cui ad frontem alligabatur aurea lamina, &c. Vnde ex mente huius auctoris hîc ageretur de tiara Pontificis, quod mihi maximè diſplicet. Conſtat ergo has coronulas fuiſſe lineas, & byſſinas, non aureas, alias enim hoc expreſſiſſent Hieronymus, & Iſidorus, qui de hoc, & aliis ornatibus ex profeſſo egerunt.

Ioſephus. Sa. Ribera. Barradas. Sopranis. Montanus.

QVÆSTIO XXXIV.
Litteralis.

An fuerit duplex tiara: & quod diſcrimen inter vtramque verſaretur?

11. QVæſtio præſens duo inquirit. Primum: an ſummo Pontifici adſcripta fuerit diuerſa tiara ab illa qua ornabatur minor ſacerdos? Secundum: quod diſcrimen eſſet inter vtramque tiaram? Certum mihi ſemper fuit, diuerſo genere tiaræ ornari Pontificem, ab illo quo inferiores ſacerdotes ornabantur. Hoc mihi perſuaſum habeo: quia Pontifex habebat ſpecialem ornatum, quo, nefas eſſet aliis ſacerdotibus, vti: vt Ephod, Rationale, tunica hyacinthina, & lamina: ergo ornatus capitis, qualis eſt tiara, diuerſi generis fuit ab illa, qua ſacerdotum minorum capita ornabantur. Nam ſi pectori, humeris, & aliis partibus pretioſiores veſtes aſſignatæ ſunt, multò potiori iure capiti, quod præcipua pars eſt corporis. Sic Ioſephus libro tertio antiquit. cap. 11. Abulenſ. quæſtio. vigeſima ſecunda in cap. 28. Exod. Barradas tom. 2. lib. 3. capit. 46.

Ioſephus. Abulenſ. Barradas.

12. Altera difficultas ſupereſt enodanda, nempe, quod diſcrimen verſabatur inter tiaram Pontificis, & aliorum ſacerdotum? Tiara aliorum ſacerdotum byſſina erat, vt diximus numero ſeptimo hac etiam vtebatur Pontifex, & ſupra eam habebat aliam tiaram, vel ex hyacintho variatam, & circundatam aurea corona tribus ordinibus facta, vt docet Ioſephus loco nuperrimè citato: Vel totam hyacinthinam, vt vult noſter Abulenſis quæſtio vigeſima ſecunda relata. Vt ſic exteriùs diuerſimodè ornetur caput Pontificis. Aliam differentiam aſſignant Guillelmus Durandus libro tertio capit. decimo nono, & Caſſanæus in catalogo gloriæ mundi 1. p. concluſ. 3. nempe, quod tiara Pontificis procedebat in acutum, habebatque circulum aureum cum malogranatis, & floribus: ſecus autem tiara aliorum ſacerdotum.

Ioſephus. Abulenſ. Durand. Caſſanæus.

Et balteum opere plumarij: De balteo eadem eſt controuerſia, ac de tiara, an ſcilicet duplex fuerit? Vnus Pontifici; & alius minoribus ſacerdotibus: quapropter. Id ſequenti quæſtione examinandum eſt. 13.

QVÆSTIO XXXV.
Litteralis.

An idem genus baltei fuerit commune Pontifici, & aliis ſacerdotibus.

IN præſenti verſu apertè agitur de balteo ſummo artificio contexto ex aureis hyacinthinis, purpureis, coccineis, atque biſſinis filis, quo omnes veſtes ſacerdotales ſtringerentur. Ioſephus lib. 3. antiquit. capite vndecimo ſic eum deſcribit. *Accinguntur circa pectus modicè, ſuper illud zonam circundantes latam quaſi digitis quatuor, variè ita contextam, vt videatur pellis eſſe viperea: in qua flores intexti ſunt coccinei, & purpurei cum hyacintho, & byſſo commixti. Stamen autem eius zonæ eſt ſolum hyſſus: & ſumens initium cinctura à pectore, & circundans reducitur iterum ante pectus, & vſque ad crura dimittitur, donec ſacerdos nihil operatur. Pro decore namque videntium eſt ita compoſita. Cùm vero ad ſtudia ſacrificiorum, & myſteriorum præparatur, ne impediatur opus, in læuo humero eam portat.* Elegantiùs eundem balteum nobis depinxit Diuus Hieronymus epiſtol. 128. dum dixit: *Hoc cingulum in ſimilitudinem pellis colubri, qua exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſt, vt marſupium longius putes. Textum eſt ſub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino, ob decorem, & fortitudinem, atque ita polymita arte diſtinctum, vt diuerſos flores, ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas arbitreris. Lineam tunicam, de qua ſuprà diximus, inter vmbilicum, & pectus hoc ſtringunt balteo; qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex vna parte ad crura pendens, cum ad ſacrificia curſu, & expeditione opus eſt, in læuum humerum retorquetur.* Verùm ex his non ſatis liquet, de quo balteo ſermo ſit in præſenti, quamuis Hieronymus aſſerat hoc balteo tunicam lineam fuiſſe ſtrictam. 14. Ioſephus. Hieron.

His non obſtantibus dicendum eſt, ſacrum textum in hoc verſu loqui de balteo, quo ſolùm ſummus ſacerdos cingebatur: ac per conſequens alium fuiſſe balteum communem omnibus ſacerdotibus. Nam vt rectè notarunt Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 8. & in Gloſſa ad hund locum; & Salianus anno 2544. num. 570. præter balteum opere plumario contextum, alium adducit ſcriptura Exod. 28. num. 40. Locutus fuerat ſacer textus verſu 39. de balteo opere polymito fabricato: & ſtatim minoribus ſacerdotibus balteos aſſignat, non opere Phrygionico contextos. Ergo ex eo eſt, quia ſolus balteus Pontificis tanta varietate ornabatur. Quapropter Origenes homil. 6. in Leuitic. Caietanus Exod. 28. num. 41. Barradas 15. Beda. Salianus.

das lib. 3. de ministris templi cap. 48. Cornel. ad hæc verba. Sopranis de re vestiaria Iudæorum. digressione 1. §. 3. putarunt cingulum, quo inferiores sacerdotes cingebantur, fuisse byssinum, & simplici artificio contextum, & eo tunicam lineam cingi, quod denotatur per illa verba: *Stringes tunicam bysso:* cuius planissimus sensus est: cinges tunicam zona byssina. Constat etiam Leuitic. 16. num. 4. Cingulum verò solius Pontificis proprium vario florum genere distinctum opere Phrygio, vt patet Exod. 39. num. 28. vbi dicitur: *Cingulum verò de byssо retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo distinctum arte plumaria.* Secutus fuit etiam hanc distinctionem cingulorum noster Abulensis in cap. 28. Exod. quæst. 2. quæst. 6. & quæst. 22.

Exod. 39. n. 28.

16. *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & decorem.* In hoc versu explicat sacer textus vestes minorum sacerdotum; quæ etiam communes erant Pontifici. *Filiis Aaron,* id est, Nadab, Abiud, Eleazar, & Ithamar. ex his solus Eleazar obtinuit summum sacerdotium, vt suprà dictum est. versu 2. *Tunicas lineas parabis:* id est, tunicas strictas, quibus induebantur tam sacerdotes minores, quàm Pontifex super proprias, aut vulgares vestes. *Et balteos:* his cingebantur minores sacerdotes. Nam quamuis hæ tunicæ essent strictæ, balteis etiam cingebantur tantùm byssinis. *Ac tiaras:* sermo est de tiaris minorum sacerdotum, quæ byssinæ erant, vt dictum est, num. 7. *In gloriam, & decorem.* Id est, vt explicat Abulens. hîc quæst. 19. vt pulchri sint, & honorentur: seu vt placet Oleastro: ad grauitatem, & pulchritudinem. Apud homines namque vestes magnum honorem tribuunt: quare rectè ille dixit: *Si toga crassa mihi est, aspernor,* &c.

Abulens. Oleaster.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCLXXV.

Sacerdotij dos est album castitatis lilium.

17. IN omnibus debet sacerdos præstare populatribus, sed præcipuè in castitate, & pudicitia. Hæc virtus sic innata sacerdotio videtur, vt sacerdotum infulæ rubore suffundantur, si impuritatis labe maculentur. Propter hoc etiam apud barbaros, & idololatras obseruatum fuit, vt quantùm fieri posset, eorum sacerdotes, vel ab illicita copula abstinerent. Audi Augustinum tom. 10. serm. 37. ad fratres in eremo. *Vidimus,* inquit, *sacerdotes vxoratos, tantæ abstinentiæ erant, quòd licèt vxores omnes haberent, nunquam tamen nisi semel in anno eas tangere volebant, quæ die ab omni sacrificio abstinebant.* Hæc apud Æthyopes. Deinde prosequitur. *Vidimus, & in inferioribus partibus Æthyopiæ homines vnum oculum tantùm in fronte habentes, quorum sacerdotes à conuersationibus hominum fugiebant, ab omni libidine carnis se abstinebant, & in septimana, in qua Diis suis thura offerre debebant ab omni labe carnis abstinebant se, nihil sumebant, nisi metretam aquæ per diem, & sic contenti manentes dignè sacrificium Diis suis offerebant. O grandis Christianorum miseria! Ecce Pagani Doctores fidelium facti sunt.* Lumine naturæ cognouerunt isti aliena esse à sacerdotio carnis delectamenta.

August.

Id ipsum confirmat Elias Cretensis in orat. 3. Nazianzeni aduersùs Iulianum adducens illud Homeri cum Ioue loquentis. 18.

Circum te Selli degunt, queis balnea nulla Homerus.
Spurcitiē è pedibus tollunt queis terra cubile est.

Sic prosequitur Elias: *Selli autem natio in Dodona, in qua Iouis oraculum erat. Ex quibus scilicet Sellis sacerdotes ad Iouis cultum creabantur: qui quidem vt in Dei famulatu essent, castitatem colebant, nec balneo vtentes, nec in lecto dormientes, verùm humi breuissimum somnum carpentes. Atque illi quidem in Iouis honorem hæc faciebant. At nostri Philosophi in veri Dei honorem ab his rebus abstinent.* Hæc obsequia falso Deo barbari, & idololatræ præstabant, annexam putantes esse sacerdotio castimoniam. Si ergo homines lumine fidei destituti iudicarunt, castitatem in sacerdotibus requiri, vt dignè, & competenter Diis falsis sacrificia offerrent: quid dicemus fideles Euangelicæ doctrinæ radiis illustrati? Profectò castimoniam, & continentiam sic inseparabilem esse à sacerdotio, vt eius dos sit albicans lilium castitatis.

Elias Cretens.

Leuitic. 21. num. 13. sic Deus præcepit sacerdoti: *Virginem ducet vxorem.* Miraberis huius præcepti scrupulum. Quid intererat, quòd sacerdos duceret virginem, vel corruptam: vt Deus voluerit eum constringere ad ducendam Virginem? Petrus Damianus opusculo. 25. de dignitate sacerdotij cap. 1. per vxorem virginem Euangelici sacerdotis vitam intellexit. Ideo ergo veteri sacerdoti vxor virgo designatur ex lege; vt exinde pateat, quòd sacerdos Christi tenetur ad continentiam seruandam: Et quemadmodum diuino præcepto vxori veteris sacerdotis pro dote fuit assignata virginitas; sic Euangelico continentia esset dos. Audi Damianum. *Vxor vita eius, & conuersatio non inconuenienter accipitur, quæ scilicet esse virgo præcipitur, vt ab immundi spiritus obsoleta luxuria, qui violator est animarum, immunis, & incorrupta seruetur.* 19. Leuit. 21. n. 13. Damian.

Sæpe notaui, in sacro eloquio sacerdotes vocari Angelos: sic Malachiæ 2. num. 7. *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Sed cur sacerdos Angelico honoratur vocabulo? Sacerdos etsi tanta dignitate fulgeat, & naturam angelicam transcendat tanto munere ornatus, homo est naturâ: quare ergo dicitur Angelus? Ideo iudico: quia sicut Angeli à natura dotem castitatis obtinuere; sic sacerdotes ex suo munere seruent tanquam dotem sacerdotio concessam. Accipe elegantissima verba Chrysostomi lib. 3. de sacerdotio tom. 5. sic sacerdotum dignitatem extollentis. *Etenim sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem, ordinemque referendum est: atque id per quod merito: quippe non mortalis quisque, non Angelus, non Archangelus, non alia quauis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiam in carne manentibus auctor fuit, vt Angelorum ministe-* 20. Malach. 2. n. 7. Chrysost.

rium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt, ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cœlis collocatus inter cœleſtes illas virtutes medius ſtaret. Multa tangit Chryſoſtomus, quæ ſacerdotibus ſuadent caſtitatem. Nam eos inter cœleſtes incolas annumerat: deinde ab Spiritu Sancto ſacerdotalem ordinem aſſerit diſpoſitum: tandem Angelorum miniſterium illis tribuit, vt ob hoc tanta puritate fulgeant, vt inter ipſos Angelos ſine rubore poſſint ſtare: imo ab ipſis Angelis ſacerdos caſtitatis obſeruator ſeruitur.

21. Deuter. 34. n. 5. Caiet. Epiphan. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino: & ſepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Deuteron. 34. num. 5. Caietanus ibidem notauit: *Ipſe Deus ſcribitur ſepeliens Moyſem.* D. Epiphanius lib. 1. contra hæreſes cap. 9. ſic ſcripſit. *Sepelierunt Angeli, velut habet traditio, quæ ad nos deuenit corpus Moyſis ſancti, neque inquinati ſunt à ſancto corpore.* Et Caietanus relatus dixit: *Omnia itaque humana officia à ſepultura Moyſis excluduntur, ex hoc quòd Deus angelico miniſterio ſepeliuit ipſum.* Rara excellentia eſt, corpus Moyſis ab Angelis ſepiliri omni humana diligentia excluſa! Sed notatu dignum iudico examinare, cur Moyſes ab Angelis ſepeliatur? Et quare à ſancto corpore non ſint inquinati? Homo ab Angelis ſeruitur, & in funere collocatur? Vtique: quia Moyſes cùm ſacerdos eſſet (iuxta illud Pſalm. 98. num. 6. *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius*) caſtitatis fuit integerrimus amator. Hanc caſtimoniæ prærogatiuam mihi indicant illa verba Epiphanij: *Neque inquinati ſunt à ſancto corpore:* Cur non inquinati? Quia Moyſes caſtitatem coluit. Meritò ergo ei Angelicæ inſeruierunt poteſtates, velut venerantes caſtitatem ſacerdotalem. Nam ſacerdos caſtus dignus eſt ab Angelis inſeruiri.

22. Caſtitas ſic ſacerdotum innata eſt virtus: vt qui caſtitate floret, ius habeat ad ſacerdotium. Egregium facinus Phinees huius cogitatus præbet confirmationem. Vidit Hebræum rem habentem cum Madianitide: at zelo diuinæ legis; Numer. 25. n. 8. *Arrepto pugione ingreſſus eſt poſt illum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum, ſcilicet, & fœminam.* Numer. 25. num. 8. Quid inde? Sic locutus eſt ad Moyſem Deus. Ibid. n. 11. 12. & 13. *Phinees auertit iram meam à filiis Iſraël, quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſraël in Zelo meo. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia Zelatus eſt pro Deo ſuo.* Hîc notare placet: cur ſi facinus Phinees ſummo opere placuit Deo, ei non confertur regnum, ſed ſacerdotium? Examinemus hoc facinus. Quid defendit Phinees? Dei honorem, qui violatione caſtitatis lædebatur. Præceperat enim Deus, ne quiſquam Hebræorum auderet rem habere cum mulieribus Madiam: hanc legem violauerat Zambri, quam vt vindicaret Phinees, & velut caſtitatis vexillum eleuans, illum & Madianitidem confodit. Meritò ergo Deus Phineem, quem defenſorem vidit caſtitatis infulis ſacerdotalibus honorauit: nam qui pro caſtitate viriliter pugnat, & luxurioſos punit, ſummo ſacerdotio dignus comprobatur. Adeſt Abulenſ. ibidem quæſt. 7. dicens: *Hîc ponitur remuneratio, & laus bonæ actionis Phinees, ſcilicet, quòd Deus reddidit teſtimonium illi, quòd placaſſet iram eius, & promiſit ei ſacerdotium æternum.* Abulenſ.

23. Tunica ſtricta linea, ſeu byſſina veſtitus, cidari ornatus, & balteo ex eadem materia præcinctus ſummus Pontifex nobis proponitur, & eodem ornatu ſacerdotes inferiores miniſtrabant. Sed ad quid tam Pontifex, quàm alij ſacerdotes tanto candore ornantur? Vt ſacerdos oſtendatur vndequaque caſtus. Seruare enim debet, qui tanta dignitate gaudet, caſtitatem in capite, viſum ab inhoneſtis auertens: ecce cur cidari byſſina ornatur. Inſuper, & caſtus debet eſſe in pectore, hoc eſt cogitationes impuras reiicere: ob hoc cingulo candido cingitur. Tandem totum corpus tunica ſtricta linea, & talari induebatur: vt à capite vſque ad pedes albedine micans, ſciat, debere, totum eſſe caſtum, & continentem. Caſtitas ergo eſt ſacerdotis integrum, & præcipuum ornamentum, & ſacerdotij inæſtimabilis dos. Audi noſtrum Toſtatum caſtiſſimum præſulem, imo & virginem, vt ex perpetua apud Abulenſes traditione, & eius epitaphio conſtat. *Iſte candor in capite eſt* (inquit quæſt. 22. in cap. 28. Exodi) *& in toto corpore, quia ex capite cogitationes ſunt. Debent autem cogitationes noſtræ caſtæ eſſe, & totum corpus noſtrum lucidum, iuxta ſententiam Saluatoris: & licèt iſte candor notet puritatem ab omni vitio, præcipuè tamen à macula vitij carnis, quod proprius maculat.* Placet etiam verba venerabilis Bedæ adducere, qui lib. 3. de tabernaculo cap. 8. ſic ait rationem reddens cur hæc tunica erat ſtricta. *Cùm continentia non cuilibet membro violenter impoſita, ſed in toto corpore eſt delectabiliter conſummata. Hæc enim linea debet ſtringere manus, & brachia ſacerdotis, ne quid inutile faciat; pectus, ne quid inane cogitet; ventrem, ne guloſus ſit. Subiecta ventri membra, ne laſciuiendo totam ſacerdotalis habitus pulchritudinem corrumpant. Genua, ne ab orationibus inſtantia torpeant. Tibias, & pedes, ne ad malum currant. Induatur ergo ſacerdos primò linea ſtricta, vt corpus ab iniquis operibus, & mentem compeſcat à prauis cogitationibus.* De balteo idem docuerat Diuus Iſidorus cap. 34. in Exodum dum dixit: *Balteo præcingitur ſacerdos, per quod rerum incentiua, & luxuriæ libidinum reſtinguantur.* Ex his apertè conſtat, quòd licèt ſacerdos omni virtutum genere fulgere debet, præcipuè candore caſtitatis. Abulenſ. Beda.

ILLATIO CCLXXVI.

Caſtitas omnium virtutum eſt fundamentum, & vitæ ſpiritualis principium.

24. Basilius. MAgnus Baſilius interrogatione 17. ſic de caſtitate loquitur. *Eſt ergo continentia peccatorum ſublatio, vitioſarum affectionum amandatio, corporis ad naturales etiam vſque paſſiones, cupiditateſque mortificatio, principium vitæ ſpiritualis, ſempiternorum bonorum Conciliatio,*

liatio, voluptatis aculeum in ſeipſa abolens. Magna hîc de caſtitate profert Baſilius: ſed nota illud: *Principium vitæ ſpiritualis.* An quia caſtitas ſit cæterarum virtutum fundamentum? Certè, hæc virtus non ſolùm principium, ſed fundamentum eſt cæterarum virtutum.

Eligitur Ezechiel à Deo, vt futura populo
25. prædiceret, & magna annunciaret: & tamen
Ezech.24. n.18. tacuit, vſque dum orbatus fuit vxore: *Mortua eſt vxor mea veſpere, fecique mane, ſicut præceperat mihi.* Ezechiel. 24. num. 18. Si tamen inquiras: cur Ezechiel protinus populo diuina verba non propoſuit, nec fuit Prophetæ munere functus, ſed prophetiam ſuſpenſam habuit, donec vxor eius vitam commutaret cum morte: & poſt eius obitum ſtatim Prophetæ, & Doctoris munus impleuit? Reſpondet tibi Hieronymus libro primo aduerſus Iouinianum
Hieron. cap. 8. his verbis: *Ezechiel, qui captiuus tenebatur in Babylone, qui tempeſtatem ab Aquilone venientem viderat, & turbinem cuncta rapientem, ait: Mortua eſt vxor mea ad veſperam, & feci mane, ſicut præceptum mihi erat. Prædixerat ei Dominus, quòd in die illa aperiret os eius, & loqueretur, & non taceret amplius. Diligenter attende; donec vxor viueret, non habebat libertatem populum commonendi: moritur vxor, & coniugale vinculum ſoluitur, & abſque vlla trepidatione ſemper in officio Prophetali eſt.* Sed adhuc vrget difficultas. Quid obſtare poterat Ezechielis vxor, vt munus exerceret Prophetale? Profectò: quia dum matrimonij vinculum durabat, caſtitatis flore non pollebat Ezechiel. Tunc enim (etſi honeſtos,) coniugales admittebat amplexus: mortua tamen vxore, à carnali vſu penitus abſtinuit. Ergo nunc ornatur decore Prophetiæ, & Doctoris munus ſubire incipit; quia iam vallatus erat liliis caſtitatis. Nam quî poſſet Propheticum donum exercere carnis illecebris allectus? Quaſi ſine caſtitate, quæ vitæ ſpiritualis eſt principium, & cæterarum virtutum fundamentum, vacua ſit Prophetia.

26. Hoc abſque dubio Saluator omnium oſtendit, cùm Diſcipulos alloquens dixit Lucæ 12.
Luc.12.n.35. num. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, &c. Communiter hîc Expoſitores docent, Apoſtolos, & in eis fideles, admoneri ad ſeruandam caſtitatem: hoc enim deſignat lumborum cingulum. Rurſus: per lucernas ardentes bona opera deſignari, nemo eſt, qui dubitet. Sed cur Dominus primum Diſcipulos caſtitatis balteo præcinctos deſiderat, & deinde bonorum operum ardore, & luce fulgentes? Sola caſtitas prima, & ſeorſim proponitur: cætera virtutum opera cumulatim, & confusè admonentur. Cur ita? Vt caſtitatem cæterarum virtutum fundamentum prædicaret. Adeſt Gregorius Magnus homilia 13. in Euangelia dicens: *Duo autem ſunt,*
Gregorius. *quæ iubentur; & lumbos reſtringere, & lucernas tenere: vt & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione.* Duo iubentur: Expreſsè, & præcipuè caſtitas; deinde aliæ virtutes. Vnde non ſolùm denotatur, caſtitatem omnium virtutum eſſe fundamentum; ſed ſolam caſtitatem ex vna parte omnibus virtutibus æquiualere; ſiquidem Dominus primo ſolam caſtitatem præcepit, deinde cæteras virtutes: velut plus deſiderans hanc virtutem, quàm alias.

Nec longè à noſtro themate abeſt Apoſto- 27.
lus ſcribens ad Titum, cap. 2. num. 11. & 12.
Ad Titum 2. n.11. & 12. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.* Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, cap. 23. in fine, ſic le-
Hieronym. git hæc vltima verba: *Caſtè, & iuſtè, & piè viuamus in præſenti ſæculo.* Nota, Paulum, cùm cœleſtem viam nos doceret, vt abnegantes deſideria huius ſæculi ornaremur virtutum pulchritudine, prius rētuliſſe caſtitatem; deinde iuſtitiam; tandemque pietatem. At cur caſtitas omnibus præfertur? Non quia omnes antecellat, ſed ad explicandum vitæ ſpiritualis eſſe principium, & fundamentum. Dixerat Apo-
1.ad Timot. 2.n.15. ſtolus 1. ad Timoth. 2. num. 15. *Mulier ſaluabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in Fide, dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Id eſt, mulier nupta (de hac enim loquitur Paulus,) ſaluabitur per filiorum educationem, ſi ipſa perſeuerauerit, aut perſeuerare eos fecerit, (vtroque modo exponitur in Bibl. Magna, in Fide, dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Ex Syriaco autem le-
Syriac. gitur: *Si permanſerit in Fide, in charitate, & ſanctificatione, & caſtitate.* Notare libet: cur annumeratis tot, & præclariſſimis virtutibus, fide, ſcilicet, & charitate, imò & ipſa ſanctificatione, qua anima Deo placet, additur caſtitas, aut ſobrietas, (quæ teſte Chryſoſtomo, & aliis in Bibliis Magnis) eſt temperantia ab illecebris? Vbi adeſt charitas, quæ, vt ait Auguſtinus, eſt animæ pulchritudo, & eam transformat in Deum, imò omnium virtutum eſt anima, & ornamentum, deeſſe non poteſt caſtitas: cur ergo Apoſtolus poſt charitatem, & ſanctificationem mentionem facit caſtitatis? Quia charitas velut vacua eſſet, imò non eſſet charitas ſine ornemento caſtitatis. Pulchrè Gregorius Magnus homilia decima
Gregor. tertia in Euangelia: *Nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate.* Quod eſt dicere: ſi poſſet dari charitas ſine caſtitate, inanis eſſet charitas: ſine charitate, inquit Apoſtolus. 1. ad Corinthios 13. Etiamſi linguis hominum loquar, & Angelorum factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: ſine charitate etiamſi habuero Prophetiam, & nouero myſteria omnia etiamſi fidem habuero, ita vt montes transferam, nihil ſum, &c. Eſt ergo charitatis elogium ſingulare, cæteris virtutibus vitam, & meritum tribuere. An hoc etiam caſtitati tribuit Gregorius, cùm dixit: *Nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate?* Abſit. Non enim tantum Doctorem latere poterat, charitatem inter omnes virtutes primas ferre: ſolùm voluit oſtendere charitatem ſine caſtitate à ratione charitatis deficere. Annumerat ergo Apoſtolus, poſt fidem, & dilectionem, caſtitatem, non quia caſtitas compleat eas, aut perficiat; ſed vt oſtendat ſine caſtitate, qui vitæ ſpiritualis eſt principium, & fundamentum;

cæteras virtutes euaneſcere. Ob hoc dicebat Auguſtinus ſerm. 37. ad fratres in eremo de caſtitate loquens: *Hæc eſt illa virtus ſine qua, quis eſt factus omnium reus. Hæc eſt illa virtus, quæ nos Deo commendat, quæ Angelos nos facit, quæ nos ſuper æthera volando conducit.* Meritò ergo eam cæterarum virtutum vocamus fundamentum.

28. Triplici ornatu ex byſſo contexto ornabatur Sacerdos, nempe, tunica linea, thiara, ſeu cidari, & balteo, vel cingulo; quibus etiam triplex imponebatur ornatus ex hyacintho contextus, ſcilicet, tunica, mitra, & cingulum: Sùper tunicam albam alia hyacinthina; ſuper cidarim byſſinam mitra hyacinthina; & ſuper cingulum ex byſſo contextum balteus opere plumarij fabricatus. Cur hæc? Quia ſuper caſtitatem, per colorem album deſignatam, quæ omnium virtutum eſt ornamentum, cœleſtis vitæ deſiderium, per colorem hyacinthinum explicatum, aptatur mirificè. Id expreſſit noſter

Abulenſ. Abulenſis hic quæſt. 22. dicens: *Non enim bene tunica hyacinthina, niſi ſuper tunicam lineam, ponitur, nec mitra hyacinthina, niſi ſuper cidarim lineam, non aptatur: quia vita cœleſtis, quæ hyacinthina eſt, & deſiderium æternorum nunquam alicui inerunt, niſi ſuper puritatem vitæ fundentur. Oportet enim primo, omnia inquinamenta vitiorum deuitare, quod eſt candidum eſſe; deinde vitam cœleſtem, quæ hyacinthina eſt, totis actionibus, & inquirere, & iudicare.* Diuus Thomas Villanoua ſermone tertio de ſancto Auguſtino eandem rationem adducit, ob quam cingulo vtraque tunica ſtringebatur, nempe, vt exin-

S.Tho.Vill. de conſtaret, ſine caſtitate inutile eſſe animæ ornamentum virtutum. Audi eum: *Sed vniuerſa hæc veſtium amplitudo caſtitatis cingulo pulcherrimo conſtringenda eſt, ſine quo quantumlibet pretioſa veſtis, nullum animæ poteſt præſtare fomentum.* Si ergo ſine caſtitate friget anima: meritò à Baſilio caſtitas vitæ ſpiritualis dicitur principium, & fundamentum.

ILLATIO CCLXXVII.

Antiſtes plenus ſit oculis, vt ſubditis benefaciat.

29. ONeris potiùs, quàm muneris eſt officium Antiſtitis: non ſibi, ſed aliis eligitur, qui ad gubernandum promouetur. Quapropter oculis plenus debet eſſe, qui aliorum ſuſcipit regimen, vt omnia penetret, & temporali, & ſpirituali eorum ſubueniat indigentiæ. Admirabilis, & myſteriis plenus Ezechieli demonſtratur currus: ſed non minùs admirabiles illius rotæ, quibus ſpiritus vitæ inſederat; vndequaque ocellatæ erant reſtante diuino Ora-

Ezec.1.n.18. culo. Ezechiel. 1. num. 18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus: & totum corpus oculis plenum, in circuitu ipſarum quatuor.* At cur tota circumferentia rotarum oculis erat plena? Certè, quia Spiritus ſanctus poteſtate, & maieſtate regia fulgens ſedebat in rotis. Vt ergo oſtenderet, Antiſtitis ſtudium debere eſſe habendi ob oculos omnes ſubditos, vt eis ſubueniat: cùm Spiritus ſanctus in rotis apparet regio ſplendore fulgens, plenus oculis inſedit, intimans dominandi obligationem.

Apocalyp. 4. num. 6. De illis animalibus, quæ thronum Dei circumdabant, dicitur: *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro.* Ecce animalia deſcribuntur vndequaque ocellata, ante, retro, & intus: nam ibidem, num. 8. refertur: *Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu: & intus plena ſunt oculis.* Sed cur tot oculis hæc animalia ornantur? Quidam per ea quatuor Euangeliſtas intelligunt, & diuini Verbi præcones: Sic Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſt. cap. 6. & in hæc verba Apocalyp. Hieronymus in proœmio ſuper Euangelium Matthæi, Beda, Primaſius, Richardus de ſancto Victore, Rupertus, Anſbertus, Pannonius, & alij ad præfata verba. Alij per hæc animalia Chriſtum Dominum expreſſum volunt, qui incarnatione fuit homo: in paſſione vitulus: in reſurrectione Leo: Aquila in aſcenſione: vt Anaſta. Sinaita lib. 4. hexamer. Abulenſ. in Proœmium D. Hieron. ſuper quatuor Euang. Anſbertus, Rupertus, Pannonius, Aretas, & Gloſſa Ordinaria ad hæc verba Apocalyp. Exprimebatur ergo ſecundum hanc ſententiam vigilantiſſima cura Doctorum, & Euangeliſtarum, & Prælatorum. Habebant ergo illa animalia ante, retro, & intus tantam multitudinem oculorum, vt docerentur Prælati ſemper attento animo, vigilanti ſtudio, & prudenti circumſpectione ſubditorum agere negotia.

30. Apoc. 4. n. 6. Ibidem n. 8. Auguſt. Hieron. Beda. Primaſ. Richard. Rupert. Anſbert. Pannonius. Anaſtaſ. Abulenſ. Aretas. Gloſſa Ord.

Huius curæ magnum nobis Chriſtus præbuit exemplum, cùm mulierem quandam à ſanguinis curauit profluuio: ſed nota modum, quo eam ab inueterato morbo liberauit: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* Lucæ 8. num. 44. Reprehenſione videtur digna hæc mulier, aut inurbanitatis notari poteſt; ſiquidem accedens retro videbatur potius ſalutem furari, quam petere. Cur non ante oculos Domini flexo poplite, & ſummis precibus deſideratam, & iamdiu amiſſam, valetudinem petit, vt viſa eius miſeria piiſſima viſcera Domini commouerentur? Sed mirare huius fœminæ prudentem Fidem, qua à Chriſto, vt ſupremo Deo, ſperabat ſalutem. Credidit Chriſtum ſupremum Dominum totum plenum oculis, vt ei ſubueniret: & ideo iudicauit, idem eſſe, retro accedere, ac ſi à fronte peteret ſalutem. Perbellè Chryſologus ſermone 34. *Acceſſit retro. Sed vbi? Retro nihil erat: ibi faciem, quam declinabat inuenit. Erat in Chriſto corpus multiplex; ſed erat Deitas ſimplex: erat totus oculus, qui poſt ſe ſupplicem ſibi videbat.* Quamuis hæc mulier retro acceſſit, non poterat Dominici viſus fugere conſpectum. Chriſtus namque ſolùm in facie oculos habere videbatur: at totus erat oculus, vt ſubueniret; in eoque nihil eſt retro, cùm omnia gubernet, vt ſupremus Antiſtes.

31. Luc 8. n. 44. Chryſol.

De primo Rege Hebræorum Saüle ſacro eloquio atteſtante dicitur. 1. Regum 10 num. 23. *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero, & ſurſum.* Sed cur primus illius

32. 1. Reg. 10. n. 23.

lius gentis Rex omnes tanta proceritate excelluit, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum? Putarem, id postulare Regium munus, & studium regendi. Nam qui omnes tanta altitudine excellebat, medius inter omnes neminem non videret: Quia quocumque se verteret, velut speculator in alta rupe positus subditorum agmina conspiceret. Eligitur ergo Saül tanta altitudine procerus, vt ostenderetur, oportere Regem omnes subditos ob oculos habere, neminemque ab eius conspectu excludere, vt sic pietate motus omnium subueniat indigentiæ.

33. Huc spectat illud amantissimæ sponsæ erga dilectum suum celebre encomium oculorum. Cant. 5. n. 12. Cantic. 5. num. 12. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residunt iuxta fluenta plenissima.* Non mirarer, si sponsa oculos sponsi celebrans, columbarum oculis tantum compararet; cùm ipse suæ amasiæ pulchritudinem oculorum etiam columbarum oculis contulit. Cantic. 1. num. 15. Quod, notatu dignum existimo, est, dicere sponsam, sponsi oculos columbis super riuulos aquarum assimilari. At cur potiùs columbis iuxta aquarum fluenta existentibus sponsi oculos comparat, quàm colũbis intra nidulos degentibus? Beda lib. 5. in Cantica viam nobis aperuit cogitatui, dicens: *Columbæ siquidem super riuulos aquarum, non solùm propter potum, vel lauacrum, loci amœnitatem, ac munditiem residere solent; sed etiam, vt venientis vmbram accipitris in aquarum perspicuitate præuidere, ac sic imminens ab hoste periculum euadere possent.* Naturali instinctu columbæ iuxta aquarum fluenta congregantur, vt in eis velut in speculo accipitris effigiem intuentes hostis periculum euadant. Quod est, dicere: ita columbarum perspicax est visus, vt non solùm, quæ è regione posita sunt videant; verumetiam quæ à tergo, vel supernè veniunt, conspiciant. Sponsa ergo, vt sedulam curam sponsi Regis exprimeret, eiusque iuge subueniendi studium declararet, visum habere prædicat, non qualemcumque, sed columbarum iuxta fluenta existentium: denotans sponsum, non solùm videre, quæ è regione sunt posita, sed etiam quæ à visu nisi speculari artificio conspici nequirent. Hoc enim est munus principis, & gubernantis studium, scilicet, omnia videre, nihil non considerare, & subditorum mores habere comprehensos, vt iuxta eorum qualitatem, vel præmium largiatur, vel pœnam infligat.

34. Tunica hæc stricta, quam byssinam putamus, ab aliis, *oculis contexta*, vt à Pagnino: aut, *oculata*, vt à Vatablo, & Montano dicitur, vt notauimus in expositione litteræ. Quod an verum sit aliorum iudicio committo. Verùm si hos sequamur Doctores, non mediocre nostræ illationi confertur robur. Erat ergo tunica hæc vndequaque imaginibus oculorum plena, quia interne induebat Sacerdotem; vt exinde disceret, habere semper in animo sedulam curam, & vigilans studium circa subditorum mores, & necessitates. Hæc enim est Antistitis præcipua cura, & obligatio. Nam si subditorum vita, & necessitates eum latent, nec illam corrigere, nec istis subuenire poterit: vnde nec muneri suo satisfaciet.

Vers. XLI. Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo: & cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, vt sacerdotio fungantur mihi.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. Abulens. Caietan.

VESTIESQVE *his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo.* Loquitur Deus Moysi. Abulensis q. 19. Et Caietanus hîc asserunt, sermonem esse de tribus præcedentibus ornamentis, scilicet, tunica stricta, balteo, & cidari, quæ communia erant tum Aaroni, tum & filiis eius. Hoc assertum efficaciter confirmatur: quia aliàs fas esset minoribus sacerdotibus vti Ephod, Rationali, & aliis ornamentis Pontifici reseruatis. Quod nemo concedet. Ergo hæc verba de præfatis tribus vestibus intelligenda sunt.

2. Abulens. Caietan. Oleaster. Sa. Menoch.

Et cunctorum consecrabis manus: id est, (vt notant Abulensis, Caietanus, Oleaster, Sa, Menochius, & alij,) complebis, vel implebis manus eorum (vt est in Hebræo) dans eis in manus, quod offerant. Id enim fiebat in consecratione Sacerdotum. Itaque in Scriptura implere manum, significat consecrare in Sacerdotem.

3. Difficultas est, quænam sit hæc manus impletio? Abulensis putat, hanc impletionem factam per cæremonias, & ritus, quibus consecrabantur tam Pontifex, quàm Sacerdotes inferiores. Ritus isti erant huiusmodi. Circa Aaronem audi: Primò, lauabatur, deinde indutus vestibus, & ornatu Pontificio adducebatur ad ostium tabernaculi, ibique oleo vnctionis super caput eius infuso, initiabatur in Pontificem. Consecratio filiorum eius hoc ritu perficiebatur. Primo lauabantur: deinde induebãtur omnibus vestibus, quibus ministraturi erant: quædam offerebant sacrificia: tandem accepto ariete, Aaronis, & filiorum manibus impositis super illum, Moyses immolabat arietem, cuius sanguine intingebat extremum auriculæ dexteræ Aaronis, & filiorum eius, & pollices vtriusque manus, & pedis dextri; oleoque vnctionis aspergens vestes Aaronis, & filiorum eius complebat consecrationem: Vt constat Leuitic. cap. 8. Alij verò quos refert Oleaster per manuum impletionem vnctionem intelligunt, qua Sacerdotum manus vngebantur, ac si sensus sit: *Implebis manus* (vt ex Hebræo, & Septuaginta legitur) id est, *implebis manus eorum vnguento.* Hebræic. Septuag.

4. Abulens.

Noster Abulensis discrimen aliquod agnouit inter consecrationem, & sanctificationem Sacerdotum quamuis hæc simul fierent. Sanctificare enim est, Sanctos efficere, id est, ad cultum

tum Dei applicare. Consecrare autem est, quibusdam vti cæremoniis ad hoc, vt aliqui ad ministrandum coram Domino idonei sint. Verùm in re hæc non sunt distincta, nec separantur: quia dum aliquis consecratur, per huiusmodi cæremonias applicatur ad cultum Dei, ita vt non debeat vacare negotiis sæcularibus, sed tantum diuino cultui inseruire. *Vt Sacerdotio fungantur mihi*: Id est, vt ministrent coram me iam initiati in Sacerdotes.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCLXXVIII.

Sacerdos Deo totus tradendus est neglectâ temporalium rerum curâ.

5. TOtus sit Deo, qui Deo consecratur, ne si diuinis admisceantur prophana vituperetur sacrum ministerium. Docuerat hoc Abraham, cùm immolaturus Filium ascendebat in
Gen. 22. n. 6. montem. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium.* Genesis 22. num. 6. Non erit inutile indagare: cur Abraham igne, & gladio vtramque occupat manum? Aut cur non in vna ignem, & gladium portat? Vel quare saltem ignem Isaaco non tradidit, cui ligna asportanda tradiderat? Considera munus Abrahami, & dubium exinde solues. Cùm sanctus Patriarcha obedientia fretus, & fide armatus montis ascendebat cacumen causa immolandi filium, Sacerdotis officio fungebatur: sic docuit S. Zeno Veronens.
Zeno. sermone de Abraham dicens: *Nec deest ad ministerium gladius, vt pater esset pariter, & Sacerdos.* Vtramque ergo manum occupat igne, & gladio, vt denotet, ad tantam functionem exercendam, omnem conatum, omnemque operationem diuino obsequio habere dicatam: tanquam desint illi manus, nisi ad sacerdotale ministerium peragendum. Audi Philonem
Philo Hebr. Hebræum libro de Cherubim. *An non vides,* inquit, *quod & sapiens ille Abraham quando incœpit iuxta Deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, accipit ad ignei gladij similitudinem ignem, & gladium. Resecare, & exurere quidquid mortale habebat, vt expedita cogitatione sublimis ad eum euolaret.* Secerdotale munus subierat Abraham cum filium immolaturus ascendebat in montem; & cupiens tanto muneri satisfacere, vtramque occupauit manum, tum vt soli Deo seruiret, tum vt erga filium resecaret affectum, & exureret: putans indignum esse Sacerdotio, cum tanto ministerio creaturæ curam admiscere.

6. Ex persecutore Doctor Ecclesiæ, & ex Saulo Paulus surgit è terra diuina voce consterna-
Act. 9. n. 8. tus Actor. 9. num. 8. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat.* Nota: Paulum amisisse visum, auditu tamen non fuisse orbatum, siquidem Domini vocem audiuit. Sed cur visum amittit? Quia diuina incœpit audire. Hoc est, non vidit sæcularia, & terrena, quia diuino iam se manciparat ob-
Ibid. n. 6. sequio, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Ibidem, num. 6. Accipe Ambrosium lib. 2. de
Ambros. Abrahamo, cap. 9. *In actibus Apostolorum legimus, quia circumfulsit lux Saulum de cœlo, & cecidit, horrore animi turbatus est, & audiuit vocem de cœlo dicentem: Saule, Saule, quid me persequeris? Desinit enim videre sæcularia, qui incipit audire diuina.* Audierat Paulus Dominicam vocem, & eam in corde retinens, voluntatem propriam diuinæ subiecit voluntati. Quid ergo mirum, quod nihil videat terrenum? Nam qui ex animo diuinæ se tradit voluntati toto conatu in Deum suspirat, omne terrenum despiciens. Sit ergo Sacerdos ad terrena cœcus, & videns cor habeat ad cœlestia, vtpote Deo consecratus.

7. Leuitic. 1. num. 9. Sancitum sic erat de vitulo, qui in holocaustum Deo offerebatur. *De-*
Leuit. 1. n. 9. *tractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, & subiicient in altari ignem, strue lignorum ante composita. Et membra, quæ sunt cæsa desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta, quæ adhærent iecori, intestinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum, & suauem odorem Domino.* Eodem modo præcipitur, offerri holocaustum de ouibus, & capris ibidem à num. 10. vsque ad 13. & de auibus à num. 14. vsque ad finem capitis. Hinc non leue dubium insurgit: Cur holocaustum petit, victimam integram consumi, cùm id non exigeret sacrificium pro peccato, nec hostia pacifica? Triplex erat apud Hebræos sacrificium. Holocaustum, quod offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam maiestatis illius, & amorem bonitatis eius. Aliud erat sacrificium pro peccato; quod offerebatur ad remissionem peccati, cuius vna pars comburebatur, altera cedebat in vsum Sacerdotum, nisi cùm offerebatur pro peccato totius populi, vel Sacerdotum: nam tunc totum comburebatur. Tertium vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium. Huius vna pars incendebatur; altera cedebat in vsum Sacerdotum; tertia in vsum offerentium. Hæc omnia, & plura notatu digna inuenies apud Angelicum Doctorem. 1. 2. quæst. 102. art. 3. ad 8. Si tamen desideres propositæ quæstionis solutionem, audi eundem sanctum Thomam ibidem, vbi mirificè assignat rationem ob quam holocaustum integrè consumebatur, nõ tamen
S. Thom. alia sacrificia. *Ad octauum dicendum, quòd triplex erat sacrificiorum genus. Quoddam erat, quod totum comburebatur, & hoc dicebatur holocaustum, quasi totum incensum. Huiusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius, & conueniebat perfectionis statui in impletione consiliorum, & ideo totum comburebatur; vt sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda.* Quod perinde est, ac si diceret: cùm holocaustum præcisè Deo offerretur, totum consumendum erat, ne ex eo aliquid subtraheretur, quod cupiditati creaturæ posset inseruire. Alia enim sacrificia ob vtilitatem sacrificantium instituta sunt, vel vt bona impetraret populus, vel vt à malis eri-

pere

petetur. Hæc quoniam ad homines pertinebant, ipsorum opinione erant diuidenda: illud verò, in quo solus Dei cultus intendebatur, totum Deo erat consecrandum. Docemur in hoc, quòd cum Deo præstamus obsequia, nullo modo distrahamur creatarum rerum solicitudine.

8. Docuerat hoc felix illa Iesu Christi amasia, Magdalenam intelligo, cùm fratris orbata solatio, & nobilium Hebræorum constipata choro, qui è Ierosolymis, vt eam consolarentur, aduenerant, Iesu Christi aduentus conscia, nec vrbanitatis ignara, diligenter suum inquisiuit amasium. Ioan. 11. num. 29. *Illa, vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum.* Miraberis sanè, Magdalenam, vtpote fœminam nobilem, vrbanitatis iura fregisse; siquidem spretis omnibus, qui vrbanæ consuetudini inseruientes eam consolandi causa aduenerant, velut ex abruptò surrexisse cœlestem sponsum inquirendi studio. Si tamen Magdalenæ votum consideres, eam à calumnia inurbanitatis absolues. Diligebat Iesum, totoque animo eius se obsequio consecrauerat. Quid ergo mirùm si omnibus posthabitis soli Deo præstaret honorem? Ea enim est feruentis animi, & in Dei obsequium intendentis conditio, vt terrena quæque despiciat, vt soli Deo inseruiat. Adest pro nobis Basilius Seleucus concio. 2. de Lazari exsuscitatione, cùm dixit: *Non vera est turbam, non siniſtram opinionem, quam de Christo habebant: (aderant enim multi inimici, qui inter cætera dicebant: non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?) Verùm præceptore præsente humana omnia posthabuit, totaque in vnum hoc incubuit, vt Magistro suus constaret honos.* Placere Christo, & non hominibus, intendebat Magdalena: ideo aduenientе Domino, omnibus posthabitis quærit Christum, vt ardentissimum erga eum amorem ostenderet, cui, spretis omnibus creatis, solum desiderabat præstare obsequium.

Ioan. 11. n. 29

Basil. Seleuc.

9. Sacerdotum manus consecrabantur, cùm in munus sacerdotale initiarentur, vt plenæ vnguento vnctionis tanto ministerio seruirent. Sed ad quid hoc ritu consecrabantur Sacerdotes? Vt docerentur omnem operationem per vtramque manum significatam in Deum dirigere. Quod est, dicere: solùm debet Sacerdos habere manus, vt Dei obsequium exerceant: at, vt ad res sæculares distrahantur non debet habere manus. Sacerdos enim ex proprio munere Deo consecratus est: ergo sic diuino seruitio mancipatus, vt nullius rei cura diuagetur. Id expressit Philo libro de Gigantibus: *Sacerdotes*, inquit, *Dei homines sunt, quorum maior dignitas est, quàm vt misceant se humanæ Reipublicæ, & mundi vires sint; sublimiores omnibus rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti Reipublicæ idearum incorruptibilium.*

Philo Hebr.

ILLATIO CCLXXIX.

Ecclesiis, & ministris Altaris dona conferenda sunt, non extrahenda ab eis.

10. NOn hominibus, sed Deo conferuntur, quæ templis, & Sacerdotibus donantur: templis, quia in eis summo, & vero Deo cultus exhibetur: Sacerdotibus, quia ministri sunt Dei. Ergo è conuerso, qui temerariè præsumit Ecclesiarum, & Sacerdotum bona auferre, vel vsurpare, non hominum bona, sed ipsius Dei patrimonium vsurpat. Ob hoc Christiani Principes liberali & extensa manu ditarunt Ecclesias, & earum ministros: sic fecit Constantinus Imperator: sic Alphonsus Nauatræ cognomento debellator, qui totius Hispaniæ tenuit imperium: sic prudens Philippus: sic innumeri, quorum donariis, (vt certa testificantur diplomata, & Ecclesiarum thesauri muta voce clamant,) Deo cultus ornatu, & magnificentia honorifice exhibetur. Hæc, & plura à Catholicis Dynastis inuenies facta, vt satis superque prædicant historiæ. Libet iam hoc ipsum sacris comprobare testimoniis, vt in Regum, & Principum cordibus (vtinam stylo adamantino, sculptum sit, Ecclesiis, & earum ministris dona conferre, non auferre donata.

11. Præ oculis se offert Hebræorum Principum liberalitas ad conficiendum ornatum Sacerdotum, vt constat Exod. 35. num. 27. vbi dicitur: *Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale, & Rationale.* Præmiserat sacer Historiographus à num. 21. Liberalitatem totius populi, & quod mente promptissima, ac deuota obtulerat Domino primitias ad faciendum opus tabernaculi testimonij, & ad diuinum cultum exhibendum, & ornãdos Sacerdotes, præstitis tam à viris, quàm à fœminis armillis, inauribus, annulis, argento, auro, gemmis, metallis, & lignis: quare ergo expressè addidit sacer textus, Principes obtulisse gemmas ad ornatum Sacerdotum? Si vniuersa multitudo filiorum Israël, tam viri, quàm fœminæ mente promptissima, & deuota hæc obtulerant: ergo etiam Principes extensa manu ea obtulere. Quare ergo specialiter principum fit mentio? Vt constaret, Principes constringi ad conferendum, quæ ad templi fabricam, & Sacerdotum ornatũ pertinebant. Ita Origen. hom. 13. in Exod. dicens: *Hic enim Pontificis refertur ornatus, sed ad hæc explenda Principes requiruntur.* Omnis multitudo filiorum Israël contribuerat ad constituendum tabernaculum, & Sacerdotum ornatum conficiendum: attamen sacer textus consultò subiunxit, Principes obtulisse, non quia non obtulerint, sed vt intelligant, non semel, sed pluries teneri ad ditandas Ecclesias, prohibereque ab illis, & earum ministris bona auferri.

Exod. 35. n. 27.

Origenes.

12. Hoc exprimitur Exod. 28. n. 38. vbi dicitur: *Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israël in cunctis muneribus, & donariis suis.* Noster Abul. ibid. q. 17. Magnum agnouit discrimen inter hoc, quod est, offerre

Exod. 28. n. 38.

offerre munera, & donaria. *Munus*, erat quod ex lege debebatur offerri: & hoc omnes comprehendebat ab infimo vsque ad Pontificem, vt constat Leuitic. 4, & 5. Hoc sensu decimæ, & primitiæ dicuntur munera Numer. 18. *Donum* erat, quod liberaliter concedebatur, sicut holocaustum, & hostia pacifica. Offerebant ergo filij Israël Sacerdotibus non solum ea, quæ lege debebantur, vt munera; sed dona, ad quæ conferenda nulla erat obligatio: in hoc instruebantur tam Principes, quàm populus ad conferendum Sacerdotibus, non solùm, quæ debebantur, sed illa ad quæ nulla lege erant obstricti. Ergo consequenter ab eis non auferre, quæ donata erant.

13. Si hæc ita sint, omnia abundant in Republica, & nemo ex sæcularibus indigebit. Hoc ostendam aperte ex textu præclarissimo Actuum Apostolorum, cap. 4. numero 34. Ibi enim de
Act. 4. n. 34. fidelibus primitiuæ Ecclesiæ dicitur: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ uendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Mirum sanè, in illa ætate nascentis Ecclesiæ nullum fidelium opptimi paupertate, nec aliquid ei deesse ad victum, & vestitum necessarium. Sed cur fidelibus tunc necessaria erant in promptu, ita vt nullus esset indigus? Id exposuit sacer textus: nempe quia pretium bonorum ponebant ante pedes Apostolorum. Hoc est, omnia Apostolis conferebantur, vt inter cæteros distribuerent. Ex quo constat, quòd ministris Dei tradita non minuuntur, sed augentur; è contra verò ablata, aut extracta ab illis prorsus euanescunt. Hinc est: quòd Reges, qui templa donis impleuerunt, etiam in hac vita mercedem tam piæ liberalitatis acceperunt, & victoriam ab inimicis reportarunt: sin autem ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis extorserunt tributa, aut bona vsurparunt, miserabilem regno inflixerunt iacturam. Donandum ergo est Sacerdotibus, non ab eis dona extorquenda: hoc denotabat consecratio eorum, quæ manuum dicebatur impletio.

ILLATIO CCLXXX.

Ingenui sunt Ecclesiarum ministri; ac proinde immunes ab omni genere tributorum.

14. EX præfatis illatione præcedenti duo apertè colliguntur, quæ non sunt probanda, sed manifestanda in hac, & sequenti illatione. In præsentiarum ergo Ecclesiam conabor vindicare à tributorum, & exactionum iniuria. Ambobus oculis deflebat Tertullianus libro de fuga in persecutione, capite decimo tertio, sui temporis calamitatem; quia Ecclesiastica bona vi quadam extrahebantur tacito tributorum nomine, sed sub donarij hy-
Tertullian. pocrisi. *Qui Comminatur*, inquit, *si non acceperit, non postulat, sed extorquet. Non eleemosynam expectat, qui non miserandus, sed tiimondus venit.* Multoties ab Ecclesiasticis immunitatis iure seruato non exiguntur tributa; at sub nomine donarij tributa soluuntur frequenter; nam dona non postulantur, sed extorquentur. Quid ergo hoc differt à tributorum grauamine? Caueant ergo Reges, & Magistratus, vim aliquam Ecclesiasticis inferre, cùm donaria exigunt; quia hoc est, eos reddere tributarios, quos diuinum ius, & naturale fecit ingenuos, & Ecclesiasticos liberos, & immunes declarauit.

Diuino iure Sacerdotum immunitas, (vt 15.
alia prætermittam,) constat ex Numerorum capite tertio, numero duodecimo, vbi Deus suos appellat Sacerdotes: *Eruntque Leuitæ* Num. 3. n. 12
mei. Et ibidem, capite primo, numero quadragesimo nono. Cùm idem Dominus Moysi præciperet numerare ex singulis tribubus omnes viros à vigesimo anno, & supra vt debellarent aduersarios Cananæos, Iebusæos, &c. Tribus Leui non est numerata ipso Domino præcipiente. *Tribum Leui noli numera-* Ib. c. 1. n. 49.
re, neque pones summam eorum cum filiis Israël, sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad cærimonias pertinet. Graue hîc vrget dubium. Cur si ista computatio filiorum Israël erat præparatio ad bellum contra hostes populi, viam occludentes ad terram promissionis, & conantes delere Hebræos, excluduntur Leuitæ? Noster Abulensis ad præfata verba asserit, Leuitas annumeratos fuisse, vt constat Numer. capite tertio; sed non cum filiis Israël. Audi Tostatum. *Sed constitues eos super tabernaculum te-* Abulens.
stimonij. Hic ponitur causa, quare non deberent numerari Leuitæ cum aliis Israëlitis, scilicet, quia ponendi erant super sanctuarium, & conueniebat eis istud ministerium; ideo non poterant, vacare bellicis operationibus, sicut alij, qui computabantur inter filios Israël. Sed adhuc vrgeo. Tunc duodecim tribus dimicaturæ erant contra habitatores terræ promissionis. Ergo æquum erat, vt in hoc conflictu sumerent arma, & dimicarent Leuitæ, sicut aliæ tribus. Verùm si penetres rationem Tostati, euacuabitur difficultas. Leuitis incumbebat sanctuarij custodia, & eius ministratio; & ideo non poterant, rebus bellicis vacare: non quia eis non liceret, (nam vt ipse probat quæstione vigesima quinta super caput primum Numerorum, non erat vetitum Sacerdotibus arma sumere, & populum adiuuare, cùm id postulabat necessitas,) sed ideo à Deo exempti sunt, quia sanctuario inseruiebant. Ex quibus liquidò constat, Deum exemisse Sacerdotes ab obligatione belli. Si igitur quando communis populi instabat necessitas, & contra aduersarios vrgebat bellum, noluit Deus Leuitas comprehendere, nec vasa, nec cætera, quæ ad ministerium sanctuarij pertinebant; euidenter colligitur, Sacerdotes, & bona sacra etiam in necessitate vrgentissima à tributis, & exactionibus fore exempta.

Lumen naturale hoc clamitat. Quid aliud 16.
denotat, Ethnicos, & Gentiles falsos eorum Sacerdotes à tributorum exactionibus immunes conseruasse. Potest-ne maior excogitari

tati necessitas, quàm illa, quæ olim viguit apud Ægyptios, & in vniuerso orbe, quando oppressis omnibus fame, ferè spiritum exhalabant? Tunc in vniuersali illa egestate cùm Pharao totam Ægyptum oneraret tributis, sacerdotum terram seruauit immunem. Gen. 47.

Genes. 47. n. 26. numero 26. *Ex eo tempore, vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Hæc verba exponens Chrysostom.

Chrysost. homil. 65. sic exclamat. *Audiant, qui nunc viuunt, quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, & discant, vt vel saltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei ministerium creditum, & sacerdotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, & idololatræ per hoc putabant, idola magis coli, si ita eorum ministros colerent: quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum spectat cultum?* Aurea sanè verba, & tanto antistite digna, qui ecclesiasticæ immunitatis fuit acerrimus defensor! Vtinam & nunc omnes sic clamarent antistites, vt Ecclesiarum querelæ regum ferirent aures, & corda, & læsam Ecclesiæ immunitatem vindicarent! Verùm expendamus factum Pharaonis in exemptione sacerdotum Ægypti. Hi falsis Diis exhibebant cultum; & tamen eos exemit Ioseph vir aliàs Dei veri cultor. Sed cur Ioseph tanto honore affecit sacerdotes Deorum, quos non colebat? Quia licèt falsi Dij, tamen erant sacerdotes. Nec miror, Iosephum eis hunc honorem præstitisse; quia hoc fecit, vt posteritati præberet exemplum ad colendos veri Dei ministros. Et quod omni admiratione dignum est; ipse Pharao idololatra, & auarus hanc exemptionem approbauit, & sacerdotalem statum non grauauit tributis. At hoc fecit lumine rationis instructus. Putabat (vt ait Chrysostomus) per hoc idola magis colere, si eorum ministros à tributorum exactionibus liberaret. Hoc ipsa naturalis ratio dictat, adhuc his, quibus veri Dei lumen non refulsit. Discant ergo ex his principes veri Dei cultores sanctè, & religiosè Ecclesias, & earum ministros tractare, & eis tributorum onera non imponere.

17. Immunis erat Christus à tributorum solutione, immunes etiam discipuli, & tamen velut iuri proprio cedens Dominus, & ne scandalum exactoribus obiiceret, sic Petrum

Matth. 17. n. 26. alloquitur: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te.* Matth. decimo septimo, numero vigesimo sexto. Multa hîc disputant sacri expositores, quæ referre non vacat: solùm inquirendum existimo; quare Christus cùm loculos haberet, & mulieres religiosas, quæ eum ex Iudæa sequebantur, & necessaria suppeditarent, non ex suis loculis, sed ex pisce soluit tributum? Respondet Maldonatus ibidem ex

Maldon. sententia Chrysostomi, & Euthymij: *Ita Christum soluere voluisse, vt nec publicanos offenderet, nec suum perderet priuilegium, dum non ex suo, sed ex inuento solueret.* Voluit Christus soluere tributum pro se, & Petro, sed ex statere inuento, & non ex propriis bonis, vt sic illæsa maneret eorum immunitas. Item respondeo: ideo ex statere miraculosè creato Christum soluisse tributum; vt ostenderet, ministros altaris sic immunes esse à solutione tributorum, vt nisi patraro miraculo ea soluere non debeant. Vel ita rarum debere esse, eos subiacere tributis, sicut rarum est, quod miraculosè contingit. Vel sic à tributis alienos, ac si omnibus caterent bonis, & impotentes essent ad ea soluenda. Omnia hæc, si attentè expendas, continentur in prædicta solutione Christi.

Illatio CCLXXXI.

Ecclesiarum bona ab Ecclesiis non sunt extrahenda, nec ad profanos vsus applicanda.

Libera est Ecclesia à vectigalibus, & tributis (vt vidimus illatione præcedenti) sacra 18. enim sunt eius bona, vtpote Dei cultui dedicata: vnde nulla de causa à principibus ad vsus profanos vsurpanda sunt. Hoc enim si contingat, fideles dolore, & reges verecundia afficiet. Ob id Tertullianus lib. de fuga in persecutione cap. 13. profusis lachrymis querebatur dicens: *Massaliter* (id est, vt docet Tertullian. Pamelius ibidem, simul, & pro omnibus, non sigillatim pro hoc, aut illo) *totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogauerunt. Nescio dolendum, an erubescendum.* Vtrumque absque dubio erubescendum, & dolendum esset, si ab Ecclesiis exigerentur tributa, & earum bona ad vsus profanos applicarentur.

Quanto honore habenda sint vasa, quæ Dei 19. cultui inseruiunt, docuit nos Nabuchodonosor cum vi, & armis cœpit Ierosolymam. *Pro-* 4. Reh. 24. *tulit inde thesauros domus Domini, & thesauros* n. 13. *domus regiæ: & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex in templo Domini.* 4. Regum 24. num. 13. Noster Abulens. ad hæc verba quæst. 11. inquirit, quid fecit rex idololatra de istis vasis? Non semel, sed ter (respondet Tostatus) hæc vasa à Ierosolymis in Babilonem fuerunt asportata. Primò: quando Nabuchodonosor regem Ioachim transtulit in Babylonem, vt constat. 2. Paralip. cap. vltimo. Deinde quando alterum Ioachim filium huius adduxit in Babylonem, vt constat. 4. Reg. 24. num. 2. Tandem: quando Nabuzardam Ierosolymam deuastauit 4. Reg. 24. & post hæc sic prosequitur Abulensis. *Sciendum vlterius, quòd* Abulens. *ista vasa eo tempore, quo manserunt in Babylone fuerunt in magno honore: nam non fuerunt applicata alicui humano vsui, sed posuit illa Nabuchodonosor in templo Dei sui in custodia, & fuerunt ibi semper custodita vsque ad diem, quo Cyrus iussit illa dare Hebræis, vt redirent in Ierusalem. De hoc 2. Paralipomen. vltimo. Et lib. 3. Esdræ 2. & Ieremiæ vltimo. Et nullus fuit toto tempore ausus accedere ad vasa illa. Nam Nabuchodonosor posuerat ea in templo Dei sui, fortè, quia timebat Deum Israël, & non audebat conuertere vasa sua ad vsus humanos, sed posuit ea in loco honorabiliori in templo Dei*

sui; quia nullum alium locum ipse honorabiliorem, & sacratiorem reputabat. Vide nunc qualiter rex infidelis, & idololatra vasa veri Dei honorauerit? Nam licèt Ierosolymam destruxerat, in ipso furore belli vasa hæc reseruauit, vt in templo Dei sui recondita summo honore custodirentur. Si ergo rex hostis populi Dei crudelissimus vasa eius tanto honore affecit, vt non auderet ea in profanos vsus conuertere: nec suspicandum est, de Christiano, & Catholico principe tantum commissurum flagitium, vt vasa Deo optimo maximo consecrata in profanos vsus conuertat. Timuit rex Idololatra Deum Israël, quem non colebat; & ob hoc veneratus est eius vasa: timeant & reges Catholici iram Dei, quem colunt, ne tantum committant scelus.

20. Tantum flagitium est vasa sacra in profanos vsus conuertere, vt vel rex idololatra sui compos id non est ausus vsque dum vino madefactus, & à ratione alienus fuit. De Balthasare id refertur. Daniel. quinto numero Dan. 5. n. 2. secundo. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ*, &c. Tunc apparuerunt digiti scribentes regis, & regni finem. Non hæreo huic exemplo: nam certum erat, regis, & regni imminere ruinam, si vasa sacra in prophanos vsus conuertebantur. Solùm expendo illud, quod notanter dixit sacer textus, Balthasarem iam à vino oppressum, & ratione orbatum hoc scelus nefandum præcepisse: *Præcepit ergo iam temulentus.* Sed ad quid regis ebrietas refertur? Vt constaret, quod quamuis Balthasar esset idololatra, & infidelis, nisi temulentus, & ratione priuatus rem hanc non præcepisset. Sic Abulensis quæstione decima tertia, in caput vigesimum Abulens. quintum libri quarti Regum. *Balthasar quia erat temulentus voluit, vt in istis vasis biberent vxor sua, & concubinæ, & omnes, qui erant in conuiuio.* Quod est dicere: Si Chaldæorum rex sui esset compos, numquam rem huiusmodi imperaret: sed quia temulentus erat id præcepit. Quo præclarè ostenditur, neminem nisi ratione priuatum sacra vasa in communes vsus conuersurum.

21. Hæc expressa sunt, sed video aulicos, & qui regum auribus adulationis venenum inferunt, posse respondere, non esse intelligenda, cùm rex impetitur bellis, & thesauri regij non sufficiunt. Tunc asserunt, fas esse regibus, sacra vasa vsurpare, & in bellorum sumptus consumere. Verùm quia huius polyticæ rationis laqueo, ne dicam diabolicæ, quàmplurimi irretiti pereunt, placet, dicere, quid in hoc casu liceat, & ad hoc in medium adducam doctrinam nostri doctissimi Abulensis Immunitatis Ecclesiasticæ acerrimus propugnator. Expendit ipse factum illud Ezechiæ regis Iuda, cùm à Sennacherib Assyriorum rege longa obsidione Ierosolyma opprimeretur 4. Regum 18. numero 15. vbi refertur tradidisse argentum, quod erat in domo Domini, & in thesauris regis Assyriorum principi: *In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.* Abulens. ibidem quæst. 30. inquirit, an peccauerit Ezechias thesaurum domus Domini tradens regi Sennacherib? Respondit, non peccasse: quem vt à culpa liberet, tres adducit rationes, & conditiones, vt rex possit thesaurum Ecclesiæ accipere. Prima: si adest honesta causa: secus nefas esset, & irreligio res Deo dicatas in vsum turpem conuertere. Secunda est: si adest necessitas, non quælibet, sed ita vrgens, vt nullatenus aliud superfit medium, nisi accipere ecclesiæ bona. Audi Tostatum: Abulens. *Nam si Ezechias habuisset, vnde solueret tributum istud regi Assyriorum, non debebat recurrere ad thesauros domus domini: quia non debebat recurri ad ista, nisi deficientibus omnibus profanis bonis, & istud fecit Ezechias, quia prius ipse dedit, aurum, & argentum, quod potuit inuenire in thesauris regis, & quando non habuit, vnde reliqua solueret, recurrit ad thesauros domus Domini.* Tertia conditio est: vt rex teneatur reddere, quod accepit. Nam cùm illud non sit regis, nisi præstita cautione reddendi, committeret furtum. Hæc omnia seruasse Ezechiam, non est dubium, cùm esset pius, & religiosus. Quare prosequitur Abulensis. *Et ex hoc apparet, quòd licet accipere à prælatis, vel regibus de licentia Prælatorum de thesauris Ecclesiæ, quando sunt in magna necessitate, data tamen cautione de soluendo istud Ecclesiæ, ita vt semper Ecclesia indemnis maneat. Et hoc verum est, nisi sint vasa sacra, quæ accipiuntur: quia ista non debent trahi ad aliquem vsum profanum ex quantacumque necessitate, sed potius deberent destrui, & reduci in massam auri vel argenti, & si esset extrema necessitas, poterant sic dari. Sic enim factum est hic. Nam quanquam esset Ezechias in magna angustia, non dedit de vasis sacris domus Domini, in quibus ministrabatur, sed solùm de thesauris, qui erant in massa argenti, vel auri vel numismatis. Quod patet; quia vasa sacra, quæ fecerat Salomon pro ministerio domus Domini, manserunt post hoc, & ducta sunt in Babylonem infrà 24. & postea reducta in Ierusalem.* Verba sanè tanto antistite digna. Ex quibus apertè constat, quando, & quomodo liceat regibus thesauros, & vasa Ecclesiæ accipere. 4. Reg. 18. n. 15.

Hæc sunt, quæ seruare tenetur rex, cùm 22. sacros accipit thesauros, si pius est, & timet Deum: at impius, & qui violare sacra non timet, quamuis propriæ, & laïcorum facultates suppetant, nisi Ecclesiarum thesauros arripiat, non satiatur eius praua cupiditas. Sic fecit olim perfidus ille Chaldæorum dux Nabuzardam, cùm Ierosolymam vi, & armis occupasset, vasa primum, columnas æreas templi, & quidquid diuino cultui inseruiebat, asportauit in Babylonem, vt constat quarto Regum 25. à num. 13. Quod facinus expendens Hieronymus epistol. 22. ad Eustochium cap. 10. sic ait. *Denique frequentibus bellis Iudæa conuulsa, vasa primum Domini capta, atque translata sunt; & inter epulas, & concubinarum greges. Quia palma vitiorum*

est,

eſt, honeſta polluere: Balthaſar potat in phialis. Quod eſt dicere: in miſera illa Ieroſolymæ deuaſtatione Chaldæi vaſa Domini primum tranſtulere in Babylonem. Nam quamtunuis tunc in domo regia eſſent magni theſauri; impia cupiditas ſacra vaſa primum inuaſit; quia palma vitiorum eſt, honeſta polluere. Nec mirum, cùm Chaldæi Deum non colerent, ſi manu impia arripuerint ſacra. Quod mirandum, & ambobus oculis flendum eſt, quod inter Catholicos, vel rumor huius ſacrilegij ſerpat: & quod quando facultates laïcæ ſuppetunt, audeant adulatores regum proferre, fas eſſe, theſauros Eccleſiarum, & vaſa ſacra vſurpare. De his non immeritò diceremus, quod de Chaldæis Hieron. *Quia palma vitiorum eſt, honeſta polluere.* Non enim putant, ditari poſſe reges, niſi Eccleſiæ in ſummam egeſtatem redigantur. Timeant flagellum Domini, ſi tantum commiſerint flagitium.

23. Vide Amanis præpoſiti exitum infælicem: *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardocheo.* Eſther 7. num. 10. Cur Aman, qui regis habebat vices apud Medos, & Perſas à cubiculo regis transfertur in patibulum ſubiens extremam, & ignominiæ plenam infelicitatem? Opportunè reſpondet Ambroſius lib. de Ioſepho cap. 7. *Aman quoque à cubiculo regis, & ipſe præpoſitus, dum inuadere Eccleſias Domini improba temeritate contendit, populumque fidelem ſpoliare, ac perſequi, grauibus ſacrilegia ſuppliciis expendit.* Meritò ergo ignominioſa pœna plectitur, qui contra Eccleſias Dei improba temeritate contendebat: nam qui in Eccleſiarum bona manus extendit, perdit principatum, & infæliciter perit.

Eſther 7. n. 10.

Ambroſ.

Illatio CCLXXXII.

Paupertas magnam vim habet, vt animum à recto tramite auertat.

24. Necessitate opprimi, & paupertate affligi, martyrium appellauit Chryſoſtomus homil. de diuite in tom. 5. *Habet paupertas martyrium ſuum, & egeſtas bene tolerata facit martyrium: ſed egeſtas propter Chriſtum, non propter neceſſitatem.* Tanta eſt paupertatis vis bene toleratæ, & propter Chriſtum perpeſſæ, vt martyres faciat: Martyr eſt, qui pro Chriſto ſubit mortem: martyr etiam, qui opprimitur inopia propter Chriſtum: nam non minùs crudelis eſt paupertas, quàm mors. Id explicuit Pharao cùm ab Hebræis illuſus magno exercitu fugienti populo comminabatur dicens: *Perſequar, & comprehendam, & diuidam ſpolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Pro verbis vltimis legitur ex Hebræo: *Pauperes faciet eos manus mea.* Nota, quòd vbi ſacer textus refert, Pharaonem comminari mortem Hebræis; ex Hebræo legitur, comminari paupertatem. At hæc diuerſa videntur: quid mors cum paupertate? Quia reducere aliquem in magnam paupertatem, perinde videtur, ac eum de medio tollere. Eſt enim paupertas martyrium, quod aufert vitam, & priuſquam tollat, affligit, vt torquet. Neque egeſtatis crudelitas alio modo explicari potuit, quàm mortis acerbitate.

Chryſoſt.

Exod. 15. n. 9.

Mendicus ille, qui vlceribus plenus iacebat ad ianuam diuitis, cupiebat, ſaturari de micis, quæ cadebant ex epulonis menſa Lucæ 16. num. 20. & 21. *Qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus: cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa eius.* Notabam, mendicum iſtum non habuiſſe curam de medendis vlceribus, quæ paulatim ei mortem inferebant, ſed ſolùm de ſaturitate. At cur pauper nec quærit doloribus remedium, nec leuamen, ſed tantum curat de fame ſubleuanda? Pulchrè reſpondet Chryſoſtom. tom. 2. homil. de diuite dicens: *Ægrotatio habet aliquod ſolatium, ſi opes habet: ſin autem ad infirmitatis magnitudinem eſt paupertas, duplex infirmitas... Quanta verò in iſto pœna eſt, & inter tanta vulnera non meminit doloris plagarum, ſed famis, cupiens ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa diuitis.* Non curat pauper de vulneribus, quantumuis eorum doloribus affligeretur, & tamen famis meminit, maius malum putans famem, quàm vulnera, quæ muta voce mortem vocabant. Graue malum eſt iactura valetudinis; ſed ſi opes adſunt, aliquod habetur ſolarium: at cum egeſtas, & infirmitas ſimul adſunt, miſerè duplicatur infelicitas. Conqueritur ergo de fame mendicus, non de vulneribus, quæ totidem ianuas aperuerunt morti, grauius malum reputans famem, quam mortem. 25.

Lucæ 16. n. 20. & 21.

Cùm ergo egeſtatis tyrannica vis ſaltem morti coæquetur, vel ſit veluti quædam vita mortua, magnam proculdubio habet efficacitatem paupertas, vt auertat animum à recto tramite virtutis. Egeſtatis lydio lapide indagauit dæmon Chriſti diuinitatem, Viderat eum quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunantem, poſteaque eſurientem, & accedens tentator dixit ei: *Si filius Dei es, dic, vt lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. n. 3. Sed cur antea diabolus non acceſſit? Baſil. Magnus in catena S. Thomæ ad cap. 4 Lucæ ſic reſpondit: *Sentiens enim diabolus: quia vbi fames ibi imbecillitas, aggreditur ad tentandum.* Idem docuit Chryſolog. ſerm. 11. dicens: *Eſurit Chriſtus, vt tentandi materiam diabolus inueniret.* Non fuit auſus dæmon, tentare Chriſtum, quia viderat ieiunantem, vſque dum vidit eſurientem: reueritus ieiunium, eſuriem contempſit, putans vincere, quem neceſſitate cibi videbat oppreſſum. Vnde accedit dicens: *Si filius Dei es:* quaſi diceret; in hoc cognoſcam, ſi filius Dei eſt; hoc eſt, ſi neceſſitate vincitur, homo imbecillis eſt; ſi autem non cedit fami, Deus eſt. Nam ab egeſtate non vinci præter fortitudinem hominis eſt, aut hominis, qui ſecum habet Deum. Ita tyrannica eſt indigentiæ vis, vt reputari debeat miraculum, neceſſitate oppreſſum non deſerere viam virtutis, vt à tanta tyrannide liberetur. 26.

Matth. 4. n. 3.

Baſilius.

Chryſol.

Adeſt textus apud Matth. 12. numero 1. noſtrum intentum confirmans. *In illo tempore abiit Ieſus per ſata Sabbatho: diſcipuli autem eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare.* Admiratur Chryſoſtomus homil. 40. hæc expendens. Quorſum, inquirit, refert Matthæus 27.

Matth. 12. n. 1.

discipulorum esuriem, imo egestatem extremam, siquidem non habebant quid manducarent, nisi spicas, quas collegerunt ex satis? Certè, vt insolitam rem narraret, & miraculum referret. Sed quale fuit hoc prodigium? Quod discipuli fame oppressi à Christo non recederent. Tanto namque feruore magistrum Deum sequebantur, vt nec ipsa indigentia posset eos auellere ab eius consortio. Libato verba ex ore aureo Græciæ. *Tu vero abstinentiam discipulorum mecum admirare:* (inquit Chrysostomus) *admirare, inquam, quomodo nullam corporis curam, nullum studium habeant, sed sine præmeditatione, ac præparatione sibi mensam constituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi; nec tamen sic à Christo recedant.* Admiratione dignum est discipulos continua inedia premi, & tamen Christi sequi vestigia. Nam victos ab egestate non recedere à Christo, nec viam salutis deserere, rarũ, & mirabile est.

Chrysost.

28. Innumerabilis turba virorum, & mulierum sequebatur Christum per desertum, & ait sacer textus Matth. 14. num. 15. *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: desertus locus est, & hora iam præteriit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Post solis occasum deprecantur discipuli, vt dimittat turbas. Sed ad quid deprecationis refertur hora? Sat esset, dicere, discipulos effudisse preces pro turba. Quare ergo declaratur tempus vespertinum? Præclarè Chrysostomus in catena S Thomæ ad hunc locum. *Turbarum fidem ostendit, quod Dominum etiam famem patientes expectabant vsque ad vesperam: ideo sequitur. Vespere autem facto,* &c. Signat tempus Euangelista, vt ostenderet turbarum fidem: siquidem patientes famem vsque ad vesperam secutæ sunt Christum. Magna profectò fides, & omni digna admiratione contra vim famis, & indigentiæ sequi Christum.

Matth. 14. n. 15.

Chrysostom.

29. Sed adhuc vrgeo: tanta est vis egestatis, vt amorem ardentissimum vincat, & cordis pignus tradat, ne aliquis necessitatis tyrannide pereat oppressus. Manserat Simeon Iacobi filius obses, donec fratres eius deferrẽt Iosephò dilectum fratrem Benjamin: quod cum parenti retulissent, respondit Iacob: *Non descendit filius meus vobiscum.* Genes. 42. num. 38. Transactis aliquot diebus, cum fames premeret Iacobum, & eius familiam, iussit filiis, vt iterum redirent in Ægyptum ad ferendam alimoniam: cui respondit Iudas, sine fratre nostro Benjamin, vanum erit iter nostrum, nam præses Pharaonis iuramento promisit; non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo: nunc elige quod volueris, sed nos te supplices deprecamur, vt mittas puerum, vt proficiscamur, & possimus viuere. Quibus auditis respondit Iacob: *Si sic necesse est, facite, quod vultis.* Genes. 43. numero 12. Hæc expendens Chrysostomus homil. 64. in Genes. sic ait: *Vide nunc, dilecte, quomodo famis necessitas patris amorem vicerit.* Ardentissimo amore Iacob diligebat Benjamin, & in eo totũ habebat solatium: quomodo ergo mittitur in terram longinquam, & præcipue in consortio fratrum, de quibus suspicabatur Iacob infelicem exitum Iosephi? Parui videbatur habere filium, aliàs dilectissimum, siquidem prolixi itineris periculis eum tradit. Si fortis est, vt mors dilectio: cur amori cessit Iacob, & victus precibus mittit in terram longinquam dilectissimum filium? Quia famis opprimebatur tyrannide: & egestatis, & famis fortitudo potentior est amore, quæ patris amorem vicit. Meritò ergo dicimus, mirabile esse, aliquem à necessitate non vinci, & virtutis tramitem non deserere.

Gen. 42. n. 38

Gen. 43 n. 12

Cum sacerdotes consecrabantur, manus eorum replebantur muneribus, & ritu sanctificabantur. Rara profectò, & inaudita cæremonia! Nam quæ connexio potest esse inter consecrationem, & adimpletionem manuum? Puto, ideo factum, vt ostenderetur sacerdotum puritas, & innocentia, eo quòd donariis, & muneribus pleni, non erant indigentes. Vbi namque necessitas abest, non periclitatur iustitia: nam indigentia solet esse virtutis excidium. Rarus est, qui à necessitate non vincitur, & qui veritatis viam non deserit, si sit indigus.

30.

Vers. XLII. Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora.

Vers. XLIII. Et vtentur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini eius post eum.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1. ACIES *& feminalia linea:* Describit sacer textus vltimo loco ornatum, quem primò induebat sacerdos. Hæc vestis communis erat tam Pontifici, quàm aliis sacerdotibus. Materia huius ornatus erat byssus retorta, vt constat Exod. 39. secundùm translationem Hebraic. n. 29. vbi dicitur: *Fœminalia quoque ex bysso retorta:* quamuis in Vulgata ibid. n. 27. ex byssò tantùm referantur: *Fœminalia quoque linea byssina.* D. Hieron. epist. 128. eorum materiam, & formam sic describit. *Lineis fœminalibus, quæ vsque ad genua ad poplites veniunt, verenda celantur: & superior pars sub vmbilico vehementer adstringitur: vt si quando expediti* (id est sacerdotes) *mactant victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & femora reuelarint, non pateat, quod opertum est. Inde & gradus altaris prohibentur fieri* (Exod. 20. numero 26.) *ne inferior populus ascendentium verenda conspiciat. Vocaturque lingua Hebræa hoc genus vestimenti, Michnesè, à nostris fœminalia, vel brachæ vsque ad genua pertingentes.* Insuper addit Hieronymus ex Iosepho hæc feminalia fuisse

Hebraic.

Exod. 39. n. 27.

Hieron.

fuiſſe ex byſſo retorta contexta ob fortitudinem. Auguſtinus quæſt. 122. in Exodum ſic
Auguſt. de his loquitur: *Et facies eis femoralia linea, tegere turpitudinem corporis eorum, à lumbis vſque ad femora erunt.* Ambroſius lib. 1. officio-
Ambroſ. rum cap. 18. ſic ait. *Sacerdotes quoque veteri more, ſicut in Exodo legimus, brachas accipiebant: ſicut ad Moyſem dictum eſt à Domino: & facies illis brachas lineas, vt tegatur turpitudo pudoris, à lumbis vſque ad femora erunt.*

2. *A renibus vſque ad femora.* Hoc eſt, pendebant ab vmbilico, & renibus vſque ad femora: hoc eſt, vſque ad genua, ſumptis femoribus pro genibus. Nam ſæpe in ſcriptura ponitur pars proxima pro viciniori: vt conſtat ex illo
Iob 40. n. 11. Iob 40. n. 11. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Quæ verba, vt exponit Gregorius, de viri, & feminæ luxuria intelligenda ſunt, & tamen illius luxuria non eſt in lumbis, nec huius in vmbilico, ſed in aliis membris vicinioribus. Sic ergo poſſumus in concordiam redigere Hieronymum aſſerentem feminalia pendere vſque ad genua, & Auguſtinum, & Ambroſium dicentes, attingere vſque ad femora ſumptis femoribus pro genibus, vtpote pro partibus vicinoribus.

QVÆSTIO XXXVI. Litteralis.

An fœminalia inter veſtes ſacras annumeranda ſint?

3. RAtio dubitandi eſt: quia non ſolùm ſacerdotes, ſed etiam laïci eis vti poterant: ſed ornatus ſacer à laïcis non poteſt vſurpari, & eo, vt indumento, vti: Ergo fœminalia non erant
Abulenſ. ſacra. Nihilominus tamen noſter Abulenſis hîc quæſt. 20. aſſerit ea inter veſtes ſacras annumeranda. Nam hæc fœminalia, de quibus hîc loquitur ſacer textus non erat femoralia vulgaria, quibus aliis temporibus vtebantur Pontifex, & alij ſacerdotes, & forſan laïci; ſed illa, quibus vtebantur, cùm ad miniſtrandum accedebant. Idque duplici ratione confirmat deſumpta ex fine eorum, & ex auctore: ex iſto: quia ſicut de aliis veſtibus refertur, quòd à Moyſe conficiebantur, ſic de iſtis feminalibus. Ergo erant ſacra, ſicut cæteræ veſtes. Ex fine eorum hoc deducitur: quia erant, vt operirent turpitudinem ſacerdotum: hoc eſt (inquit Toſtatus quæſt. 19.) vt operirent pudenda, vel membrum genitale: quod turpe dicitur; non quia in ſua ſubſtantia turpe ſit (quia à Deo factum eſt, & à Deo nihil turpe) ſed quia de hoc membro erubeſcimus,
Oleaſter. quæ eſt conditio rerum turpium. Hoc ipſum docuit Oleaſter, qui ex Hebræo legit: *Carnem nuditatis eius.* Nam Hebræi, inquit, pudenda vocant nuditatem. Leuit. 18. vbi per turpitudinem paſſim intelligunt nuditatem, hoc eſt, pudenda; & rectè hæc appellantur nuditas, quia non debent eſſe nuda. Deſeruiebant ergo feminalia ad tegendam turpitudinem ſacerdotum, cùm accedebant ad altare: ergo erant ornatus ſacer.

QVÆSTIO XXXVII. Litteralis.

An Aaron fuerit vſus in miniſterio Pontificis, caligis, & calceamentis?

COrnelius à Lapide hîc notat, nullam fieri 4.
mentionem caligarum, vel tibialium; quia putat his caruiſſe ſacerdotes in miniſterio altaris: nam nudis pedibus miniſtrabant in reuerentiæ, & cultus Dei ſignum. Ob hoc Exodi 3. n. 5. Moyſi iubet Deus calceamenta deponere: Et Ioſue 5. n. 15. hoc ipſum præceptum fuit iniunctum, vt maiori veneratione ad locum illum accederent, quem Deus ſua præſentia ſanctificauerat, vt docent Euſebius, Rupertus, & Euſebius. Rupertus. Caietanus apud Tirinum ad c. 3. Exodi in Biblia Magna. Hinc veriſimiliter mos apud Iudæos emanauit excalceandi pedes in ingreſſu templi. Quod de ſacerdotibus Iudæorum certò conſtat Exodi 30. & 40. De Pythagoricis quoque & Spartiatis, Turcis, & aliis Saracenis, de Æthiopibus etiam Chriſtianis teſtes ſunt Ioſephus, Procopius, Hermippus, & alij ea- Ioſephus. Procopius. Hermippus. rundem gentium ſcriptores apud Tirinum loco citato.

Et vtentur eis Aaron, & filij eius: id eſt: vtentur eis feminalibus. Vel vt alij volunt; *vtentur eis:* id eſt, veſtibus, ita vt Aaron, & filij eius vterentur eis veſtibus per diſtributionem accommodam ſecundùm cuiuſlibet ſtatum. *Quando ingrediuntur tabernaculum teſtimonij.* Tam ſummo, quam minoribus ſacerdotibus permiſſum erat ingredi tabernaculũ teſtimonij: quia etiam ſacerdotes minores miniſtrabant intra tabernaculum offerendo incenſum in altari thymiamatis, præparando, & accendendo lucernas in candelabro, & apponendo, vel remouendo panes propoſitionis. Ita Abulenſ. hîc q. 20. Dicitur *Tabernaculũ teſtimonij*, quia intra illud erat Abulenſ. arca, in qua erant Manna tabulæ legis, Virga Aaronis, & Deuteronomium legis. Vocatur etiam *tabernaculum fœderis*; quia fœdus dicitur pactum inter aliquos initium: & pactum inter Deum, & Iſraëlitas fuit de obſeruatione decem præceptorum, quæ continentur in duabus tabulis. Ita Abulenſ. loco citato. *Vel quando appropinquant ad altare.* Sermo eſt de altari holocauſtorum, quod erat in atrio tabernaculi ante oſtium eius, in quo offerebantur omnia ſacrificia, quæ etiam immolabant minores ſacerdotes: nam cùm in magnis ſolemnitatibus plurima offerrentur, ſummus ſacerdos non poterat, abſque minorum iuuamine ea offerre: vt contigit tempore Salomonis, qui mille obtulit hoſtias in die, qua introduxit arcam, & altare in templum, quod conſtruxerat. 2. Paralip. c. 1. *Vt miniſtrent in ſanctuario.* Sanctuarium dicitur locus ſanctus: & aliquando ſumitur ſpecialiter pro tabernaculo, prout diſtinguitur contra atrium, vt in hoc c. 28. n. 35. *Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur, & egreditur ſanctuarium in conſpectu Domini.* Vbi accipitur ſanctuarium pro tabernaculo excluſo atrio: Exod. 28. n. 35.

nam in atrium poterant ingredi sacerdotes vulgaribus vestibus induti. Deinde quia, si per sanctuarium intelligeretur etiam atrium tabernaculi, extra hoc deberet Pontifex indui vestibus sacris: quod aperte est falsum: quia vt constat Exod. 30. num. 18. & 19. prius Pontifex, aut quilibet sacerdos minor accedebat ad labrum æneum, quod erat ante altare holocaustorum, & ostium tabernaculi, & in eo lauabat manus, & pedes, & post hæc indutis vestibus competentibus ministrabat. Nec ob hoc negandum est, aliquando nomine sanctuarij accipi totum tabernaculum etiam cum atrio, vt Numer. 3. & 18.

6. *Ne iniquitatis rei moriantur*, præceperat Deus sacerdotibus ministraturis, indui fœminalibus, ne moriantur: hoc est, ne, si hoc præceptum violauerint, plectantur morte, Oleaster sic legit: *& non ferent iniquitatem*: id est, pœnam iniquitatis, nempe mortem, ac pro eodem reputet committere iniquitatem, & mortem pati.

7. Abulensis. *Legitimum sempiternum, &c.* Abulens. quæst. 21. per *legitimum* intelligit cærimoniale: ac si diceret; semper quando sacerdotes ministrant, debent indui fœminalibus. Alij per *legitimum* interpretantur *statutum*: quasi diceret: volo, vt hoc statutum de vestibus sacris Aaron, & posteri eius obseruent in perpetuum. Ita Caietanus & Cornelius hîc: Saa, & Menochius in Biblia magna.

Caietanus. Cornelius. Saa. Menochius.

QVÆSTIO XXXVIII. Litteralis.

An lex de ornatu sacerdotum fuerit sempiterna?

8. PRæsens controuersia procedit de lege, qua Deus iussit sacerdotes indui vestibus sacris; quomodo intelligenda sit, quod fuerit sempiterna: rario difficultatis est, quia Aaronis, & filiorum eius sacerdotium non fuit sempiternum: ergo lex de illis ornandis non potuit esse sempiterna. Quomodo ergo in textu dicitur *legitimum sempiternum erit Aaron, & semini eius post eum?*

9. Augustinus. Augustinus quæst. 124. in Exod præfata verba exponens sic dubium soluit: *De ordine autem Aaron dictum est quidem in sempiternum, vel propter tempus non præceptum quousque obseruaretur: vel quod res significaret æternas. Nusquam tamen est dictum de sacerdotio Aaron, quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: & ideo dictum est in illo sacerdotio* (nempe Christi) *secundùm ordinem Melchisedech, non pœnitebit eum: vt significaret, quia de sacerdotio Aaron pœnituit eum, & mutauit illud.* Idem docuerat lib. 17. de ciuit. cap. 6. docent etiam Isidorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 5. & Beda ad cap. 1. lib. 1. Regum.

Isidorus. Beda.

10. Veneror responsum tantorum doctorum: attamen dubij propositi non omnino euacuauit difficultatem: quic hîc dicitur Aaronis sacerdotium sempiternum, & tamen reuocatum est: quod absque dubio sempiternum fuisset, si à Deo non fuisset reuocatum. Ad solutionem huius dubij notandum est, nomen *sempiternum* in sacris litteris non semper significare durationem simpliciter æternam, vt patet in seruo, qui nolebat relinquere dominum suum, de quo dicitur Deutoron. 15. num. 17. *seruiat tibi* Deu. 15. n. 17 *vsque in æternum*, & de Dauide commorante apud regem Achis de quo dicebat: *erit mihi seruus sempiternus* 1. Reg. 27. num. 11. & de Da- 1. Re. 27. n. 11 niele incluso in lacu leonum dicente ad regem Darium: *Rex in æternum viue*. Daniel. cap. 3. Dan. 3. n. 9. num. 9. in quibus locis non significatur duratio æterna, sed diuturna, sic sacerdotium Aaronis, & filiorum eius sempiternum dicitur, hoc est duraturum in tota eius familia, toto tempore legis.

EXPOSITIO AD MORES.

ILLATIO CCLXXXIII.

Sacerdotum castitas secura, fortis, ita vt vel minimæ suspicioni non subiaceat.

11. Thom. Vill. HVius themati dedit exordium S. Thomas à Villan. concione 3. de sancto Augusti- no his verbis. *Quid enim sacerdoti decentius, quid commodius, quàm decor, & puritas castitatis? sit pius, sit feruidus, sit humilis, sit deuotus, sit quidquid vis, si non est castus, nihil est, altari non congruit. Quomodo enim ad tantum ministerium* Iob 25. n. 5 *sacrilegis manibus accedet impurus, & fœtidus, cùm etiam astra non sint munda in conspectu eius? vnde Isaias: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Quid dixi, qui fertis: imo, qui estis vasa Domini,* Isa. 52. n. 11. *id est, sacrarium Dei, in quibus manna cœleste, &* ad Hebr. 9. *angelorum cibus quotidie infertur, atque recon-* num. 4. *ditur.* Præ omnibus colere castitatem tenemur sacerdotes, imo non solum colere, & seruare, sed ita pudicitiæ radiis fulgere, vt nec minimæ suspicionis impuritatis admittamus specimen.

12. Ambrosius. Diuus Ambrosius serm. 82. tom. 5. apibus comparat sacerdotes. At primo aspectu minus apta videtur hæc comparatio: nam quid sacerdotium cum fauo? aut quid cum apibus sacerdotes? respondet fauus Ecclesiæ: *Quia sicut apes de diuinarum scripturarum floscul is suauia mella conficiunt, & quidquid ad medicinam pertinet animarum oris sui arte componunt. Recte comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum legis exerunt.* Apes multiplicantur, vitam castam habentes. Comparantur ergo apibus sacerdotes, vt instruantur ad castitatem colendam, si filios, & cælicolas multiplicare desiderant. Nam sicut apum examina castitate generantur, & conseruantur continentia eis à natura insita: sic sacerdotium augetur, si sacerdotes castitatis lilio floreant.

13. Isa. 52. n. 11. Isaias 52. num. 11. sic sacerdotes alloquitur: *Pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini, qui fertis vasa Domini.* Nimius videtur Propheta, dum admonet sacerdotes, ne pollutum tangant. Quid interest, tangere pollutum, vel immundum? adhuc magis vrget, dum non solum tactum, sed voluntarem tangendi prohibet. Ad quid ergo tam stricto præcepto eos arcet à voluntate tangendi immundum? quia cum sacerdotes tanta excellentia fulgeant

geant, in eis nec voluntas tangendi immundum reperiri debet. Audi Augustinum ser. 36. ad fratres in eremo. *Propterea, sacerdotes altissimi Dei, vobis dicitur, mundamini, qui fertis vasa Domini. Vos enim estis, qui vasa Domini ferre debetis, quibus datum est, nosse mysteria regni Dei. Vos estis sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columbæ templi, lignum scientiæ in medio paradisi positum, patroni, & rectores terræ, angelorum, & paradisi ciues, Prophetarum Filij, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores. Mundamini ergo, vt digne cum patribus ferre possitis vasa Domini.* Retulit Augustinus tot excellentiarum numerum, vt exinde agnoscant sacerdotes, quanta dignitate fulgent, & mundi sint colentes castitatem illis gratuitam, sed sacerdotio innatam.

Augustinus.

14. Nec adhuc tacet Augustinus ibid. serm. 37. exponens verba illa ad Ephesios 5. num. 3. vbi sic ait Apostolus: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia non nominetur in vobis.* Hæc de sacerdotibus intelligit Aurelius dicens: *Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, ne mens vestra colloquiis malis possit corrumpi. Ideo, fratres, attendite, quòd non solùm à vobis remouenda est fornicatio, sed etiam omnis suspicio falsa. Non decet, clericum cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum earum frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. O quam vilis, ô quam miser, & pusillanimis reputatur clericus, qui frequenter cum mulieribus conuersatur.* Tanta castimonia fulgere debet sacerdos, vt non tantum corpore, & mente castus existat, verumetiam in verbis ostendat cordis castitatem. Parum hoc erit sacerdoti: debet etiam remouere omnem suspicionem, etiam falsam, ne populo videatur incontinens, abstinens se à consortio, & vanis confabulationibus mulierum.

ad Eph. 5. n. 3 Augustinus.

15. Cùm oppressus fame Dauid à sacerdote Abimelech panem, quo reficeretur, exigeret, respondit sacerdos: *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri maxime à mulieribus* 1. Reg. 21. num. 4. sed cur sacerdos non interrogat ipsum Dauidem: an continentiam seruauerit, sed in pueris eam desiderat? an quia Dauid illorum panum alimonia non erat cibandus? vere omnibus panis ille conferendus erat. Cur ergo de puerorum continentia, & non Dauidis interrogat sacerdos? quia Dauid panem sanctum erat accepturus in manibus, vt se, & pueros suos cibaret, in quo sacerdotis panem sanctum accipientis, & distribuentis relucebat effigies. De castimonia ergo Dauidis, qui tunc sacerdotem repræsentabat, non dubitauit Abimelech: quia de sacerdotis continentia non solum dubitandum non est; verùm contra eam nec minima suspicio admittenda, si ergo summus sacerdos non dubitauit de continentia Dauidis, quia quodammodo figurabat sacerdotes: quanta castitate pollere debet, qui sacerdotali vnguento consecratus sacrosanctum Christi corpus offert in Eucharistia? hæc expendebat Augustinus vbi supra dicens: *si ergo interrogauit sacerdos: vtrum serui Dauid mundi essent propter panes propositionis accipiendos, quid facere nos debemus, miseri sacerdotes, propter corpus Domini accipiendum?*

1. Re. 21. n. 4.

Augustinus.

16. *Facies & feminalia, vt operiant carnem turpitudinis suæ, &c.* Augustinus quæst. 122. in Exodum sic inquirit: *cum vestis tanta cooperiat totum corpus, quid est, quod ait, femoralia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum: quasi apparere posset tanta desuper veste adhibita?* sed audi eundem respondentem: *nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis, vel continentiæ, quæ à Deo per indumentum significatur, vt non ex ipso habita, sed data intelligatur.* Ita scrupulosa est sacerdotum castitas, vt quantumuis sacerdos ornatus fuerit tunica talari, insuper & hyacinthina, quibus satis superque carnis turpitudo tegebatur, addi voluit Deus feminalia, vt omnino remoueretur periculum eam detegendi: in quo innuebatur, non sat esse sacerdoti, castitatem seruare, ni etiam pericula, quæ contra eam militare possunt, remoueat, sacerdotis namque castitas sic debet custodiri, vt vel pericula visus euitentur. Secundo: tanto studio sacerdotis præcipitur tegi carnis turpitudo, ne exterius appareat in eo aliquid inhonestum. Hoc præceptum de fœminalibus etiam Ambrosius lib. 1. officio cap. 18. pro seruanda castitate intelligit, dum approbans interpretationem aliorum circa vsum fœmoralium, sic ait: *Plerique spirituali interpretatione ad cautionem verecundiæ, & custodiam castitatis, dictum arbitrantur.* Fœminalibus ergo induebantur sacerdotes, quamuis tunica byssina, & talari ornati, ad cautionem verecundiæ, & custodiam castitatis: quia castitas quantumuis custodita semper indiget custodiri.

Ambrosius.

17. Placet hîc referre verba Philippi Abbatis lib. de continentia clericorum cap. 45. vbi sic ait: *Pulchre diuinus sermo ea, nempe fœminalia altari ministrantibus asseruit, specialiter conuenire, vt eis studeant, carnis suæ turpitudinem operire, ne inueniantur mores ab officio dissentire, si quis sine illis altari præsumpserit deseruire: neque enim debet ministerium sibi altaris assumere, qui cæteris virtutibus continentiam non studet adiungere: quia sicut non nisi sanctus debet altari famulari, sic ad famulandum non nisi continens potest significari.*

Phil. Abbas.

18. Beda lib. 3. de tabernaculo cap. 8. ingeniosè notauit, non fuisse Moysi præceptum, quod fœminalibus indueret Aaronem, & filios eius, sed quod faceret, vt isti induerentur. *Vnde* (inquit) *non iubetur Moyses hoc vestimento induere Aaron, & filios eius, sicut de prioribus dicitur: vesties his Aaron fratrem tuum, &c. sed facies fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ.* Rationem affert huius discriminis, sic prosequens: *Tu fœminalia Pontifici, & filiis eius facies: tu castitatis regulam docebis: tu abstinendum ab vxorio complexu his, qui sacerdotio fruituri sunt, intimabis: nulli tamen violentum huius continentiæ iugum impones, sed quicumque sacerdotes fieri, & altari seruire volunt, sponte sua desistant, serui esse vxorum.* Multa hîc docet venerabilis Beda. Primò: Deum Moysi non iniunxisse præceptum induendi sacerdotes fœminalibus, sed faciendi illa: quia qui sacerdotes erant consecrandi, debebant doceri, & instrui in regula castitatis seruandæ, qua semel instructi, ad eos spectabat eam colere, & custodire. Secundò: vt ostenderet sponte, & non inuite sacerdotalem statum

eligendum fore: ſemel tamen electo voluntaria caſtitas commendatur. Quod intelligi debet de illis ſacerdotibus, quibus permiſſum erat vxorem virginem ducere: nam de Euangelicis, quanuis ſuſcipere ſacerdotalem ordinem, nobis fuerit voluntarium; at ſemel ſuſcepto obligatione caſtitatis ſeruandæ obſtringimur. Tertiò: fæminalibus Moyſes non induit ſacerdotes, ſed eis id commiſit: quia cum fæminalia ſignificarent cuſtodiam caſtitatis, ſat erat huius virtutis proponere pulchritudinem, vt intelligerent ſacerdotes, eam ſeruare oportere.

19. Verum non qualibet caſtitate florere debent ſacerdotes, ſed firma, & inconcuſſa. Id exprimitur in hoc, quod fæminalia hæc confecta erant ex byſſo retorta (vt conſtat Exod. 39. num. 29. ſecundùm tranſlationem Hebraicam) id eſt duplicatis filiis contexta, ne rumpantur, inquit Ioſephus lib. 3. antiq. cap. 8. cùm ergo fæminalibus (vt diximus ex Auguſtino, Ambroſio, Philippo, & Beda citatis) caſtitatis ornatus deſignetur, quo ornari debet ſacerdos; aperte conſtat his indicari, ſacerdotes, non caſtitatem quomodolibet, ſed firmam, & inconcuſſam colere debere.

20. Ad cuſtodiendam hanc gemmam pretioſiſſimam, ſummo ſtudio laborare debet ſacerdos, cuſtodiam cuſtodiæ addens, ne in ſecuritate non ſit ſecurus, & ne periclitetur in portu.

Ex. 20. n. 26. Huc ſpectat illa prohibitio ſacerdoti facta Ex. 20. num. 26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Vide quanto ſtudio Deus conſulat ſacerdotum honeſtati, ſacerdoti nefas erat ad altare aſcendere, niſi fœmoralibus indutus: ergo non erat periculum reuelandi aliquid inhoneſtum. Ad quid ergo Deus prohibet, altare gradibus extrui, & per eos ſacerdotem aſcendere? Profectò, quia quantunuis tunica talari, & fæminalibus protecta erat ſacerdotis honeſtas, prohibito aſcenſu per gradus adhibuit Deus illi nouam cuſtodiam, & amouit omne periculum reuelandi turpitudinem ſacerdotis. Hinc docemur, quod licet ſacerdotum caſtitas, & honeſtas omni cura, & cuſtodia vallata ſit; ne in ipſa ſecuritate periclitetur, remouendam fore vel pòſſibilitatem periculi

21. Tandem: ſic ſacerdotes florere debent caſtitatis lilio, vt ſi eo orbentur infeliciter, propter hoc crimen mortis pœna plectantur. In hoc capite 26. n. 45. ſic ſtricto præcepto obligantur ſacerdotes (quidquid dicat Beda) fœminalibus vti, vt ſi alias fecerint, capitali morte damnantur. Sed quid eſt, quod cum de aliis veſtibus agitur, etiamſi omittantur, nulla mortis mentio ingeritur; ſicut cum de fœmoralibus ſermo inſtituitur: nefas erat ſacerdoti ſine aliis veſtibus ſacris ſanctuarium ingredi, ſicut ſine fœminalibus: quare ergo omiſſionis huius ornatus exprimitur pœna, non verò aliarum veſtium: nec id vacat myſterio. Quia cùm per fœminalia præcipuè ſacerdotum caſtitas, puritas, & honeſtas deſignetur; ſi ſacerdos ſine caſtitate, impurus, & inhoneſtus ad altare acceſſerit mortis reus eſt, ſed dices eadem pœna dignus exiſtit, ſi accederet ſine aliis veſtibus: ergo aſſignata ratio non concludit. His non obſtantibus dico: ideo in omiſſione fœminalium pœnam mortis fuiſſe inflictam, ad oſtendendum quod licet ſacerdos in aliis deficiat, aliquando miſericordi venia conniuetur: at ſi contra caſtitatem deliquerit, ſtatim plectitur pœna mortis, quia mortem intulit ſacerdotio.

ILLATIO CCLXXXIV.

Cam deeſt auaro, quod habet, quàm quod non habet.

22. MIſera eſt habendi cupiditas: hæc, ſi alicuius cor poſſideat, quantunuis diuitiis affluat, pauperrimum reddit. Non eſt pauper, qui nihil poſſidet, ſed qui omnium æſtuat deſiderio. Miſerrimus autem, & paupertimus eſt: qui non ſolum omnia cupit, ſed & poſſeſſa abſcondit. Hæc enim eſt auari miſerrima conditio, cui tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet, elegantiſſime hoc explicuit Ambr. lib. de Ioſeph cap. 4. qui poſtquam expendiſſet verba illa Ioannis 8. num. 34. *Omnis, qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, ſic ait: *quomodo enim non ſeruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello ſeipſum auctionatur? timet enim ne congeſta amittat, qui non vtenda congeſſit: maiori periculo ſeruaturus, quo maiora quæſiuit. Quomodo non mendicus, cui ſunt parua, quæ poſſidet? nam etſi mihi diues videatur, ſibi eget: nec teſtimoniis ſuæ vota ſolatur, qui quod optat neſcit credere.* Mendicum, & ſeruum vocat Ambr. auarum: vtrumque eſt. Illud, quia ſemper deſiderat: hoc, quia diuitiis inſeruit deſpotica ſubiectione, ſed maiorem emphaſim inuenio in verbis Ambroſij. Mendicus eſt auarus, etſi plenus diuitiis: quia ſi mendicare, paupertatis eſt ſignum, & indigentiæ: quis magis indigus, quàm ille, qui non vtenda congeſſit? ſeruus etiam eſt, non ſolùm peccati, ſed diuitiarum: nam vt non amittat eas, ſibi ipſi negat neceſſaria. Item ſeruus eſt: quia ſeruus nihil habet, ergo etſi abundet diuitiis, iure ſeruitutis amiſit dominium. Merito ergo miſer, qui etſi nobis diues videatur, ſibi eget.

Ambroſius. Ioan. 8. n. 34

23. Columbanus Abbas hoc explicuit his carminibus, quæ in tom. 8. Bibl. veter. Patrum referuntur.

Semper auarus eget, nec habet, quod habere videtur.
Ille domi ſolus nummos abſcondit in arca,
Diuitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſeruat cui cuncta fideliſ.

Vere ſeruus, qui hæredem amat, dum ſeſe neſcit amare: ſibi detrahit, quod aliis relinquet conſumendum: eget, nec habet, quod habere videtur.

24. Pſalmo 32. excitat nos regius Pſaltes ad Dei laudes decantandas ob immenſa erga nos beneficia; cumque retuliſſet cælorum creationem, & ſtellarum ornatum, ait num. 7. *Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.* Genebrardus ad hæc verba aſſerit, hîc alludere Dauidem ad illud, quando Deus aquas, quæ in initio erant terris ſuperfuſæ, coercuit in ſuo alueo,, ibique concluſit, vt theſauri ſeruari, & reponi ſolent. Idem docuerunt Saa, & Menochius in Bibl. magna. Attamen Ioannes Sopranis in cap. 21. lib. 1. Reg. aſſerit, hæc verba, *ponens*

Pſal. 32. n. 7
Genebrard.
Saa. Menochius. Sopranis.

ponens in thesauris abyssos, fore intelligenda per inuersionem hoc modo: *ponens thesauros in abyssis.* Eodem modo intelligit verba illa l. 1. Reg c. 21. n. 5. *sanctificata via in vasis*, id est, *vasa in via ipsa sanctificata*, si hanc admittamus expositionem, examinandum superest: cur prædicat Dauid, posuisse Deum thesauros in abyssis? magnam copiam aquarum significat abyssus: quid ergo sibi vult Dauid, cùm ait, thesauros reconditos fuisse in abyssis, hoc est, intra aquarum latebras? duo mihi se offerunt respondenda, vtrumque contra auaros. Primò iudico, ideo Dauidem thesauros in abyssis repositos esse prædicare: quia cùm auari cor sit in thesauro, iuxta illud Matthæi 6. n. 21. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*, vt ergo denoraret, cor auari esse in abyssis, vel abyssos in corde auari, posuit in thesauris abyssos, vel thesauros in abyssis, & bene cor auari est in abyssis: quia sicut abyssi confusione abundant, & in eis omnia velut indiscreta confunduntur; sic in corde auari omnia confusa sunt. Secundò respondeo; ideo thesauros in abyssis esse, hoc est, in magna aquarum copia, vt agnoscamus, quod sicut, quæ in mari sunt, à nemine possidentur, sic, quæ in auari arca seruantur, quæ verè ei abyssus est, nemini inseruiunt.

1. Reg. 21. n. 5.

Mat. 6. n. 21.

25. Si verba illa nostri textus: *& ventent eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum, &c.* intelligantur non solùm de fæminalibus, sed etiam de omni ornatu sacerdotum (vt notauimus num. 5.) mirificè consonant cum translatione Septuaginta interpretum sic legentium: *& habebit Aaron ea, & filij eius, quando ingrediuntur tabernaculum*, sed vbinam est consonantia? nam in sacro textu legitur: *ventur eis*: apud Septuaginta: *habebit ea.* An idem est habere, & vti? apud Dei ministros idem prorsus debet esse. Nam si haberent vestes, & eis non vterentur, perinde esset, ac non habere. quid prodest nobis, aurum, argentum, gemmas, omnia genera diuitiarum possidere; si eis non vtimur, egentibus succurrendo, aut in alios pios vsus conuertendo? hæc enim est auari hominis conditio, non vti eis, quæ possidet, sed recondere, cui tam deest, quod habet, quam quòd non habet.

Septuaginta.

ILLATIO CCLXXXV.

Perit, quicumque peccat: quia peccatum est mors.

26. SVmma infelicitas est peccatum; quia summa felicitate priuat. Qui peccat ex amico fit inimicus Dei. Ergo summè infelix est, qui suis flagitiis dissoluit tantam amicitiam, summa infelicitas in humanis est mors corporis: quia hac desinit, & post eam solùm ei restat sepulchrum; & vermes. Huic comparatur peccati miseria, vt explicetur, quam infelix sit, qui peccatum committit. Peccatum in nihilum redigit peccantem. Ergo perit, qui peccat; quia peccatum est animæ mors miserrima.

27. Peccauit Adam, & pro vno pomo totum fructum perdidit paradisi: quæritur à Deo, & non inuenitur. Quid mirum, cùm mordens pomum conuersus fuerat in arborem? hoc nimirum denotarunt foliorum ficus perizomata. Quid inde? *vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es?* Gen. 3. n. 9. O bone Deus, infinite sapiens! vbi est sapientia tua, qua vel abditissima penetras? si recum semper est, vtpote à te indistincta: quare locum, in quo absconditus est Adam, inquiris? videris tuæ præscientiæ, qua futura nosci, antequam fiant, præiudicare, sedula hominis inquisitione! aut cur inquiris, quod intueris? Tertul. lib. 2. contra Marcionem, cap. 25. sic dubium soluit: *neque enim simplici modo, id est, interrogatorio sono, legendum est, vbi es Adam? sed impresso, & incusso, & imputatiuo, Adam vbi es, id est, in perditione es; id est, iam hic non es, & vt increpandi, & dolendi exitus vox sit.* Non inquirit Deus, vbi esset Adam, quia locum, in quo esset, ignorasset, sed vt ostenderet miserrimum eius statum. Quasi exclamaret, & diceret: ô miserum Adam, iam non es: quia, quod antea eras, amisisti in perditione es: ergo in loco non es, quia nihil es, sic explicuerat Philo Hebræus lib. 2. allegoriar. exponens hæc verba: *Adam vbi es*, dum dixit: *quærenti vbi es? respondeatur, nusquam. Nullum enim locum habet mali hominis anima, cui vel insistat, vel insideat.* Miror virum doctum asserere, peccatorem nullibi esse; cùm infernus animæ peccatricis proprius sit locus. At taliter se destruit peccator, vt vel infernus, ni Deus id imperaret, eum non susciperet. Nullibi ergo asserit Philo esse peccantem; vt ostenderet, nihil esse, qui peccat. Quod est, alicubi est: ergo cùm peccator nullibi sit, nihil est peccator, periit ergo, qui à Deo recessit per peccatum.

Gen. 3. n. 9.

Tertullian.

Philo Heb.

28. Negat Petrus noscere Christum, & ad mulierculæ vocem titubat Ecclesiæ petra dicens: *mulier non noui illum.* Luc. 22. n. 57. vix Petrum magistrum negauit, cùm iterum interrogatus etiam seipsum negauit: *& post pusillum alius videns eum, dixit: & tu de illis es, Petrus vero ait: ô homo non sum.* Nota Petrum hîc variasse stylum: nam cùm primum interrogatur, negat, nosse Christum; cùm secundò, seipsum negat dicens: *ô homo non sum.* Quem negat hîc Petrus: se, an Christum? profecto, & Christum, & se, sed cur hîc, se etiam negat, cùm negat Christum? ingeniosus, & deuotus erga Petrum adest Ambr. ibidem soluens dubium: *quia videbatur negare Christi societatem, vtique se negauit.* Cùm Petrus interrogatur secundò, vt peccator respondit: & ideo seipsum negat; quia Christum negauerat: ac si diceret; Christi societatem nego: ergo iam non sum, id est, non sum, quod eram, quia negationis committo peccatum. Tanta est miseria peccantis, vt hoc ipso, quod peccat, desinat esse, quod erat.

Luc. 22. n. 57.

Ibid. num. 58.

Ambrosius.

29. Hanc peccati miseriam confirmat sacer textus prodigum nobis ob oculos proponens. Lucæ 15. n. 17. in se reuersus dixit: *quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* In se reuertitur hic iuuenis: ergo extra se erat, & suum esse amiserat, sed quomodo potuit à se discedere, vt in se rediret? quia peccauit, totus transiuit in brutum: ergo amisit, quod erat. Reuertitur ergo in se, quia paternam domum suspirabat. Pulchrè Chrysologus serm. 2. *In se reuersus est, in se ante redit, vt rediret ad patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à patre: à se migrat*

Luc. 15. n. 17.

Chrysologus

migrat,& ab homine totus tranſit in beſtiam paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus. Receſſus prodigi à patre, receſſus eſt peccatoris à Deo. Meritò ergo à ſe recedere dicitur, qui oblitus eſt per peccatum gratiæ genitoris. Cùm ergo,qui à ſe recedit, deſinat eſſe, quod erat,& in alium tranſeat:ſic peccator, cùm peccat à ſe recedens,totus tranſit in beſtiam.Ergo moritur per peccatum, confirmat hoc alacritas illa,qua pater prodigi eius celebrauit aduentum: ſed audi ab eo cauſam ob quam conuiuium parat lautiſſimum. *Quia hic filius meus* (inquit)*mortuus erat,& reuixit: perierat, & inuentus eſt*, ibid. n. 24. ſed quomodo mortuus fuerat hic filius?Theophilact. in catena S. Th. ad præfata verba:*quantum ergo ad vitiorum conditionem mortuus fuerat.*Ergo moritur,quiſquis peccat.

Ibid. n. 24.

Theophil.

30. Inuenta oue illa perdita plenus gaudio ſic cæleſtis ille paſtor dicebat.Luc. 15.n.6.*Congratulamini mihi,quia inueni ouem meam,quæ perierat,*ſed quando illa ouis periit?D.Gregorius in catena S. Th. ad hæc verba ſic reſpondet: *vna ouis tunc perit, quando peccando homo paſcua vitæ reliquit.*Mortua erat ouis illa; quia per peccatum à cæleſti receſſerat paſtore.

30. Luc. 15.n.6.

Gregorius.

31. Fletus Rachelis huius theſis erit non inutilis confirmatio:ſic eum refert Ieremias cap. 31. n.15.*Vox in Rhama audita eſt,ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari quia non ſunt.* D. Ambr.in Pſalm.37. per Rachelem intelligit Eccleſiam;per filios fideles in culpam prolapſos. Audi eum: *Rachel Eccleſia eſt,in qua benedicitur plebs Dei, ipſa pro te fleat,ipſa tua peccata deploret,& fleat multum, vt conſolationem facilem non admittat,quemadmodum qui plurimum dolent,*ſed cur conſolari non vult Eccleſia:& quare plurimum dolet?*quia non ſunt.*At quando fideles deſierunt eſſe? quando peccarunt.Accipe iterum Ambr. *Ideo conſolari ſe noluit,quia,qui eras,eſſe deſiiſti,*ſolatium non admittitEccleſia pro fidelibus peccatoribus,ſed eos ambobus oculis deplorat, quia non ſunt, hoc eſt,quia peccando vitam amiſerant.

31. Ambroſius.

Mortis rei erant ſacerdotes, ſi tabernaculum ingrederentur ſine fæminalibus, vt conſtat ex hoc cap.28.n.43. vbi poſt præceptum de non ingrediendo ſine veſtibus ſacris,ſtatim ſubiungitur.*Ne iniquitatis rei moriantur.* Oleaſter ib. ſic legit:*& non ferent iniquitatem, id eſt, panam iniquitatis.Quod ſtatim explicat, dicens: & non morientur. Quaſi pro eodem reputet,ferre iniquitatem,& mori,*ſed quomodo hic auctor iniquitatem cum morte confundit?optime. Nam qui peccat,ſeipſum interficit;& perinde eſt peccatum in ſe admittere,ac mortem infelicem pati. Caue ergo à peccato ſicut à morte, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui pro omnibus mortem crucis ſuſtulit, conferat vitam ſempiternam. Amen.

32. Oleaſter.

Sit laus Deo Patri, Filio, & Spiritui ſancto: beatiſſimæque intemeratæ Virgini Mariæ, eiuſque immaculatæ Conceptioni.

Quidquid in hoc Volumine ſcripſi, & quidquid dixero ſanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubmitto.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Volumine continentur.

Primus numerus versum significat, secundus marginalem, tertius paginam.

A

Aaron. *Vide* Ornatus.

ARONIS ornatus totius mundi imaginem referebat, in significatione allegorica adducta in principio voluminis.

Ratio huius significatus ex Philone. ibid.

Ad sacerdotale munus præparatus ornatus Aaronis. vers.1.num.1.pag.5

Aaron frater Moysis: filius Amram, & Iocabed de tribu Leui. ibid.

Vxor eius Elisabeth: filij, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. ib.

Aaron summus sacerdos simul cum Moyse. v.1.n.4.p.5

nobilitas Aaronis ex sacerdotio maxime fulsit. v.1.n.2.p.5

